CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

I

INTRODUCTIO GENERALIS IN U. T. LIBROS SACROS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

HISTORICA ET CRITICA

INTRODUCTIO

IN

U. T. LIBROS SACROS

PRAELECTIONES

QUAS

IN GERMANIA, IN COLLEGIO B. M. V. AD LACUM

ET

ROMAE, IN UNIVERSITATE PONTIFICIA GREGORIANA

HABEBAT

RUDOLPHUS CORNELY S. I.

VOLUMEN I

INTRODUCTIO GENERALIS

SIVE

DE U. T. CANONIS, TEXTUS, INTERPRETATIONIS HISTORIA

Editio altera emendata et aucta

Cum approbatione Superiorum.



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

1894

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI

QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Introductio in S. Scripturam*, *Pars I*, auctore P. Rudolpho Cornely, S. I., in Universitate Gregoriana S. Scripturae Lectore, aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 1 Iulii 1884.

L. S. A. M. ANDERLEDY,
Vic. Gener. S. I.

IMPRIMATUR

F. Augustinus BAUSA, ord. praed., *S. P. A. Magister.*

Quum opus, cui titulus est : *Historica et critica Introductio in Utriusque Test. libros sacros*, auctore P. Rudolpho Cornely S. I. Vol. I. *Introductio Generalis, Editio altera emendata et aucta*, aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 3 Augusti 1893.

L. S. Ludov. MARTIN,
Praep. Gen. S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 22 Augusti 1893.

L. S. † FRANCISCUS, Card. Richard
Arch. Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Introductionis huius in S. Scripturas quae sit ratio, quum in Prolegomenis explicaverim, hoc loco ex prioris editionis praefatione, quid in hoc volumine vulgando potissimum mihi proposuerim, paucis liceat repetere.

Satis magnum quidem esse numerum librorum, qui Scripturarum historiam tradunt, non ignoro. Sed modernos plerosque, utpote ab acatholicis viris conscriptos atque multis et gravibus erroribus infectos, in catholicorum manibus versari lex sapientissima vetat. Inter reliquos autem, qui catholicis auctoribus debentur, quamvis egregii sint, alii ante multos annos editi hodiernae scientiarum conditioni non satis respondent; alii modernis linguis conscripti ultra patriae suae fines vix innotuerunt; tantum non omnes, quum iuvenum ad sacrarum literarum studium accedentium in usum fere sint exarati, nonnulla quae equidem graviora esse censeo vix strictim attingunt aut plane omittunt. Haud paucis igitur quaestionibus accuratius pleniusque tractatis multisque annotationibus, quibus uberiores fontes indicarem, adiectis id efficere maxime studui, ut opus meum qualecumque eorum quoque responderet desideriis, qui consueto theologicorum studiorum curriculo emenso in Scripturis diligentius perscrutandis operam suam ponere volunt.

Itaque in *prima dissertatione* ampliorem et copiosiorem, quam a reliquis tradi solet, *historiam canonis U. T.* ex ipsis fontibus contexui; neque defore puto, qui in Patrum aliorumque scriptorum testimoniis afferendis et in adversariorum obiectionibus quamvis levibus refutandis me nimium fuisse existiment. At muneris suscepti partes excedere, quam non implere malui. Persuasum enim mihi est, maioris hodie, quam olim fuit, ponderis in divina vindicanda revelatione esse historiam non tantum singulorum librorum sacrorum sed eorum quoque collectionis; neque aptiorem, quam in Introductione, eius enarrandae inveniri locum omnes facile concedent. Quare etiam longiorem de apocryphis commentationem addere non dubitavi, quippe qui, quum a Patribus interdum sint adhibiti, modernis rationalistis frequentem cavillandi occasionem praebeant.

In *altera dissertatione,* quae *textus sacri historiam* narrat, a tramite quem omnes hodie sequi solent vix recessi; pleniore autem et diligentiore narratione id me assecuturum esse speravi, ut quae hodiernis Scripturarum editionibus, ac praesertim quidem Vulgatae nostrae, competeret auctoritas, clarius certiusque perspiceretur.

Diligentissime vero quum in toto volumine tum praecipue in *tertia dissertatione*, cuius longe maior pars in *exegeseos historia* tradenda versatur, catholicorum interpretum memoriam renovare studui. Quid sit causae cur ita egerim, aperte profitebor. A quo tempore enim ante plus quadraginta annos literarum sacrarum studio iuvenis vacare atque commentarios antiquos modernosque pervolvere coepi, non potui non dolere, quum a medio fere saeculo praecedente non ita paucos interpretes catholicos acatholicorum vestigia terere, praeclaros autem antiquitatis catholicae commentatores tantum non ignorare viderem. Qui tristis rerum status, Deo iuvante, hodie quidem in laetiorem mutatus est; plerique enim interpretes nostri, licet ab acatholicis illa, quae in philologicis maxime et historicis recte statuerunt, suo iure desumant, in theologica tamen explicatione maiores nostros catholicos sequi malunt. Non dubito autem, quin multa egregia, quae haud levibus saepe erroribus permixta adhuc ex adversariorum operibus desumuntur, maiore cum securitate ex Patrum antiquorumque interpretum commentariis pura ac sincera hauriri possint. Quocirca ut eos, qui regiam hanc viam ingredi vellent, pro mea parte adiuvarem, catholicae exegeseos historiam fusius narrare conatus sum copiosumque nostrorum interpretum, qui inde a primis fidei temporibus ad hanc usque aetatem floruerunt, catalogum contexui, copiosiorem contexturus, si per operis limites licuisset.

Iamvero eximia benevolentia et indulgentia, qua tres huius voluminis dissertationes a scholis catholicis multisque viris doctis exceptae sunt, maximum mihi erant incitamentum ad illas accurate retractandas diligenterque excolendas. Nulli igitur labori parcens non tantum omnes fere meas sententias novo examini subieci, sed illa quoque, quae privatim vel publice ab amicis et ab adversariis in priore editione notata vel animadversa sunt, exacte perpendi ac praecipua opera introductoria et exegetica, quae ultimo hoc decennio edita sunt, sollicite perlustravi, ut quid Introductioni meae deesset clarius cognoscerem. In opere deinde retractando nonnulla quidem, quae minus plane aut minus recte dicta videbantur, explanare et corrigere studui; alia, quae sibi non probari viri docti quidam significarant, aut obiectionibus eorum dissolutis aut novis allatis argumentis confirmare conatus sum; documenta quoque nonnulla, quae recente tempore reperta aut melius cognita sunt, tractavi ac praesertim in canonis et in exegeseos historia haud pauca addenda duxi. Quare sperare mihi licet fore, ut Deo favente nova haec editio emendata et aucta fini, quem mihi proposui, melius quam antea respondeat et ad studium S. Scripturae promovendum aliquid conferat.

Scribebam in collegio *Blyenbeek* (Afferden. Hollandia)
die festo Omnium Sanctorum 1893.

R. Cornely S. I.

PROLEGOMENA

DE OPERIS HUIUS RATIONE

1. — « Quid sunt Scripturae, nisi epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? » Brevissimis his verbis *S. Gregorius M.*[1], quanta cum sollertia quantoque cum zelo lectioni studioque librorum sacrorum sit vacandum, nobis insinuat. Quod si enim a patria exsules literas a parentibus amicisque conscriptas laetabundi accipimus acceptasque nulla interposita mora avidissimi legimus et perlegimus : nonne hasce literas, quas ut *S. Chrysostomi* verba usurpem[2] nobis procul a patria in aliena terra versantibus pater noster coelestis scripsit, Moyses autem ceterique scriptores inspirati attulerunt, maiore cum gaudio accipiamus, ardentiore cum studio legamus perlegamusque oportet, ne minima tam praeclari doni particula a nobis perdatur aut amittatur? Summa enim Scripturarum est dignitas, quum Deum ipsum, aeternam Veritatem aeternamque Sapientiam, habeant auctorem; summa earum utilitas ac praestantia, quum de altissimis divinitatis mysteriis, de maximis infinitae bonitatis ac misericordiae operibus, de vera nostra salute intimaque nostra cum Deo coniunctione atque unione integrae agant; summae igitur dignitatis ac praestantiae utilitatisque etiam earum studium est.

Absit ut reliquas disciplinas theologicas detrectemus; suam quaeque habet dignitatem, suam utilitatem. Verumtamen sicuti theologiam omnium scientiarum reginam esse omnes fatentur, quippe cuius argumentum altissimum sit, quod excogitari possit, et certitudo firmissima, quandoquidem ex divinæ scientiæ lumine derivatur[3] : ita *verae theologiae animam esse Scripturarum scientiam*[4] nemo negabit, qui illas esse praecipuum divinæ revelationis fontem perpenderit. Ex illis enim potissimum dogmata sua hausit hauritque Ecclesia; ex illis dogmatum rationem et intelligentiam eorumque inter se nexum et relationem theologus hauriat necesse est. Illis SS. Patres omnes, magni mediae aetatis scholastici, iunioresque doctores, quotquot theologiae laude claruerunt, eximiam suam vereque divinam scientiam praeprimis debuerunt; nec quisquam vel obiter eorum opera percurret, quin stupendam eorum scientiam Scripturarum admiretur. Immo vero integra theologici studii historia nos docet, illud languescere et collabi coepisse,

quotiescumque sacrorum librorum studium est neglectum, neque nisi studio Scripturarum instaurato ad novam vitam resurrexisse.

Haec est causa praecipua, cur in libris sacris praedicandis eorumque lectione assidua commendanda et inculcanda SS. Patres finem vix inveniant. Indeficientem mirabilium praeceptorum coelestiumque doctrinarum thesaurum eos appellant[5]; aurifodinam, cuius divitias omni auro pretiosiores multorum effodientium manibus nec exhauriantur nec minuantur, sed augeantur ac multiplicentur[6]; paradisum suavissimis floribus dulcissimisque fructibus conspicuum, qui animum delectent ac nutriant[7]; fontes salutis, quibus sitientes aquis divinae sapientiae satientur[8]; prata fertilissima, in quibus grex Domini recreetur, reficiatur, saginetur[9]. Audiatur deinde *Origenes* sanctum et thaumaturgum suum discipulum, Gregorium Neocaes., admonens : « Tu autem, domine fili, praecipue attende divinorum voluminum lectioni eique attendens cum fideli mente pulsa, quae in eis clausa sunt, atque firma in Deum fide illum recte quaere sacrarum literarum intellectum, qui multis absconditus est »[10]; audiatur *S. Hieronymus* iuvenem ad vitam clericalem instituens : « divinas Scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas », nam « sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit; nolo te declamatorem esse aut rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et sacramentorum Dei eruditissimum »[11]; magnus quoque *S. Gregorius* audiatur, quo nemo sapientius omnium pastorum Ecclesiae officia descripsit : « *necesse est,* inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant », et iterum : « qui ad verae praedicationis verba se praeparat, *necesse est,* ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut omne quod loquitur ad divinae auctoritatis fundamentum revocet atque in eo aedificium suae locutionis firmet »[12]; omnium vero Patrum exhortationes uno quasi verbo *S. Augustinus* complectitur tanto magis vel minus sapientem esse hominem asserens, quanto in Scripturis magis minusve profecerit[13].

Neque tamen Patrum, si animarum pastoribus omnibus assiduum Scripturarum studium commendant, ea fuit mens, ut eas ad fidelium tantum institutionem et adhortationem tractari vellent; « verbi Dei enim, inquit *S. Augustinus,* inanis est forinsecus praedicator, qui non est intus auditor »[14]; ac *S. Gregorius M.* praeconibus sacris praecipit, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semet ipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant »[15]. Quisquis igitur genuinus Domini esse discipulus et velut idoneus operarius in vinea Domini ad animarum salutem aliquid conferre desiderat, iuxta monitum *S. Augustini* « ad rememorationem *suae* fidei et ad consolationem *suae* spei et ad sustentationem *suae* caritatis libros propheticos et apostolicos assidue legat »[16]. Cum *S. Gregorio M.* eos tamquam speculum quoddam oculis mentis suae semper opponat, ut suam faciem internam in eis contempletur[17]; cum *S. Chryso-*

stomo eorum lectionem sibi esse firmissimam contra omnia pericula munitionem persuasum habeat [18]; atque semper memor sit verborum *S. Hieronymi :* « ama Scripturam et amabit te sapientia; dilige eam et servabit te; honora eam et amplexabitur te » [19]. Hoc ardentissimum est Ecclesiae, cuius servitio sese dedicavit, desiderium multis modis manifestatum. Etenim anxia cum sollicitudine invigilans, « ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus S. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat », non tantum satis magnam eorum partem ab omnibus suis ministris quotidie in sacro officio recitari vult, sed eorum quoque expositionem et interpretationem omnibus in ecclesiis cathedralibus, monasteriis monachorum aliorumque regularium conventibus, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros tradi iubet [20]; tanta quoque cum diligentia eorum venerationem, amorem, usum semper promovit, ut omni tempore indefessum eorum studium floruerit laetissimosque fructus produxerit.

1. *S. Gregor. M.* ad Theodor. Epist. IV. 31 (Migne, Patrolog. latin. 77, 706).
2. *S. Chrysost.* in Genes. hom. 2, 2. (Migne, Patrolog. græc. 53, 28).
3. Cfr *S. Thom. Aq.* Summa theol. 1. qu. l. a. 5.
4. Nomine hoc Scripturarum scientiam decoravit *Institut. Soc. Iesu* Congreg. XIII. decr. 15.
5. *S. Chrys.* in Gen. hom. 21, 1; hom. 60, 3 etc. (M. 53, 175; 54, 523); *S. Aug.* de discipl. christ. 2 (M. 40, 670); *S. Hier.* etc.
6. *S. Chrys.* de verbis Ap. : Habentes autem Spiritum etc. hom. 3, 1 (M. 51, 291).
7. *S. Ambr.* ad Sabin. ep. 49, 3 (M. 16, 1154); *S. Hier.* in Zach. 14, 20 (M. 25, 1540); *S. Chrys.* in princ. Act. hom. 3, 1 (M. 51, 87).
8. *S. Athan.* ep. fest. 39 (M. 26, 1178. 1437).
9. *S. Aug.* serm. 46, 24 (M. 38, 284); *S. Ambr.* in Ps. 118 serm. 14, 2 (M. 15, 1390) etc.
10. *Orig.* ep. ad S. Greg. Neocaes. 3 (M. 11, 92).
11. *S. Hier.* de vita cleric. ad Nepot. ep. 52, 7. 8 (M. 22, 532 sq.).
12. *S. Gregor. M.* Regula pastor. II. 11 al. 22; Moral. XVIII. 26 al. 14. (M. 77, 50; 76, 58).
13. *S. Aug.* de doctr. christ. IV. 5 (M. 34, 92).
14. *S. Aug.* serm. 179, 1 (M. 38, 966).
15. *S. Greg.* M. Regul. pastor. III. 24 al. 48 (M. 77, 95).
16. *S. Aug.* c. Faust. XIII. 18 (M. 42, 294).
17. *S. Greg.* M. Moral. II. 1 (M. 75, 553 sq.).
18. *S. Chrys.* de Lazar. hom. 3, 2 (M. 48, 993).
19. *S. Hier.* ad Demetr. ep. 130, 20 (M. 22, 1124).
20. *Conc. trid.* sess. 5. decret. de reform. 1. 2.

2. — Quemadmodum vero dignissimum et utilissimum, ita difficillimum quoque semper habitum est Scripturarum studium; atque iidem SS. Patres, qui fidelibus earum lectionem commendarunt, quin etiam vel ipsas puellas « pensum quotidie de earum floribus carptum matribus reddere » iusserunt virginesque ad tam assiduam earum lectionem

exhortati sunt, « ut tenenti codicem somnus obreperet et cadentem faciem pagina sancta reciperet »[1]. — Iidem inquam Patres eas obscurissimas esse non semel fassi sunt. Perspicuitatem vero earum, quam ante haec tria saecula protestantes, ut vivum et authenticum Ecclesiae magisterium a Christo Domino institutum impugnarent, alta voce proclamare et inter sua dogmata recipere non dubitarunt, ille solus asseret, qui eas numquam legerit.

Profecto ad quid ingens ille commentariorum, postillarum, glossarum, scholiorum, catenarum numerus, quibus inde ab Ecclesiae exordiis omnium saeculorum et omnium nationum viri eruditissimi illas illustrare et explicare studuerunt, si earum genuinus et verus sensus a quovis primo quasi aspectu perspicitur et intelligitur? Ad quid omnes illae claves scripturisticae, chronologiae biblicae, historiae criticae, isagogae sacrae, introductiones, hermeneuticae etc. etc., quibus ipsi perspicuitatis Scripturarum assertores antiqui et moderni asseclas suos ad Scripturarum studium praeparare conati sunt et conantur? Sua ipsorum ergo agendi ratione evidentissime id demonstrant, quod suo tempore iam sapientissime docuit *S. Hieronymus*, « in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante viam neminem posse ingredi »[2]. Tantum igitur abest, ut perspicuae sint Scripturae, ut in plurimis obscuras eas cum omnibus Patribus dicamus oporteat.

Quae obscuritas, uti iidem Patres praeclare docent, fini, quem Deus in illis dandis habuit, non tantum non repugnat, sed apprime consonat. Etenim « misericors Deus, inquit *S. Chrysostomus*, non facili et perfunctoria lectione voluit nobis omnia, quae in Scripturis continentur manifesta et perspicua esse, ut nostra excussa somnolentia et attentione nostra excitata maiorem utilitatem caperemus. Solent enim illa, quae labore et studio inveniuntur, altius infigi mentibus nostris, illa autem, quae facile inveniuntur, citius a cordibus nostris avolare »[3]. Ne vero obscuritate hac in perniciosorum errorum abyssum delaberemur, benignissimus Deus pro sua sapientia vivum et authenticum Ecclesiae magisterium instituit, « cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum »[4].

1. *S. Hier.* de instit. fil. ad Laetam ep. 107, 9; de custod. virgin. ad Eustoch. ep. 22, 17 (M. 22, 874. 404).

2. *S. Hier.* ad Paulin. de studio Scriptur. ep. 53, 6 (M. 22, 544).

3. *S. Chrysost.* in Genes. hom. 32, 1, cfr in Ps. 48, 3 etc. (M. 53, 222; 55, 227). Eandem rationem indicant *S. Basil. M.* in Isai. Prooem. 6 (M. 30, 128), *S. Hieron.* in Ezech. 45, 19 (M. 25, 449), *S. August.* de doctr. christ. IV, 8 (M. 34, 98), alii.

4. *Conc. trident.* sess. 4. decret. de edit. et usu Script. — Cfr *S. Iren.* c. haeres. IV, 26, 5 (M. 7, 1056): « Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae ab Apostolis est, successio... Hi enim et eam, quae est in unum Deum qui fecit omnia, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent, *et Scripturas sine periculo nobis exponunt.* »

Quia igitur difficiles et obscurae sunt Scripturae, earum studium, si quis illi cum fructu vacare velit, praeparationem quandam institutionemque requirit, qua obscuritatis fontes deteguntur, adiumentaque difficultatibus solvendis apta exhibentur. Multi autem sunt obscuritatis fontes, nec dubium praeprimis est ullum, quin difficultates plurimae librorum nostrorum sacrorum ex argumenti, quod tractant, natura exoriantur, siquidem doctrinas sublimissimas humanaeque rationi impervias non paucas complectuntur. Etsi autem hasce, utpote quae ad theologiam dogmaticam potissimum pertineant, prorsus omittamus, non pauciores nec minus graves remanent, quae ut solvi possint specialem postulant institutionem. Hinc factum est, ut *Introductionis in S. Scripturam* nomine disciplina quaedam theologica sit exculta, quae lectores ad libros sacros intelligendos praeparet eosque in caelestes illorum thesauros introducat.

3. — Quae vero Introductionis sit ratio quidque in ea tractari oporteat, non una olim fuit, nec est hodie sententia. Nomen enim, si *etymologice* spectatur, tam late patet, ut quidquid ad Scripturas intelligendas et explanandas quoquo modo confert, comprehendere videatur : ea vero, quae ad earum interpretationem requiruntur vel iuvant, pro temporum et personarum varietate varia esse patet.

Namque nemini, opinor, dubium est, quin primi sacrorum nostrorum librorum lectores, quibus proxime erant destinati, sine multo et magno labore illos intellexerint. Quemadmodum enim nos hodie libros, qui vernacula nostra lingua de argumentis obviis aut saltem nobis magis minusve cognitis a scriptoribus coaevis in nostrum usum exarantur, facile intelligimus, quia omnia, quae in illis supponuntur, ex quotidiana vita cognita habemus, atque eandem ob rationem etiam pastorum nostrorum epistolas doctrinales nobis destinatas sine magna difficultate interpretamur : ita etiam primi Pentateuchi lectores, quibus praesentibus multa, quae Moyses narrat, sunt gesta et qui leges per eum datas quotidie observari et adhiberi viderunt, aeque parum longa praeparatione ad eum intelligendum indiguerunt, atque primi Christiani ad apostolica scripta intelligenda, quum iisdem in rerum conditionibus, in quibus Apostoli ipsi, constituti omnia, ad quae illi in suis Epistolis alluserunt, aut quasi viva prae oculis haberent, aut ex recenti et vivida traditione haurirent.

Saeculorum autem decursu rerum hic status non potuit non mutari. Linguae, quibus libri nostri sacri primitus sunt exarati, mortuae sunt; novo ordine religioso, civili, domestico introducto veteres institutiones, leges, mores oblivioni dari coeptae sunt; viva rerum earum, quae in Scripturis narrantur vel commemorantur, memoria prorsus est obliterata. Unde hodie multiplici praeparatione indigemus, antequam antiquos illos libros intelligamus : linguarum sacrarum requiritur scientia, ut saltem de versionum,

quibus utimur, fidelitate iudicare possimus; historiae populorum illorum, de quibus tractant, eorundemque morum, legum, institutionum accuratam habeamus notitiam oportet, ut innumeras illas, quae in singulis fere phrasibus et expressionibus occurrunt, allusiones percipiamus et cognoscamus. Praeterea ipsorum quoque librorum originem, indolem, historiam, auctoritatem apprime cognitas habere debemus; omnino enim haec ad eorum intelligentiam requiruntur. Inquirendum igitur est, qui eorum sint auctores, quando, quibus in conditionibus, quem in finem sint conscripti, quomodo nobis conservati, quando et cur in unum corpus coniuncti, quod eorum sit argumentum et qua ratione illud explicetur, quid ad eas interpretandas hucusque sit praestitum, quibus adiumentis in illis legendis iuvari possimus, ad quid in eorum expositione sit attendendum etc. Quam plurimas ergo res easque diversissimas *Introductio* in S. Scripturas hodie complectetur, si nomen mere etymologice spectatur.

At non ex sola etymologia quaestio diiudicanda est. Nemo enim unquam, quod quidem sciam, res illas omnes eodem in opere tractare conatus est; nimis enim diversas disparatasque eas esse, quam quae simul cum ordine et claritate tradantur, quum perspicuum omnibus esset, nonnullae tantum ex illis, sed aliae ab aliis in Introductione tractatae sunt. Neque id mirum; idem enim in omnibus disciplinis theologicis accidisse videmus, quae omnes paullatim excultae longo saeculorum decursu argumentum sibi proprium certis limitibus circumscripserunt. Quemadmodum igitur de aliis disciplinis, etiam de Introductione historiam interrogemus necesse est, ut quaenam eius sit ratio accurate definiamus.

4. — *Introductionis* nomen ante saec. 5. et 6. adhibitum non est; medio saec. 5. *Adrianus* quidam monachus primus inter graecos εἰσαγωγὴν εἰς τὰς θείας γραφάς edidit, et saeculo insequenti *Cassiodorius* primus inter Latinos suam *divinarum literarum institutionem* « introductoriis libris » adnumeravit. Resipsa autem nomine est antiquior; *Cassiodorius* enim iam varios *introductores* Scripturae divinae recenset, quorum opera monachis suis evolvenda commendat, ut libros sacros intelligere possint. Illi vero omnes, quos enumerat, *Tychonius, S. Augustinus, Hadrianus, Eucherius, Iunilius,* praecepta tantum interpretationis plura pauciorave tradiderunt, solo Iunilio excepto, qui etiam de librorum sacrorum origine et auctoritate opusculo suo nonnulla inseruit[1]. Quare eodem cum iure illis adnumerari potuerunt *Origenes,* qui in quarto suo de Principiis libro non pauca de Scripturarum sensibus et explicatione disserit, et *S. Melito Sardensis,* cuius opus deperditum, *clavis* titulo insignitum, idem argumentum videtur tractasse. Ceterum reliquae quaestiones, quas supra enumeravimus, separatis in libris a

Patribus non sunt expositae, sed aut data occasione in commentariis scripturisticis adnotatae aut diserte in commentariorum prolegomenis vel in operibus historicis traditae[2].

Media aetate nomen *introductionis in S. Scripturas* non occurrit; scholastici enim theologi interpretandi rationem in operibus suis dogmaticis indicare potius quam explanare solent et quaestiones historicas eodem fere modo, quo Patres, in prolegomenis aut commentariis attingunt[3]. Inde autem a saec. 16, quando novo quodam cum ardore impensius studium in Scripturis explicandis poni coeptum est, omnia quoque, quae sive ex linguarum scientia, sive ex historia sacra et profana, sive ex interpretationis doctrina ad libros sacros intelligendos et defendendos necessaria vel utilia credebantur, magna cum sollertia collecta et secundum certam rationem tradita sunt, variis tamen sub titulis pro materiarum varietate.

1. *Cassiod.* Instit. divin. liter. 10 (M. 70, 1122). Opera a Cassiodorio « introductoriis libris » adnumerata omnia superstita sunt : *Tychonii Donat.* Septem regulae ad investigandam et inveniendam intelligentiam Scripturarum (M. 18, 13 sqq.), *S. Augustini* de doctrina christiana (M. 34, 16 sqq.), *Hadriani* Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς (M. 98, 1273 sqq.; criticam opusculi editionem curavit *F. Goessling*. Berlin 1887), *S. Eucherii Lugd.* Liber formularum spiritualis intelligentiae et Instructiones ad Salonium (M. 50, 727 sqq.; *Iunilii Afri* De partibus legis divinae (M. 68, 11 sqq.). Ultimum hoc opus, cuius genuinus titulus fuisse videtur « Instituta regularia divinae legis » (cfr *H. Kihn* Theodor v. Mopsuestia und Iunilius Africanus. Freib. 1880 p. 292), in priore libro de specie dictionis, auctoritate, conscriptore, modo, ordine, in altero praesertim quidem de doctrina Scripturarum agit, quaedam autem (cc. 16 sqq.) ad introductionem pertinentia attingit.

2. De librorum sacrorum historia non pauca collegerunt *Eusebius* in sua Historia ecclesiastica (M. 20), *S. Hieronymus* quum in Praefationibus et Prologis suis, tum in libello de viris illustribus (M. 23, 601 sqq.), *Cassiodorius* in opere mox citato, cc. 1-16, *S. Isidorus Hisp.* in Etymologiarum l. VI, et in Prooemiis in libros Veteris et Novi Test. (M. 82, 229 sqq., 83, 115 sqq.); S. Isidorum fere secutus est *Rhabanus Maurus* De Universo V. (M. 111, 103 sqq.). Propius ad Introductionis rationem eo sensu, quo hodie fere intelligitur, accedunt *S. Chrysost.* Synopsis Scripturae S. (M. 56. 313 sqq.) et maxime *Ps. Athanasiana* Synopsis (M. 28, 284 sqq). Cfr *Schanz*, Die Probleme der Einleitung bei den Vätern. Tübinger Quartalschrift 1879 p. 56 sqq.

3. Ut exempli gratia paucos nominem, *Hugo a S. Vict.* opusculum composuit « de Scripturis et Scriptoribus » (M. 175, 9 sqq.) et de interpretatione agit in sua Erudit. didasc. IV-VI. (M. 176, 177 sqq.); *S. Bonaventura* de interpretatione agit in Breviloquii Prooemio (Ed. Friburg. 1881 p. 2 sqq.), uti *S. Thomas Aquin.* in Summa theol. I. qu. 1, a. 10 et in Quodlib. VII, qu. 6; *Hugo a S. Caro* monet antiquorum ad exemplum « in exordiis cuiusque libri sex esse praelibanda, quae maxime totius operis seriem pandunt et lectorem maxime dirigunt in legendo : quae sc. materia, quis auctor, quae intentio, quae utilitas, quis modus agendi, quis titulus » (Prolog. in Iosue. Opera omnia Lugd. 1669 I, 178); Hugonem imitati sunt reliqui mediae aetatis interpretes.

5. — Inde igitur a saec. 16. initium facimus novae periodi historiae Introductionis; immo quum eo tempore a reliquis disciplinis theologicis magis separari atque seorsim tractari coepta sit, Introductionem saec. 16. ortam natamque esse iure merito asserimus. Satis recentis ergo est originis; quare facile concipitur, cur hodie nondum omnes de eius fine, argumento, methodo consentiant. Nec iisdem enim limitibus eius argumentum ab omnibus circumscribitur, nec idem finis ei præfigitur, nec eadem methodo tractatur, nec eodem nomine ab omnibus appellatur.

Disciplinae huius novae pater dicendus est *Sixtus Senensis,* O. Praed., qui primus medio saec. 16. plerasque, quas supra indicavimus, quaestiones in sua « Bibliotheca sacra » complexus est[1]. « Ut enim detectis insidiis et semotis periculis et obstaculis paene omnibus, quae coelestis sapientiae avidis haereticorum fraus opposuit, liceat S. Scripturarum studiosis per amplos et amoenos sacrosanctae Bibliothecae campos liberius, audentius, inoffensius exspatiari », primum librorum genuinorum argumenta, originem, auctoritatem exponit addita apocryphorum ac pseudepigraphorum descriptione, artem deinde interpretationis tradit copiosumque catalogum operum, quae de Scripturis agunt, proponit, demum obiectiones ab haereticis contra librorum sacrorum auctoritatem oblatas satis fuse solvit[2]. Duplicem igitur magno suo operi finem praefigens et ad Scripturarum lectionem iuvenes praeparare earumque auctoritatem defendere voluit.

Quem duplicem finem etiam successores, quos non paucos habuit, prae oculis ita habuerunt, ut alii ad priorem, alii ad alterum magis attenderent. Nam *Lud. de Tena* opus suum, cui « Isagogae in totam S. Scripturam » nomen indidit, « in hoc praecipue versari ait, ut disputationum et rationum lance S. Scripturae principia, causas, translationes et singulorum librorum auctoritatem expendat et scholastico more, quae in contrarium obiici possunt, diluat »; *Iac. Bonfrerius* S. I. vero commentariis suis « Praeloquia in totam S. Scripturam » praemisit, « quae sacrarum literarum studio addictum manuducere possent in penitiora Scripturarum adyta », ideoque « multos nodos expedivit, tricas explicavit, quae universim de Scriptura moveri solent, non parva, quantum arbitratur, ad totius Scripturae intelligentiam lucis accessione »[3]. Pro finis autem, quem sibi proposuerunt, varietate argumentum quoque suum introductores variare solebant, ut plura vel pauciora, quae ad linguarum scientiam, populorum historiam, explicationis artem pertinent, in opera sua reciperent. Vix quidquam enim de interpretatione attingit *L. de Tena;* multo plura de Scripturae sensibus, interpretatione, interpretibus *I. Bonfrerius* et *Nic. Serarius* S. I. habent; *Alph. Salmeron* S. I. praeterea non pauca de linguarum sacrarum idiotismis et satis longam descriptionem terrae palaestinensis et urbis sanctae addit; alii demum

quam plurimas quaestiones philologicas, historicas, archaeologicas explicandas censuerunt [4]. Introductio igitur in S. Scripturam, quocumque titulo exornabatur [5], eo tempore collectio quaedam erat illarum quaestionum, quas singuli introductores explicandis et defendendis libris sacris utiles aptasque iudicarunt.

1. *Sanctis Pagnini*, O. Praed., Isagoges s. Introductionis ad s. literas liber unus (Lugd. 1525), eiusdemque Isagoges ad s. literas et ad mysticos Scripturarum sensus libri octodecim (Lugd. 1536), quum de sola interpretatione agant, immerito a nonnullis ceu prima hodiernae Introductionis specimina laudantur.

2. *Sixti Senensis*, O. Præd., Bibliotheca sacra. Venetiis 1566. Octo libris opus constat, at libri V. et VI., qui difficiliores quosdam U. T. textus exponunt, ad exegesin potius, quam ad Introductionem spectant; cfr *infra* 253.

3. *Lud. de Tena* Isagoge in totam S. Scripturam (Barcinone 1620) Epist. ad Lect.; *Iac. Bonfrerii* Pentateuchus commentariis illustratus (Antw. 1625) Præf.

4. *Bonfrerii* Praeloquia cc. 9-20; *Nic. Serarii* Prolegomena biblica (Moguntiæ 1612) cc. 4. 5. 22. 23. 27; *A. Salmeronis* Prolegom. (Colon. 1612) 12. 16. 19. 20. 44. 45. — Eundem modum, quem catholici, etiam protestantici introductores eo tempore tenuerunt; *A. Rivetus* in sua « Isagoga s. Introd. gener. ad Scripturas V. et N. T. » polemice potius procedit, sicut de Tena; *Mich. Walter* in sua « Officina biblica noviter aperta » (Lips. 1636) multa de historia et archaeologia tradit; *Henr. Hottinger* in suo « Thesauro philolog. seu Clavi S. Scripturae » (Tigur. 1645) quaestiones philologicas et hermeneuticas potissimum tractat; *B. Walton* in Prolegomenis Polyglott. londinens. (Lond. 1657) simili fere modo, quo Bonfrerius, de textuum primigeniorum et versionum auctoritate disserit etc.

5. Innumeri sunt tituli, quibus opera introductoria exornata sunt: Bibliotheca sacra, Isagoge vel Introductio, Prolegomena vel Praeloquia, Apparatus sacer, Clavis Scripturae, Adagia sacra, Hypotyposes, Thesaurus, Critica sacra etc. etc.

6. — Usque ad saeculi 17. finem introductores omnes scholasticam fere methodum tenuerunt; quin etiam nonnullos, qui traditionis simul auctoritatem defendendam ac vindicandam susceperunt neque pauca de inspirationis ratione et extensione disseruerunt, dogmaticos potius tractatus componere voluisse haud immerito dixeris, quam Introductionem in S. Scripturam. *Richardus Simon*, Congr. Orat., primus historicam methodum adhibuit. Quum persuasum ei esset, nec accurate intelligi nec ab obiectionibus, quas paullo antea Thom. Hobbesius et Bened. Spinoza contra Scripturarum inspirationem movere coeperant, vindicari libros sacros posse, nisi quisnam decursu temporum textus eorum fuisset certo constaret, in sua « Historia critica » V. et N. T. id maxime sibi proposuit, ut in eorum origines inquireret, primigeniorum textuum fata enarraret, antiquarum versionum ortum investigaret indolemque describeret, demum praemissa disputatione de Scripturarum obscuritate earumque vertendarum ratione praecipuos, qui ad suam usque aetatem floruerunt, interpretes enumeraret et diiudicaret [1]. Qui-

bus operibus R. Simon *historicae et criticae* Introductionis parens factus est; eiusque methodus, quamvis a proximis eius successoribus adoptata non sit, paullatim omnino prævaluit, utpote argumento quam maxime adaptata[2].

Circa idem tempus, quo hac ratione librorum sacrorum historia excolebatur, linguis et antiquitatibus sacris historiaeque populi iudaici diligens studium impendi coeptum est; unde res illae, quas interpretes vel introductores in suis Prolegomenis vel Apparatibus simul tractare soliti erant, ad tantam excreverunt molem, ut eodem in opere vix ac ne vix quidem apte comprehendi possent. Quam ob causam paucis, quae ex linguarum scientia ad librorum sacrorum indolem et historiam intelligendam requiruntur, retentis introductores accuratiorem linguarum tractationem aliis reliquerunt, atque *philologia sacra* ab Introductione separata novam formavit disciplinam. Plerique illa quoque omittenda existimarunt, quæ cum librorum argumento intimius connexa sunt, Israelitarum scilicet res gestas, mores, leges; *historia sacra* autem et *archaeologia biblica* ad specialium disciplinarum dignitatem sunt evectae[3]. Demum ulterius progressi non pauci illa quoque, quae Patrum aetate in Introductionibus sola tractata erant disciplinaeque huius quasi prima semina fuerant, nimirum interpretationis praecepta, ab Introductione separaverunt et sub titulo *hermeneuticae sacrae* separatim tradiderunt, Introductioni autem non nisi historiam originis, conservationis, propagationis librorum sacrorum reliquerunt[4].

1. *Rich. Simon* Histoire critique du Vieux Testament (Paris 1678, Roterdam 1685); Préf. : « Premièrement il est impossible d'entendre parfaitement les livres sacrés, à moins qu'on ne sache auparavant les différens états où le texte de ces livres sacrés s'est trouvé selon les différens temps et les différens lieux, et si l'on n'est instruit exactement de tous les changements qui lui sont survenus... On remarquera en second lieu que... j'y ai inséré quantité de principes très-utiles pour résoudre les plus grandes difficultés de la Bible et pour satisfaire en même temps aux objections qu'on a accoutumé de faire contre l'autorité des livres sacrés. » Cfr Histoire critique du texte du N. T. (Roterdam 1689) Préf. — De Richardi Simonis operibus cfr *infra* 256.

2. Scholasticam methodum retinent non tantum Simonis aequalis *Claud. Frassen*, O. Min. (Disquisitiones biblicae Paris 1682-1711), sed etiam *Herm. Goldhagen* S. I (Introductio in S. S. Moguntiae 1765) et *Ioan. Franc. Marchini* (De divinit. et canonicit. sacr. Bibl. Taurini 1777). — Eadem aetate eandem methodum retinuerunt protestantici introductores, inter quos praecipuus *I. G. Carpzovius* (Critica sacra. Lipsiae 1748; Introd. ad libros canon. V. T. Lipsiae 1757).

3. Non desunt tamen inter modernos, qui historicas archaeologicasque quæstiones in suis Introductionibus tractent; huc spectant. *I. H. Janssens* (Hermeneutica sacra. Leodii 1823 et saepius), *I. B. Glaire* (Introduction à l'Écriture Sainte. Paris 1843 sqq.), *I. Dixon* (General Introduction to the sacred Scriptures. Dublin 1852), *T. I. Lamy* (Introductio in S. Script. Mechlin. 1866-68). *U. Ubaldi* (Introd. in S. Script. Romae 1877-81). — Eodem modo easdem retinuit illa protestantica Introductio, quae

in Anglia potissimum adhibebatur : *Th. Hartw. Horne* Introduction to the critical study and knowledge of the Holy Script. (London 1818. Ed. 9, 1846). — Inter catholicos nonnulli historiam sacram cum historia librorum sacrorum coniungere maluerunt sub titulo : Historia revelationis; quo spectant *D. Haneberg* (Gesch. d. bibl. Offenb. als Einleit. ins A. u. N. T. Regensburg 1849. Ed. 4, 1876), *I. Danko* (Historia revelationis V. et N. T., cui pro Introductione generali adiecit « de S. Script. eiusque interpretatione comment. » Vindob. 1862-67), *H. Zschockke* (Histor. sacr. V. T. Ed. 2. Vindob. 1884). — Aliquid simile a rationalistis ita tentatum est, ut supranaturalis revelationis idea prorsus repudiaretur, præsertim ab *Ed. Reuss* in sua Gesch. der hl. Schriften des *Alten* Bundes. Braunschweig 1881.

4. Hac ratione in Germania maxime tractari solet Introductio; quo praeprimis pertinent opera, quae ediderunt in Utrumque Testamentum : *I. M. A. Scholz* (Cœln 1845-48; non terminatum), *Fr. Kaulen* (Freiburg 1876 sqq.; ed. 3. 1890); in Vetus Test. : *I. G. Herbst* (auctum, emendatum et terminatum a *B. Welte*. Freiburg 1840-44), *F. I. Reusch* (Freib. 1859. Ed. 4. 1870), *W. Schenz* (Regensburg 1887); in Novum Test.: *I. L. Hug* (Stuttg. 1808. Ed. 4, 1847), *F. X. Reithmayr* (Regensburg 1852), *H. de Valroger* (Introduction histor. et crit. aux livres du N. T. Paris 1861), *A. Maier* (Freiburg 1852), *A. Mesmer* (Œnipont. 1858), *I. Langen* (Freiburg 1868), *M. Aberle* (Freiburg 1877). — Eandem viam etiam longe maior numerus introductorum protestanticorum tenuerunt, inter quos praecipui : *I. G. Eichhorn* (V. T. 1780. Ed. 4. 1823; N. T. 1804. Ed. 3, 1827), *L. Bertholdt* (V. et N. T. 1812-19), *C. A. Credner* (N. T. 1836), *Fr. Bleek* (V. T. 1860; ed. 5. curavit *I. Wellhausen* 1886; N. T. 1861; ed. 4. curavit *W. Mangold* 1886), *A. Kuenen* (V. T. Leyden 1861 sqq.; ed. 2. plane retractata 1885 sqq.), *S. Davidson* (V. T. London 1862; N. T. 1868), *A. Hilgenfeld* (N. T. Leipzig 1875), *H. L. Straek* (V. T. Nördlingen 1882; ed. 3. 1888), *H. I. Holtzmann* (N. T. Freiburg 1885; ed. 2. 1886), *Salmon* (N. T. London 1885), *W. Vatke* (V. T. Berlin 1886), *Bern. Weiss* (N. T. Berlin ed. 2. 1889), *E. C. A. Riehm* (V. T. Halle 1889), *S. R. Driver* (V. T. Edingburgh 1891; ed. 3. 1892), *C. H. Cornill* (V. T. Freiburg 1891), *F. Godet* (N. T. Neuchatel 1893) etc.

Non desunt tamen, qui hodie quoque interpretationis praecepta vel saltem eius historiam cum historia librorum sacrorum coniungunt; ex catholicis huc maxime pertinent *F. Vigouroux* et *L. Bacuez* (Manuel biblique Paris 1878-80), illique, quos in praecedente adnotatione laudavimus, Janssens, Glaire, Dixon, Lamy, Danko, Ubaldi; ex protestanticis autem *H. A. C. Haevernick* (V. T. 1835; Ed. 2. 1854), *C. F. Keil* (V. T. Ed. 2, 1859), *L. de Wette* (V. T. saltem in Edit. 8, quam curavit *E. Schrader* 1869), *E. Reuss* (Gesch. der hl. Schriften des N. B. 1852. Ed. 6. 1887), *Ed. Koenig* (Einl. in das A. T. 1893).

7. — Quibus de Introductionis historia praemissis non difficile erit eius *finem* et *argumentum* definire. Duplicem enim finem primos hodiernae Introductionis parentes, Sixtum Senensem et Richardum Simon, disciplinae novae praefixisse vidimus : praeparare enim lectorem ad Scripturarum studium voluerunt earumque auctoritatem ab obiectionibus incredulorum vindicare. Neque alia sibi proposuerunt eorum primi successores, atque modernos quoque introductores catholicos omnes et ex protestanticis illos, qui divinam revelationem agnoscunt, eundem duplicem finem prosequi, opera eorum satis demonstrant, etsi non

omnes illud diserte asserant. Quare si viam tritam tenere et historiam ducem magistramque sequi voluerimus, eosdem duos fines in nostro opere prae oculis habeamus oportebit.

Neque timendum est, ne duplici praestituto fine unitas disciplinae destruatur vel negetur; ex rei enim natura consequitur, ut alter priori subordinetur. Debito enim modo ad intelligendas Scripturas praeparari nemo potest, nisi quaenam sit earum indoles et auctoritas simul doceatur. Quapropter lectoris praeparatio, quemadmodum ipsum quoque Introductionis nomen indicat, eius finis est primarius et totalis, auctoritatis sacrorum librorum defensio non nisi secundarius et partialis. Itaque Introductio, si ad eius finem attendimus, exegeseos potissimum auxiliatrix est dicenda; verum etiam dogmaticae theologiae auxiliatrix vocari meretur, quandoquidem non tantum obiectiones plurimas, quae sive ex librorum sacrorum historia sive ex eorum indole contra divinam eorum auctoritatem proferuntur, inanes esse demonstrat, sed non pauca quoque colligit et exponit, quae ad positivam divinae illius auctoritatis demonstrationem conferunt ac iuvant.

At sunt qui altero solo fine attento eoque exaggerato Introductionem non tantum auxiliatricem, sed genuinam partem theologiae dogmaticae esse autumant; nihil enim nisi « supranaturalis Scripturarum originis », vel « earum inspirationis et canonicitatis demonstrationem directam » eam esse proclamant [1]. Quae definitio, nisi omnia nos fallunt, arctioribus, quam par est, limitibus disciplinam nostram circumscribens nec nomini nec rei convenit.

Divina enim librorum origine demonstrata auctoritatem quidem dignitatemque eorum cognovimus eaque de causa etiam ad eos adhibendos promtissimi erimus; sed quid, si indole eorum ignorata quomodo adhibendi sint nesciamus? Ad portas clausas coelestis illius thesauri *ad*ducti altero duce indigebimus, qui reseratis portis nos in eum *intro*ducat.

Neque magis rei nova consonat definitio. Omnes enim, quotquot hactenus claruerunt, introductores atque adeo ipse novae hujus definitionis auctor in egregio suo opere multa, immo plurima, tradunt, quae isti demonstrationi non inserviunt neque inservire possunt [2]; num parerga illa dicemus, quae inepte ab omnibus inseruntur? Quid vero? Illud, quod nova definitio primarium disciplinae argumentum statuit, directam scilicet et positivam divinitatis Scripturarum demonstrationem, nemo unquam, quantum sciam, in Introductione tradidit; sed cum clarissimo definitionis illius auctore omnes introductores modestiore munere contenti obiectiones tantum, quae ex origine vel indole et argumento librorum desumuntur, refutarunt, ut libros illos divinos esse *posse* demonstrarent. Quae quum ita sint, nisi via, quam hactenus omnes tenuerunt, relicta disciplinam prorsus novam creare velimus, duplicem illum finem nobis proponere debemus, ut pro-

xime quidem lectorem ad Scripturas intelligendas praeparemus, simul vero earum auctoritatem divinam ab obiectionibus vindicemus.

Attenta vero disciplinae nostrae historia ex primario, quem statuimus, fine facile iam apparet, quodnam sit genuinum eius *argumentum* et quibus limitibus circumscribatur. Etsi enim praeparatio lectoris per se quam plurima comprehendat, hodie tamen, postquam aliae disciplinae sunt exortae et excultae, quae quidquid ad linguarum, quibus scripti sunt libri, et rerum, quas tractant, scientias pertinet, sibi velut proprium argumentum vindicant, Introductioni nostrae solae illae reservatae sunt quaestiones, quae librorum sacrorum historiam externamque formam attingunt, ut hoc pacto nobis indolis eorum et hodierni status ideam quandam generalem exhibeat, qua in singulis eorum partibus explicandis ducamur. Itaque in eorum originem, conservationem, propagationem, interpretationem inquirit, nosque docet quodnam sit singulorum argumentum, quae textus eorum puritas, quae genuina eorum interpretandorum ratio.

A non paucis hodiernis et a nonnullis antiquis introductoribus inspirationis quoque doctrina traditur, interpretationis vero ratio omittitur; at, opinor, parum recte. Sine ullo enim dubio dogmatici theologi munus est, quemadmodum alia dogmata, ita Scripturarum quoque, quas Ecclesia velut sacras et divinas credendas proponit, originem et auctoritatem divinam theologicis argumentis demonstrare; unde consequens est, ut de inspirationis natura et extensione agat. Introductor autem, quippe ad quem positiva divinæ librorum originis demonstratio non pertineat, in alienam messem falcem mitteret, si inspirationem sibi tractandam assumeret[3]. Cum interprete potius, cuius adiutor est, libros istos tamquam divinos ab Ecclesia accipit, eoque vires suas dirigit, ut ad eorum intelligentiam aliquid conferat eosque ab adversariorum obiectionibus vindicet.

Aliter autem se res habet, si de interpretationis ratione quæritur; illam enim omnino in Introductione tractandam esse neque ultimum sibi locum vindicare censemus, quatenus haec ex primo suo fine est exegeseos auxiliatrix. Historia nos docet, disciplinam nostram propterea nomen suum accepisse, quod praeceptis de interpretatione traditis tamquam clavi quadam coelestem thesaurum aperit lectoresque in ipsos libros sacros introducit. Accedit, quod plerique introductores aut directe aut indirecte regulas tradunt, quibus lectores ad genuinum *textum* Scripturarum perveniant; quod si autem praecepta critica in Introductione traduntur, multo minus praecepta, secundum quae textus inventus explicandus est, deesse possunt. Demum ut librorum sacrorum indolem

et historiam accurate cognoscamus, non sufficit, ut de eorum origine, conservatione, propagatione doceamur, sed necessario requiritur, ut conatus, qui ad eos explicandos hucusque facti sunt, diiudicemus; critica autem interpretationis historia non nisi praemisso genuino interpretationis systemate tradi potest; ad eius enim normam omnes conatus sunt diiudicandi.

1. Cfr *F. Kaulen* Einl. p. 4 : « Die biblische Einleitung ist der Nachweis von dem inspirirten und kanonischen Character der hl. Schrift ». « Es ist systematischer den Umfang der Einleitungswissenschaft auf den direkten Beweis für den göttlichen Ursprung der hl. Schrift zu beschränken ». p. 5. « Die Einleitung in die hl. Schrift... ist ein Theil der dogmatischen Theologie, und zwar gehört sie in den allgemeinen oder apologetischen Abschnitt derselben ». Addamus tamen oportet, cl. auctorem in nova egregii operis sui editione duas priores sententias ita mutasse, ut propius iam ad illam Introductionis definitionem, quam praeferendam ducimus, accedere videatur. Neque enim amplius de directa demonstratione sed de defensione divinae originis librorum sacrorum loquitur : « Die biblische Einleitung ist die *Rechtfertigung* der kirchlichen Lehre von dem inspirirten und canonischen Character der h. Schrift » (Ed. 3. p. 4); « Es ist systematischer, als Object der Einleitungswissenschaft nur die Lehre von dem göttlichen Ursprung der h. Schrift festzuhalten, so dass ausser der Lehre von der Inspiration und von Canon nur der Beweis für die Glaubwürdigkeit, d. h. für die Unverfälschtheit und die Authentie der einzelnen Bücher, dazu gehört». Sed has quoque sententias arctiores esse censemus; ceterum argumentationem nostram, licet saltem ex parte contra cl. auctorem non amplius valeat, immutatam relinquimus, quia genuinae definitioni illustrandae inservit.

2. Quid ex. gr. ad divinum et inspiratum Scripturarum characterem demonstrandum conferunt ea omnia, quae de linguarum sacrarum indole, de scribendi arte et literarum formis, de codicum indole et historia etc. ab omnibus hodie tradi solent? Cfr *Himpel* in Tübinger Theolog. Quartalschrift 1876 p. 731.

3. Doctrina dogmatica de inspiratione non magis, quam legum, quas de Scripturis *legendis* Ecclesia tulit, explicatio ad disciplinam nostram pertinet; non desunt quidem, qui leges istas ad Introductionem trahant (*Scholz*, *Danko*, etc.), sed immerito id fieri patet. Quemadmodum theologia moralis ex fidei dogmatibus practicas conclusiones deducit, ipsa autem dogmata a theologis dogmaticis demonstrata supponit, ita introductor ex dogmate de inspiratione practicas interpretationis regulas derivat, doctrinam ipsam autem dogmaticis theologis demonstrandam et explanandam relinquit.

8. — Ut argumentum hoc explicetur, duplici via procedi potest : aut chronologico ordine retento a singulorum librorum origine initium capientes eorum historiam enarrare indolemque describere possumus, ut deinde ostendamus, quonam modo in unum corpus sint coniuncti et quaenam collectionis huius fuerint fata, aut ordine inverso a collectione ipsa incipientibus ad singulos libros transire licet. Utraque via suos habet patronos, quia neutra commodis suis caret; at utraque etiam sua habet incommoda, inter quae gravissimum est, quod nonnulla, quae postea tractanda ac demonstranda sunt, iam antea pro demon-

stratis supponi debeant. Prior quidem historicae introductionis rationi magis videtur convenire; nihilominus alteram ideo potissimum praeferendam ducimus, quia fieri vix potest, ut in priore via incedentes divinam librorum originem et indolem non magis minusve negligant. Quare priorem a rationalistis praediligi videmus; catholici autem auctores, qui eam elegerunt, integram historiam sacram potius quam introductionem in sacros libros scribere videntur.

Quapropter consuetam viam tenentes Introductionem in *generalem* et *specialem* dispertiemus et generalem speciali praemittemus. Ac profecto quum in generali quaestiones illae tradantur, quae omnes libros sacros eorumque collectionem attingunt, in speciali autem ex ordine de singulis libris agatur, a generalibus ad particularia descendentes praeparationis finem melius assequemur; clarius quoque si generalis praemittitur, omnium inspiratorum librorum nexus et unitas elucet, et solidum ponitur fundamentum, cui specialis tuto superstruetur. Pro rei natura, specialis ipsa duas complectetur partes, quarum prior de Veteris, altera de Novi Testamenti libris aget. Tripartitum igitur erit opus :

Pars prima, seu *Introductio generalis in U. T.* complectitur omnia illa, quae de Scripturarum historia in genere dicenda sunt,

Pars secunda, s. *Introductio specialis in Vetus Testamentum*, singulorum V. T. librorum historiam enarrat et indolem describit,

atque eadem ratione N. T. libros singulos tractat *Pars tertia*, s. *Introductio specialis in Novum Testamentum.*

9. — Quaestiones porro, quae Introductione generali tractandae veniunt, triplicis sunt generis.

Namque inspicientibus nobis Biblia nostra, quae ceu divina nobis tradit Ecclesia, illa multis constare libris videmus, qui quamvis forma externa inter se quam maxime differant variisque aetatibus a variis scriptoribus in variis terris conscripti sint, eandem tamen omnes sibi vindicant auctoritatem. Quare necessario prima exoritur quaestio, quando et quomodo collectio haec, cui *canonis* nomen dari solet, sit exorta et quae temporum decursu eius fuerint fata. Cui quaestioni *prima* Introductionis generalis *dissertatio* respondet enarrata *Historia canonis* Utriusque Test.

Integrae deinde collectionis origine et fatis cognitis, quum libros omnes veteres ob humanae naturae fragilitatem multis mendis foedari ac lacunis scatere sciamus, statim altera exoritur quaestio, num librorum illorum, quos sacros esse nobis Ecclesia testatur, textus integer purusque ad nos pervenerit atque ab omnibus, saltem a gravioribus,

mendis immunis, ut tuti eo ceu revelationis teste uti possimus, an vero secus; quae subsidia in promptu sint ad naevos illos removendos, qui per fragilitatem humanam in sacros libros irrepserunt; qua via ad purum textum restituendum perveniamus, ne verbum humanum pro divino explicemus. Itaque *altera dissertatio* ita aget *de textuum primigeniorum versionumque antiquarum historia et auctoritate*, ut simul regulas indigitet, quibus inter varias lectiones illa discernatur, quae sacro scriptori debetur.

Genuinae lectionis inventae demum inquirendus est sensus. Libros enim nostros sacros a variis vario modo esse expositos diversissimosque interdum sensus eisdem sacris verbis decursu temporis esse attributos certum est; quae diversitas diversis systematis hermeneuticis debetur, quae sive a iudaicis vel hæreticis, sive etiam a catholicis interpretibus inventa et adhibita sunt. Iam vero illa cognoscamus necesse est, si ex variis explicationibus illam, quae sola vera est, eligere volumus. Quapropter in *tertia dissertatione* praemisso catholicae interpretationis systemate *historiam interpretationis* enarrantes et aliorum systematum hermeneuticorum brevem conspectum exhibebimus et nostrum semper in Ecclesia viguisse demonstrabimus.

10. — *Disserendi ratio*, quam sequemur, plerumque erit historica, interdum scholastica; utramque enim miscendam arbitrati sumus, quum rerum tractandarum natura id postulare videatur.

Fontes porro, ex quibus historiam nostram et argumenta haurimus, multi sunt numero et auctoritate diversi et impares.

Primum *libri sacri* ipsi constituunt, qui ita sunt comparati, ut non raro quid de sua ipsorum origine, fine, indole sentiendum sit, nos doceant, et inter se ita cohaerent, ut frequenter alter alteri testimonium det eiusque explicationi novam lucem afferat. Rarioris tamen usus libros sacros in Introductione generali esse facile intelligitur.

Dignitate et auctoritate proxime sequuntur *conciliorum oecumenicorum et Summorum Pontificum decreta*, quibus addimus particularium synodorum et episcoporum publica testimonia; fidei enim, quae illorum aetate sive in universali sive in particulari quadam ecclesia relate ad libros sacros viguit, testes sunt gravissimi et certissimi.

Tertio in loco veniunt *SS. Patrum antiquorumque scriptorum eccles. opera*; ex iis enim haud pauca colligimus testimonia et directa et indirecta quum de singulorum librorum sacr. canonisque historia, tum de eorum auctoritate, indole, interpretatione. Quibus accedunt *iuniores interpretes et theologi catholici*, qui auctoritate quidem Patribus inferiores sunt, propter sollertiam tamen, qua optima quaeque collegerunt,

digesserunt, diiudicaverunt, semper consuli merentur. *Acatholicos scriptores* quoque, qui de Scripturis egerunt, antiquos et modernos, interdum cum fructu adhiberi (dummodo ne desit debita prudentia) ac *profanos auctores* aliquoties consulendos esse patet.

Omnia opera, quibus usi sumus, hoc loco enumerare eo minus est necessarium, quo maiore cum diligentia singulis in locis ea laudavimus. In conciliorum decretis allegandis, quum eadem collectio non semper prae manibus esset, editionem adhibitam semper indicavimus; Patrum apostolicorum testimonia ex recentissima editione catholica, quam curavit *F. X. Funk* (Tubingae 1878-81) attulimus, reliquos Patres et scriptores ecclesiasticos ex Patrologia graeca et latina, quam *I. P. Migne* debemus, volumine et columna indicatis (praefixa litera M.) allegavimus; aliorum operum editiones adhibitas accurate adscripsimus. Quia non omnibus magna librorum copia praesto est, longiora testimonia non raro integra transcribenda duximus; in graecorum Patrum testimoniis ea sola verba, quibus praecipua argumentorum vis innititur, graece retinuimus, reliqua latine tantum adiecimus, ut pluribus prodessemus; ubicumque autem versio ab editore recepta textum primigenium non satis accurate reddidit, ab ea recedere eique nostram substituere non dubitavimus. In priore demum editione testimonia ex recentibus operibus anglicis, gallicis, germanicis, italicis desumta latine vertere supersedimus, quoniam praecipuarum linguarum modernarum scientiam hodie inter theologos catholicos satis esse propagatam arbitrati sumus; in hac altera tamen, ut desiderio a nonnullis amicis in Italia Galliaque etiam publice expresso satisfaceremus, praecipuarum allegationum istarum saltem sensum latine in notis addidimus, ubi ex ipso textu nostro haud satis facile intelligitur.

INTRODUCTIO GENERALIS

DISSERTATIO PRIMA

HISTORIA CANONIS UTRIUSQUE TESTAMENTI

CAPUT I.

DE SCRIPTURARUM NOMINIBUS, PARTITIONE, ORDINE.

§ I. — *De Scripturarum nominibus usitatioribus.*

11. — Canonis historiam narraturi nonnullas notiones generales, quibus in orationis decursu haud raro indigebimus, explicandas duximus.

Atque praeprimis *nomina* praecipua, quibus olim iam libri nostri sacri appellati sunt, in medium afferemus; quanto enim semper in pretio sint habiti quantaque cum sollertia a libris profanis distincti, nobis manifestant, neque raro nobis sunt argumento, aliquos libros, de quorum canonicitate aliquamdiu dubitatum est, revera collectioni divinarum Scripturarum esse adnumerandos.

1.) Ipse Dominus N., quoties sive de omnibus, qui ante eius adventum a Iudaeis sacri habebantur, libris loquitur, sive textum aliquem ex eis allegat, eos *Scripturae* vel *Scripturarum* nomine (γραφή, γραφαί) designat, idemque nomen plerumque usurpant Apostoli et Evangelistae[1]. Praeeuntibus deinde SS. Petro et Paulo Patres idem nomen ad libros a Domini discipulis conscriptos transtulerunt; ut vero divina eorum origine asserta accuratius a profanis quibuscumque eos distinguerent, *sacras* vel *divinas Scripturas* eos nuncupaverunt; quo in epitheto adhibendo etiam illis praeierat Apostolus gentium[2]. Simili modo Scripturae *Liber* (τὸ βιβλίον, ἡ βίβλος) κατ' ἐξοχὴν, *Libri* (τὰ βιβλία, Biblia), *Libri sacri, Literae sanctae* (τὰ ἱερὰ γράμματα) appellatae sunt. Quae nomina, etsi ultimo excepto a N. T. scriptoribus adhibita non sint, inter Iudaeos iam ante Christi aetatem in usu fuerunt[3], atque a primis Christianis statim sunt recepta. S. Clemens Rom. enim illis iam usus

est; post Origenis vero et maxime post Chrysostomi aetatem in communem Graecorum usum abierunt; *Bibliorum* autem nomen a iunioribus latinis scriptoribus civitate latina donatum in omnes fere linguas modernas transiit; S. Hieronymo tamen aliisque Patribus nonnullis latinis *Bibliothecae sacrae* vel *divinae* nomen videtur magis placuisse[4].

Dominus N. eiusque Apostoli, quum Scripturae nomine absolute utantur, et Patres, qui Bibliorum appellationem adhibent, libros illos aliis quibuscumque tantopere praestare nos docent, ut iis solis nomina haec competere videantur. Significare quippe voluerunt, eos Deum ipsum habere auctorem; siquidem « omnes Scripturae non a servis, sed ab universorum Domino Deo scriptae et missae sunt »[5], et « per sanctorum Prophetarum et Apostolorum linguam Dominus N. loquitur », ita ut « quando legitur Evangelium vel Apostolicum ad librum vel ad lectorem attendendum non sit, sed ad Deum ex coelo loquentem »[6]. Unde factum est, ut ad textus e Scripturis allegandos, nullo humani scriptoris nomine indicato, formulae sollemnes usurpatae sint: *scriptum est*, *Scriptura dicit*, *dictum est*, *Deus dicit*, *Spiritus S. testatur*[7], et innumerae eiusdem generis, quae certo nobis sunt argumento, verba allata e libro esse desumta, qui divinitus inspiratus esse credebatur.

Cur autem libri hi speciali modo *sancti* vel *sacri* dicantur, Patrum sententias complexus docet *S. Thomas* : « primo quidem quia a Spiritu S. sunt inspirati, secundo quia sancta continent, tertio, quia sanctificant iuxta illud *Ioan.* 17 : sanctifica eos in veritate, sermo tuus verus est »[8].

1. Quinquagies fere in N. T. nomina ἡ γραφή, αἱ γραφαί sine ullo addito de V. T. libris adhibentur, rarius in Evangeliis synopticis, frequentius in quarto Evang. et in Epistolis.

2. *Rom.* 1, 2 (ἐν γραφαῖς ἁγίαις « in Scripturis sanctis ».) — 2 *Petr.* 3, 16 Paulinae Epistolae indirecte γραφαί appellantur; directe autem 1 *Tim.* 5, 18 Lucae Evangelium velut γραφή adhibetur. — Inter Patres iam *S. Clem. R.*, si eius est 2. ad Cor. epistola, nomine Scripturae librum N. T. allegavit (2 Cor. 2.); *S. Theoph. Antioch.* Evangelium et Epistolas Scripturis sacris et divinis adnumeravit (ad Autol. II. 22; III. 14. M. 6, 1088. 1141); *S. Irenaeus* quidem interdum a Scripturis libros Apostolorum et Evangelistarum excludere videtur (cfr c. haer. II. 28. M. 7, 810 : « neque *Scriptura* aliqua retulit, nec *Apostolus* dixit, nec *Dominus* docuit »); at illis in locis a traditione apostolica, quae viva in Ecclesia conservabatur, Scripturas discernere iure dicitur; innumeris enim aliis in locis *Utriusque Test.* libros nomine *Scripturarum* comprehendit (cfr c. haer. II. 26, ubi de Scripturarum obscuritate tractat, III. 1, 1 etc.); ex iuniorum Patrum operibus exempla afferre superfluum est. — Multa sunt epitheta ornantia, quibus divinam Scripturarum originem indicare volunt : *Chrys.* et *Theodoret.* dicere amant ἡ θεῖα γραφή, *S. Athan.* ἡ ἁγία γραφή, *Clem. Alex.* αἱ κυριακαὶ γραφαί (*dominicae Scripturae*), qua appellatione *S. Iren.* quoque, uti Clem., haud raro

utitur, ubi de *Veteris Test.* libris sermo est (*S. Iren.* c. haer. II. 30, 6; 35, 4; V. 20, 2. M. 7, 818. 842. 1178) etc. — De his ac sequentibus nominibus utiliter quidem, at non caece, consuli potest *Th. Zahn* Gesch. des neutestam. Kanons I. p. 87 sqq. (Erlangen 1888).

3. 2 *Tim.* 3, 15 τα ἱερὰ γράμματα (*Vulg.*: sacrae literae). — 1 *Mach.* 12, 9 τὰ βιβλία τὰ ἅγια (*Vulg.*: sancti libri), 2 *Mach.* 8, 23 ἡ ἱερὰ βίβλος (*Vulg.*: sanctus liber). — In protocanonicis Vet. Test. libris: סֵפֶר יְהוָֹה (liber Domini *Is.* 34, 16), הַסֵּפֶר (liber 2 *Esdr.* 8,8), הַסְּפָרִים (libri *Dan.* 9, 2), מְגִלַּת־סֵפֶר (Ps. 39 [40], 8; *Alex.* κεφαλὶς βιβλίου i. q. volumen libri, pro quo minus accurate *Vulg.*: « caput libri » *Hebr.* 10, 7). A Thalmudistis et Massorethis eodem sensu adhibentur הקרא vel המקרא (lectio cfr 2 *Esdr.* 8,8).

4. *S. Clem. R.* 1 Cor. 43 ἐν ταῖς ἱεροῖς βίβλοις; 2 Cor. 14 τὰ βιβλία καὶ οἱ ἀπόστολοι. — *S. Chrys.* in ep. ad Col. hom. 9, 1 (M. 62, 361): « Audite, omnes, quibus curae sunt quae ad hanc vitam pertinent, et emite vobis *Libros* (βιβλία) medicamentum animae; si nihil aliud vultis, saltem *N. Testamentum*, Apostolum, Actus, Evangelia, perpetuos magistros »; in Gen. hom. 10, 8 (M. 53, 90): « Post et ante convivium divinos Libros (τὰ θεῖα βιβλία) in manus sumentes », etc. — « Divina bibliotheca » *S. Hier.* Praef. in l. Esth; ad Pamm. ep. 49, 3; de vir. ill. 59 etc. (M. 22, 512; 23, 683); *S. Isid. Hisp.* Etym. VI. 3 (M. 82, 235). Cfr *Martian.* Prol. in Biblioth. div. S. Hier. (M. 28, 31 sqq.), *Du Cange* Gloss. s. v. Bibliotheca (Ed. Ven. 1736. I. 1083 sqq.).

5. *S. Chrys.* in Gal. 1, 8 (M. 61, 624).

6. *S. Gregor. Neoc.* hom. 2. in annunc. B. V. (M. 10, 1161).

7. Γέγραπται (apud Synopt. et Paul. *Matth.* 4, 4. 6. 7. 10 etc.; *Rom.* 1, 17; 2, 24 etc.); γεγραμμένον ἐστίν (apud *Ioan.* 2, 17; 6, 31 etc.); de V. T. apud *Clem. R.* 1 Cor. 4. 17. 36 etc.; de N. T. iam apud *S. Barn.* 4; ἐρρέθη (*Matth.* 5, 31, 33 etc.), κατὰ τὸ εἰρημένον (*Rom.* 4, 18); εἴρηκεν (*Act.* 13, 34; *Hebr.* 4, 3 etc.); λέγει (ὁ Θεός *Hebr.* 8, 8); μαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον (*Hebr.* 10, 15); φησίν (inquit) textibus Scripturae frequentissime inseritur ab omnibus fere Graecis.

8. *S. Thom.* in Rom. 1, 2. Lect. 2; cfr *Hug. a S. Vict.* De Scripturis et Scriptor. s. 1. (M. 175, 10): « Sola illa Scriptura iure divina appellatur, quae per Spiritum Dei aspirata (inspirata) est et per eos, qui Spiritu Dei locuti sunt, administrata hominem divinum facit, ad similitudinem Dei illum reformans, instruendo ad cognitionem et exhortando ad dilectionem ipsius. In qua quidquid docetur, veritas, quidquid præcipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria ».

12. — 2.) Inde a Tertulliani aetate inter Latinos tritum est nomen *Veteris et Novi Testamenti*, quo graecam appellationem ἡ παλαιὰ καὶ καινὴ διαθήκη expresserunt.

Quum Latinis *testamentum* non sit nisi dispositio mortis causa [1], latini Patres plerique ad *Hebr.* 9,15 seqq. respicientes nomen fere hoc modo cum *Lactantio* explicant: « Moyses et Prophetae Legem, quae Iudaeis data erat, Testamentum vocant, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest nec sciri, quid in eo scriptum sit, quia clausum et obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, i. e. revelari et intelligi mysterium Dei non potuisset. Verum Scriptura omnis in duo testamenta divisa

est : illud, quod adventum Christi antecessit, i. e. Lex et Prophetae, Vetus dicitur; ea vero, quae post resurrectionem eius scripta sunt, Novum Testamentum nominantur. Iudaei Vetere utuntur, nos Novo, sed tamen diversa non sunt, quia Novum Veteris adimpletio est, et in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepta nos haeredes regni aeterni fecit, abdicato et exhaereditato populo Iudaeorum »[2].

Attamen *S. Augustinus* iam monet « *testamentum* in Scripturis non solum illud dici, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum et placitum testamentum vocari »[3] et *S. Hieronymus* « notandum, inquit, quod hebraicum ברית Aquila συνθήκην i. e. *pactum* interpretatur, Septuaginta vero διαθήκην i. e. *testamentum;* et in plerisque Scripturae locis testamentum non voluntatem defunctorum designare, sed pactum viventium »[4]. Graecum nomen διαθήκη, quum et pactum inter vivos, i. e. *foedus,* et dispositionem mortis causa, i. e. *testamentum,* significet, ab alexandrinis interpretibus ad hebraicum ברית exprimendum aptissime est usurpatum. Nam relatio, quae Deum inter et populum israeliticum post datam Legem intercessit, uti ea quoque, quae Deum inter et genus humanum post Christum intercedit, duplici ratione considerari potest ac debet. *Foedus* enim est, quatenus Deus per Moysen et per Christum certas promulgavit conditiones, quibus adimpletis homines certas promissiones essent obtenturi. At Christus, utpote Deus homo, ille ipse est, qui in nova oeconomia suis promisit haereditatem suamque promissionem sua ipsius morte ratam fieri voluit; hac igitur ratione promissiones eius sunt *testamentum,* quod « nondum valet, dum vivit qui testatus est » (*Hebr.* 9,17). Cuius testamenti typus sunt promissiones Abrahae seminique eius factae, quae etiam non nisi ex futura morte Christi erant ratae (*Gal.* 3,15 sqq.), atque huius futurae mortis typus erant veteris oeconomiae victimae, quarum sanguine confirmatum est vetus foedus (*Exod.* 24,8). Itaque nomen *testamenti,* uti διαθήκη, in Scripturis duplici illa significatione usurpatur; iis tamen in locis, in quibus de *libro testamenti* sermo est, aptius arbitror intelligi librum, qui foederis a Deo cum hominibus pacti conditiones, leges, historiam continet[5]. « Secundum loquendi igitur vulgatissimam consuetudinem Scripturas omnes Legis et Prophetarum, quae ante incarnationem Domini ministratae auctoritate canonica continentur, nomine Testamenti Veteris nuncupamus »[6], idque praeeunte *S. Paulo* (2 *Cor.* 3,6. 14), quippe quae foederis per Moysen cum Israelitis pacti fundationem et historiam contineant. Per Ieremiam (31,31) autem Deus se « novum foedus » cum hominibus initurum promiserat; quare libros illos, qui foederis huius pretioso

Christi sanguine sanciti leges et historiam tradunt, Novum Testamentum appellamus.

Altero iuridico nomine frequentissime utitur Tertullianus. *Instrumentum* iuris consultis omne est scriptum, quod in iudiciis prolatum fidem facit atque in pactis certas firmasque res esse demonstrat[7]; unde aptissimum est nomen Scripturis designandis, quibus in omni, quam tractant, quaestione summa debetur fides quarumque auctoritati nemini adversari licet; immo quum latioris sit sensus, ipsum quoque testamentum significare potest. Utroque hoc sensu Tertullianus appellationem adhibet, frequentius autem priore; « ex instrumento enim Utriusque Testamenti », ex « instrumento evangelico », ex « instrumento Actuum », ex « Apostoli instrumento » etc., sua testimonia depromit, at simul etiam instrumentum idem esse quod testamentum significat. Apud iuniores Patres hoc altero sensu solo usurpari fere solet, qui de V. et N. Instrumento eodem modo atque de V. et N. Testamento loquuntur[8].

Tertium nomen a iurisconsultis assumtum Cassiodorius invexit, Beda, Alcuinus, alii receperunt[9]. *Pandectarum* nomen Iustinianus imperator suis Digestorum libris imposuerat, « quia omnes iuris consultorum disputationes in se haberent legitimas et, quod undique esset collectum, hoc in sinus recepissent ». Maiore autem cum iure Cassiodorius Scripturas censuit vocandas esse *Sacrum Pandecten* vel *Sacras Pandectas;* « nam, uti iam docet *S. Augustinus,* quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi invenitur. Et quum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multa abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur »[10].

1. « Testamentum est voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. » *Ulpian.* Dig. 28, 1, 1. Alio sensu apud scriptores profanos non occurrit.

2. *Lact.* Div. Inst. IV. 20 (M. 6, 514); similiter *Hug. de St. Vict.* De Script., etc., 12. (M. 175, 19) aliique.

3. *S. Aug.* in Ps. 82, 6; cfr Locut. in Gen. 21, 27; 26, 28 etc. (M. 37, 1052; 34, 491. 493).

4. *S. Hier.* in Malach. 2, 2; cfr in Gen. 17, 3 etc. (M. 25, 1555; 23, 963). — *S. Isid. Pelus.* Ep. II. 196 (M. 78, 641) : « Pactum (τὴν συνθήκην) i. e. promissionem Scriptura testamentum (διαθήκην) appellat propter inviolabilem eius firmitatem. Pacta nimirum frequenter evertuntur, legitima testamenta non item ».

5. *Exod.* 24, 7. סֵפֶר הַבְּרִית; A. τὸ βιβλίον τῆς διαθήκης; It. « liber testamenti »; Vulg. « volumen foederis »; 4 *Reg.* 23, 2. 21 (cfr 2 Paral. 34, 30); 1 *Mach.* 1, 60; 2 *Cor.* 3, 6. 14 (« in lectione Veteris Testamenti », quae verba, si cum imme-

diate sequentibus : « quum *legitur* Moyses » componuntur, evidenter de *libris* V. T. aut saltem de Pentateucho sunt explicanda).

6. *S. Aug.* de Gest. Pelag. 5, 14 (M. 44, 327).

7. Instrumentum divisionis, emtionis, dotis etc. *Ulpian.* Dig. 2, 14, 35; 24, 1, 58; 24, 3, 49.

8. *Tertull.* c. Marc. IV. 1. « Instrumentum vel, quod *magis usui est* dicere, Testamentum »; c. Prax. 20 : « Instrumentum Utriusque Testamenti »; cfr c. Marc. V. 2. 7; de resurr. carn. 39. 40 etc. (M. 2, 361. 179. 472. 484. 850). — *S. Aug.* de Civ. D. XX. 4 (M. 41, 662) : « Testimonia de Scripturis S... prius eligenda sunt de libris Instrumenti Novi, postea de Veteris »; ad Casul. ep. 36, 11 n. 25 (M. 33, 147) : « in evangelicis et apostolicis literis totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Novum » etc; *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 7 (M. 22, 548) : « Paralipomenon liber est Veteris Instrumenti ἐπιτομή »; ad Aug. ep. 112, 14 (M. 22, 925) : « pro umbris et imaginibus Veteris Instrumenti veritas per Iesum Christum facta est » et saepius; *Rufin.* Apol. 32. 34 (M. 21, 611. 613) etc.

9. *Cassiod.* Instit. div. lit. 12. 14 (M. 70, 1124. 1126); *Alcuin.* in Bibliis Carolo M. oblatis :

Nomine Pandectes proprio vocitari memento
Hoc corpus sacrum, lector, in ore tuo.

10. *S. Aug.* de doctr. christ. II. 42 (M. 34, 65). Egregie haec evolvit amplificatque *Corn. a Lapide* in Encomio Sacr. Script. (12 sqq.), quod commentariis praemisit.

13. — Ad totam s. librorum collectionem designandam vulgatissimum hodie est *canonis* nomen. Κανών[1] Graecis id est, quod Latinis *regula*, quo vocabulo latine fere reddi solet; proprio autem sensu instrumentum illud est, quo ceu amussi et mensura utuntur artifices; unde metaphorice quoque rerum mensuram normamque significat, maxime autem de omni re adhibetur, quæ in suo genere perfecta pro exemplari proponitur. « Canon, inquit *S. Chrysostomus*[2], neque additionem neque subtractionem admittit; secus enim canon non esset »; eodem modo alii Graeci loquuntur[3]. Genuinum igitur, etsi tropicum, vocabuli graeci sensum retinet *S. Paulus*, quando canonis nomine sive munus suum apostolicum, i. e. potestatem Evangelii certos intra limites praedicandi, sive doctrinam suam, quae Christianis est regula credendi et agendi, designat[4].

Altero hoc sensu antiquiores Patres haereticorum placitis doctrinam ex apostolica traditione haustam ceu *canonem* (regulam) *traditionis*, *veritatis*, *fidei*, vel *canonem ecclesiasticum* etc. opposuerunt[5]. Unde facili transitu appellatio ad eos indicandos libros adhibita est, « qui sunt salutis fontes in quibusque solis doctrina pietatis praedicatur »[6], in quibus ergo perfectissima credendi agendique regula pura ac sincera conservatur.

S. Irenaeus iam nos « regulam veritatis habere sermones Dei » dixit Evangeliumque S. Ioannis regulam veritatis appellavit[7]; *S. Chrysostomus* porro primus videtur fuisse qui inter Graecos de « canone Scri-

pturarum » locutus sit, etsi iam duobus ante eius aetatem saeculis vocabula derivata (κανονικός, κανονιζόμενος, ἀκανόνιστος, etc.) ad Scripturas sint applicata[8]. Inter Latinos deinde *SS. Hieronymi* et *Augustini* tempore vox canonis ita adhiberi coepta est, ut sacrorum librorum *collectionem* vel potius omnes eos libros designaret, qui publice in coetibus religiosis ceu sacri et divinitus inspirati praelegebantur[9]; pro catalogo autem istorum librorum nomen canonis non nisi a iunioribus Patribus usurpatur.

1. Cfr קָנֶה canna, arundo.

2. *S. Chrys.* hom. 12. in Phil. 3, 16 (M. 69, 273).

3. *S. Basil. M.* c. Eunom. I. 5 (M. 29, 513) : « Regula et amussis (ὁ κανὼν καὶ ὁ γνώμων), in quantum eis, ut regula et amussis sint, nihil deest, nullam admittunt accessionem; defectui enim correspondet additio; quæ autem imperfecta sunt, nunquam hisce nominibus (regulae et amussis) recte appellabuntur »; *S. Gregor. Nyss.* c. Eunom. lib. 4 (M. 45, 649). « In canone perfectio est », etc.

4. 2 *Cor.* 10, 13 sqq. — *Gal.* 6, 16; *Phil.* 3, 16.

5. *S. Clem. R.* 1 Cor 7 (cfr *Clem. A.* Strom. I. 1. M. 8, 705) : « Ambulemus secundum (Clem. R. ἐπὶ, Clem. A. κατὰ) gloriosum et venerandum traditionis nostrae canonem »; *Heges.* (ap. Eus. H. E. III. 32. M. 20, 284) loquitur de iis, qui « sacrum praedicationis salutiferae canonem » corrumpere conantur; *Clem. Alex.* (Strom. VII. 16. M. 9, 532) ab ipsa Veritate « veritatis canonem » accipiendum docet; *Polycr. Ephes.* (ap. Eus. H. E. V. 24. M. 20, 495) in quaestione de Paschatis die contra S. Victorem testes invocat, qui « canonem fidei semper secuti sunt »; *Orig.* (De princ. IV. 9. M. 11, 360) in Scripturis explicandis ait servandum esse « coelestis secundum successionem Apostolorum Ecclesiae Christi canonem »; *Theodoret.* (in Phil. 3, 16 et Gal. 6, 16. M. 82, 584. 504) : « canonem appellavit (Paulus) praedicationem evangelicam, utpote rectitudine ornatam nec quemquam defectum vel superflui quidquam admittentem ». Simili modo *Tertull.* loquitur de « veritatis regula, quae omnibus haeresibus est antiquior », de « regula fidei » et de « regula, quae ab initio Evangelii decucurrit », quibus duabus ultimis appellationibus symbolum fidei allegat (c. Hermog. 1; de praescr. 13; c. Prax. 2. M. 2, 197. 26. 157).

6. *S. Athan.* Epist. fest. 29 (M. 26, 1177).

7. *S. Iren.* c. haer. IV. 35; III. 11 (M. 7, 1089. 880); cfr *S. Isid. Pel.* Ep. IV. 14 (M. 78, 1185) : « canonem veritatis, divinas dico Scripturas, inspiciamus ».

8. *S. Chrys.* in Act. hom. 33, 4 (M. 60, 214) : « si quis Scripturas impugnat, hic procul est a canone »; in Gen. hom. 58, 3 (M. 54, 510) : « vides in quantam absurditatem incidant, qui divinae Scripturae canonem sequi recusantes propriis ratiocinationibus omnia permittunt ». — *Orig.* in Ios. hom. 2, 1 : « in canone non habetur »; in Cant. Prol. « Scripturae, quas canonicas habemus »; in Matth. 23 « in libris canonizatis » (M. 12, 834; 13; 83, 1637); at expressiones hae omnes forte Rufino interpreti debentur. Maioris momenti est, quod legitur in Matth. 27 (M. 13, 1769) : « in nullo regulari libro hoc positum invenitur »; Rufini enim aetate Latinis κανονικός erat « regularis ». — *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26, 1176) : « τὰ κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία »; *Conc. laod.* c. 59 (Mansi II. 563) : τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης sola in Ecclesiis praelegi iussit. — Eodem prorsus sensu, quo κανονικός, adhibentur vocabula ἐνδιάθηκος (cfr *Orig.* Sel.

in Ps. M. 12, 1084; *Eus.* H. E. III. 3. M. 20, 216, etc.) et ἐνδιάθετος (*Eus.* in Chron. Ol. 84. M. 19, 478 : usque ad Esdram et Nehemiam αἱ ἐνδιάθετοι Ἑβραϊκαὶ γραφαί; *S. Epiph.* haer. 55, 2; de pond. et mens 4. M. 41, 973; 43, 244, etc.).

9. *S. Hier.* Prol. gal. « Sapientia... non sunt in canone »; ad Lucin. ep. 71, 5 (M. 22, 672) : « canonem hebraicae veritatis, excepto Pentateucho... dedi describendum »; *S. Aug.* c. Crescon. II. 39 (M. 43, 489) : « canon ecclesiasticus, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertinent »; *Rufin.* Symb. 37 (M. 21, 374) : « Haec sunt quae Patres intra canonem concluserunt ».

Sunt, qui nomen *canonis* collectioni librorum sacrorum impositum censeant, quia concilii cuiusdam « canone » sit sancita; at quin ante alicuius concilii de s. librorum numero definitionem nomen in usu fuerit, non est dubium. Neque teneri posse eorum sententia videtur, qui canonem catalogum librorum in ecclesia praelegendorum designasse putaverunt. Nam ante 5. saec. vocabulum hoc pro catalogo s. librorum non est adhibitum, et alios haud paucos libros, qui nunquam canonici appellati sunt, sed diserte ab illis distinguuntur, constat publice praelegi consuevisse [10].

Utriusque Testamenti, praesertim autem Veteris, libri hodie in *protocanonicos* et *deuterocanonicos* distingui solent; quae divisio et denominatio a *Sixto Senensi,* ut videtur, invecta [11] eo in sensu retineri potest, ut non auctoritatis differentiam indicet, sed temporis, quo unanimi consensu in tota Ecclesia pro divinis agniti sunt. Illi igitur, de quorum divina origine et auctoritate nunquam dubitatum est, velut primi in canonem relati considerantur ideoque protocanonici nuncupantur; deuterocanonici autem, i. e. secundo loco in canonem recepti, sunt illi, de quibus per aliquod temporis spatium certis in ecclesiis particularibus dubia magis minusve gravia agitabantur, qui tamen re accuratius explorata ab universali Ecclesia recipi meruerunt.

Deuterocanonicis Vet. Test. adnumerantur 1. *Tobias,* 2. *Iudith,* 3. *Sapientia Salom.,* 4. *Ecclesiasticus,* 5. *Baruch* et *Ieremiae epistola,* 6. et 7. duo *libri Machabaeorum,* 8. et 9. fragmenta quaedam librorum *Esther* (in Vulg. *Esth.* 10,4-16,24) et *Daniel* (*Dan.* 3,24-90; 13; 14). — Deuterocanonica Novi Test. dicuntur *Epistolae sex* (scil. *ad Hebr., Iacobi, 2 Petri,* 2 et 3 *Ioannis, Iudae*) et *Apocalypsis* praeter nonnulla *Evangeliorum fragmenta* (*Marc.* 16,9-20; *Luc.* 22,43. 44; *Ioan.* 8,8-12).

Protestantes plerique deuterocanonica Vet. Test. apocrypha appellare malunt, librosque, quos nos apocryphos vocamus, pseudepigraphos esse dicunt. Quam parum apte autem nomina ista usurpentur, ex tota historia canonis elucebit, quamvis negari nequeat, ab aliquibus iunioribus scriptoribus latinis praeeunte S. Hieronymo apocryphorum nomen libris illis esse inditum.

10. Cfr *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26, 1176); *Conc. hippon. I.* (an. 393) c. 36.

11. *Sixt. Sen.* Bibliotheca sancta I. 1 (Editio nova curante P. Thoma Milante, Neapoli 1742 p. 3).

§ II. — *De s. librorum numero, ordine, partitionibus.*

14. — Universas Scripturas in duo distribui Testamenta supra diximus. Secundum canonem tridentinum Vetus quadraginta quatuor, vel si Threni (qui non nominantur) et Baruch, uti plerumque fieri solet, a Ieremia separantur, quadraginta sex, Novum autem septem et viginti libros complectitur[1]. Iudaei vero moderni, quos sequuntur protestantes, quum deuterocanonicos non agnoscant, non nisi undequadraginta libros V. T. canonicos habent, sed aut pro numero literarum alphabeti sui viginti duos vel viginti septem, aut pro numero literarum graecarum viginti quatuor numerant[2].

In canone tridentino libri digesti sunt partim temporis, quo scripti censentur, partim argumenti, quod tractant, ratione habita. Primum locum in Vetere Test. omnia opera historica occupant, exceptis Machabaeorum libris, qui quia omnium ultimi conscripti censebantur canonem veterem terminant; in ipsa historicorum serie temporis, de quo agunt, ratio praevalet, atque tres illi, qui singularia quaedam facta narrant, reliquis postpositi inter se ordinem servant chronologicum, quo res narratae gerebantur. Sequuntur didactici eo ordine, quo eorum auctores vixisse creduntur, atque tertio loco Prophetae maiores ac dein minores etiam secundum temporis rationem dispositi sunt. Simili modo in Novo Test. primum locum occupant libri historici, qui de Domini N. vita agunt, eo ordine, quo conscripti sunt, Evangeliisque adiunguntur Apostolorum Actus, qui nascentis Ecclesiae fata tradunt. Quos excipiunt libri didactici, Epistolae scil. Paulinae et Catholicae, de quarum inter se dispositione in Introd. speciali accuratius agemus; canonem claudit unicus Novi Test. liber propheticus : Apocalypsis S. Ioannis Apostoli.

At hic ordo antiquus non est; in s. librorum enim catalogis, quos tradunt Concilia et Patres, et in codicibus graecis ac latinis magna invenitur in disponendis libris varietas; ex catalogis infra afferendis praecipuae, quae maioris momenti sunt, differentiae patebunt[3].

1. *Conc. trid.* Sess. 4. Decr. de Canon. Script. « Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit (Synodus), ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti : Testamenti Veteris : quinque Moysis i. e. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, i. e. Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus.

Testamenti Novi : quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, sc. ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli ».

2. *S. Hieron.* Prol. gal. : « Quomodo viginti duo elementa sunt, per quae scribimus hebraice omne, quod loquimur... ita viginti duo volumina supputantur, quibus... tenera adhuc et lactens viri iusti eruditur infantia ». Ut numerus hic efficiatur, Ruth cum libro Iudicum, Threni cum Ieremia coniunguntur, duo autem priores libri Regum (Samuel), item duo posteriores (Melachim) aeque ac duo Paralipomenon, duo Esdrae et duodecim Prophetae minores pro singulis libris computantur. — Eodem loco haec tradit *S. Hier.* : « Quinque literae duplices sunt apud Hebraeos...; aliter enim per has scribuntur principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri duplices aestimantur : Samuel, Melachim, Dibre haiiamim (Paralip.), Esdras, Ieremias cum Cinoth i. e. Lamentationibus suis ». Duplicem hanc numerationem cognovit etiam *S. Epiph.* (Haer. 8, 6 etc. M. 41, 214); viginti duos libros Iudaeis attribuunt *Fl. Ioseph* (c. Apion. I. 8), *Orig.* (in Psalm. praef. M. 12, 1084), *S. Hilar.* (in Psalm. Prol. 15. M. 9, 241), alii. — Tertiam viginti *quatuor* librorum numerationem indicat *S. Hier.* eodem loco et Praef. in Dan. quae numerandi ratio apud Iudaeos a multo tempore ita praevaluit, ut rabbini totam suam Scripturam סֵפֶר הָאַרְבָּעָה וְעֶשְׂרִים (librum τῶν viginti quatuor), עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה (viginti quatuor sc. libros) "הכד" ספרי (24 libros) vocare soleant (cfr *Buxtorf* Tiberias. Basileae 1620 p. 111). Ad numerum literarum graecarum respexisse Iudaeos, quum viginti quatuor canonis libros statuerent, negant moderni rabbini (cfr *Fürst*, Kanon d. A. T. nach den Ueberlief. d. Thalm. Leipz. 1868 p. 3; *Bloch*, Studien zur Samml. althebr. Liter. Breslau 1876 p. 17); numerus inde exortus, quod l. Ruth a l. Iudicum et Threnos a l. Ieremiae separatos inter Hagiographa posuerint.

3. *Th. Zahn* (Gesch. des neutestamentl. Kanons 1888 I. p. 66 sqq.) praecipuam causam, cur tanta ordinis librorum varietas sit exorta, in eo potissimum quaerendam esse haud improbabiliter censet, quod primis duobus vel tribus saeculis, quamdiu libri sacri in voluminibus papyraceis describebantur, singula volumina non nisi unum maiorem aut paucos minores libros continere potuerint, atque insequentibus quoque saeculis, quando charta pergamena adhibebatur, non nisi paucissimi codices membranacei tantae molis exstiterint, ut integras Scripturas complecterentur; primos igitur Patres, quum libros certo ordine in uno volumine dispositos non haberent, in iis enumerandis, atque librarios quoque, quando ex variis voluminibus libros in unum codicem transcribebant, in iis disponendis variasse facile intelligitur.

15. — Libri protocanonici Veteris Test. in tres classes antiquitus distributi sunt : in Legem, Prophetas, Hagiographa; quam distributionem iam saec. 2. a. Chr. usu receptam Novum Test. commemorat, Patres referunt, Iudaei adhuc retinent[1].

Prima pars (*Lex*, ὁ νόμος, התורה) solum Pentateuchum mosaicum continet; altera (*Prophetae*, οἱ προφῆται, הנביאים) in duas sectiones subdividitur; complectitur enim *Prophetas priores* (הנ « הראשונים) i. e. libros Iosue, Iudicum, Samuel (1,2 Reg.), Regum (3,4 Reg.), et *poste-*

riores (הנ״ האחרונים) i. e. Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, duodecim minores. Tertia demum (*Hagiographa*, τὰ γραφεῖα vel τὰ ἁγιόγραφα, הכתובים) continet Psalmos, Proverbia, Iob, Canticum, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, Esther, Daniel, Esdram, Nehemiam, Paralipomena. Duo autem animadvertantur oportet : 1. libellos Canticum Cant., Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, qui nomine חמש מגלות (i. e. *quinque volumina*) comprehenduntur, satis recenti tempore coniunctos et inter hagiographos positos esse; 2. numerum ordinemque librorum, qui secundae ac tertiae classi adscribuntur, pro temporum regionumque ratione variasse atque illum librorum ordinem, qui hodie in Bibliis hebr. impressis vulgatus est, ex iunioribus codicibus in Germania adhiberi solitis esse transumtum; labili igitur fundamento inniti illos interpretes et introductores, qui hoc ordine velut antiquo, qui iam Domini N. aetate exstiterit, pro argumento utuntur[2].

Quaenam sit tripartitionis huius ratio, ambigitur. Rabbini, ut eam explicent, ad triplicem inspirationis gradum recurrentes primae partis libris maiorem quam secundae, et secundae maiorem quam tertiae auctoritatem attribuunt; ore enim ad os aiunt Dominum cum Moyse esse conversatum, prophetiae dono instructos esse Prophetas, Spiritu autem Sancto hagiographos[3]. Similem quandam rationem *S. Thomas* proponere videri alicui potest, ut non maiorem quidem auctoritatem, sed dignitatem, Prophetis prae Hagiographis attribuat. Etenim « si lumen intellectuale, inquit, alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt, sic talis prophetia intellectualis est *infra illam*, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem, cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine Prophetarum. Qui etiam ex hoc specialiter dicuntur Prophetae, quia prophetico officio fungebantur : unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum : Haec dicit Dominus. Quod non faciebant illi, qui Hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria cum adiutorio tamen divini luminis » [4]. Quam rationem tamen Angelicus Doctor non videtur de omnibus Hagiographis velle urgere; alioquin « priores Prophetae » (Iosue, Iudic., Sam., Reg.), qui « frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt », loquuntur, ex secundo ordine in tertium, Daniel autem, qui « imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem » insignitus erat, ex tertio in secundum transferendi essent. Multo minus autem rabbinorum explicatio defendi potest, quippe quae omni prorsus fundamento desti-

tuatur; omnium enim librorum inspiratorum eadem est auctoritas, quum omnium auctor Deus dicatur et sit.

Inter modernos interpretes haud pauci ex successiva canonis collectione partitionem illam explicare vel illam casui fortuito adscribere malunt[5]; at ineptissime id fieri, ex eo solo iam clare elucet, quod *hodierna* tripartitio, quam solam considerant, saeculo 4. vel 5. *post* Chr. sit recentior, nemo vero canonem hebraicum illa aetate nondum absolutum fuisse dixerit. Genuinam potius tripartitionis rationem innuit ipse *S. Thomas* (l. c.), quum, « Prophetas specialiter ex hoc vocari dicat, quod prophetico *munere* functi sint ». Ante ipsum eandem iam explanaverat *Hugo a S. Vict.* : « Propheta, inquit, tripliciter dicitur, officio, gratia, missione. Officio sicut quando eligebatur aliquis, qui imminente bello de dubiis consuleret Dominum...; gratia, sicut ille, cui Dominus per internam inspirationem dabat notitiam rerum, quam nec natura nec disciplina habere poterat, sed sola gratia, sicut David et Daniel et Iob; missione, sicut ille, quem mittebat Dominus ad praedicandum ea, quae ei inspiraverat, ut Ionas. Sed tamen sicut in istis (i. e. his) diebus non dicuntur episcopi, nisi qui officii et dignitatem et potestatem habent, licet meritum habeant et virtutem huius nominis abundantius illis, qui episcopi sunt, ita nec Prophetae dicebantur, nisi qui officio aut missione Prophetae essent. Unde David, Iob, Daniel, licet contineant prophetias in libris suis, inter Hagiographos tamen positi sunt, et e contrario liber Iosue, liber Iudicum et libri Samuelis et Regum, qui solam historiam texuerunt vel texere videntur, inter Prophetas connumerantur »[6], utpote nimirum a prophetis conscripti.

In tripartitione igitur illa testimonium adesse censemus antiquae traditionis de s. librorum auctoribus, atque distinctione inter « Prophetas munere » et « Prophetas gratia » sufficienter explicari arbitramur, cur libri quidam historici in secunda parte, Daniel vero in tertia recenseantur. Attamen facile concedimus, ob practicas rationes a rabbinis aliquos secundae partis libros in tertiam esse translatos; Ruth enim olim cum Iudicum libro, Threni cum Ieremiae vaticiniis erant coniuncti.

1. *Eccli.* Prol. « ipsa *lex* et *prophetae ceteraque* aliorum librorum » (καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων); *Luc.* 24, 44 « in *Lege* Moysi et *Prophetis* et *Psalmis* » (cfr Maldon. i. h. l.); *Ioseph.* c. App. I. 8 : « apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo... sed duo dumtaxat et viginti libri..., qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt *Moysis*...; a Moysis autem morte ad imperium usque Artaxersis... *prophetae*, qui Moysi successerunt, res suae aetatis tredecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui *hymnos* in Dei laudem et praecepta vitae

hominibus exhibent »; *Philo* de vita contempl. 3 (Ed. Lips. 1828, V. 309) : « *leges* et vaticinia *prophetarum* et *hymni aliique* libri, quibus scientia et pietas augentur et perficiuntur »; *S. Hier.* Prol. gal.; Præf. in Dan. etc. — Apud rabbinos divisio haec in תּוֹרָה נְבִיאִים וּכְתֻבִים (Legem, Prophetas, Scripta) ita invaluit, ut literis initialibus trium illorum vocabulorum Scripturam « תנך (Thnach) vocitent. — In tertii ordinis nomine antiqua testimonia non consentiunt : כְּתוּבִים (*Scripta*) vocantur a rabbinis; cui appellationi proxime accedit expressio, qua Eccli. interpres utitur : τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων; Dominus N. per synecdochen, ut videtur, « Psalmorum » nomine utitur, atque cum eo fere consentiunt Iosephus et Philo; Psalmi enim primum istius partis locum etiam hodie apud Iudaeos occupant. — In numero librorum, qui singulis sectionibus attribuuntur, Fl. Iosephus a reliquis Iudaeis dissentit.

2. Quemadmodum ex antiquis canonis iudaici catalogis, quos postea accuratius recensebimus, clare elucebit, *Fl. Iosephus* (c. Appion. I. 8) tertiae classi, quam nomine *Psalmorum* Dominus designat, quatuor tantum libros, eosque omnes poeticos (hymnos) attribuit, *Melito Sard.* autem, *Origenes*, *Hieronymus*, *Epiphanius* in ordine ultimorum librorum ab ordine, qui in Bibliis impressis hebr. observatur, plane dissentiunt, quamvis se hebraicum canonem recensere diserte testentur. Item in Prophetis posterioribus disponendis Thalmudistae, quos codices in Germania conscripti sequuntur, a Massorethis et codd. hispanis dissentiunt; in Hagiographis autem disponendis nec hispani codd. cum germanicis neque utrique cum Thalmudistis consonant. Varias series afferunt *Sixtus Sen.* (Biblioth. sacra p. 8) ac praesertim *Wolf* (Bibliotheca hebr. Hamburg 1721 p. 50 sqq.). Neque Fl. Iosephus neque ullus ex Patribus, qui canonem hebraicum recensent, libros Paralipomenon ultimo in loco habent; unde apparet, quam futilis sit eorum argumentatio, qui ad *Matth.* 23, 25 explicandum ex hodiernorum Bibliorum ordine concludunt, Zachariam ibi a Domino nominari, quia eius occisio in *ultimo* canonis hebraici libro sit relata, sicut Abelis occisio in *primo* relata est. Mirum profecto est, quod eiusmodi argumentum ab uno interprete ad alterum transire potuerit et ab acatholicis continuo recoquatur.

3. Triplicem inspirationis differentiam Maimonidem secutus (More Nebochim II. 45; de fundam. legis 7) ita fere describit *De Voisin* (Raim. Martini Pugio fidei ed. Carpzovius. Lipsiae 1687 p. 122 sqq.) : Moyses omnium prophetarum eminentissimus *vigil et sui conscius* revelationem mente percipiebat eamque *immediate a Deo* (in speculo lucido) communicatam. Reliqui prophetae non nisi *in extasi* et *mediante phantasiae obiecto*, quod speculum non lucidum appellant rabbini, res revelatas accipiebant. Quibus duobus gradibus inferior est virtus Spiritus S.; qui ea instructus est, « sentit in se quasi vim vel facultatem aliquam exoriri et super se residere, qua impellitur ad loquendum, ita tamen ut sui compos aut psalmos proferat vel hymnos, aut utilia ac salutaria recte vivendi praecepta, aut res politicas vel divinas, et quidem vigil integroque sensuum usu solito ». Si quid video, distinguunt inspirationem, quae et divinum voluntatis impulsum divinamque assistentiam requirit (tertium gradum) ab inspiratione, quae simul cum revelatione coniuncta est (primo et secundo gradu). Quae distinctio, quamvis in se vera sit, nec auctoritatis differentiam, quam admittunt, stabilire nec tripartitioni nostrae explicandae inservire potest. Quartum demum inspirationis gradum statuunt, quem בת קול « filiam vocis » appellant; assistentiam divinam solam, qua scriptor ab errore praecavetur, hoc nomine videntur designare. Quartum hunc gradum Thalmudistae deuterocanonicis libris attribuunt. (Cfr *De Voisin* l. c. p. 125 sqq.).

4. *S. Thom.* Sum. theol. II. 2. qu. 174. a. 2, ad 3.

5. *Berthold* Histor. krit. Einl. in d. A. u. N. Test. Erlangen 1812, I. p. 70; *De*

Welte-Schrader Einl. ins A. T. Ed. 8. Berlin 1869 p. 28; *Bleek* Einl. i. d. A. T. Ed. 2. Berlin 1865 p. 674; *Davidson* The Canon of the bible. London 1877 p. 59; *Reuss* Gesch. der Schriften A. T. Braunschweig 1881 p. 504. 713; *Driver* An introduction to the literature of the Old Test. 1892 p. XXVII; *Cornill* Einl. in das A. T. 1891, p. 279 etc.

6. *Hugo a S. Vict.* De Script. 12; cfr etiam De sacram. I. Prol. 7. (M. 175, 19; 176, 186). — De munere prophetico fusius egimus in Introd. spec. in V. T. II. p. 127 sqq.; cfr *P. Knabenbauer* Erkl. d. Proph. Isaias. Freiburg 1881 p. 1 sqq.

Saepius quidem Dominus N. et Apostoli Vetus Test. in duas partes, in *Legem et Prophetas*, distribuere videntur, at haec non est nisi compendiosa citandi formula; simili enim modo totum Vetus Test. nomine *Legis* comprehenditur[7].

Singularem Veteris Test. partitionem exhibet S. Epiphanius viginti duos libros protocanonicos in quatuor pentateuchos distribuens, quibus duo libri extra ordinem adiungantur; primus Legem Mosaicam comprehendit, alter poeticus libros Iob, Psalm., Prov., Eccle., Cant.; tertius scripta vel hagiographa (τὰ καλούμενα γραφεῖα, παρά τισι δὲ ἁγιόγραφα λεγόμενα) sc. Iosue, Iudic., Ruth, 1. 2. Paralip., 1 — 4 Reg.; quartus propheticus duodecim minores Proph., Isaiam, Ierem., Ezech., Dan. complectitur; extra ordinem numerantur Esdras et Esther[8]. At alterum mirae huius divisionis non invenitur vestigium.

7. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται *Matth.* 5, 17; 7, 12; 22, 40, etc.; ὁ νόμος *Ioan.* 10, 34 (Ps. 81, 6); 12, 34 (Ps. 109, 4; Is. 40, 8); 15, 35 (Ps. 68, 5); 1 *Cor.* 14, 21 (Is. 28, 11) etc. Rabbini quoque interdum *Legis* nomine totam Scripturam designant : *Tr. Sanhedr.* 91, 6. « Dixit Rabbi Iosua : quomodo probatur resurrectio mortuorum ex *Lege?* Quia dicitur : non laudaverunt, sed laudabunt te » (*Ps.* 84, 5). « Dixit R. Chaia dixisse R. Iohannam : Quomodo probatur resurrectio ex *Lege?* Quia dicitur : simul laudabunt, oculo ad oculum videbunt » (*Is.* 52, 8).

8. *S. Epiph.* De mens. et pond. 4 (M. 43, 244).

16. — Novi Testamenti antiquissima divisio est bipartita; distinguuntur enim *Evangelica et Apostolica* (sc. scripta; τὰ εὐαγγελικὰ καὶ τὰ ἀποστολικά), *Evangelia et Apostoli*, vel *Evangelium et Apostolus*, ita ut altera pars omnes libros praeter Evangelia complectatur. Primum huius divisionis vestigium iam apud immediatos Apostolorum discipulos invenimus; exeunte saec. 2. in communem usum abierat[1]. Uti autem Vetus Test. synecdochice *Lex* appellabatur, ita Novum saepius vocatur *Evangelium;* cuius appellationis rationem *S. Thomas* reddens, « Evangelium, inquit, idem est quod bona annuntiatio, quae incipit a Christo; unde quidquid pertinet ad Christum vel est de ipso Christo, dicitur Evangelium »[2].

1. *S. Ignat. M.* ad Philad. 5; *Ep. ad Diogn.* 11. Medio saec. 2. haeretici *Marcion* (Evangelium et Apostolicum cfr *S. Epiph.* haer. 42, 10. M. 41, 718) et *Apelles* (Evangelia et Apostolus cfr Philosoph. VII. 38. M. 16, 3346) hac divisione utebantur;

exeunte eodem saec. *S. Iren.* « Evangelica et Apostolica » opponit Legi et Prophetis (c. haer. I. 3 etc. M. 7, 477); *Tertull.* « evangelicae et apostolicae literae » (de Praescr. 36 etc. M. 2, 49), *Clem. Alex.* « Evangelium et Apostolus « Strom. VII. 3 etc. M. 9, 417) etc.

2. *S. Thom.* in 1 Cor. 1. Lect. 1. — Cfr *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 47; *Clem. Alex.* Strom. III. 10; IV. 1, etc. (M. 8, 1172. 1216); *Tertull.* c. Marc. III. 14 (« Lex et Evangelium »); c. Hermog. 45 (« Prophetae et Apostoli ») M. 2, 340. 237.

17. — Fine praecipuo singulorum librorum eorumque primario argumento spectatis theologi libros Utriusque Testamenti in quatuor classes distribuerunt. *Legales* Veteris Test. libri sunt quinque Moysis, Novi autem quatuor Evangelia; *historici* V. T. enumerantur sexdecim (Iosue, Iudic., Ruth, quatuor Regum, duo Paralip., duo Esdrae, Tobias, Iudith, Esther, duo Machab.), N. T. unus solus sc. Actus Ap.; *sapientiales* vel didactici vel doctrinales in V. T. sunt Iob, Psalmi, Prov., Cant., Eccle., Sap., Eccli.; in N. T. omnes Epistolae Paulinae et Catholicae; *prophetici* demum V. T. sunt Isaias, Ierem. cum Baruch et Threnis, Ezech., Dan., minores duodecim, N. T. sola Apocalypsis [1]. Aptius vero tres tantum classes in Canone trid. distingui videntur, *historicorum*, *didacticorum*, *propheticorum* : atque hanc distributionem in Introd. speciali sequemur.

1. Cfr *Sixt. Sen.* Biblioth. sanct. p. 53, qui Iob inter historicos, Psalmos inter propheticos libros refert.

18. — Pro appendice pauca de minoribus librorum partitionibus addemus, quae aut ob liturgicum, aut ob commodiorem privatum usum sunt introductae.

Liturgicae partitiones V. T. *apud Iudaeos.* — Pentateuchi in sacris coetibus praelegendi usus ab ipso Moyse originem suam trahit, qui singulis annis sabbathinis in festo tabernaculorum coram omni populo Legem recitari iussit [1]. Quandonam tamen hodierna Iudaeorum consuetudo sit invecta, ut singulis sabbathis sectio quaedam Legis in synagogis praelegatur, incertum est; id unum constat, apostolica aetate eam iam diu invaluisse [2]. Iudaei palaestinenses olim lectiones ita distribuerunt, ut tertio quoque anno integer Pentateuchus absolveretur; babylonensium autem ritus, qui singulis annis eum absolvere consueverant, hodie in omnibus synagogis est receptus. Hinc quinque libri Mosaici in quatuor et quinquaginta sectiones sunt divisi, quas *paraschas* [3] vocatas tribus פ vel ס adscriptis in Bibliis suis distinguunt, prout sunt aut פתוחות (apertae) aut סתומות (clausae), i. e. prout ex rabbinorum placito aut a nova linea aut in media linea inchoantur. Parascha ab una ex primis, quibus incipit, vocibus nomen suum habet; unica litera פ vel ס inscripta in minores partes dividitur [4].

Si Iudaeis fides est habenda, tempore machabaico, quando Antiochus Epiphanes, ne Lex in synagogis praelegeretur, prohibuit [5], paraschis penta-

teuchicis in lectione sabbathina pericopae quaedam ex Prophetis, quae similis erant argumenti, substitutae sunt; atque post Antiochi mortem consuetudo haec ita est retenta, ut lectionem Legis lectio prophetica exciperet. Quidquid est de hac traditione rabbinica, cuius primus saec. 16. meminit Elias Levita [6], iam tempore Domini N. lectiones propheticas in synagogis recitatas esse scimus ex Evangelio [7]. At non integri Prophetae leguntur, sed partes quaedam selectae, quae *haftarae* vocantur [8].

Ex tertia canonis parte praeter Psalmos Iudaei in coetibus religiosis *Quinque Megilloth* tantum adhibent, quae quum *integrae* statis diebus legantur, omni divisione liturgica carent [9], aeque ac reliqua Hagiographa, quae publice non recitantur.

1. *Deut.* 31, 10.

2. *Act.* 15, 21. « Moyses *a temporibus antiquis* habet in singulis civitatibus, qui cum praedicent *in synagogis*, ubi *per omne sabbathum* legitur ».

3. פָּרָשָׁה (פרשׁ distinxit) distinctio.

4. Cfr *De Voisin* (Raym. Mart. Pugio fidei p. 97-100); *I. Morini* Exercit. biblicae II. 17, 6 (Paris 1660). Paraschae quinquaginta quatuor pro numero sabbathorum anni lunarii intercalaris distinguuntur, qui quum dierum sit 384, sabbatha habet 54; annis ordinariis, qui 354 sunt dierum et 50 sabbathorum, paraschas aliquas ita coniungunt, ut primo quoque post festum tabernaculorum sabbatho initium Geneseos legant. — Prima parascha, quae *Gen.* 1, 1-6, 9 comprehendit, a primo vocabulo בראשית (*In principio*) appellatur, minoresque sectiones viginti duas, novem sc. apertas ac tredecim clausas, continet. Completum paraschartum catalogum nominibus, quibus rabbini eas citant, additis, tradit *De Voisin* (l. c.); eas etiam indicatas habes in *Stier* Polyglottenbibel. Bielefeld 1847 I. 1010 sqq., minores paraschartum divisiones nulli prorsus usui esse censet *Morinus* (l. c.).

5. 1 *Mach.* 1, 59. 60; *Ioseph. Antiquit.* XII. 5, 4; at iis in locis non solus Pentateuchus intelligendus videtur.

6. Cfr *De Voisin* l. c. p. 133.

7. *Luc.* 4, 16; *Act.* 13, 15 27.

8. הפטרה (פטר dimisit) dimissio; nomen inde desumtum dicitur, quod prophetica lectione terminata populus dimittitur. — Catalogum haftararum tradunt *De Voisin* (l. c.) et *Stier* (l. c.). Inter illas non invenitur lectio, quam Dominus in synagoga nazarethana interpretatus est (*Is.* 61, 1 sqq.); num inde concludendum sit, haftaras modernas recentioris esse institutionis, an Iudaeos ob christiani nominis odium illam pericopen postea omisisse, in incerto relinquimus. Haftara, quae *Deut.* 26, 1-29, 8 correspondet, complectitur *Is.* 60, 1-22; paraschae sequenti (*Deut.* 29, 9-30, 20) correspondet haftara *Is.* 61, 10-63, 9; at 61, 10. 11 intime cum praecedentibus versibus cohaerent.

9. Cfr *supra* 15. In voluminibus, quae in synagogis adhibentur, iuxta festorum ordinem dispositi sunt; quare *Canticum*, quod die paschatis legitur, primum locum occupat; sequuntur libellus *Ruth* in festo pentecostes recitandus, *Threni*, quibus die 9. mensis Ab templum destructum deflent, *Ecclesiastes* in festo tabernaculorum legendus, atque ultimum locum tenet l. *Esther*, qui in festo purim versus anni finem gaudium de gentis ex persecutione Aman liberatione renovat.

LITURGICAE PARTITIONES N. T. — Morem Scripturae in coetibus sacris

praelegendae a Iudaeis Christiani receperunt, at iam mox lectionibus ex V. T. desumtis alias ex Evangeliis Apostolorumque Epistolis addiderunt vel substituerunt [10]. Tempore Tertulliani in ecclesia occidentali lectiones hae nondum fixae determinataeque erant; ex Augustino autem nonnulla saltem festa duobus saeculis postea certas suas pericopas habuisse scimus librosque aliquos integros certis anni ecclesiastici temporibus esse assignatos [11]. Eadem quoque aetate in ecclesia graeca integrum fere N. T. singulis annis praelegebatur [12]; quare saec. 5. Euthalius, diaconus alexandrinus iussus ab Athanasio iuniore Actus et omnes Epistolas in 57 *lectiones* (ἀναγνώσεις) ita distribuit, ut dominicis festisque diebus per annum sua cuique pericope esset assignata [13]. Eodem autem modo Evangelia quoque in singulas anni dominicas esse distributa, certo quidem argumento demonstrari nequit, iure merito tamen supponitur.

Exeunte saec. 5. primum, ut videtur, in Galliae, dein in aliarum terrarum ecclesias usus introductus est, ut per totum annum non amplius ex ordine integri libri legerentur, sed selectae quaedam partes, quae anni ecclesiastici temporibus magis convenire videbantur; nomine graeco iam a S. Iustino M. et a Clemente Alex. ad ecclesiasticas lectiones designandas adhibito *pericopae* appellabantur. Quarum catalogi, qui prima et ultima uniuscuiusque lectionis verba indicant, *synaxaria* vocantur, si lectiones dominicarum et festorum Domini, *menologia*, si lectiones festorum Sanctorum continent [14].

10. *S. Iustin. M.* Apol. I. 67 (M. 6, 429) : « Solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus et *commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum* leguntur, quoad per tempus licet ». Auctor *fragm. Muratoriani* (cfr *infra* 63) in ecclesia romana circa medium saec. 2. Apostolorum scripta una cum Prophetis praelegi consuevisse testatur; versus finem saec. 2. *Tertull.* de praescr. 36 (M. 2, 49) laudibus Ecclesiam celebrat, quae « Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis literis miscent ».

11. *Tertull.* Apologet. 39 (M. 1, 468) : « Cogimur (vel coimus) ad divinarum literarum commemorationem, *si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere* ». — At *S. Aug.* in Ep. Ioan. Prol. (M. 35, 1977) : « Meminit Sanctitas vestra Evangelium secundum Ioannem ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est sollemnitas sanctorum dierum, quibus *certas ex Evangelio lectiones oportet in ecclesia recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint*, ordo ille quem susceperamus paullulum intermissus est »; cfr serm. 232, 1; 239, 1 (M. 38, 1108. 1127), ubi docet hebdomada paschali « *moris esse*, ut secundum omnes Evangelistas resurrectio recitetur »; serm. 315, 1 (M. 38, 1426) : « Actus Apostolorum liber est de canone Scripturarum; ipse liber incipit legi a dominica paschae, *sicut se consuetudo habet Ecclesiae* ».

12. *S. Chrys.* in Ioan. hom. 58, 4 (M. 59, 320) : « Si quis assidue veniat, etiamsi domi non legat, *anni unius* spatio multa poterit discere; non enim hodie has legimus, cras illas, sed semper easdem uno tenore ».

13. *Euthal. diac.* Prol. (M. 85, 629. 667 etc.); Actus in sexdecim, Epistolas Catholicas in decem, Paulinas in unam et triginta ἀναγνώσεις dividit, quarum catalogum habes l. c.; Apocalypsis in ecclesia alexandrina publicae lectioni non inserviebat.

14. *S. Iustin. M.* (c. Tryph. 65, 72 etc. M. 6, 626. 646) nomine pericoparum propheticos textus allegat; *Clem. Alex.* (Strom. III. 4; IV. 9, etc.; M. 8, 1141. 1284) etiam N. T. textus; at ita illud adhibent, ut indeterminate locum aliquem significet et tertullianeo « capitulo » respondeat (de idol. 19; ad uxor. II. 2, etc. M. 1, 690. 1290). Cfr de liturgicis N. T. divisionibus *Hug* Einleit. i. d. N. T. (Ed. 3. Stuttg. 1826 I. p. 264 sqq.); *A. Maier* Einleit. i. d. N. T. (Freiburg 1852 p. 504); *Reithmayr* Einleit. i. d. N. T. (Regensburg 1852 p. 199, sqq.).

19. — Privatae scripturarum partitiones. — Ob commodiorem privatum usum omnes U. T. libri hodie in capita et versus distincti sunt; at recentis originis partitionem hanc esse constat. Sunt quidem, qui eius prima vestigia in « capitulis » a S. Hieronymo interdum allegatis deprehendisse sibi videantur; sed parum recte, quum S. Hieronymus aeque ac Tertullianus aliique antiqui scriptores hoc vel simili nomine non tam sectiones certa ex lege distinctas quam partes arbitrarie selectas designent. Antiquis enim Iudaeis et Christianis, quippe qui frequenti immo continua lectione integras Scripturas cognitas familiaresque habebant, satis vagae et indeterminatae citationes sufficiebant. Dominus N., ut sadducaeis locum Legis, in quo futura resurrectio a Deo est indicata, in memoriam revocet, eos interrogat: « Non legistis in libro Moysi *super rubum* » (ἐπὶ τοῦ βάτου)? simili modo S. Paulus interrogat Romanos: « An nescitis *in Elia* quid dicit Scriptura »? atque Philo Iudaeus locum Deuteronomii allegat « *in maiore hymno* », textum Levitici « *in lege de lepra* » etc.[1] Qui allegandi modus perfectam in scriptore et in lectore scientiam Scripturarum supponit; quae, quum prioribus ecclesiae saeculis floreret, earum in capita et versus distributionem superfluam reddidit. Quare etiam prima Evangeliorum divisio non allegandi causa sed ad eorum concordiam stabiliendam excogitata est ab Ammonio Alex., qui Origenis aequalis fuit[2], et non nisi saec. 5. vel 6. Evangelia in 218 titulos (τίτλους), Epistolae autem Paulinae et Catholicae in 234 capitula (κεφάλαια), Apocalypsis demum ab Andrea Caes. in 24 sermones (λόγους) et 72 capitula distincta sunt[3]. Similem titulorum divisionem ad aliquos V. T. libros adhibitam esse tradit Cassiodorius[4].

Saec. 13. autem, quo tempore primae concordantiae adornari coeptae sunt, in universitae parisiensi integrae Scripturae in capita illa, quae hodie omnibus in editionibus inveniuntur, distributa sunt. Cuius divisionis auctor iuxta probabiliorem sententiam est Card. *Stephanus Langton*, archiepisc. cantuariensis († 1228), quamvis ab aliis Card. *Hugoni a S. Caro*, Ord. Praed. († 1260), qui primas edidit concordantias, etiam capitum distinctio attribuatur[5]. Ex Vulgata, in cuius codices statim est recepta, in textus primigenios transiit; aliqui codices hebraei medio saec. 15. scripti eam iam exhibere dicuntur; in editionibus tamen impressis Bibliorum hebraicorum non invenitur ante a. 1525[6]; graeca exemplaria typis impressa omnia eam receperunt.

Sola capita distinxerat Steph. Langton, minores vero capitum sectiones aliquas adscriptis literis maiusculis (A. B. C. etc.) Card. Hugo indicaverat. Versuum tandem distinctio, vel si mavis numeratio (singulae enim fere phra-

ses, praesertim in V. T., versum constituunt) Roberto Stephano debetur. qui primus versuum numeros in sua Vulgatae editione (1548) et in graeca N. T. editione (1551) adnotavit; in hebraico quoque Pentateucho (an. 1557) invenitur, in aliis autem textibus hebraicis non ante an. 1661.

Haec capitum atque etiam sub certo respectu versuum distinctio, quamvis hodie sit communis, quum publica Ecclesiae auctoritate non sit facta, non tanti est ponderis, ut in s. librorum interpretatione negligi nequeat [7].

1. *Marc.* 12, 26 (*Exod.* 3, 6); — *Rom.* 11, 2 (3 *Reg.* 19, 10); — *Philo* de plantat. 14. 26 (*Deut.* 32, 7; *Lev.* 13, 12) Ed. Lips. II. 156. 166.

2. *S. Hier.* de vir. ill. 55 (M. 23, 667) : « Ammonius... eodem tempore (sc. quo Origenes) Alexandriae clarus habitus est, qui... et evangelicos canones excogitavit, quos postea secutus est Eusebius Caes. ». Evangelia in 1162 κεφάλαια divisit (Matth. 352, Marc. 235, Luc. 343, Ioan. 232) eademque in decem canones distribuit, ut « si quis de curiosis voluerit nosse, quae in Evangeliis vel eadem, vel vicina, vel sola sint, eorum distinctione cognoscat » (*S. Hier.* Praef. in Evang. ad Dam.); cfr *Eus.* ep. ad Carp. (M. 22, 1276) *S. Epiph.* Ancor. 50 (M. 43, 105); etc.

3. Evangeliorum in 218 titulos distributione in suis citationibus utuntur Theophylactus et Euthymius; capitula Epistolarum una cum suis lectionibus exhibet *Euthalius diac.* (M. 85, 629 etc.).

4. *Cassiod.* De instit. div. lit. 1, 2 etc. (M. 70, 1112. 1114). — Cfr Ven. Card. *I. M. Thomasii* SS. Bibliorum iuxta editionem seu LXX interpretum seu B. Hieronymi veteres tituli sive capitula etc. (Opera omnia. Romae 1747 I).

5. *Genebrardi* Chronogr. An. m. 5329 (Paris 1585 p. 644) : « Circa hoc tempus (1241) Biblia in capitula, quae hodie habemus, distinguuntur. Scholasticorum videtur esse inventum, eorum fortasse, qui cum Hugone Card. Concordantium fuere auctores. Nam ante ista tempora theologi superiores ea non usurpant, inferiores frequenter ». At *Balaeus* (Hist. eccl. Centur. XIII. n. 17) capitum distributionem Stephano Langton, archiep. cantuar. iure merito attribuit; incuntis enim iam saec. 13. exstant codices Vulgatae, qui eam exhibent.

6. In Bibliorum rabbinicorum bombergianorum (cfr *infra* 229 versus fin.) editione secunda. quam a. 1525 *R. Iacob ben Chajim* curavit, capitum divisio invenitur.

7. Cfr *Salmeron.* Proleg. IX can. 22. (Opp. I. p. 103 sqq.).

CAPUT II.

HISTORIA CANONIS VETERIS TESTAMENTI.

§ 3. — *Canon Veteris Testamenti apud Iudaeos.*

I. — Prima librorum V. T. collectio.

20. — De canonis hebraici origine pauca admodum eaque parum certa nobis tradita sunt. Quamdiu enim apud Iudaeos certa Prophetarum successio adfuit, accurata canonis definitio adeo necessaria non fuit. Namque « non magnae, inquit *Eusebius,* quondam apud Hebraeos multitudinis erat aut de iis, quae divini Spiritus instinctu proferebantur, aut de divinis hymnis diiudicare, sed pauci erant et rari, ipsi quoque divini Spiritus, qui dicta diiudicat, participes, quibus solis licuit ea de re statuere atque Prophetarum libros pro divinis agnoscere (ἀφιεροῦν) reliquos vero reprobare »[1].

Nihilominus dubium non videtur, quin in summa antiquitate prima canonis origo sit quaerenda; neque asserere dubito, ipsum Moysen, quum libros suos ex divino impulsu et afflatu conscriptos levitis traderet iuxta arcam reponendos[2] ac septimo quoque anno publice populo legendos, primum canonem constituisse; nam duplici hoc praecepto ab omnibus aliis libris eos segregandos, ceu certam credendi et agendi regulam habendos, specialemque eis honorem tribuendum esse docuit.

Num ante babylonicum exsilium primo huic canoni alia scripta sint addita, ambigitur. Qui negativam sententiam tenent, ad Samaritanos, decem tribuum reliquias, provocant, quos praeter Pentateuchum et librum quendam Iosue a nostro canonico plane diversum alios canonicos non agnovisse constat; unde saltem ante regnorum Iuda et Israel divisionem toti populo solos libros mosaicos canonicos fuisse concludunt. At nonne ipse liber Iosue corruptus, quem una cum Pentateucho retinent Samaritani, infirmum esse huius argumenti fundamentum demonstrat? Longe igitur praeferendam eorum opinionem censemus, qui successivam quandam canonis collectionem iam ante exsilium admittendam esse statuunt. Nam

1° *Iudaeos iam ante exsilium sacros suos libros collegisse* certis argu-

mentis probatur : Psalmi davidici cum asaphicis tempore Ezechiae erant coniuncti; Ezechias proverbia quoque Salomonis colligenda aliisque adiungenda curavit; Isaias et Ieremias ipsi vaticinia sua variis temporibus promulgata unum in volumen compegerunt; Daniel exsilii tempore collectione quadam usus est librorum, inter quos erant Ieremiae vaticinia[3]. Neque illud est omittendum, iuniores scriptores scripta antiquiorum haud raro usurpasse, ac Ieremiam imprimis tam frequentem omnium eorum, quae ante ipsum edita sunt, usum fecisse, ut vix dubitari possit, quin ea aetate iam collectionem quandam formaverint[4].

2° At *ante exsilium libros istos etiam cum Pentateucho coniunctos esse* verisimilis est coniectura. Quod si Iosue « omnia verba haec in volumine Legis Domini » scripsisse narratur, nihil obstare censemus, quominus auctorem dicamus indicasse, se suum librum sacris Moysis voluminibus adiunxisse; simile quid auctorem 1 Reg. libri relate ad « legem regni » innuisse censent aliqui[5]. Accedit quod librorum historicorum qui ante exsilium scripti sunt initia, quum omnes a coniunctione copulativa inchoentur, docere videantur, auctores libris suis praecedentes continuare voluisse[6]. Quibus ex causis merito coniicimus, eos una cum Pentateucho, cum quo in eo consentiunt, quod divinam in gubernando populo bonitatem et iustitiam celebrant, iuxta arcam esse reconditos, uti ipsi quoque essent « in testimonium contra Israel ». Sed libri prophetarum, in quibus Dei promissiones et iudicia continuo repetuntur et inculcantur, nonne etiam erant « in testimonium contra Israel »? Isaias sua vaticinia eodem nomine *libri Domini* appellavit, quo Pentateuchus vocatur[7]; annon id argumento esse potest, Hebraeos vaticiniis eorum, qui genuini prophetae signo divinitus dato (*Deut.* 18,22) probati erant, eundem honorem attribuisse, quem olim omnes populi sacris suis libris attribuerunt[8]? Si Iudas Machabaeus exemplum Nehemiae secutus sacros libros colligendos et in templo reponendos curavit[9], quis Nehemiam omnium primum, ut collectionem quandam faceret, animum induxisse asseruerit, ac si ante eius aetatem superflua fuisset?

Quae quum ita sint, nolumus quidem eorum antiquorum testimonia urgere, qui collectionem istam librorum ante destructionem templi a Ieremia simul cum arca foederis et vasis sacris in montem Nebo translatam asserunt[10], at magna probabilitate haud carere censemus eorum opinionem, qui eiusmodi collectionem in primo templo exstitisse tenent. Iudaeos iuniores in eadem sententia fuisse docet testimonium thalmudicum mox afferendum.

1. *Euseb.* Praep. Evang. XII. 23. (M. 21, 992).
2. *Deut.* 31, 9 sqq.; 31, 24 sqq. Nomine « libri Legis » integrum Pentateuchum

esse intelligendum in *Introd. spec.* in V. T. I. p. 42 sqq. demonstravimus. Non erit abs re semel adnotasse, nos in hac canonis historia omnium librorum sacrorum authentiam supponere; a rationalismi et hypercriticismi obiectionibus eam vindicabimus, quando in singulorum librorum originem et fata inquiremus.

3. 2 *Par.* 29, 30; *Prov.* 25, 1; *Is.* 34, 16; *Ier.* 36, 4 sqq. 27 sqq.; *Dan.* 9, 2 « ego Daniel intellexi in libris »; בַּסְּפָרִים ἐν ταῖς βίβλοις; qua in expressione articulus collectionem omnibus notissimam designat.

4. Ut iuniores scriptores frequenti lectione antiquiorum volumina pervolutasse appareat, pauca exempla sufficient. Antiquam populi historiam, quae in libris historicis narratur, et legislationem pentateuchicam a Psalmorum auctoribus et Prophetis cognitas supponi, nemo negat; at Psalmos quoque Prophetis cognitos fuisse nemo negabit, qui vel semel *Is.* 12, 1-6; 26, 1-19; *Ion.* 2, 3-10; *Hab.* 3, 2-19 inspexerit, quum et Isaiae hymni orationesque Ionae et Habacuc verbis Psalmorum fere sint contextae. Prophetas iuniores antiquiorum uti sermonibus iam monet *Origenes* (ad Afric. 15. M. 11,84); *Mich.* 4, 1-3 et *Is.* 2, 2-4 ita sunt similia, ut alterutrum alterius vaticinium prae oculis habuisse necessario sit admittendum; eadem fere similitudo inter *Ier.* 49, 7-22 et *Soph.* 1-9 (cfr *Soph.* 2-4 et *Ier.* 49, 15. 16; *Soph.* 5. 6 et *Ier.* 49, 9. 10) intercedit; innumeros textus, in quibus iuniores antiquiorum verba usurpant, indicant loci paralleli in Bibliorum editionibus adscribi soliti. Rariores quidem ad libros salomonicos et l. Iob sunt allusiones; neque tamen eas deesse, suis locis demonstrabitur. — Ad Ieremiam quod attinet, qui inter omnes Prophetas frequentissime antecessorum suorum libris utitur, cfr *A. Kueper* Ieremias sacr. librorum interpres et vindex (Berol. 1837 p. 52 sqq.).

5. *Ios.* 24, 26; cfr *Masium* l. h. 1 : « Utile erat, ut literis ista consignarentur sacris, non solum quo perpetua ipsorum exstaret memoria, sed ut exstare eam populus etiam recordaretur eoque religione maiore datam sponte fidem in posterum coleret. Atque ideo non seorsim, sed in sacratissimis illis mosaicae Legis tabulis inscripta sunt, quae apud arcam Dei conservabantur ». Num « omnia verba haec » de integro libro Iosue, id quod cum plerisque antiquis interpretibus censemus, an de sola foederis renovatione, quae explicatio plerisque modernis praeplacet, intelligenda sint, in *Introd. spec.* in V. T. I. p. 192 accuratius disseruimus; ad argumentum nostrum hoc loco parum interest, utra explicatio praeferatur. — Cfr etiam 1 Reg. 10, 25.

6. *Ios.* 1, 1; *Iudic.* 1, 1 (text. hebr.); *Ruth* 1, 1 (text. hebr.); 1 *Reg.* 1, 1 (text. hebr.); 3 *Reg.* 1, 1.

7. *Is.* 34, 16; cfr *P. Knabenbauer* Erkl. d. Proph. Isaias p. 396.

8. Cfr *Euseb.* Praep. Evang. I. 9 (M. 21, 72). Libri sacri Ægyptiorum hodie in sepulcris et templorum ruinis reperiuntur; Athenienses et Spartanos vaticinia, quae ad suas respublicas pertinebant, in templis conservasse testatur *Herod.* V. 90; VI. 57; quanto cum honore Romani libros sybillinos conservaverint, omnibus notum est.

9. 2 *Mach.* 2, 13; *Fl. Iosephus* (Antiqu. V. 1, 7) de libris in templo depositis loquitur, qui Iosue precibus diem esse prolongatum (*Ios.* 10, 12 sqq.) testentur, atque (Bell. Iud. VII. 5. 5) inter alia spolia, quae e templo direpta Titus Romam attulit, etiam s. libros nominat.

10. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 14 (M. 43, 421) etc.

II. — Canon Esdrinus vel Palaestinensis.

21. — Iudaei hodierni in suo canone solos protocanonicos libros habent, quare imprimis inquirendum, quandonam haec eorum colle-

ctio sit terminata. Inter modernos introductores acath., qui historicis testimoniis posthabitis aut etiam spretis originem singulorum librorum ex solis, uti aiunt, « rationibus internis » iuxta praeiudicia sua explicare conantur, vix duo invenientur, qui in tempore, quo collectio iudaica formata est, circumscribendo ac definiendo plane consentiant: alii aetati machabaicae eam adscribunt, cui sententiae saec. 17. *Spinoza* et *Hobbes* iam praeluserunt, alii eam 1. saec. *ante* Chr. terminatam concedunt, alii eam illo tempore, quo Novi Test. libri conscripti sunt, absolutam fuisse aut negant aut saltem addubitant[1]. Inter catholicos quoque interpretes hodie similis est sententiarum varietas. *Rich. Simon,* quem sequitur *I. B. Malou,* nihil certi nos de canonis iudaici collectione scire asserit; *Movers* et *Nickes* eo usque progressi sunt, ut cum rationalistis, quamvis ob diversas rationes, canonem hunc non nisi post Christum terminatum dicerent; cum *Danko* alii « non uno tempore eum collectum et Machabaeorum aetate demum finitum eum esse » volunt, dum *Kaulen* ac multo magis *Loisy* fere fortuitam, ut ita dicam, eius compilationem et terminationem adstruant[2]. Attamen nulla hucusque videtur esse allata ratio, qua a communi antiquiorum interpretum sententia recedere cogamur, iuxta quam *hodiernus Iudaeorum canon,* qui quia a Iudaeis palaestinensibus antiquitus adhibebatur, *palaestinensis* apte appellatur, *tempore Esdrae et Nehemiae definitus absolutusque est, atque in illis libris colligendis Esdras praecipuam partem habuit,* quare collectio illa etiam *canon esdrinus* vocari potest[3]; altera vero ex parte minime desunt, quae sententiam illam omnino reddant probabilem.

1. Moderni acath. plerique *multos*, aliqui (uti *E. Havet* ac praesertim *Maur. Vernes* Précis de l'histoire juive. Paris 1889, p. 776 sqq., Les résultats de l'exégèse biblique, 1890, p. 181 sqq., Essais bibliques, 1891. Quand la Bible a été composée? p. 135 sqq.) *omnes* libros canonis iudaici post exsilium conscriptos esse contendunt. Sed de singulorum librorum origine in Introd. spec. agemus; ad eorum collectionem autem quod attinet, *Spinozam* (Tract. theol. pol. c. 10) novam sententiam « ingenii sui acumine » praevidisse ait de Wette; *Hobbes* (Leviathan s. de republica p. 179) deinde tempore intermedio inter reditum e captivitate et Ptolemaeum Philad., qui a. 286 regnare coepit, libros collectos censet; *Strack* (Zoeckler Handb. der theol. Wissenschaft. Bielefeld 1883 I. p. 167), *Volck* (Zoeckler l. c. p. 634) etc. aetati machabaicae canonem attribuunt, quibuscum fere consentit *Cornill* (Einl. 1891 p. 280), qui eum circa a. 100. a. Chr. saltem in genere terminatum coniicit; porro *de Wette* (Einl. Ed. 7. 1852 § 15) certum finiti canonis testimonium non invenit ante Fl. Iosephum, i. e. c. a. 70. *post* Chr.; accuratissime ac si rei gestae interfuisset, *Schrader,* recentissimus introductionis dewettianae editor, tradit, primum canonem, qui solo Pentateucho constitit, per Esdram esse statutum; huic accessisse secundum canonem (Prophetas) circa finem 4. saec. a. Chr., demum tertium (Hagiographorum) inde a saec. 3. a. Chr. formari coeptum esse, at 1. p. Chr. saec. eum nondum fuisse absolutum (*De Wette-Schrader* Einl. Ed. 8. 1869, § 14-16). Cui sententiae subscribunt *Davidson* (Introd. to the Old Test. London 1863, III. p. 205 sqq.) et praesertim *Wellhausen,*

recentissimus bleekianae introductionis editor, qui ipse quoque circa an. 70 p. Chr. tandem Iudaeorum canonem absolutum putat, incertus tamen haeret, annon aliqui libri postea sint additi (*Bleek-Wellh.* Einl. Ed. 4. 1878 § 270); hisce accessit etiam *Reuss* (Gesch. d. A. T. 1881 p. 714), qui postquam suam de canonis terminatione ignorantiam professus est, asserere audet, minime constare, num V. T. canon eo tempore, quo libri N. T. scribebantur, iam terminatus fuerit. Haec pauca variarum opinionum specimina paucis indicasse hoc in loco sufficit, quum earum refutatio ad Introd. spec. potius pertineat.

2. *Rich. Simon*, Hist. crit. du V. T. (Amstel. 1685 p. 53 sqq.), *I. B. Malou*, Lecture de la bible (Louvain 1846 II. p. 30 sqq.); *Movers*, Loci quidam historiae can. V. T. illustrati 1842; *Nickes*, De libro Iudithae (Bresl. 1854 p. 56). Toto coelo autem horum interpretum sententiae a rationalistarum placitis differunt; ut facilius enim deuterocanonicorum canonicitatem tuerentur, Iudaeos omnes primitus eodem canone usos esse statuerunt, post Christum autem a Iudaeis palaestinensibus aliquos libros e sacrorum numero esse expunctos (*Movers* l. c. p. 20 sqq.). — *Danko* De S. Scriptura Comment. (Viennae 1867 p. 13), *Kaulen* Einleitung i. d. h. Schrift (Ed. 3. 1890 p. 21 sqq.), *A. Loisy* Histoire du Canon de l'Anc. Test. Paris 1890 p. 33 sqq.

3. De hac sententia, quae olim communis fuit omnium interpretum, cfr *Genebrard.* Chronogr. An. m. 3710 (Paris 1584 p. 183), *Serarii* Prolegomena (Mogunt. 1612 p. 48), *Bellarmini* Controv. De verbo Dei II. 1, *Bonfrerii* Praeloquia (1625 c. 3, sect. 1), *Huetii* Demonstr. Evang. Prop. IV (Ed. Venet. 1765 p. 339), *Frassen* Disquisit. biblicae (Ed. 2. 1769 I. p. 348), etc. Ex recentioribus eandem sententiam retinent *Herbst-Welte* (Einl. i. d. A. T. Freiburg 1840 I. p. 47, nota); *Glaire* (Introd. à l'Écriture Sainte, Paris 1843 I. p. 69), *Scholz* (Einl. i. d. hl. Schrift. Koeln 1845 I. p. 199), *Himpel* (Tüb. Quartalschr. 1876 p. 734), *Ubaldi* (Introductio in S. S. Romæ 1877 II. p. 160), *Magnier* (Étude sur la canonicité des S. Écritures I. Ancien Testament. Paris 1892 p. 119 sqq.) etc. — Inter protestantes antiquiores eandem sententiam communem fuisse testantur *Hottinger* (Thesaurus philol. Ed. 2. 1659 p. III) et *Driver* (Introd. 1892 p. XXXVI); ex recentioribus cfr *Hengstenberg* (Beiträge z. Einl. i. d. A. T. I. Die Authentie des Daniel. Berlin 1831 p. 237 sqq.), *Haevernick* (Handb. d. Einl. i. d. A. T. Ed. 2. Frankf. 1854 I. 1, p. 29 sqq.), *Keil* (Lehrb. d. Einl. in d. A. T. Frankf. 1859 p. 478 sqq.) etc.

Antequam argumenta historica, quibus antiqua sententia fulcitur, proponamus, 1.) praemonuisse iuvabit, Iudaeis modernis canonem eiusdem, ac nobis Christianis, esse auctoritatis, ut summam eorum constituat credendi agendique regulam, quam omnes sequi tenentur et qua disceptationi omni in re fidei ac morum finis imponitur. Eandem autem auctoritatem libris canone illo contentis antiquitus iam inter Iudaeos attributam esse, et tota Domini Apostolorumque cum Iudaeis disputandi ratio luculenter ostendit et Fl. Iosephus disertis verbis testatur; quin etiam nemo ignorat, Iudaeos libros suos sacros tanti fecisse, ut solo eorum solatio in difficillimis ac tristissimis temporibus contentos se esse declararent[4]. Porro non minus constat, antiquos Iudaeos ne minimam quidem rem, quae ad cultum religiosum aut ad statum rerum in libris sacris sancitum pertinebat, introducere aut mutare esse ausos, nisi aut certi indubitatique prophetae auctoritate erat appro-

bata, aut saltem eius approbatio velut conditio necessaria supponebatur[5]. Quis igitur sibi persuadebit, eosdem rem summi momenti, qua tota eorum vita privata, publica, profana, religiosa regebatur, electionem dico definitionemque librorum a Deo inspiratorum, primo cuique permisisse aut casui fortunaeque reliquisse, utrum eiusmodi liber eis innotesceret ab eisque reciperetur, necne?

Equidem facere non possum, quin pro certo asseram, Iudaeos sacros suos libros non nisi a viris, quorum auctoritas omni exceptione maior fuit, accipere voluisse atque Deum ipsum quoque pro sua sapientia et providentia id efficere debuisse, ut populo libri illi cum auctoritate ceu divini promulgarentur. Quare non sufficit, ut dicamus « ad canonem iudaicum nihil amplius accessisse, quamprimum inspiratio cessavit »; hoc enim per se evidens est, nec a quoquam fideli in dubium vocatur; neque sufficit addidisse, « canonem iudaicum tamdiu esse auctum, quamdiu scripta inspirata afferebantur »[6]; id enim in quaestione est, a quonam afferendi, approbandi, promulgandi fuerint. Multo minus autem, nisi genuinam inspirationis canonicitatisque notionem destruere omnemque sacrorum et profanorum librorum distinctionem negare velimus, dubitare nobis licet, an Iudaei certum possederint criterium, quo librum aliquem esse inspiratum cum certitudine cognoscerent[7].

Iam vero omnibus, qui fidem non respuerunt, fatentibus post Esdram *munus* propheticum cessavit; post Artaxerxis Longimani aetatem non amplius exstitisse indubitatam prophetarum successionem etiam Iudaei cum Iosepho testantur. Annon Deus igitur providere debuit, ut Iudaeis prophetarum auxilio orbatis aliud subsidium praesto esset, quo et ad Legem observandam incitarentur et simul magnarum, quae illis factae erant, promissionum continuo admonerentur? Atqui hoc auxilium Deus O. M. illis in libris sacris iam praeparaverat; illud unum reliquum fuit, ut cum omnimoda certitudine eos cognoscerent et a profanis quibuscumque discernerent; idque eo magis requirebatur, quia Deo, ut Apostolis vias praepararet, ita disponente Iudaei inde ab illo praesertim tempore in omnes terras dispergendi erant. Tota ergo divina salutis oeconomia considerata concludamus oportet, illo tempore, quod reditum ex exsilio babylonico immediate secutum est, Deum pro sua sapientia et bonitate revera providisse, ut Iudaeis praeter Legem Prophetasque illos, quos iam ante exsilium pro divinis agnoverant, reliqui quoque libri, qui divinitus quidem antea iam dati sed nondum agniti erant aut quos Deus tempore exsilii et immediate postea inspiraverat, publica cum auctoritate a viris promulgarentur, quibus fides negari non potuit.

Inquirentes igitur, quinam viri illi fuerint, alios, quibus tam insigne munus attribui possit, illa in aetate praeter Esdram Nehemiamque non inveniemus, quos tanto cum zelo et antiquum cultum religiosum et politicum rerum statum post exsilium restaurasse scimus. Quare quasi a priore, si ita dicere fas est, sola rerum ratione inspecta non possumus, quin Esdrae et Nehemiae definitionem et promulgationem canonis palaestinensis a Deo commissam esse dicamus.

4. Dominum N. et Apostolos in suis cum Iudaeorum disputationibus ad certam aliquam librorum collectionem tamquam ad supremam et ab adversariis admissam credendi regulam semper provocasse (*infra* 30. 31) ostendemus; *Fl. Iosephi* autem testimonium, quia saepius de eo recurret sermo, integrum adscribimus. Ut fontes, ex quibus Antiquitates suas iudaicas hauserat, ab Appionis accusationibus vindicaret, haec de gentis suae libris sacris tradit (c. App. I. 8) : « Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium et inter se pugnantium, sed viginti duo dumtaxat libri totius praeteriti temporis historiam complectentes, *qui merito creduntur divini* (τὰ δικαίως θεῖα πεπιστευμένα). Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent et seriem rerum gestarum a condito genere humano usque ad ipsius mortem; atque hoc spatium temporis tria fere annorum millia comprehendit. A Moysis autem morte ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae, qui Moysi successerunt, res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula literis mandata, sed non eiusdem auctoritatis ac priores habentur, quia non adfuit *indubitata prophetarum successio* (πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν). Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Post tantum enim temporis spatium *nemo adhuc nec quidquam illis addere, nec ab illis quidquam auferre, nec in illis quidquam mutare ausus est*; sed omnibus Iudaeis statim ab ipsa nativitate hoc insitum (σύμφυτον) est, ut credant *haec esse Dei praecepta* (δόγματα), *ut iis continuo inhaereant, utque, si id necessarium est, pro iis libenter moriantur* »; cfr etiam 1 *Mach.* 12, 9.

5. 1 *Mach.* 4, 46; 14, 41. — Cfr etiam quae de prophetarum munere disseruimus in *Introd. spec.* in V. T. II. p. 271-280.

6. *Kaulen* Einl. p. 17. 18. Ed. 3. p. 21.

7. *Loisy* (Hist. du Canon p. 33 sqq.) placita interdum sequitur Strackii, viri acath. ad modernum criticismum rationalismumque propensi; hinc factum esse videtur, ut non tantum dubitet, an Iudaei de librorum canonicitate ex certo criterio iudicaverint, sed etiam probabile censeat, *omnes* libros iudaicos post exsilium superstites in canonem esse receptos (p. 34), psalmorum collectiones ante exsilium quidem exstitisse sed pro sacris non esse habitas ac soli usui liturgico inservisse (p. 35), proverbia a viris Ezechiae ex literaria curiositate vel ob finem paedagogicum esse collecta (p. 35), librum Iob esse receptum, quia habebat « le prestige de son antiquité, de sa philosophie éloquente et de sa poésie » (p. 39), librum Ruth argumento antiquitateque sese commendasse uti etiam nexu suo cum familia davidica (p. 39 sq.), librum Esther blandiri amori patriae (flattait le sentiment patriotique) ideoque attentionem in se convertisse (p. 40) etc. Quomodo a viro catholico eiusmodi nugae afferri possint, ubi in originem canonis eorum librorum, qui nobis sacri sunt, inquiritur, equidem non intelligo.

22. — 2.) Argumenta a priore sola quidem ad quaestiones historicas dirimendas per se non sufficere, libenter concedimus; attamen illa etiam in rebus historicis non omni persuadendi vi destitui sed satis magni ponderis esse, si cum documentis consonant, clarum est; testimoniis enim illustrandis inserviunt ac viam monstrant, qua incedendum est, ut genuinus eorum sensus, si dubia esse creduntur, rite intelligatur. Utique si adversariis fides esset habenda, antiquorum interpretum sententia, quae protocanonicorum librorum collectionem aetati esdrinae attribuit, omni fundamento historico careret, ab Elia Levita, rabbino saec. 16., invecta testimoniis perverse explicatis originem suam deberet neque digna esset refutatione[1]. At ita sese rem non habere, examen testimoniorum luculenter probabit; videbimus enim, illa tantae esse antiquitatis auctoritatisque, ut sententiam illam, maxime si cum primo nostro argumento coniungantur, saltem reddant vere probabilem, ita ut arbitrariis modernorum assertionibus eam iure merito praeferamus.

A. *Iudaeorum antiquorum testimonia* recensentibus, ut a iunioribus incipiamus,

a) celeberrimus occurrit *thalmudicus locus*, de quo inter eruditos multum disceptatum est. Est autem hic[2] :

« Quis scripsit libros sacros? Moyses scripsit librum suum, sectionem de Bileam et Iobum; Iosue scripsit librum suum et octo versus in Lege[3]; Samuel scripsit librum suum, librum Iudicum et Ruth; David scripsit librum Psalmorum per decem senes, per Adam primum, per Melchisedech, per Abraham, per Moysen, per Heman, per Iduthun, per Asaph, per tres filios Kore[4]; Ieremias scripsit librum suum, librum Regum et Threnos; Ezechias et collegium eius[5] scripserunt ' ימשק i. e. Isaiam, Proverbia, Canticum et Ecclesiasten; viri magnae synagogae[6] scripserunt ' קנדג i. e. Ezechielem, duodecim Prophetas, Daniel et volumen Esther. Esdras scripsit librum suum et perduxit genealogias Paralipomenon usque ad sua tempora. Atque haec est confirmatio verbi magistri; Rab Iuda enim se a Magistro audivisse dicit, Esdram non ascendisse ex Babylonia antequam genealogias perduxisset ad suam usque aetatem; tum vero eum ascendisse. Quis eas finivit? Nehemias Helciae filius. »

Luce clarius est, non omnia ac singula, quae his verbis continentur, pro veris haberi posse; neque vero ideo, quia fabulosa nonnulla tradit, integrum testimonium statim inter absurda rabbinorum commenta amandare licet. Quemadmodum enim antiquorum graecorum, latinorum aliorumque scriptorum relationes historicas, quas fabulis permixtas esse videmus, ab earum sordibus iudicando purgare studiose conamur, ut quid veri illis subsit cognoscamus ac retineamus, ita thal-

mudica quoque testimonia, si eiusdem generis sunt, non esse a limine velut inutilia vanaque reiicienda arbitramur, sed severae ac prudenti crisi subiicienda.

Itaque ut accuratius perspiciatur; quid testimonium allatum ad quaestionem de canonis iudaici aetate enodandam valeat, adnotamus praeprimis α.) illud, quum in Thalmude babylonico traditio mischnicorum doctorum dicatur, sententiam illorum rabbinorum exprimere, qui 2. p. Chr. saeculo floruerunt; atque fatemur, nos haud intelligere, cur aliqui moderni rabbinis illis omnem de canonis sui origine scientiam abiudicandam esse censeant[7]. Quinque vel sex praecedentibus saeculis scribas totum animum ac diligentiam in suis libris sacris conservandis explicandisque posuisse inter omnes constat; numquid admitti potest, eodem tempore eos oblivioni plane dedisse, cuiusnam auctoritate niteretur sua persuasio de librorum illorum divinitate? Facile concedo eiusmodi traditionem fabulis admixtis interpolari adulterarique potuisse; sed eam ita interire potuisse, ut rabbini saec. 2. p. Chr. velut testes idonei citari nequeant, mihi non persuadeo.

Deinde β.) quidquid de sensu *scribendi* (כתב) in hoc testimonio statuatur, non esse dubium addimus, quin thalmudici doctores libros omnes protocanonicos Esdrae et Nehemiae aetate editos, collectos populoque cum auctoritate pro sacris promulgatos crediderint;

γ.) verbum *scribendi* autem in hoc testimonio minime idem esse atque literis mandare, nisi quis rabbinos absurde credidisse putaret, ab Ezechiae collegio omnia vaticinia Isaiae et libros salomonicos, a viris magnae synagogae omnia alia vaticinia Ezechielis, Danielis etc. literis esse mandata, antea autem sola orali traditione conservata et propagata; verbo igitur scribendi in hoc loco sensum colligendi, in ordinem redigendi, publica cum auctoritate proponendi competere;

δ.) testimonium, si hoc sensu intelligatur, multis illis thalmudicis locis confirmari, qui per Esdram synagogamque magnam canonem traditum esse supponunt. Magnae enim laudes, quibus Esdras a Thalmudistis celebratur, ipsi Moysi aequiparatur et dignus dicitur, per quem Lex traderetur, si per Moysen tradita non esset, quid sibi volunt, nisi singulari modo illi Scripturarum conservatio et promulgatio debetur? Quod si Lex per Moysen, Iosue, prophetas ad magnam synagogam pervenisse ab illaque sepe esse munita refertur, haud dubie Scripturae terminatae et promulgatae supponuntur. Scribas, qui viros magnae synagogae subsecuti sunt, ideo sortitos esse nomen scribarum vel numeratorum (סופרים scribae, numeratores) tradit Thalmud, quia versus literasque omnium s. librorum numeraverint; ab iisdem variantes lectiones, scriptionis quasdam singularitates etc. notatas esse,

idem refert[8]. Quibus omnibus patet, Thalmudis auctores esdrino tempori canonis terminationem attribuisse; Thalmudis autem auctoritate permoti eandem sententiam diu ante Eliam Levitam tenuerunt interpretes iudaei[9].

1 *De Wette-Schrader* p. 20; *Bleek-Wellhausen* p. 558; *Reuss* p. 714; *Driver* p. XXVIII sqq. etc. — Cfr etiam *Danko* l. c. p. 11; *Kaulen* p. 17; *Loisy* p. 42 sqq.

2. *Baba bathra* fol. 14 b, et 15 a. — De hoc loco cfr *Marx* Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. ordine et origine. Lipsiae 1884.

3. Sc. eos, qui Moysis mortem referunt (*Deut.* 34, 5 sqq.).

4. Rabbinorum quorundam opinio est, Adamo auctori attribuendum esse Ps. 138, Melchisedech Ps. 109, Abrahamo Ps. 88; reliquis cantica quaedam attribuunt Psalmorum inscriptiones. Hinc apparet, abbreviaturam Thalmudicam « עי (על יד), quae vulgo vertitur « per », id unum hoc loco indicare, Davidem hymnos ab illis viris compositos cum suis coniunxisse.

5. De Ezechiae collegio cfr *Prov.* 25, 1.

6. Synagogam magnam « vocant Hebraei concilium magnum ab Esdra sacerdote, eius praeside, post exsilium babylonicum Hierosolymis congregatum, cuius ope et auxilio ecclesiam hierosolymitanam et iudaicam universam restauravit et a multis corruptelis, erroribus, vitiis in Babylonia attractis repurgavit et reformavit » (*Buxtorf* Tiberias p. 94). Synagogae huius magnae frequens in Thalmude fit mentio, quamvis aliis in fontibus historicis nihil prorsus de ea tradatur. Inter eius membra praeter Esdram, eius praesidem, tres ultimi prophetae, Aggaeus, Zacharias, Malachias, dein Nehemias aliique nominantur; ultimus superstes fuisse dicitur Simon Iustus, qui an. 310-291 summum sacerdotium tenuit (*Ios.* Antiq. XII, 2, 5). Ab aliquibus haec Iudaeorum de magna synagoga sententia defenditur (cfr *Neteler* Tüb. Quartalschr. 1875 p. 490 sqq.), ab aliis inter figmenta rabbinica reiicitur (*Rau* de synagoga magna. 1726), a nonnullis modernis ex locis nonnullis Scripturae male intellectis (2 *Esdr.* 8, 13; *Mal.* 3, 16; *Eccle.* 12, 12 sq.) exorta creditur (cfr *Kleinert* Tabellen zur Einl. in das A. T. Ed. 2. 1869 p. 18). Ceterum quam plurima quidem fabulosa in Thalmude de ea referri constat; cum plerisque tamen huic traditioni id veri subesse existimamus, Esdram Nehemiamque in restaurando cultu divino atque etiam in libris sacris colligendis transcribendisque socios adhibuisse viros suae aetatis doctissimos piissimosque.

7. Cfr *G. Bickell* (Innsbrucker Zeitschr. für Kath. Theol. X 1886, p. 345), qui hac sola obiectione primum meum argumentum evertere conatur.

8. *Baba bathra* f. 13; *Kiduschim* f. 30; Nedarim f. 37, etc.; cfr *Buxtorf* Tiberias c. 8, p. 40 sqq.

9. Cfr ex. gr. R. *David Kimchi* (Praef. in Paralip.) : « Esdras hunc librum sacris Scripturis adiunxit per Aggaeum, Zachariam, Malachiam, ultimos prophetas, qui illum Hagiographis addiderunt et non Prophetis, quamquam aliqua vaticinia continet ».

b.) Secundo loco examinandum est testimonium supra allatum *Fl. Iosephi* (21 n. 4), qui quum sacerdos esset iudaicus rerumque iudaicarum peritissimus, procul dubio quaenam suae gentis persuasio de canonis collectione esset, optime scivit. Iam ad testimonii huius vim auctoritatemque percipiendam animadvertas velim,

α.) collectionem librorum, qui unanimi consensu divini credebantur, ad aetatem Artaxerxis Longimani (« Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit ») referri, i. e. regis illius, a quo Esdras et Nehemias cultus mosaici restaurandi et reipublicae restituendae permissionem potestatemque acceperunt;

β.) numerum librorum, qui divini dicuntur, eundem esse, quem Patres omnes Iudaeorum canoni attribuunt, atque easdem quoque tres eorum classes indicari; secundae et tertiae quidem classium libros singulos non enumerat, at facile apparet eum in tertia, quae quatuor hymnorum et vitae praeceptorum libros continuisse dicitur, Psalmos, Canticum, Proverbia, Ecclesiasten habuisse, in altera igitur reliquos[10];

γ.) publica quadam et ab omnibus agnita auctoritate de istorum librorum divinitate Iudaeos certos fuisse; ob certitudinis enim de continua prophetarum serie defectum libris post Esdrae aetatem scriptis vel repertis non eandem fidem adhibitam esse disertis verbis declarat.

Quae, si accurate considerantur, dubitare nos minime sinunt, Iosephi aetate, i. e. immediate post Domini N. mortem, Iudaeis omnibus palaestinensibus persuasum esse, se librorum sacrorum collectionem Esdrae debere, quamvis eius nomen Iosephus hoc loco taceat.

10. Tredecim igitur secundae classis libri sunt 1.) Iosue, 2.) Iudic. et Ruth, 3.) 1, 2 Regum (Samuel, 4.) 3, 4 Regum, 5.) 1, 2 Paralip., 6.) 1, 2 Esdrae, 7.) Esther, 8.) Iob, 9.) Isaias, 10.) Ieremias, 11.) Ezechiel, 12.) Daniel, 13.) duodecim minores Prophetae; cfr *Welte* in Tübinger Quartalschr. 1855 p. 70 sqq., qui contra *Haneberg* (Gesch. der Offenb. Ed. 4. Regensburg 1876 p. 778) hanc explicationem vindicat.

Contra eandem sententiam a me repetitam obiicit *G. Bickell* (Innsbr. Zeitschr. 1886 p. 345), Iosephum *debuisse* numerare *quatuor* libros Regum, sicut numeravit quinque libros Moysis, *nec potuisse* librum Iob historicis libris accensere; quatuor igitur eius libros poeticos esse *Iobum*, *Psalmos*, *Proverbia* (quibus velut appendix accesserint Ecclesiastes et Canticum), *Ecclesiasticum*; tredecim vero historicopropheticos esse 1. Iosue, 2. Iudic. et Ruth, 3.-6. quatuor libros Regum, 7. Esther, 8.-12. quatuor maiores et duodecim minores prophetas, 13. Esdram graecum. Quid huic obiectioni respondendum sit, alibi iam diximus (cfr *Introd. spec.* in Vet. Test. 1887 II. p. 64), sed responsum nostrum hic paucis repetimus, ne argumentatio nostra infirma esse videatur. Ante omnia ergo monemus, Iosephum, Iudaeum palaestinensem, *non potuisse* numerare *quatuor* libros Regum, quia hic numerandi modus Palaestinensibus prorsus erat incognitus, dum distributio operis mosaici in quinque libros apud Palaestinenses uti inter Hellenistas erat recepta. Optime vero librum Iob, qui historico plane modo inchoatur et terminatur, historicis libris accensere potuit; id enim antiquitus saepe fiebat (cfr *S. Aug.* Doctr. christ. II. 8. M. 34, 41; *S. Innoc. I.* ad Exsuper. Tolos. in Mansi Concil. III. 1040; *Iunil. Afric.* de part. div. leg. I. 3. M. 68, 16 etc.). Rectissime Bickell statuit, ex Iosephi Antiquitatibus posse ac debere desumi, quos libros propheticohistoricos agnoverit; iam vero ex Antiquitatibus eius constat, eum Paralipomenis eandem quam libris Regum attribuisse auctoritatem (cfr ex. gr. quomodo Antiqu. VII. 14 utriusque operis narrationes de ultimis Davidis annis coniungat et conciliet), neque minus certum est, eum illas libri Nehemiae partes,

quae in graeco Esdra desiderantur, adhibuisse (Antiqu. XI. 5); Paralipomenis igitur et Nehemiae inter historicopropheticos locus debetur. Porro Iosephus, licet graece scribens graecam librorum sacr. versionem ideoque etiam Esdram graecum (cfr *infra* 74. I. 1) adhiberet, in numerandis tamen libris, utpote Palaestinensis, palaestinensem morem sequitur, quem a puero addidicerat; hinc Esdram (graecum) et Nehemiam pro uno libro numeravit, uti etiam duos libros Paralip., et 13. locus Iobi libro reservatur. Ad poeticos deinde libros quod attinet, concedi nullo modo potest, Iosephum Canticum et Ecclesiasten velut appendices Proverbiis adiecisse ac tres libros salomonicos pro uno numerasse; eiusmodi enim numeratio neque apud Iudaeos palaestinenses aut hellenistas neque apud Christianos unquam est adhibita neque ullum illius invenitur vestigium. Neque supponere licet, eum duos istos libros non agnovisse, ac si eo tempore de illorum canonicitate nondum constiterit; nam levis illa dubitatio, quae duobus fere saeculis post a *paucis* rabbinis de libris illis in canone *retinendis* mota est, huic hypothesi infirmissimum praebet fundamentum. Inter poeticos igitur libros numerabantur et Canticum, quod summo iure hymnus in Dei laudem vocatur, et Ecclesiastes, qui utilissima continet vitae praecepta, una cum Psalmis et Proverbiis. Liber Iob autem, etsi laudem Dei pulcherrime celebret, hymnus dici nequaquam potest, neque, quamvis sit didacticus, praecepta vitae tradere recte dicitur; Ecclesiasticus demum, quem Ptolemaeorum tempore scriptum esse nepos auctoris diserte testatur, a Iosepho historiographo libris ante Artaxerxis Longimani aetatem scriptis profecto non potuit adnumerari. Integra igitur manet nostra sententia atque argumentum ex Iosephi verbis derivatum integram suam vim retinet. — Simili modo, quo nos, inter acath. recentissime *E. Koenig* (Einl. in d. A. T. Bonn 1893, p. 444) contra Graetz, Lagarde aliosque verba Iosephi interpretatur.

Satis mira videntur, quae de hoc testimonio *Loisy* (Hist. du Canon 1890, p. 31) scripsit : « Joseph *ne dit rien touchant la clôture du canon.* Après avoir parlé des vingt deux livres qui racontent l'histoire d'Israël jusqu'au temps d'Artaxerxès [et quorum quinque primi praeterea « leges tradunt » et quatuor ultimi « hymnos in Dei laudem et praecepta vitae utilissima exhibent »] il s'exprime ainsi : « Mais depuis le temps d'Artaxerxès jusqu'à nos jours, bien que l'on ait écrit tout ce qui est arrivé, ces livres n'ont pas la même autorité que les précédents, parce que la succession certaine des prophètes a été interrompue [rectius : *quia non adfuit indubitata successio prophetarum* διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν]. Ces paroles visent directement l'autorité qui appartient aux Livres saints en vertu de leur divine origine, et non pas les conditions de leur introduction dans le recueil canonique ». Si auctor in priore ultimae sententiae membro dixisset, uti necessario dicere debuit : « propter eorum divinam originem *cum certitudine cognitam per indubitatam prophetarum successionem* », alterum membrum profecto omisisset. At oblivioni dedit suam ipsius definitionem libri canonici : « un livre canonique est un livre que l'Église reconnait officiellement comme inspiré » (p. 5); iamvero Iosephus, si propter defectum indubitatae prophetarum successionis libris iunioribus minorem auctoritatem attribuit, quia nimirum de eorum divina origine non constabat, sine ullo dubio conditionem simul indicat, quae adsit oportet, ut aliquis liber pro divinitus inspirato agnosci possit ac debeat. Atque praeterea de terminatione quoque canonis aliquid tradit, siquidem inde ab Artaxerxis tempore nullum librum amplius inter eos, qui publice ab ecclesia iudaica pro divinis agnoscuntur, receptum esse asserit.

c.) Antiquitate et auctoritate priora haec testimonia illud superat,

quod 2 *Mach.* 2,13 legitur. Etsi enim quaestionem de libri huius inspiratione hoc loco omnino seponamus, verba, quae in nostram rem faciunt, quum in epistola publica a Iudaeis palaestinensibus ad alexandrinos scripta occurrant, integri populi iudaici sententiam testari dicenda sunt. Narrant autem, eodem modo, quo Iudas Machabaeus purificato templo libros sacros in persecutione Antiochi Epiphanis direptos et dispersos[11] colligendos curavit, Nehemiam bibliothecam aliquam (utique sacram) congessisse; libros autem, quos Nehemias collegit, ita describunt, ut integrum iudaicum canonem secundum tres eius classes satis aperte definiant. Nam ἐπισυνήγαγεν (i. e. *ad* Pentateuchum, qui in restaurato templo statim erat depositus, adiecit et *cum* eo coniunxit) τὰ περὶ τῶν βασιλέων (sc. Prophetas priores quos a quatuor libris Regum, utpote a potiore parte, denominatione desumta *libros de regibus* appellat) καὶ τῶν προφητῶν (et Prophetas posteriores) καὶ τὰ τοῦ Δαυΐδ (i. e. Psalmos) καὶ ἐπιστολὰς βασιλέων περὶ ἀναθημάτων. Epistolae regum (Persarum) de donariis (vel ut legit *Vulg.* : regum et de donariis) nec commemorantur nec leguntur nisi in libris Esdrae[12]; quare iure coniicimus hosce nomine illo designari, ita ut, sicut secunda canonis pars, etiam tertia pro duplici, quod tractat, argumento duplici titulo sit ornata. Nehemiae ergo aetate libros protocanonicos collectos et tamquam sacros in templi archivio depositos esse, epistola 2 Mach. libro praemissa nos docet.

d.) Confirmationis gratia testimonium 4 *Esdr.* 14,18-47 addi liceat. Qui liber, quamvis sit apocryphus, sua non caret auctoritate, in quantum aetatis suae de canonis fixatione sententiam refert[13]. In sua igitur Apocalypsi Ps. Esdras narrat, quomodo, quum exsilii tempore omnes libri sacri interiissent, ipse precibus suis a Deo eorum restitutionem impetraverit. « Scripti autem sunt per quadraginta dies nonaginta quatuor libri...[14], locutusque est Altissimus dicens : priores quos scripsisti in palam pone et legant digni et indigni; novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo ». Quis non videt, viginti quatuor libros integro populo promulgandos canonis iudaici esse Scripturas, atque apocalyptica forma Ps. Esdram gentis et aetatis suae persuasionem de Esdra canonis collectore et promulgatore tradere voluisse?

11. Cfr 1 *Mach.* 1, 59, sqq.

12. 1 *Esdr.* 6, 2-12; 7, 11-26; 2 *Esdr.* 2, 7 sqq. Quodsi lectio *Vulg.* praefertur, donorum catalogi (1 *Esdr.* 1, 7 sqq.; 2, 68 sqq.; 2, *Esdr.* 7, 70 sqq.) simul designari dicendi sunt. — *G. Bickell* (l. c.) et *Loisy* (p. 45), quum contra tertium meum argumentum obiiciant, solas regum ethnicorum epistolas a Nehemia collectas dici, haud satis attenderunt, iuxta totum epistolae in 2 Mach. relatae contextum de

sacra quadam bibliotheca agi, minime vero de profano quodam archivo; quapropter cum *Movers* aliisque omnino librum quendam sacrum hoc nomine, quod ab argumento eius desumtum est, intelligendum esse arbitror (cfr *Kleinert* Tabellen zur Einl. etc. p. 18).

13. Nec de tempore, quo liber scriptus est, nec de eius auctore constat; alii librum 1. *ante* Chr. saec., alii 1. *post* Chr. saec. scriptum censent; alii auctorem Iudaeum palaest. vel alexandrinum, alii Christianum fuisse putant. At quidquid admittitur (cfr *infra* 74. I. 2), illud extra dubium est, de canonis origine Ps. Esdram persuasionem Iudaeorum Thalmude antiquiorem exhibere.

14. Vulgatae quidem lectio est : « ducenti quatuor », at in versionum orientalium lectione (nonaginta quatuor) praeferenda omnes interpretes consentiunt.

23. — B. Cum Iudaeorum traditione, quam inde ab ineunte saec. 2. *ante* Chr. aequaliter semper et constanter se habuisse allata testimonia probant, *sententiae SS. Patrum* plane consonant. Haud raro quidem eorum auctoritas hac in quaestione vilis habetur et contemnitur, quia Ps. Esdram caeci secuti sint. Attamen aliqui nulla prorsus habita apocryphi istius ratione Esdram dicunt canonis iudaici promulgatorem; alii, etsi ad apocrypham narrationem propius accedere videantur, ita tamen ab ea simul recedunt, ut ex ea suam sententiam derivasse dici non possint; aliquos demum ex fonte hoc turbido hausisse fatemur.

Ultimae huic classi *Tertullianum* adnumeramus, qui ut apocryphum Enoch defendat, ad Esdram totius V. T. restauratorem provocat, *Clementem Alex.*, qui Esdram « prophetico spiritu » omnes veteres Scripturas renovasse » tradit, *S. Basilium M.*, qui campum, in quo Esdras omnes libros eructaverit, commemorat, *Theodoretum*, qui Cantici Cant. divinam inspirationem ex eius una cum reliquis V. T. restauratione contra Theodorum Mospsuest. tuetur[1].

S. Irenaeus quoque, si vetus eius interpres verba graeca accurate reddidisset, a Ps. Esdra pendere dicendus esset; at primigenius textus, quem Eusebius nobis conservavit, eum secundae potius classi esse adnumerandum docet; eidemque *S. Chrysostomum* iure inserimus[2].

In prima vero recensendi sunt *S. Isidorus Hisp.* et *auctor Synopseos S. Scripturae*, quae antiquitus S. Athanasio adscribi solita haud dubie in ecclesia alexandrina non diu post S. Athanasii aetatem conscripta est. « Narratur autem, inquit *Ps. Athanasius*, etiam hoc de Esdra : quum libri sacri ob populi incuriam et propter diuturnam captivitatem interiissent, ipse, utpote vir virtutis studiosus et sollers et lector, illos apud se custodivit et tandem protulit omnibusque tradidit, atque hac ratione Biblia conservavit ». *S. Isidorus* deinde, postquam de canonis collectione eodem fere modo, quo antiqui rabbini locutus est, ita ut eum thalmudicam traditionem supra allegatam (22) cognovisse appareat, haec addit : « bibliothecam Vet. Test. Esdras scriba post incensam

Legem a Chaldaeis, quum Iudaei reversi essent Ierusalem, divino afflatus Spiritu reparavit, cunctaque Legis ac Prophetarum volumina, quae fuerant a gentibus corrupta, correxit totumque V. T. in viginti duos libros constituit, ut tot essent libri in Lege, quot habebantur et literae »[3].

Quod si ultima haec testimonia cum prioribus, quae omni auctoritate non carent, coniungimus, videtur manifestum esse, antiquam Ecclesiam semper esdrinae aetati protocanonicorum librorum collectionem et promulgationem attribuisse.

1. *Tertull.* de cult. fem. I. 3 (M. 1, 1308) : « Proinde potuit (Noe) abolefactam eam (sc. scripturam Enoch) violentia cataclysmi in Spiritu rursus renovare, quemadmodum et Ierosolymis babylonica expugnatione deletis omne instrumentum iudaicae literaturae per Esdram constat restauratum ». — *Clem. Alex.* Strom. I. 12 (M. 8, 893) : « Nam quum in captivitate regis Nabuchodonosor Scripturae corruptae essent (vel interiissent διαφθαρεισῶν τῶν Γραφῶν), tempore Artaxerxis Persarum regis Esdras Levita, sacerdos, inspiratus omnes veteres Scripturas prophetico spiritu renovavit » (ἀνανεούμενος προεφήτευσεν). — *S. Basil. M.* ad Chil. ep. 42, 5 (M. 32, 357) : « Hic est campus, in quo Esdras omnes divinitus inspiratas Scripturas eructavit » (ἐρεύξατο). — *Theodoret.* Explan. in Cant. Praef. (M. 81, 29) : « Nam quum divinae Scripturae partim sub Manasse... combustae essent, partim captivitatis tempore... penitus interiissent, beatus Esdras, vir virtute excellens et Spiritu S., ut res ipsa declarat, repletus necessarias nobis et salutiferas Scripturas restituit (ἀναγράφει), nec solum Moysis libros, sed et Iosue... Si igitur Esdras eas conscripsit, non aliud exemplar transcribens sed S. Spiritu repletus, quomodo fieri potest, ut liber hic (Cantici) argumentum illud contineat, quod affirmatis? »

2. *S. Iren.* c. haer. III. 21 (M. 7, 948) Vet. interpr. : « Et non est hoc mirabile Deum hoc in eis operatum (sc. Deum septuaginta senes in vertendis Scripturis adiuvisse), quando in ea captivitate populi, quae facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis et post septuaginta annos Iudaeis descendentibus in regionem suam, post deinde temporibus Artaxerxis Persarum regis inspiravit Esdrae, sacerdoti tribus Levi, praeteritorum prophetarum omnes *rememorare* sermones et restituere populo eam legem, quae data est per Moysen ». At graecus textus, quem conservavit Eusebius (H. E. V. 20. M. 20. 453), ita potius vertendus est : « inspiravit Esdrae, ut praecedentium prophetarum sermones omnes iterum in ordinem redigeret (ἀνατάξασθαι) et in pristinum statum restitueret (ἀποκατασθῆναι) populo mosaicam legislationem ». — *S. Chrys.* (in Hebr. hom. 8, 4 (M. 63, 74), postquam Scripturarum V. T. auctores indicavit, ita pergit : « Ingruit bellum, omnes sustulerunt, consciderunt; combusti sunt libri. Alteri rursus viro mirabili, Esdrae, inspiravit, ut illos iterum ederet, et effecit, *ut ex reliquiis componerentur* » (ὥστε αὐτὰς ἐκθέσθαι καὶ ἀπὸ λειψάνων συντεθῆναι ἐποίησεν).

3. *Ps. Athan.* Synops. S. S. 20 (M. 28, 332); *S. Isidor.* Etymol. VI, 3 (M. 82, 235); *Rhaban. Maur.* Institut. cler. 54 etc.

24. — Altera asserti pars, quae Esdrae in colligendo et promulgando canone primas partes attribuit, ex testimoniis allatis ipsa quoque eruitur; Patres disertis verbis id tradunt, Iudaeorumque sententia consonat. Si

in 2 Mach. libro Nehemias bibliothecam sacram collegisse narratur, omnia suadent, ut per Esdram, quippe qui rebus religiosis praesset, eam congestam dicamus. Rabbini, qui synagogae suae magnae hoc munus adscribunt, Esdram istius concilii caput fuisse tradunt, et quid de synagoga censendum sit supra diximus (22. n. 6).

Restat igitur, ut paucis ea referamus et diiudicemus, quibus sententia nostra impugnari solet. Ad *rationalistas* quod attinet, illi praeprimis praeiudicia sua nobis pro argumentis obtrudunt. Ne enim vera vaticinia admittere cogantur, danielicorum authentia impugnata, alteram eorum partem, in qua insigne illud de quatuor regnis legitur, post eventum confictam, librumque machabaica aetate compositum asserunt; item in Psalterio machabaica carmina inveniunt aliosque libros post Esdrae aetatem exortos esse volunt[1]. Omnes has obiectiones refutare huius loci non est; in Introd. spec. praecipua eorum argumenta, quibus librorum authentiam convellere conantur, examini subiiciemus.

Inter catholicos haud pauci, uti *Bickell, Kaulen* etc., ab antiqua sententia ideo potissimum recedunt, quia argumenta, quibus plerumque demonstrari solet, non sufficere arbitrantur; sed obiectiones praecipuas, quibus argumenta nullius esse valoris ostendere conantur, supra iam attigimus ac satis leves esse ostendimus. Alii, uti *Danko*, ab Esdra palaestinensis canonis libros colligi non potuisse censent, quia genealogiae librorum Paralipomenon et Esdrae in aliquas generationes ipso Nehemia recentiores sint productae[2]. Revera 1 *Paral.* 3,22 nominantur nepotes Hattus, qui ipse cum Esdra ex exsilio reversus est; at cur Esdras illos in tabulas genealogicas inferre non potuerit, nemo facile dixerit. Praeterea Ieddoa (Iaddus) nominatur, qui teste Fl. Iosepho Alexandri M. tempore summum sacerdotium tenuit; at iterum notandum est, Ieddoam nepotem esse Ioiadae, qui anno 32. Artaxerxis Longimani summus erat sacerdos eoque tempore filium *iuniorem* habuit, qui iam uxorem duxerat[3]; quid ergo mirum, quod Esdras, qui 7. Artaxerxis anno Ierosolyma venit, genealogiam summi sacerdotis usque ad Ioiadae nepotem primogenitum perduxerit? Num vero Ieddoa hic idem sit ac Iaddus, quem Fl. Iosephus summum sacerdotium tempore Alexandri M. tenuisse dicit, altera est quaestio non hoc loco solvenda. Sed concedamus, si ita placet, nonnulla nomina in Paral. et Esdrae libris hodie legi, quae Esdras in genealogias inferre non potuit, quin etiam demus, in Psalmorum libro carmina quaedam tempore machabaico exorta hodie reperiri (quamvis id demonstrari posse pernegem), quid inde? Procul dubio iunioribus libris nonnulla inseri potuerunt, sicut antiquioribus aliqua adiecta esse omnes fere catholici interpretes tenent[4]; neque esdrina canonis origo iam neganda est, quia recentiore tempore carmina

quaedam, quae pro inspiratis a legitima auctoritate erant agnita, aliis carminibus sacris sint adiecta vel interposita.

Ut suam sententiam de canone iudaico post Christi aetatem demum stabilito demonstret, *Movers* ad textum thalmudicum provocat, ex quo rabbinos 1. p. Chr. saeculo de libris quibusdam sacris dubitasse apparet[5]. Eiusmodi vero testimonia, quae plura ab aliis afferuntur, aliud non probant, nisi rabbinos illos dubitasse, quonam cum iure libri illi in canonem essent recepti. Quis enim unquam, uti recte monet *Welte*, 5. p. Chr. saeculo Christianis Proverbia canonica non fuisse dixerit, quia Theodorus Mopsuest. eorum canonicitatem addubitare ausus sit? In omnibus autem illis rabbinicis conventibus et disputationibus nequaquam disputatum est de libris in canonem *recipiendis*, sed de iis *retinendis* ac de receptorum maiore minoreve dignitate[6].

Multo minus vero ex eo, quod Hagiographa publicae lectioni non inserviant, sequitur, illa nondum fuisse in canone, quo tempore lectionum synagogicarum ordo est definitus. Alioquin nonnullos quoque Prophetarum libros, ex quibus haftarae non sunt desumtae, in canone illa aetate nondum fuisse, esset dicendum. Praeterea antiquissimus est Quinque Megilloth (18. n. 8) praelegendarum mos, atque Psalmorum, qui inter Hagiographa primum tenent locum, in templo secundo idem fuit, qui in priore, usus continuus; reliqua autem Hagiographa cur non praelegantur, ignoramus. Tota demum obiectio erroneo nititur supposito, canonem fuisse catalogum librorum in coetibus publicis praelegendorum.

1. Tam accurate recentissimi tempus, quo conscripti sint libri, solis suis internis rationibus definire didicerunt, ut ex. gr. *Cornill* (Einl. 1891 p. 258 sq. 314) Danielem *mense Ianuario a.* 164. *a. Chr.* editum asserere non dubitet, dum *Driver* (Introd. 1892 p. 467) iisdem rationibus ductus Danielem ante a. 300. a. Chr. non esse scriptum pro certo habeat ac probabile esse putet, eum a. 168. aut 167. prodiisse; cfr praeterea *De Wette-Schrader* l. c. p. 19 sqq.; *Bleek-Wellhausen* l. c. p. sqq.; *Reuss* l. c. p. 586, 714, etc., qui inter alia haec habet: « Gelehrte des 19. Iahrh. sollten doch nicht immer den Schluss vorbringen : der Kanon war seit Esra geschlossen, ergo ist das Buch Daniel nicht aus der Makkabäerzeit, ergo gibt es keine makkab. Psalmen u. s. w. In der Logik nennt man dies eine petitio principii ». Id quidem minime; contra nullum enim logicae artis praeceptum enthymema illud peccat, dummodo antecedens rite demonstretur. At quid de hac reussiana argumentatione dicemus : « Kein Seher hat so das Einzelne vorausgesagt, wie Daniel; da nun der Verfasser für einen Mann gelten will, der im Exil gelebt hat, so ist sein Werk ein untergeschobenes, und es handelt sich nicht um einen Irrthum der Tradition, sondern um einen literarischen Betrug ». Qui tali argumentatione utitur, praecepta logica, etiamsi sit senex, repetat necesse est.

2. *Danko* l. c. p. 11.

3. 2 *Esdr.* 12, 11; *Ios. Antiqu.* XI. 7, 2; 8, 4; 2 *Esdr.* 13, 28.

4. Cfr *Corn. a Lap.* in 2 Esdr. 12, 11 etc.

5. *Movers* l. c. p. 26. haec affert ex Tr. Iaddaim III. 5 : « Dixit R. Iuda : Canticum quidem inquinat manus (a), Ecclesiastes autem in contentione versatur. R. Iose dixit : Ecclesiastes non inquinat manus. R. Simon dixit : de Ecclesiaste levius diiudicabant discipuli Schammai, quam discipuli Hillel. R. Simeon filius Azai dixit : ego quidem ex ore septuaginta duorum Seniorum comperi, de hac re eo die, quo R. Eleazaro, filio Azariae, munus assignatum est, decisum esse. R. Akiba dixit : Minime; nemo Israelitarum unquam de Cantico dubitavit, quin eo manus inquinentur; nullus enim antiquitatis dies pluris aestimandus est, quam ille, in quo Israel hunc librum accepit. Omnia Hagiographa sacra sunt, maxime vero sacrum est Canticum. Si forsitan disceptatum est, de Ecclesiaste disceptatum est. Dixit R. Iohanan, filius Iosuae, filii soceri R. Akibae : Ita, ut filius Azai dixit, disceptatum atque ita decisum est ». Similes controversiae commemorantur de Proverbiis (Tr. Sabbath 30), Ezechiele (Tr. Sabb. 13), Esther (Tr. Sanhedrin 100), etc.

6. Cfr *Welte* in Tüb. Quartalschr. 1855 p. 81 sqq.; atque ex acatholicis : *Delitzsch* Bibl. Comment. über. d. poet. Büch. d. A. T. IV. Hoheslied (Leipz. 1875 p. 14 sq.); *Davidson* The Canon of the Bible 1877 p. 34 sq.

III. Canon Alexandrinus vel Hellenistarum.

25. — Etsi vix non certam eorum esse sententiam existimamus, qui hodiernum Iudaeorum canonem Esdrae Nehemiaeque aetati adscribunt, minime tamen iis assentimur, qui Esdram ita eum absolvisse censent, ut novos libros priorum collectioni addere nefas fuisset[1]. Malachiam ultimum prophetae munere functum esse libentissime concedimus, at quonam sive humano sive divino testimonio demonstratur, immediate post cultum templi restauratum revelationem et inspirationem cessasse[2]? Num forte post Esdrae aetatem ante Domini N. adventum Deo iam non amplius novas veritates, quibus mundus ad Salvatorem suum recipiendum praepararetur, revelare licuit nec efficere, ut veritates hae literis mandarentur librique ab eo inspirati priorum collectioni adiungerentur? Immo vero aliquos libros sacros, postquam Esdras protocanonicos collegit, sive scriptos sive repertos esse scimus, eosque a magna Iudaeorum parte, ab Hellenistis scilicet, canoni priori additos esse contendimus. *Canon enim Hellenistarum a Palaestinensium canone diversus praeter protocanonicos etiam omnes nostros deuterocanonicos libros complexus est.*

Num unus idemque omnium Iudaeorum canon fuerit, quaestio est, quae tribus ultimis saeculis agitari coepta est. Postquam Genebrardus triplicem Iudaeorum canonem distinxit, quorum primus protocanonicos, alter deuterocanonicos quoque praeter Machabaeorum libros, tertius demum hos quoque continuerit[3], Serarius re accuratius trac-

---

(a) « Inquinare manus » rabbinis est terminus technicus, quo librum esse divinum designant. Nam ne libri sacri et profani eodem modo adhiberentur, statuerunt lavandas esse manus, postquam aliquis librum sacrum tetigit.

tata duos ostendit diversos Iudaeorum canones esse admittendos; quae sententia a Bailio, Tourneminio aliisque exculta hodie non tantum multis interpretibus catholicis, sed, quod magis mireris, plerisque quoque rationalistis probatur [3].

Diserta quidem antiquorum scriptorum testimonia, quibus canonum alexandrini et palaestinensis discrepantia demonstretur, nobis non suppetunt; at indirecta quaedam argumenta praesto sunt, quibus sententia nostra tantum non certa reddi videtur.

Atque 1° quidem ab omnibus fere conceditur, in graecis suis Scripturarum codicibus praeter protocanonicos libros etiam deuterocanonicos maioraque illa Danielis et Estheris fragmenta, quae in hebraicis exemplaribus desiderantur, Alexandrinos possedisse, neque illos in appendicem quandam amandasse, uti gratis olim et arbitrarie asseruit Bertholdt [4], sed reliquis intermiscuisse. Atqui id explicari nullo modo potest, nisi eadem utrisque auctoritas attributa esse dicatur [5]. Quis enim libris suis sacris et divinis profanos qualescunque intermiscebit? Porro eadem aetate Palaestinenses solos protocanonicos in suo canone habuisse constat ex testimonio Iosephi supra allato (22). Utrorumque igitur canonem diversum fuisse non temere asserimus. Frustra adversarii codices omnes Iudaeorum alexandrinorum interiisse obiiciunt; nam graeca exemplaria, quibus primitiva Ecclesia usa est, vel illa ipsa fuerunt, quae Alexandrini ad fidem conversi secum attulerant, aut ex illis et ad illorum normam descripta; quare omnimoda cum certitudine, quales fuerint Iudaeorum alexandrinorum codices, ex christianis definimus [6].

Quod argumentum 2° *iuniorum Iudaeorum palaestinensium odio* videtur confirmari, quo in versionem alexandrinam flagrarunt. Tempore enim Christi Ierosolymis in synagogis Cyrenensium, Alexandrinorum et Asiaticorum (*Act.* 9,7) alia Scripturarum versio graeca praeter alexandrinam adhiberi non potuit, quia non exstitit; eandem quoque Fl. Iosephus, presbyter palaestinensis, continuo adhibuit. At Iudaei iuniores, quando evangelica praedicatione propagata ad vaticinia messianica, quae plerique Christiani ex sola versione alexandrina cognoverunt, provocabantur, non tantum novas sibi versiones graecas adornarunt, quas fideliores esse praedicarunt, sed eo usque alexandrinam aversati sunt, ut diem, quo terminata est, diei, quo factus est vitulus aureus in deserto, compararent ieiunioque perpetuo celebrandum decernerent. Tanta autem aversio tantumque odium magnam differentiam graecam inter et hebraicam editiones a Iudaeis iunioribus repertam esse demonstrat nec paucis textibus minus accurate translatis satis explicatur [7]. Haud vana igitur asserere nobis videmur, si circa medium

saeculum 2. p. Chr., quo tempore Aquila aliique novas suas versiones ediderunt, canonis praesertim differentia Iudaeos ad versionem alexandrinam, quam Christiani adoptaverant, respuendam permotos esse dicimus.

1. Huic sententiae praeter antiquiores omnes etiam aliqui moderni protestantes, qui orthodoxi vocari amant, adhaerent. Inter veteres cfr *Hottinger* Thes. phil. I. 2, 1. p. 111; *I. G. Carpzovii* Introd. in ll. can. V. T. 1757 I. p. 22 sqq.; inter recentiores *Haevernick* I. p. 77 sqq.; *Keil* p. 613 sqq.; *Horne* Introd. I. p. 474 sqq.

2. *Genebrard.* Chronogr. ad an. 3710. 3860. 3952. (Paris. 1585 p. 183, 190, 197); primum canonem synodo magnae V. et Esdrae attribuit; secundum synodo VI. ierosolymitanae, cuius auctoritate libri sacri graece vertendi Ptolemaeo Philad. transmissi sint; tertium synodo VII., quam de pharisaeorum et sadducaeorum controversiis habitam dicit.

3. *Serarii* Prolegom. 18, 16 (1612 p. 48); *Bailii* Controvers. (Append. qu. 13); *Tourneminii* Appendix ad praeloquia Bonfrerii I. 1. (Menochii Comment. Basani 1771 III. p. 58); *Frassen* disquisit. bibl. I. 349; *Goldhagen* Introd. in S. S. (Moguntiae 1766, I. 179). — Ex recentioribus catholicis cfr *Herbst-Welte* (Einl. 1840 I. 17 sqq.), *Scholz* (Einl. 1845 I. 211 sqq.), *Welte* (Tüb. Quartalschr. 1855, p. 85 sqq.), *Himpel* (Tüb. Quartalsch. 1862 p. 178), *Reusch* (Einl. 1868 p. 154), *Vigouroux* (Manuel bibl. 1880 I. p. 63 sqq.). — Rationalistae hanc sententiam eum in finem receperunt, ut Iudaeos canonem proprie dictum non agnovisse ostenderent; ex iis cfr *Bleek* (Einl. Ed. 2. 1865 p. 676), *de Wette-Schrader* (Einl. p. 31 sqq.), *Davidson* The Canon of the Bible p. 69, *Westcott* (Smith's Dict. art. Canon), *Cornill* (Einl. 1891 p. 281 sq.) etc.

4. *Bertholdt* Einl. I. 97.

5. *Davidson* l. c. 181 : « The very way in which apocryphal (i. e. deuterocanonica) are inserted among canonical books in the Alexandrian Canon, shows the equal rank assigned to both ».

6. Optime iam *Tourneminius* l. c. : « Audacissimos criticos provocamus, ut aliquod proferant argumentum, quo in dubium qualicunque demum ratione vocetur, num eos graeca illa editio libros habuerit ».

7. Cfr *Welte* Tüb. Quartalschr. 1855 p. 94. — *Philo* (Vita Moys. II. 7; Ed. Lips. IV. 193) et *Fl. Iosephus* (Antiqu. XII, 2, 13) accuratissimam dixerunt versionem : Thalmudistae ipsi (Thalm. Ierosol. Tr. Megill. p. 9, etc.) non nisi tredecim menda in ea adnotant (cfr Bartolocci Biblioth. rabb. I. 452 sq.). Unde igitur *iuniorum* Iudaeorum odium, de quo Tr. Sopherim I. 7; Megill. Thaan. f. 50, etc.?

26. — Argumenta allata per se sola certitudinem non gignere fatemur; attamen difficultates, quae sententiae nostrae opponi solent, tam infirmae sunt, ut ad illam confirmandam potius quam elevandam inserviant illamque oppositae omnino praeferendam esse suadeant.

Namque 1° ad intimam, quae Alexandrinos inter et Palaestinenses intercessit, religionis cultusque unitatem provocant adversarii nostri. « Omne schisma, inquiunt, magna cum cura evitare studuerunt Alexandrini, ideoque vel ipsum Philonem Ierosolyma miserunt, ut omnium nomine sacrificia in templo ierosolymitano offerret; iam vero schisma evitare non potuissent,

si diverso stabilito canone suae religionis fundamentum evertissent » [1]. Caveamus autem ne Alexandrinorum Palaestinensiumque unitatem exaggeremus. Nemo enim catholicus dubitat, quin a Moysis inde tempore ad unitatem religiosam conservandam Iudaeis lege diserta et clara praescriptum sit, ut uno solo in loco sacrificia Deo offerrent, atque inde a Salomonis tempore templum ierosolymitanum habuerint visibile unitatis centrum. Atqui hac lege non obstante vel potius prorsus neglecta, 3. iam a. Chr. saeculo Iudaei in Aegypto degentes in synagogis suis maioribus sacrificia offerre coeperant, quin etiam instigante Onia, qui iniuste a Seleucidis pontificatu privatus in Aegyptum fugerat, et permittente Ptolemaeo VII. Philometore, Leontopoli in nomo heliopolitano templum ad instar ierosolymitani extruxerant, in quo totum cultum celebrarunt. Quam odiosum hoc templum Palaestinensibus fuerit, facile coniici posset, etsi Iosephi narratio et thalmudica testimonia id non proderent [2]. Quodsi vero aperta haec legis gravissimae violatio unitatem religiosam Alexandrinorum et Palaestinensium minime sustulit, cur libri, quos Aepyptii canoni adiecerunt, illam sustulissent?

Praeprimis enim Pentateuchus, qui in utroque canone primum locum tenuit, totam quum Palaestinensium tum Hellenistarum vitam potissimum regebat, alii vero libri, quos sacros agnoverunt, apud utrosque primariis illis confirmandis, explicandis, illustrandis magis inserviebant, ita ut Alexandrini novis adiectis verum schisma non introducerent, quamdiu scriptorum additorum argumenta consiliaque antiquioribus libris consonabant; atqui novos libros a religione tradita abhorrere Palaestinenses nunquam conquesti sunt. Probe enim secundo in loco consideretur oportet, tantum abesse, ut Palaestinenses libros illos ab Alexandrinis canoni adiectos ignoraverint aut aversati sint, ut illos magni fecerint nonnullosque ex eis ipsi quoque velut inspiratos adhibuerint. Illis quidem non assentimur, qui Palaestinenses quoque deuterocanonicis in suo canone locum olim attribuisse asserunt [3], nisi haec assertio ad sola fragmenta librorum Esth. et Dan. restringatur; namque non solum idoneis argumentis haec opinio destituitur, quum aliud sit, librum *a publica auctoritate* pro inspirato declarari (in canonem referri), aliud eundem librum *privatim* pro inspirato adhiberi, sed etiam creditu difficillimum est, Palaestinenses, quibus plerisque graeca lingua erat ignota, libros graece conscriptos (uti Sapient., 2 Machab.) *publice* ceu sacros recepisse. Attamen profanis libris Palaestinenses deuterocanonica nostra praetulisse constat. Etenim praeter Fl. Iosephi testimonium, qui super viginti duos protocanonicos libros in Palaestina etiam alios quosdam exstitisse tradit, quibus, ut prioribus aequipararentur, nihil nisi certi prophetae testificatio defuit, non pauca alia nobis suppetunt argumenta, quibus quanto in honore libri illi apud *omnes* Iudaeos sint habiti, satis clare manifestatur.

1.) *Fragmenta deuterocanonica libri Esther* olim in palaestinensi adfuisse canone, pro certo asserere vix dubitamus (cfr *Introd. spec.* in Vet. Test. I. p. 436 sq.), neque improbabile est, *Danielis fragmenta* similiter in eodem

exstitisse (cfr *Introd. spec.* in Vet. Test. II. p. 499 sqq.). Quidquid autem de hac nostra sententia censetur, Aquila et Symmachus saltem Susannae historiam, Theodotio reliqua quoque omnia danielica in suas versiones receperant, quamvis illas alexandrinae editioni opponerent [4]. Ex Estheris fragmentis aliqua ad verbum fere refert Iosephus, alia a iunioribus rabbinis pro auctoritate laudantur [5].

2.) Librum *Baruch* cum Ieremiae vaticiniis suo adhuc tempore a Iudaeis coniungi docet *Origenes* palaestinensi canone recensito; eum a Iudaeis in synagogis saec. 4. christiano legi consuevisse testantur *Constitut. apostolicae* [6].

3.) *Ecclesiasticus* teste rabbino *Zunz* ab antiquioribus Palaestinensibus iisdem formulis, quae in divinis solis libris allegandis adhibentur, frequentissime allegatur [7]; Ecclesiasticum et *Sapientiam Salomonis* a Iudaeis suae aetatis inter libros, de quibus dubitatur, (ἐν ἀμφιλέκτῳ) haberi, et ab apocryphis distingui asserit *Epiphanius,* postquam palaestinensis canonis libros enumeravit [8]; *De Voisin* autem rabbinorum quorundam affert testimonia, quibus quanto in pretio apud illos fuerit *Magna Salomonis Sapientia* aperte demonstratur [9].

4.) Libris *Tobiae* et *Iudith* quoque Iudaei in suis Midraschim utuntur; cur autem in canonem suum illos non receperint, unica iis est ratio, quod illos non per Spiritum S., sed per « Filiam vocis » (15 n. 2) dicunt conscriptos [10].

5.) Demum 1 *Mach.* liber vix non unicus Iosephi fons est in temporis istius historia narranda; eodem modo uterque Mach. liber a Gorionide, scriptore iudaico 8. saec., adhibetur; ab aliis quoque scriptoribus iudaeis eos cum honore laudari exemplis allatis demonstrat *De Voisin;* narratio autem de Eleazari et septem fratrum martyrio (2 *Mach.* 6) hodie adhuc a Iudaeis celebratur [11].

Fusius haec evolvere non est huius loci; quae enim attulimus, quum Iudaeos palaestinenses longe abfuisse ostendant a fanatico illo odio, quo protestantes aliqui in libros deuterocanonicos flagrant, ad finem nostrum plane sufficiunt. Nam qui illa attentus consideraverit, absurdam dicet illorum assertionem, qui libris deuterocanonicis in canonem admissis fundamentum religionis iudaicae destrui censent.

1. *Haevernick* l. c. I. 80; *Horne* l. c. I, 474 sqq. etc.; cfr etiam *Ubaldi* Introd. II 190 etc. Difficultas haec, quum sit adversariorum aries, ab omnibus, qui canonum diversitatem negant, iisdem fere semper verbis recoquitur, nec unquam ad solutionem iam saepissime repetitam attenditur.

2. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XIII. 3; *Mischna* Tr. Menachoth 13, 10 (*Surenhus.* Mischna, V, p. 113) « Sacerdotes, qui in domo Oniae (ita Thalmudistae templum leontopolitanum appellant) sacrificant, in templo Ierosolymitano ministrare non possunt ». In commentario ad hunc locum Maimonides templum illud « domum idololatriae » appellat additque : « omnes doctores convenire, sacrificia illic oblata non esse iusta sacrificia, et animalia illic mactata censeri *strangulata* ».

3. *Movers* l. c.; *Nickes* de libro Iudith p. 56; *Danko* l. c. 16; *Kaulen* l. c. 19, etc.

4. Daniel secundum LXX ex Tetraplis Origenis (Romae 1722 p. 81 ad Dan. 13, 1):

« Monogramma ad oram codicis indicat Aquilam, Symmachum, Theodotionem convenire cum LXX interpretibus, non verbis sed verborum sensu ». Theodotionis versionem reliquorum fragmentorum aeque ac partium protocanonicarum in Ecclesia receptam esse tradit iam *S. Hier.* (Praef. in Dan.). Historiam Belis et Draconis (Dan. 14) rabbini in suis commentariis adhibuerunt teste *Raym. Martino* (Pugio fidei p. 956; cfr *Neubaur* The book of Tobit. Oxford 1878 p. VIII).

5. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 6, 6 sqq.; cfr *De Rossi* Specimen var. lect. et chaldaica Estheris fragmenta Romae 1782 p. 119 sqq.

6. *Orig.* in Ps. 1. (M. 12, 1084); *Const. Apost.* V. 20 (M. 1, 896).

7. *Zunz* Die gottesdienstl. Vortraege der Juden (Berlin 1832 p. 100-102): « Dass es (sc. l. Eccli.) noch lange Zeit in hebr. Sprache vorhanden gewesen sei, bezeugen die Tosefta, der Jerusalemsche u. der Babylonische Thalmud, Hieronymus, Bereschith rabba, Vajikra rabba, Midrasch Koheleth, Tanchuma u. auch spaetere Schriften. Und dass das Buch in Ansehen gestanden, erhellt aus der Art, wie dessen gedacht u. sein Inhalt angewendet wurde. *Sehr wichtige Auctoritaeten, meist palaestinensische, berufen sich auf Sirach*, z. B. Rab, Iohanan, Elasar, Rabba bar Mair, *und zuweilen in einer nur von Schriftstellen üblichen Weise; das Buch wird sogar noch im Anfang des 4. saeculum zu den Kethubim gezaehlt* ». Cfr etiam *Fürst* Canon des A. T. p. 98.

8. *S. Epiphan.* haer. 8, 6. (M. 41, 213).

9. *Raym. Martini.* Pugio fidei p. 126 sq.

10. *Raym. Martini* l. c.; *Neubaur* The book of Tobit p. VII. — De libro Iudith haec tradit *Wolf* (Biblioth. hebr. II. 197 sq.): « Iudithae historia recensetur non solum a chronologis et historicis Iudaeorum, sed etiam ut vera recipitur, et de tempore, quo contigerit, sollicite disputatur ». Librum Tobiae chaldaice in commentario quodam iudaico conservatum publici iuris fecit *Neubaur* in opusculo citato; praeterea eius exstant duae versiones antiquae hebraicae; unde satis apparet, quantopere a Iudaeis lectitatus sit.

11. Cfr *Fl. Ioseph.* Antiqu. XII. 5, 1 — XIII. 7; *Ios. Gorionid.* Hist. Iudaica III; *Raym. Mart.* l. c. p. 128; *Zunz* Gottesdienstl. Vortraege p. 123.

Multo minoris, si fieri potest, momenti sunt alia argumenta, quibus canonum alexandrini et palaestinensis diversitas impugnatur.

2.) Prologus Ecclesiastici, inquiunt, eam ignorat, immo utrosque eodem canone usos esse supponit; Philo, Iudaeus alexandrinus, deuterocanonicos libros in suo canone non habuit; Iosephus, quamvis in suis operibus alexandrinam versionem adhibuerit, solos protocanonicos divinos dicit; auctor ille, qui 1. a. Chr. saec. apocryphum 4 Esdrae librum in Aegypto composuit, viginti quatuor tantum libros agnovit [1].

Quomodo ex Prologo Ecclesiastici Palaestinensibus et Alexandrinis eundem canonem fuisse demonstretur, nemo facile dixerit. Tertia canonis pars ibi τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων, τὰ ἄλλα πάτρια βιβλία appellatur; qua vaga et ambigua appellatione Hagiographa protocanonica sola designari sine ullo fundamento asseritur. Sed etsi auctorem prologi huius sententiae fuisse concederemus, quid inde efficeretur? Illo utique tempore, quo Ecclesiastici liber graece est redditus (an. 38. Ptolemaei IX. Euergetis II. i. e. 132 a. Chr.) canon alexandrinus nondum erat absolutus, quum praeter Ecclesiasticum

etiam duo libri Mach. ac probabiliter l. Sap., qui iunioris sunt originis, in eum postea sint recepti.

Atque Philo? « Vix est dubium, inquit Haevernick, quin libros apocryphos (i. e. deuterocanonicos) cognoverit ex iisque expressiones aliquas desumserit; at nusquam eos allegat, nusquam iis ad argumentandum utitur, nusquam eis divinam vel canonicam auctoritatem attribuit ». Sed quid, quod ex scriptis propheticis nec Ezechielem nec Danielem nec Threnos nec novem ex minoribus Prophetis usquam allegaverit? quod ex poeticis nec Ecclesiasten nec Canticum usquam adhibuerit? quod ex historicis Paralipomena, Nehemiam, Esther, Ruth prorsus praetermittat [2]? Num omnes hos quoque e Philonis canone excludemus? At « ob eorum argumentum, inquiunt, occasionem eos allegandi non habuit ». Mirum utique effugium, quum Canticum, Ezechiel, Daniel, alii divitem allegoriarum segetem Philoni praebuissent, nec nulla appareat ratio, cur Sapientiam potius quam Ecclesiasten, Iudith et Tobiae libros potius quam Ruth et Esther laudare debuerit. Accedit, quod praeter libros mosaicos, quos in omnibus fere operibus allegorico modo explicat, et Psalmos, quos circiter vicies citat, libri sacri rarissime ab eo adhibeantur [3]. Quomodo igitur ex eius silentio argumentum desumi potest? Neque illud est omittendum, Philonis testimonium in hac quaestione iure a nobis repudiari, quum multo magis graecum theosophum agat, quam iudaeum theologum. Si Pentateuchum excipis, profanos inter et sacros libros differentiam vix ac ne vix quidem admittit, quin etiam sibi ipsi eandem, qua olim insigniti erant prophetae, inspirationem interdum attribuit [4]. Quare Keilii quoque exceptionem reiicimus, qui ut alexandrinos Iudaeos inter libros inspiratos et non inspiratos non distinxisse demonstret, ad Philonis doctrinam provocat [5]. Eodem enim cum iure ad Straussii, Renani aliorumque eiusdem generis virorum doctrinam provocare aliquis potest, ut Christianos Germaniae, Galliae etc. Christi divinitatem negare demonstret.

Iosephum canonem viginti duorum librorum profiteri certissimum quidem, sed minime mirum est; Palaestinensis enim fuit, sacerdos ierosolymitanus, Pharisaeus. Eodem autem in loco, in quo suam de canone doctrinam exponit, alios fatetur apud Iudaeos esse libros, quibus ipse quidem cum contribulibus suis magnam auctoritatem attribuit, sed quos indubitata prophetarum successione deficiente prioribus aequiparare non audet [6].

Apocalypseos demum esdrinae auctor secundum eam sententiam, quae melioribus argumentis probatur, nec Hellenista fuit, nec in Aegypto vixit, sed Palaestinensis in Palaestina opus suum composuit [7]; quidquid autem de hac sententia est, falsarius, si Esdram se fingere voluit, de aliis libris restitutis loqui non potuit, nisi de iis, qui Esdrae tempore iam exstiterunt et cogniti erant.

1. *Haevernick* l. c.; *Horne* l. c. etc.

2. Cfr *Hornemann* Observationes ad illustrationem doctrinae de Canone V. T. ex Philone. Summam huius operis exhibet *Eichhorn* Ueber d. Kanon des A. T. (Repertorium für bibl. u. morgenl. Literatur. Leipzig 1779. V. p. 238-250). Cum Horne-

mann, qui cum praecipue in finem opera Philonis se perlegisse asserit, ut quidnam ille de canone sensisset, accurate definiret, in enumerandis libris, qui a Philone adhibentur vel non adhibentur, consentit *Gfrœrer* (Philo u. d. Alexandrin. Theosophie 1831 I. p. 46-54). Eorum igitur investigationibus constat, ex Prophetis minoribus solos Osee et Zachariam a Philone laudari; sed ex operibus philonianis, quae armeniace translata nobis conservata sunt, hisce addendus est Ionas (*Philonis* opera. Ed. Lips. 1830 VII. p. 377 sqq. Oratio de Iona; cfr *Philonis* Iudaei Paralipomena armena ed. I. B. Aucher Venetiis 1826 p. 578 sqq.).

3. Iosue bis allegatur, Iudic. semel (in opp. armeniace conservatis praeterea exstat or. de Samsone), libri Regum novies, Esdras semel, Iob semel, Proverbia ter, Isaias ter, Ieremias quater, Osee semel, Zacharias semel. (Cfr indicem locorum V. T., quos Philo allegat. Opp. Philonis Lips. 1830 VIII. 219 sqq.).

4. *Philon.* Quis rerum divin. haeres 52 (Ed. Lips. III. 57) : « Omnibus viris probis Scriptura prophetiam attribuit » etc.; cfr de migrat. Abrah. 34 (II. 334) etc. — De migrat. Abr. 7 (II. 299) : « Si quid anima ex se ipsa parturit, plerumque abortivum et immaturum gignitur; e contrario integrum, absolutum et eximium generatur, quidquid Deo impluente bibitur. *Non pudebit me fateri, quod mihi accidit saepissime* » etc.; cfr de Cherub. 9 (I. 205). Hinc *Gfroerer* (l. c. I, 57) : « Beachtet werden muss, dass unser Verfasser die Gabe der Weissagung nicht bloss auf wenige beschraenkt, sondern sehr weit ausdehnt... Bei dieser Ansicht ist nicht zu verwundern, wenn Philo hie und da von eigenen inspirirten Zustænden redet ».

5. *Keil* Einl. 616.

6. *Ioseph.* c. App. I. 8.

7. *Langen* Judenthum in Palæstina zur Zeit Christi. Freiburg 1866 p. 122 sqq. — *Le Hir* (du IVe livre d'Esdras. — Études bibliques, Paris 1869 I. p. 209 sqq.); cfr *infra* 74. 2.

28. — Quae quum ita sint, asserere non dubitamus, hellenisticum canonem a palaestinensi diversum una cum protocanonicis etiam deuterocanonicos libros continuisse. Interroganti autem, quo iure Alexandrini eos inter sacros receperint, ingenue fatebimur, ignorari quidem, qua auctoritate freti ita egerint, recte autem eos egisse demonstrari ex eo, quod Apostoli, uti mox videbimus, integrum canonem alexandrinum approbaverint ecclesiisque a se fundatis tradiderint.

Operae pretium non est, ut obiectiunculis illis immoremur, quibus aliqui protestantes ostendere conantur, deuterocanonicos ab Alexandrinis in canonem *non potuisse* recipi. Quid enim dicemus, si *Horne* asserit, libros illos vel ideo a canone esse excludendos, quia antiqua lingua hebraica non sint conscripti, quia eorum auctores suam ipsorum inspirationem disertis verbis non asserant, quia non nisi postquam cessavit propheticus spiritus, sint editi, quia multa fabulosa, erronea, prava doceant [1]? Num forte lingua hebraica est verae inspirationis nota omniaque ea e canone V. T. eiiciemus, quae chaldaice sunt conscripta [2]? Num auctores librorum Iosue, Iudicum, Regum, Ecclesiastae, Cantici etc. etc. ullibi suam inspirationem asserunt? Num prophetia et inspiratio unum idemque sunt, et quo tandem argumento

protestantes, qui Scripturas unicum revelationis fontem habent, propheticum spiritum post Malachiae aetatem cessasse demonstrant? Quae autem fabulosa, erronea, prava in deuterocanonicis legi asseruntur, ea alibi examinabimus : hic adnotasse sufficiat, quod monet Eichhorn, quamvis ipse quoque deuterocanonica aversatur : probe scilicet cavendum esse, ne tela, quae in deuterocanonica coniiciantur, protocanonica feriant laedantque. « Si libros quosdam canonicos, inquit, eadem cum severitate perlustrare vellemus, qua perlustrari solent apocryphi (i. e. deuterocanonici), non est dubium, quin idem vituperium, quod hodie magno cum strepitu in apocryphos (deuterocanonicos) effutitur, in canonicos ipsos recideret » [3].

1. *Horne* l. c. I. 469 sqq.

2. *Dan.* 2, 4-7, 28; 1. *Esdr.* 4, 8-6, 18; 7, 12-26. — Ceterum omnes libros deuterocanonicos, solis libris Sap. et 2. Mach. exceptis, primigenium textum hebraicum vel chaldaicum habuisse constat. De *Eccli.* et 1 *Mach.* hebraica origine nemo unquam dubitavit; libri *Iudith* primitivam linguam esse hebraicam demonstravit *Movers* (Zeitschrift für Philos. u. Theol. Bonn 1835 p. 8 sqq.); *Tobiae* antiquum textum chaldaicum vertit *S. Hier.* (Praef. in Tob.) et nuper edidit *Neubaur* (The book of Tobit. Oxford 1878); *fragmenta Estheris* chaldaice invenit et edidit *de Rossi* (Specimen etc. Romae 1782); de *fragmentis danielicis* cfr *Brüll* Jahrb. f. Jüdische Gesch. III. 68; de *Baruch* cfr *supra* 24 n. 6. Accuratiora de hac quaestione in *Introd. spec.* in Vet. Test. tradidimus.

3. *Eichhorn* Einleitung etc. V. 10. Cfr *Reuss* Histoire du Canon, Strasbourg 1863 p. 382 sq. : « On hait les apocryphes (i. e. libros deuterocanonicos) parce qu'on hait les catholiques; on les dit remplis de fables, d'erreurs, de superstitions, de mensonges, d'impiétés, et *la violence de ces attaques* n'est surpassée que par la niaiserie des preuves choisies pour les justifier... Aucun de ces ardents champions de la pureté du Canon ne prévoit, que des critiques aussi puériles, aussi peu dignes du sujet et au fond aussi étrangères à la question, finiront par montrer aux esprits superficiels et railleurs les voies et moyens de saper l'autorité de la Bible tout entière » etc.

§ 4. — *Canon V. T. apud Christianos.*

29. — Fusius, quam plerumque fieri solet, quaenam in Ecclesia fuerint canonis Vet. Test. fata enarrabimus, quum et magni momenti esse hanc quaestionem nec suis carere difficultatibus censeamus. Post conciliorum florentini, tridentini, vaticani decreta [1] nobis quidem Catholicis res est definita, nec ullus est hodie inter nos theologus, quin libris omnibus, qui in canone alexandrino olim fuerunt, et in florentino tridentinoque enumerantur, eandem dignitatem auctoritatemque divinam attribuat. At longe aliter se res habet inter protestantes; uno enim ore decreta nostra antiquae Ecclesiae doctrinae repugnare clamant, quamvis inter se quam maxime dissentiant, si quaenam antiquae

Ecclesiae doctrina fuerit interrogatur. Suo scilicet humano iudicio omnia se diiudicare posse rati auctoritate illa, quam ad fidei quaestiones divinitus institutam profitemur, reiecta alii quasi desperantes de vero canone nondum satis constare quaestionisque huius solutionem a posteris tandem exspectandam esse proclamant[2]; alii ulterius progressi supranaturali revelatione divinaque inspiratione negata deuterocanonicis eandem quidem, quam protocanonicis, sed utrisque mere humanam dignitatem et auctoritatem concedendam definiunt[3]; alii demum, sed pauci hodie numero, deuterocanonica, quae inepte apocrypha vocant, protocanonicis postponunt et utpote falsis doctrinis pravisque praeceptis repleta e canone reiiciunt[4]. Qui omnes ad historiam canonis provocant ex eaque novas suas doctrinas stabilire conantur. Ut igitur clarius appareat, quantopere toti antiquitati christianae contradicant protestantes, accuratius et diffusius historiam canonis V. T. narrandam duximus nulla omissa obiectione, quam contra doctrinam catholicam in medium attulerunt.

Ostendemus igitur 1.) Dominum N. eiusque Apostolos canonem alexandrinum, qui deuterocanonicos protocanonicis intermixtos habuit, approbasse Ecclesiaeque reliquisse;

2.) sacrum hoc depositum ab Ecclesia trium priorum saeculorum fideliter esse custoditum et posteris transmissum;

3.) eandem traditionem de canone hellenistico approbato saec. 4. et 5. in nonnullis quidem ecclesiis orientalibus varias ob causas aliquantulum obscuratam at non oblivioni datam esse, integra ecclesia occidentali reluctante constanterque apostolicam doctrinam a maioribus acceptam profitente et propugnante;

4.) inde a saeculo 5. orientalem quoque integram ecclesiam antiquae traditioni iterum adhaesisse; dubia autem nonnulla theoretica, quae insequentibus saeculis ob textus quosdam S. Hieronymi non satis intellectos et nimiam auctoritatem eidem attributam aliquos occidentales theologos perturbaverunt, reliquorum theologorum doctrina constantique Ecclesiae praxi esse repudiata;

5.) concilia demum florentinum et tridentinum, quum divino assistente Spiritu decretis suis apostolicam traditionem de deuterocanonicorum divina auctoritate sancirent, toti controversiae inter catholicos finem imposuisse; protestantes autem, quia solis humanis auxiliis quaestionem hanc solvere conantur, praeiudiciis suis abreptos in multiplices ruere errores.

1. *Conc. florent.* decr. pro Iacobitis (Labbe, Coll. Conc. XVIII. 1223); *trident.* sess. IV. (*supra* 14 n. 1); *vatican.* const. de fide. Can. 4. de revel.

2. *De Wette-Schrader* l. c. 69 : « Es ist klar, dass die Aufgabe den Kanon zu be-

stimmen noch nicht vollständig gelöst ist und ihre Lösung erst noch von uns und unsern Nachkommen erwartet ».

3. Cfr ex. gr. *Wellhausen* in Bleek Einl. Ed. 4. p. 552, ubi de origine canonis palaestinensis haec habet : « Als Gesetz und Propheten längst fester Kanon war, waren die Hagiographen noch offen : eine Reihe von Büchern stand auf der Grenze vor der Thür; einige kamen hinein, andere nicht *aus Geschmacksgründen der Zeit* » *etc.*

4. Infra eorum testimonia afferemus.

I. Veteris Testamenti Canon in Novo approbatus.

30. — Nullibi in N. T. integer librorum V. T. catalogus nobis exhibetur nec omnia sive alexandrini sive ipsius palaestinensis canonis scripta ab Apostolis Evangelistisque allegantur. Nihilominus si ad modum, quo Dominus eiusque discipuli veteribus Scripturis utuntur, attenderimus, ambiguum iam non erit, eos certam determinatamque collectionem prae oculis habuisse, cui fidem omni exceptione maiorem adhibendam esse, cuiusque testimoniis omnem de fide quaestionem peremtorie dirimi censuerunt. Saepe enim nullo libro indicato ad Scripturam vel Scripturas (τὴν γραφήν, τὰς γραφάς) provocantes articulo adhibito collectionem omnibus notam et ab omnibus admissam designant. Dominus Iudaeis suum ipsius testimonium recusantibus sese testimonium maius Ioanne B. habere asserit, atque operum, quae fecit, et Patris aeterni testimoniis allatis tertio loco Scripturas adiungit : « Scrutamini Scripturas (ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς), et illae sunt, quae testimonium perhibent de me » : discipulis in Emmaus euntibus « incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur in omnibus Scripturis (ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς), quae de ipso erant », atque omnibus Apostolis collectionem accuratius per eius partes describit : « necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me »[1]. Simili modo Paulus in praedicationibus suis « disserebat de Scripturis (ἀπὸ τῶν γραφῶν), adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati », neophyti autem « scrutabantur Scripturas (τὰς γραφάς), si haec ita se haberent »[2]; Apollo, « Alexandrinus genere... potens in Scripturis » (δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς), postquam diligentius viam Domini didicit, in Achaiam profectus « vehementer Iudaeos revincebat publice, ostendens per Scripturas (διὰ τῶν γραφῶν) esse Christum Iesum »[3]. Alia testimonia colligere supersedemus; facile enim ab omnibus conceditur, collectionem quandam antiquorum librorum a Domino eiusque discipulis ceu sacram atque ita fide dignam esse adhibitam, ut illis contradicere nemini liceret, eandemque collectionem et a neophytis, qui praedicationem Apostolorum receperunt, et a Iudaeis, qui Apostolos persecuti sunt, eodem in dignitatis auctoritatisque gradu esse habitam[4].

Quaeritur autem, utrum collectio illa a Domino approbata et ab Apostolis adhibita solos protocanicos comprehenderit, an etiam deuterocanonicos, vel aliis verbis utrum canon palaestinensis solus, an etiam alexandrinus approbatus atque Ecclesiae traditus sit. Dominum N. cum Palaestinensibus disputantem proxime ad eorum canonem provocasse extra controversiam est; at pro certo tenendum existimamus, *locupletiorem canonem, i. e. alexandrinum, qui deuterocanonicos libros protocanonicis intermixtos habuit, ab Apostolis adhibitum et ecclesiis a se fundatis traditum esse.*

1. *Ioan.* 5, 36 sqq.; *Luc.* 24, 27. 44.
2. *Act.* 17, 2. 11.
3. *Act.* 18, 24. 28.
4. Fusius haec in theologia dogmatica explanantur; inter omnes optime ostendit *Card. Franzelin* : « 1° tempore Christi et Apostolorum penes synagogam exstitisse collectionem librorum, in qua non nisi libros divinos a maioribus acceptos contineri populus iudaicus universus persuasum habebat, et 2° Christum Dominum ipsum Christique Apostolos hanc Iudaeorum fidem confirmasse ac libros in collectione nomine Scripturae, Scripturae sacrae, Literarum sacrarum comprehensos tamquam divinos Ecclesiae commendasse ». De div. trad. et Script. Ed. 2. Romae 1875 p. 321 sqq. — Protestantes, qui fidem omnem nondum respuerunt, hac in quaestione nobiscum sentiunt; cfr *Hævernick* (I. 87), *Volck* (in Zœckler Handb. d. theol. Wissensch. 1883 p. 645 sqq.) etc.

31. — Quod assertum ut stabiliamus, 1.) examinemus oportet, quonam textu scriptores Novi Test. in Vetere allegando usi sint. Patres quidem hanc quaestionem iam tractarunt, sed in ea enodanda non consenserunt. Namque *S. Hieronymus*, ut novam suam versionem latinam ex « hebraica veritate » adornatam commendaret et ab adversariorum suorum obtrectationibus defenderet, omnem lapidem movit, ut Apostolos libros veteres iuxta hebraicum textum allegasse in iisque solis graecam versionem secutos esse ostenderet, in quibus ambae editiones consentirent[1]; quin asserere non dubitavit, « Pauli ad Hebraeos Epistolae ideo contradici, quia ad Hebraeos scribens testimoniis utatur, quae in hebraeis voluminibus non habeantur »[2]. Attamen in hac sententia S. Doctor secum ipse non satis semper consensit. Neque enim tantum ex numero scriptorum, qui hebraicos libros adhibuerint rei evidentia coactus Lucam excepit[3], verum etiam Evangeliorum recensioni, quam Romae a S. Damaso rogatus adornavit, praefationem praemiserat, in qua alexandrinam versionem « ab Apostolis approbatam » dixit, eodemque anno, quo novam suam versionem edere coepit, Paulum ad Romanos scribentem fassus est « magis septuaginta virorum testimonio abusum esse et non eo, quod habetur in hebraeo : illum enim Romanis scripsisse, qui Scripturas hebraicas nescirent, nec illi

curam fuisse de verbis, quum sensus esset in tuto et damnum ex eo praesens disputatio non haberet »; at etiam tunc addidit : « alioquin ubicumque diversus est sensus, et aliter scriptum est in hebraico, aliter in septuaginta, nota eum uti his testimoniis, quae a Gamaliele doctore Legis didicerat »[4]. Iam vero reliqui Patres tantum non omnes, qui hanc quaestionem attingunt, cum Hieronymo viro potius quam sene consentiunt; unus audiatur *S. Irenaeus*, qui Aquilae Theodotionisque versionibus ad literam fere ex hebraico textu expressis antiquam septuagintaviralem diserte praefert, quia ab Apostolis sit adhibita; « etenim Apostoli, inquit, quum sint his omnibus (sc. Aquila et Theodotione) vetustiores, consonant praedictae interpretationi (septuagintavirali), et interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus et Ioannes et Matthaeus et Paulus et reliqui deinceps et horum sectatores prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet »[5]. Porro Syri Iacobitae quoque versioni suae antiquae, quae ex textu hebraico facta erat, iuniorem versionem ex alexandrina derivatam longe praetulerunt, « quia testimonia, quae Dominus N. et Apostoli in N. T. produxerunt, cum versione septuaginta senum concordent »[6].

Ac profecto, postquam inde ab exeunte saec. 16. in hanc quaestionem accuratius inquisitum est[7], dubitari iam amplius non potest, quin Evangelistae et Apostoli in veteribus Scripturis allegandis *plerumque* graecam versionem sint secuti, idque illis quoque in locis, in quibus hebraica lectio argumentationi apostolicae minus videtur congruere[8]. Inter trecentos quinquaginta circiter Veteris Test. textus in Novo relatos vel adhibitos plus trecenti cum alexandrina versione ita consonant, ut ad illam scriptores respexisse appareat; SS. Petrus, Iacobus, Marcus, Lucas et scriptor Epistolae ad Hebr. *semper,* S. Paulus *fere semper,* SS. Ioannes et Matthaeus *plerumque* lectionem graecam sequuntur[9].

Atqui Domini aetate in alexandrina versione deuterocanonica protocanonicis intermixta fuisse supra iam diximus; nihilominus igitur eam adhibentes et ex ea allegantes Apostoli eam integram approbasse censendi sunt. Quod si enim de Scripturis in genere loquuntur ad easque provocant, de illis loqui et ad illas provocare intelligendi sunt, quas prae manibus eos habuisse verba ab illis laudata demonstrant.

1. *S. Hieron.* ad Pamm. ep. 57, 11. M. 22, 577 (an. 395) : « Iure septuaginta editio obtinuit in ecclesiis, vel quia prima est et ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis (*in quibus tamen ab hebraico non discrepat*) usurpata »; ad Algas. ep. 121, 2. M. 22, 1011 (an. 406) : « Et hoc non solum in praesenti loco, sed ubicumque de Veteri Instrumento Evangelistae et Apostoli testimonia protulerunt, diligenter observandum est, non eos verba secutos esse, sed sensum, et *ubi septua-*

ginta ab hebraica discrepant, hebraeum sensum suis expressisse sermonibus »; apol. c. Ruf. II. 34. M. 23, 456 (an. 402) : « Nec hoc dicimus, quod septuaginta interpretes sugillemus, sed quod Apostolorum et Christi maior sit auctoritas, et ubicunque septuaginta ab hebraeo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumsisse; *ubi vero discrepant, id posuisse in graeco quod apud Hebraeos didicerant.* Sicut ergo ostendo multa in N. T. posita de veteribus libris, quae in septuaginta non habentur et haec scripta in hebraico doceo, sic accusator ostendat, aliquid scriptum esse in N. T. de septuaginta interpretibus, quod in hebraico non habeatur et finita contentio est »; cfr etiam in Is. l. XV. Praef. M. 24, 513 (an. 408).

2. *S. Hieron.* in Is. 6, 8 (M. 24, 99).

3. *S. Hier.* in Is. 28, 10 (M. 24, 320); Quaest. in Gen. 46, 26 (M. 23, 1002; an. 390).

4. *S. Hier.* Praef. in Evang. ad Dam. (an. 383); in Hab. 2, 4. (M. 25, 1292; an. 391).

5. *S. Iren.* c. haer. III. 21, 3. (M. 7, 950); similiter *Orig.* in Rom. l. VIII. 6. 7. X. 8 etc. (M. 14, 1175. 1180. 1264) : « Unde sciendum est, quod in omnibus paene Apostolus editionem septuaginta tenet, nisi si qua forte ei minus necessaria videntur » etc. Quia de re ab omnibus hodie admissa agitur, alia testimonia afferre supersedemus.

6. *Barhebraeus*, Primas Iacobitarum (1286), in Assem. Biblioth. orient. Romae 1721. II. 281.

7. *Serar.* Proleg. c. 17. s. 17; *Morini* Exercit. bibl. I. exerc. 3. c. 3 sqq.; *Cappelli* Critica sacra Paris 1650. II. 4.

8. Cfr ex. gr. *Matth.* 15, 8 sqq. et *Is.* 29, 13; *Rom.* 9, 33 et *Is.* 28, 16; *Rom.* 15, 12 et *Is.* 11, 10; *Hebr.* 10, 5 sqq. et *Ps.* 39, 7.

9. Si *Kautzsch* (De V. T. locis a Paulo Apostolo allegatis, Lipsiae 1869) plenam fidem meretur, S. Paulus bis librum Iob ex textu hebr. citat, nullo ad graecam versionem respectu habito (*Rom.* 11, 35; 1 *Cor.* 3, 19); in reliquis octoginta duobus textibus ita alexandrinam versionem sequitur, ut triginta quatuor accurate, octo et quadraginta liberius ex memoria secundum eam reddat. Attende autem eiusmodi inquisitionem vel ideo admodum esse difficilem nec plenam praebere certitudinem, quia librarii haud raro, ut textus magis conformes redderent, aut Novi aut Veteris Testamenti lectionem videntur mutasse (cfr de sciolis librariis iam olim textus conformantibus *S. Hieron.* Praef. in Evang. ad Dam.).

32. — Haud parum, opinor, haec argumentatio confirmatur, si 2) neophytos longe plerosque ob linguae hebraicae ignorantiam sola versione alexandrina uti potuisse attenderimus. Eunuchus Candacis reginae Aethiopum alexandrinum Isaiae textum legit, id quod verba in Actibus laudata demonstrant; Iudaei beroeenses, utpote Hellenistae, graecas Scripturas scrutati sunt; Apollo, Alexandrinus genere, in graecis haud dubie Scripturis potens erat[1]; ad Romanos scribens Paulus alexandrinis testimoniis utitur, uti habet S. Hieronymus, « quia hebraicas Scripturas nesciebant Romani »[2]. At non solum Romani, sed Galatae quoque, Corinthii etc. atque ipsi Iudaei, solis rabbinis exceptis, eo tempore hebraicas Scripturas non intelligebant, ita ut in synagogis

palaestinensibus ipsis libri sacri populo aramaice explicari debuerint, extra Palaestinae fines autem in synagogis alexandrina versio sit adhibita. Quapropter Apostoli, si aliquos illius editionis libros vel librorum maiores partes, fragmenta inquam Danielis et Estheris, pro non inspiratis habuissent, id neophytis indicare debuissent, ne in errorem inducerentur. Iam vero ne levissimum quidem apparet vestigium, ex quo concludi possit, Apostolos monuisse, ut ab aliquibus libris canonis alexandrini legendis abstinerent Christiani, aut ne omnibus istius editionis libris librorumque partibus eandem auctoritatem eandemque dignitatem attribuerent. Immo antiquarum omnium ecclesiarum usus, de quo infra disseremus, eiusmodi monitum non exstitisse demonstrat.

Accedit 3.) quod haud pauci N. T. textus cum deuterocanonicis ita consonant, ut dubitari nequeat, quin Apostoli ad eos respexerint[3]. Utrum revera textus illos deuterocanonicos in Christianorum memoriam revocare voluerint, an ex continua deuterocanonicorum lectione verba illa sua sponte iis se obtulerint, parum refert; in utroque enim casu concludere nobis licet, Apostolos deuterocanonica cognovisse et usu suo approbasse. Cuius argumenti vim auctoritatemque frustra deuterocanonicorum adversarii eludere conantur inter allegationem et allusionem distinguentes : ad deuterocanonica interdum alludi concedunt, ea allegari negant[4]. At hac distinctione nihil prorsus effici manifestum est; tantum enim abest, ut protocanonici omnes allegentur, ut ad aliquos ne minima quidem adhuc inventa sit allusio[5]; quare si nihilominus illos quoque protocanonicos ab Apostolis probatos censent, quos eis cognitos fuisse certo testimonio demonstrare nequeunt, multo magis illi approbati dicendi sunt, quos cognitos eos habuisse allusiones testantur[6].

1. *Act.* 8, 27; 17, 11; 18, 24.

2. *S. Hieron.* in Hab. 2, 4. (M. 25, 1292). Mirum tamen, quod in ipsa hac ad Romanos epistola et in priore ad Corinthios, qui etiam hebraicam Scripturam ignorarunt, duo isti textus inveniantur, qui sine ullo dubio ex hebraico desumti sunt.

3. Ex multis, qui afferri possunt, locis paucos ex. gr. seligemus id unum praemonentes, in graeco textu magis quam in versione latina plerumque affinitatem apparere : *Iac.* 1, 19 et *Eccli.* 5, 13; *Matth.* 6, 14 et *Eccli.* 28, 2; 1 *Petr.* 1, 6. 7 et *Sap.* 3, 3 sqq.; *Matth.* 27, 39 sqq. et *Sap.* 2, 17 sqq.; *Hebr.* 1, 3 et *Sap.* 7, 26; *Hebr.* 4, 12. 13 et *Sap.* 7, 22 sqq.; *Rom.* 1, 20-32 et *Sap.* 13, 14; 1 *Cor.* 2, 10 et *Iudith* 8, 14; *Hebr.* 11, 34 sqq. et 2 *Mach.* 6, 18-27 etc. etc. Quam plurima exempla afferunt *Huetius* (Demonstr. Evang. Prop. IV. p. 230. 232. 267. 272. 337), *Vincenzi* (Sessio IV. Conc. Trid. vindicata. Romae 1844 I. p. 15-24) aliique. — Cfr etiam *C. Werner* (Tüb. Quartalschr. 1872 p. 265 sqq. : Ueber d. Brief Iacobi), qui integram fere doctrinam moralem Epistolae S. Iacobi Ecclesiastico inniti atque multas quoque phrases expressionesque ex illo libro desumtas esse ostendit : « Der Siracide ist est namentlich, auf dem fast der gesammte doctrinelle Inhalt des Briefes beruht und aus dem zum nicht geringen Theil auch das Sprachgut desselben entlehnt ist » etc. — Ex acath.

cfr *Stier* (Die Apocryphen, Bielefeld 1853 p. 15 sqq.), qui praeter multas certas etiam haud paucas magis minusve dubias allusiones affert. *Bleek* (Ueber die Stellung der Apocryphen. Studien u. Kritiken 1853 p. 337 sqq.) etc.

4. *Oehler* in Herzog Realencyclopædie der protest. Theologie. Ed. 1. VII. 237; *Stier* l. c. p. 12.

5. In N. T. nec citatio nec allusio invenitur Abdiae, Nahum, Cantici, Ecclesiastae, Estheris, Esdrae et Nehemiae.

6. Eodem modo, quo nos, contra deuterocanonicorum adversarios argumentantur ex protestantibus *Schüren* (Herzog P. R. E. Ed. 2. I. p. 486), et *Davidson* (The Canon of the Bible p. 77) : « When bishop Cosins says, that in all the New Test. we find no any one passage of the apocryphal (i. e. deuterocanonical) books to have been alleged either by Christ or his Apostles for the confirmation of his doctrine, the argument, though based of a fact, is scarcely conclusive; else Esther, Canticles and other works might be equally discredited ». — Ceterum si quis expressam allegationem postulat, responderi potest, a *S. Iac.* (1, 19) ita adhiberi *Eccli.* 5, 13, ut merito pro allegatione haberi queat, atque ad Hebr. (11, 34 sqq.) prorsus eodem modo ex 2 Mach., quo ex protocanonicis libris, fidei exempla desumi.

II. Canon Veteris Test. apud Patres trium priorum saeculorum.

33. — Sed iam inquiramus, quisnam in primitiva Ecclesia fuerit deuterocanonicorum usus; ex eo enim luce clarius apparebit, canonem alexandrinum ab Apostolis esse approbatum ecclesiisque a se fundatis traditum. « Quis credet, inquit Marchinius[1], sanctissimos episcopos, antistites ecclesiarum apostolicarum, vetustiores Patres voluisse in unum coniungere libros Moysis et Prophetarum cum Tobia ex. gr. et Sapientia, nisi iisdem fuisset compertissimum, parem esse librorum istorum omnium dignitatem, *idque ab Apostolis apostolicisque viris comperissent?* Quis putet adeo fidenter locutos esse viros prudentissimos, ut S. Scripturam appellare vellent libros obscuros et profanos, ut dicerent se divinorum librorum verbis uti, quum inde testimonia eliciebant, *nisi utique se scirent fretos Apostolorum auctoritate*, quae una conciliare sibi fidem poterat? Notum est enim, quam prudenter, quam caute, quanta cum prudentia processerint prisci illi Patres in suscipiendis libris tamquam divinis ». Atqui omnia quae nobis reliqua sunt antiquitatis christianae documenta ac monumenta libros primi secundique canonis eodem prorsus modo adhiberi, eodem in auctoritatis dignitatisque gradu collocari, iisdem sollemnibus formulis (*scriptum est, Scriptura* vel *Spiritus S. dicit* etc.) allegari consuevisse testimoniisque utrorumque quaestiones de fide ac morum regula diremtas esse uno ore testantur. Ergo ab Apostolis utrosque ceu genuinos revelationis fontes Ecclesiae traditos atque proin canonem alexandrinum ab iis approbatum esse fateamur oportet.

Priusquam argumenti huius propositionem Minorem narrata canonis historia explanabimus, ab obiectiunculis quibusdam vindicanda est. Patribus enim antiquioribus eam, quae ad canonis ambitum definiendum requiritur, scientiam defuisse asserunt deuterocanonicorum adversarii, ignotam illis fuisse accuratam sacros inter et profanos libros distinctionem, ad Iudaeos recurrendum esse, ut genuinae Veteres Scripturae cognoscantur[2]. Miras sane, immo vero absurdas sententias, eoque absurdiores, quia ab iis proferuntur, quibus Scripturae unicum revelationis cognoscendae fontem constituunt! Numquid primis Patribus etiam genuinae revelationis cognitionem denegabimus? Qui talia effutire non erubescunt, ab *Origine*[3] iam iure merito exagitantur acerbeque irridentur : « Tempus est igitur abrogare ea, quae in ecclesiis adhibentur, exemplaria et fratribus lege praescribere, ut abiectis quos penes se habent sacris libris supplices Iudaeis persuadeant, ut nobis sinceros et incorruptos impertiant. Adeo igitur providentiae, quae in Scripturis dedit omnibus Christi ecclesiis aedificationem, curae non fuerunt emti pretio, pro quibus mortuus est Christus? Ad haec considera, annon bonum sit meminisse illius dicti : Noli transponere terminos aeternos, quos posuerunt antecessores tui ». Acerbius eandem obiectionem perstringit *Rufinus*[4], omnesque Patres uno ore ab Ecclesia et non a Iudaeis accipiendas esse Scripturas clamant. « In canonicis Scripturis, inquit *S. Augustinus, ecclesiarum catholicarum* quam plurium auctoritatem sequatur (interpres), inter quas sane illae sint, *quae apostolicas sedes habere* et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur *ecclesiis catholicis*, praeponat eis, quas quaedam non recipiant; in eis vero, quae non recipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis ecclesiae tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non possit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto »[5]. De Iudaeis consulendis nec S. Augustinus nec ullus Pater, uno forte S. Hieronymo excepto, unquam cogitaverunt.

At antiquiores Patres, inquiunt, etiam pseudepigrapha (i. e. vere apocrypha) iisdem formulis, quibus Scripturas, allegant; accurata igitur eis deerat canonis cognitio. Tertullianus librum Henoch, Iustinus Ascensionem Isaiae, alii Esdrae Apocalypsin citant[6]. Antiquam hanc, ne dicam obsoletam, obiectionem in Grabio, operum S. Irenaei editore, iam diu perstrinxerat *Massuetius* : « Ergone, inquit, quia apocrypha scripta subinde a Patribus allegantur, statim pronuntiandum, eum hallucinari, qui ex eorum citationibus colligit librum aliquem

canonicum esse? Si ita sit, iam adversus Grabium prodeat impius aliquis, qui aliquod e quatuor Evangeliis vel aliquas ex Epistolis Pauli ex albo Scripturarum expungat, quo argumento hunc confutabit? An ex continua Patrum et conciliorum citatione se probare posse putabit, sacra haec scripta ab omnibus ecclesiis vel maxima saltem ecclesiarum earumque insigniorum parte tamquam canonica habita semper fuisse? Invictum quidem ceteris est argumentum, sed Grabio prorsus infirmum et inutile; nam statim occurret impius hacque unica grabiana responsione, apocrypha scripta subinde a Patribus allegari, totam vim argumenti facile infringet »[7]. Optime haec quidem; adversarii enim ad maximam illam differentiam attendere nolunt, quae inter singularis alicuius Patris allegationem et inter continuum et constantem omnium ecclesiarum usum intercedit. Ne unus quidem liber vere apocryphus nominari potest, qui in multis ecclesiis vel in eadem ecclesia per longum tempus, i. e. continuo per plura saecula, canonicus sit habitus; nos autem non ex singularibus unius alteriusve Patris citationibus, sed *ex constanti et universali omnium ecclesiarum usu* deuterocanonicorum divinitatem demonstramus[8].

1. *Marchini* De divinitate et canonicitate librorum sacr. Taurini 1777 p. 10.

2. *Münscher* (Handbuch der Dogmengesch. 1793 I. p. 251) catholicos cum primitiva Ecclesia in hac quaestione consentire omnino concedit, illos tamen in eo errare censet, quod hunc consensum pro argumento habeant; primorum enim Christianorum, *quum linguarum artisque criticae plane essent rudes*, testimonium in hac re nihil valere (« Die neuere katholische Kirche hat nicht Unrecht, wenn sie bei ihrem Urtheil über den Kanon des A. T. sich auf ihre Uebereinstimmung mit der ælltern christlichen Kirche beruft. Sie hat aber Unrecht, wenn sie aus dieser Uebereinstimmung einen Beweis für die Wahrheit ihrer Meinung hernehmen will, da die Christen der drei ersten Iahrhunderte *bei ihrem Mangel an Sprachkenntniss und Kritik* unmœglich gültige Richter hierin sein können »). Ubinam ab Apostolis vel a Domino praescriptum est, ut a philologis et viris in arte critica eruditis ambitus canonis definiatur, atque quis tandem philologos et criticos statuit divinae revelationis magistros? Cum Münscher consentit *Diestel* (Geschichte des A. T. in der christl. Kirche. Iena 1869 p. 22) : « Mit Melito beginnt eine Richtung in der griechischen Kirche Asiens, welche auf die hebräische Tradition mœglichst zurückgeht... Solche Anlehnung war vollberechtigt, *da die Kirche jener Zeit bei weitem nicht die geistigen Mittel besass*, um eine unbefangene, sachlich begründete und eingehende Entscheidung darüber zu treffen, inwieweit man dem Kanon des A. T. ein Recht in der Kirche zugestehen dürfe ». Quia igitur Ecclesia ipsa auxiliis carebat, ut quaenam Veteris Testamenti apud Christianos esset auctoritas definiret, ideo hac de quaestione consulendi erant Iudaei! « Stultorum infinitus est numerus ».

3. *Orig.* ad Afric. 4 (M. 11, 57).

4. *Rufin.* Apolog. II. 33-36 (M. 21, 611 sqq.). Inter alia egregie : « Petrus romanae ecclesiae per viginti quatuor annos praefuit : dubitandum non est, quin sicut cetera, quae ad instructionem pertinent, etiam librorum Instrumenta ecclesiae ipse tradiderit, quae utique iam tunc ipso sedente et docente recitabantur. Quid

ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi ecclesiam et libros ei falsos et nihil veritatis continentes tradidit, et quum sciret quod verum est haberi apud Iudaeos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est? Sed fortasse dicit, quia sine literis erat Petrus et sciebat quidem Iudaeorum libros magis esse veros, quam istos, qui erant in ecclesia, sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? Nihilne in isto agebat ignea lingua per Spiritum S. coelitus data? Non ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli? Sed concedamus, quia non potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic (sc. Hieronymus) modo fecit, de Paulo quid dicimus? Num et Paulus sine literis fuit? Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem pharisaeus, edoctus secus pedes Gamalielis, qui etiam ipse Romae positus, si quid Petro defuisset, putas, non potuit adimplere? Quomodo ergo isti, qui praecipiebant discipulis, ut attenderent lectioni, emendatas eis et veras non dabant lectiones? Et qui praecipiunt, ut non attendamus iudaicis fabulis... quomodo non pervidebant quod futurum esset tempus post quadringentos fere annos [immo post duodeviginti saecula], quando ecclesia, cognito eo, quod ab Apostolis non sibi esset tradita veritas Veteris Instrumenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tunc circumcisionem vocabant, obsecrans et exorans, ut sibi de veritate, quae apud ipsos est, aliquid largirentur? Per totos istos quadringentos annos errasse se et ignorasse quod verum est fateretur? Adscitam se quidem esse ex gentibus sponsam Christo per Apostolos, sed non ab eis veris monilibus exornatam; putasse se lapides esse pretiosos, nunc autem deprehendisse, quod non sunt verae istae gemmae, quas sibi Apostoli Christi imposuerant » etc.

5. *S. Aug.* de doctr. christ. II. 8 etc. (M. 34, 40); cfr *S. Iren.* c. haer. IV. 26, 1. 2 (M. 7, 1052); *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26, 1173); *S. Cyril. Ieros.* Cat. IV. 33. 35 (M. 33, 496); *S. Hieron.* ad Dard. ep. 129, 3. (M. 22, 1103) etc. etc.

6. *Keil* Einl. p. 622 : « Mit gleicher Unbefangenheit citiren manche æltere Kirchenväter auch... pseudepigraphische Schriften z. B. das Buch Henoch (Tert. de cult. fem. I. 3), Ascensio Isaiae (Iust. M. c. Triph. 120), Apocalypsis Esdrae und andere, *weil ihnen die scharfe Abgrenzung der h. Schriften noch unbekannt war* ». Sed quis tandem post antiquorum Patrum aetatem nos istam sacros inter et profanos libros distinctionem docuit? Num forte protestantes novam hac de re acceperunt revelationem? Sed quomodo, si ita se res habet, Scripturae unicum revelationis fontem constituunt? Ceterum rationem hanc Keil certe non addidisset, si Tertullianum undequaque argumenta conquirere vidisset, quibus libri Henoch divinitatem demonstraret. Neque recte concluditur, istos Patres, qui ex Ps. Esdrae Apocalypsi fabulam de librorum sacrorum restitutione desumserunt (23 n. 1), integrum illum librum divinum et inspiratum habuisse.

7. *Massuetii* Dissert. praeviae in S. Irenaei libros III. 1, 4. (M. 7, 248).

8. In quibusdam codicibus quoque interdum apocrypha quaedam inserta invenimus; at dum codices integri plerique omnia deuterocanonica nostra continent, in apocryphis recipiendis variant; ad constantem autem et communem usum attendendum est, minime vero ad paucas exceptiones, quae hac quoque in re regulam confirmant, quum clarius ex illis eluceat, deuterocanonica quidem in omnium ecclesiarum usu fuisse, apocrypha autem illa non nisi per breve tempus in una alterave ecclesia esse recepta.

34. — Nemo igitur prudens negare poterit, ab antiquis Ecclesiae scriptoribus ex eiusque monumentis discendum esse, quosnam V. T. libros Apostoli ecclesiis a se fundatis tradiderint. Quare praeprimis

eorum, qui ab Apostolis ipsis eorumque immediatis discipulis fidem receperunt, opera consulamus oportet, ut quosnam libros pro auctoritate allegaverint cognoscamus. Quia vero de protocanonicorum divinitate nulla est controversia, ad solum deuterocanonicorum usum animos convertemus[1].

Iure merito a *romanae ecclesiae* testimonio exordimur, quia ab Apostolorum principibus Petro et Paulo fundata omnium ecclesiarum caput et magistra est, et ad eam, uti habet S. Irenaeus, « propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam »[2]. Iam vero primus eius scriptor, qui aetate et auctoritate inter apostolicos Patres eminet, *S. Clemens Rom.*, luculenter testatur, quo in loco romana ecclesia libros deuterocanonicos habuerit. Etenim non tantum Iudith eodem encomio, quo Esther, celebrat sed etiam ex *libro Iudith* aeque ac ex *l. Tobiae* expressiones nonnullas phrasesque transumsit, nisi quis forte eas proxime ex liturgia ab Apostolis ore tradita haustas dicere malit, ita ut pro Clementis testimonio potius habeamus testimonium Apostolorum ipsorum. Frequentius deinde libros *Sapient.* et *Eccli.* adhibet, quin etiam in epistolis de Virgin. textus aliquos Eccli. una cum protocanonicis velut Scripturae verba diserte allegat[3].

Eiusdem ecclesiae alter testis est *Hermas,* qui a nonnullis quidem ille esse putatur, quem S. Paulus (*Rom.* 16,14) salutat, rectius autem a plerisque S. Pii I. frater fuisse dicitur; iam vero ille quoque *Eccli.* frequenter, rarius *Sap.* utitur atque semel vel bis ad 2 *Mach.* respicit[4].

Tertius demum testis sit *S. Hippolytus,* S. Irenaei discipulus, qui primus inter occidentales Patres iustos in S. Scripturam commentarios composuit. Atqui in suo in Danielem commentario, cuius fragmenta nobis supersunt, *Susannae historiam* aeque ac reliquas partes exposuit, in eodemque libros *Tobiae* et *Mach.* adhibuit; *Sapientiae* quoque textus in aliis operibus tamquam verba Prophetae vel Salomonis allegavit, vaticinia *Baruch* sollemni formula « scriptum est » induxit[5].

1. Inde a saec. 16., ut librorum deuterocanonicorum, quos protestantes e canone eiecerant, divinam auctoritatem defenderent, magna cum cura et diligentia scriptores catholici SS. Patrum testimonia collegerunt. Conferri merentur *Bellarminus* (De Verbo Dei I. c. 8-15), *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. IV. p. 230 sq.; 267 sqq. etc.), *Bonfrerius* (Praeloquia c. 4. s. 2-11), *Tourneminius* (Append. ad Prael. Bonfr. in Menoch. Comment. Bassani 1771 III. 65 sqq.) aliique; inter recentiores *Vincenzi* (Sessio IV. Conc. Trid. I. p. 25-237), *Malou* (Lecture de la S. Bible II. p. 62-153), *Card. Franzelin* (De Tradit. et Script. p. 412-485). Quae *Trochon* (Introduction I 1886) et *Loisy* (Hist. du Canon 1890) testimonia exhibent, pleraque ex hoc *nostro* libro desumta sunt; alter autem, quum singularem sententiam de canone teneat (cfr *infra* 53 *n.* 13), haud pauca erronee interpretatus est; tam claram autem

rem esse censemus, ut eius interpretationes singulas examinare operae pretium non sit.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 3. (M. 7, 849).

3. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 55 : « Beata Iudith, quum urbs circumsessa esset, rogavit seniores, ut sibi liceret in alienigenarum castra exire, et periculo se obiiciens propter amorem patriae populique obsessi egressa est et tradidit Deus Holofernem in manus mulieris. Non minori periculo etiam perfecta in fide Esther » etc. — 1 Cor. 59 et *Iudith* 9, 11. Hoc capite et sequentibus S. Clementem non pauca ex antiqua liturgia in suam rem adhibere censent plerique moderni (cfr *Probst* Liturgie der drei ersten Jahrhunderte. Tübingen 1867 p. 39 sqq.; *Bickell* Messe u. Pascha. Mainz 1872 p. 72 etc.); iam quot in iis phrases recurrant, quae etiam libros *Tobiae*, *Sap.*, *Eccli.* in memoriam revocant, videre est in egregia Patrum apostolicorum editione, quam curavit *F. X. Funk* (Tubingae 1878 I. p. 136 sqq.). Liber Sap. etiam adhibetur 1 Cor. 3. 27. — Auctori quoque homiliae illius, quae titulo S. *Clem.* 2 *ad Cor. epistolae* allegari solet atque saltem ineunte saec. 2. scripta est, Tobias, Sap., Eccli. cogniti erant (2 Cor. 16. 17). — Epistolas demum de Virgin. afferre liceat; quamvis enim nonnulli eas S. Clementi abiudicent, plures tamen earum authentiam tuentur aut saltem rem in dubio relinquunt : equidem adhuc nullum argumentum allatum esse censeo, quo res decidatur, atque illa, quibus spurias eas demonstrare conatur *Funk* (l. c. II. p. III), ipse primus decretoria esse negabit. Inter quae illud pondere suo non caret, quod S. Clemens in genuina sua ad Corinthios epistola paucissimis tantum N. T. textibus *verbotenus* usus sit, dum auctor epistolarum de Virg. multos locos ex Evangeliis et omnibus fere Epistolis alleget. At quum Index locorum S. Script. ab ipso editore volumini adiectus in S. Clem. 1 ad Cor. epistola quam plurimas allusiones ad N. T. libros adesse testetur, quumque epistolae de Virg. in sola versione syriaca ad nos pervenerint, orientales autem interpretes satis libere textus reddere soleant, hoc quoque argumentum rem non definit. Egregie prae ceteris authentiam epistolarum tuetur *Beelen* (S. Clem. Rom. epistolae duae de virgin. Lovanii 1856 Proleg. p. XXI sqq.); cfr etiam *Nirschl* Lehrbuch der Patrologie u. Patristik. Mainz 1881 I. p. 70 sqq. — Nihil igitur videtur obstare, quominus S. Clem. 2 ad Cor., quae saltem ea fere aetate, qua S. Clemens floruit, ab occidentali scriptore immediatoque Apostolorum discipulo exarata est, et duas de Virgin. epistolas inter primitivae ecclesiae romanae documenta numeremus; ideoque eas in posterum sub S. Clementis R. nomine allegabimus. — Iam vero in epistolis de Virg. liber *Tobiae* adhibetur (1. Virg. 8) et quinque versus *Eccli.* integri allegantur (1. Virg. 11; 2. Virg. 13).

4. Circiter viginti allegationes vel allusiones magis minusve certas enumerat *Funk* (Patr. apost. I. p. 576 in Indice locorum SS.); ex illis magna cum verisimilitudine afferri videntur *Eccli.* 18, 1 (Mand. I; Sim. 5, 5; 7, 4), 18, 30 (Vis. 3, 7), 32, 9 (Sim. 5, 3), 42, 17 (Sim. 5, 7), 2 *Mach.* 7, 28 (Mand. 1).

5. *S. Hippol.* Explan. hist. Susannae (M. 10, 689); *Tobias* commemoratur M. 10, 679; 1, 2 *Mach.* adhibentur Fragm. in Dan. 32; de Christ. et Antichr. 49 (M. 10, 661. 769), *l. Sap.* in Dem. c. Iud. 9. 10 (M. 10, 793), *Baruch* c. Noet. 2. 4. 5 (M. 10, 805. 809).

35. — Praeter Patres romanos *occidentalis ecclesiae* fidem nobis etiam tradunt scriptores *gallicani* et *africani*. Ex gallicanis quidem unum habemus *S. Irenaeum*, at maximi momenti nobis est hic testis, utpote qui per S. Polycarpum, suum magistrum, a S. Ioanne Apostolo fidem acceperit ideoque certos nos reddat, non alium canonem Ioannem

suis discipulis tradidisse, quam quem Petrus et Paulus Romanis reliquerunt. *S. Polycarpus* ipse in parva, quam superstitem habemus, epistola ex omnibus V. T. historicis libris unum adhibet *Tobiam* [1], *S. Irenaeus* autem, quamvis non multa testimonia deuterocanonica alleget, evidenter tamen ostendit se alexandrinum canonem sequi. *Baruch* sub nomine Ieremiae laudat, ergo illum eodem in loco, in quo nos, in suo Bibliorum codice legit; *Susannae idolique Belis* historias Danieli Prophetae adscribit, nec indigemus Eusebii testimonio, quo S. Doctorem in deperdito Eclogarum opere *Sapientiae* libro usum esse demonstremus, quum eo in libris contra haereses adhuc superstitibus non semel usus sit [2].

Africanae ecclesiae fidem imprimis ex antiqua *versione latina* discimus, quam saltem 2. saec. in Africa adornatam esse postea ostendemus (**137**). Quum ex alexandrino textu eam translatam esse inter omnes constet, a priore, ut ita dicam, concludere liceret, eam deuterocanonicos protocanonicis intermiscuisse, etsi Cassiodorius disertis verbis id non testaretur [3]. At idem elucet ex illorum scriptorum operibus, qui eam solam adhibuerunt. Inter quos primus est *Tertullianus,* quem frequenter deuterocanonica pro auctoritate adhibere nemo ignorat. *Epistolam Ieremiae* (Bar. 6) sub nomine Ieremiae allegat, *Iudith* in testimonium adducit, *Eccli.* formula « sicut scriptum est », *Sapientiam, Mach.* libros, *Danielis fragmenta* non semel adhibet [4]. Ipso *Münscher* fatente principium illud protestanticum de solo canone iudaico admittendo aperte impugnat; nam « eo quod librum aliquem a catalogo Iudaeorum abesse scivit, permotus non est ut illum etiam a suo canone excluderet » [5]. Post Tertullianum in ecclesia africana floruit magnus *S. Cyprianus,* qui eodem Münscher fatente, « apocryphos (i. e. deuterocanonicos) eadem, qua reliquos sacros libros, reverentia prosecutus est » [6]. Solo libro Iudith excepto, ex omnibus deuterocanonicis libris testimonia sua desumsit. Accuratius ea referre opus non est; percurrendi tantum sunt tres libri, in quibus, ut Quirini desiderio satisfaceret, « *divina* magisteria collegit, quibus nos Dominus per *Scripturas sanctas* erudire et instruere dignatus est, ut a tenebris erroris abducti et luce eius pura et candida luminati, viam vitae per salutaria sacramenta teneremus », libellusque alter, in quo simili modo testimonia congessit, quibus martyres confortaret. In prioribus ad Quirinum libris viginti textus ex *Eccli.,* decem ex *Sap.,* sex ex utroque *Mach.,* quinque ex *Tobia,* singulos ex *Baruch* (sub Ieremiae nomine) et ex *fragmentis Danielis* affert; in altero ad Fortunatum libello quater allegat *Sap.,* bis *Eccli.* et *Mach.,* quorum fuse historiam enarrat, semel *Tobiam* et *Danielis fragmenta* [7].

1. *S Polyc.* ad Philip. 10; cfr *Tob.* 4, 10.
2. *S. Iren.* c. haer. IV. 20, 4; V. 35, 1 (*Bar.* 3, 38; 4, 36-5, 9. M. 7, 1034. 1219); IV. 5, 2; 26, 3 (*Belis et Susannae historiae.* M. 7, 984. 1054); IV. 38, 3; V. 2, 3. (*Sap.* 6, 19. 20; 1, 7. M. 7, 1108. 1127). Cfr etiam *Euseb.* H. E. V. 26 (M. 20, 509).
3. *Cassiod.* Instit. div. lit. 14 (M. 70, 1125) : « Scriptura sancta *secundum antiquam translationem* in Testamenta duo ita dividitur i. e. in Vetus et Novum : in Genes.; Exod., Levit., Num., Deuter., Iesu Nave, Iudic., Ruth, Reg. ll. quatuor, Paralip. ll. duos, Psalter. l. unum, *Salomonis libros quinque* i. e. Prov., *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, Eccle., Cant. cant., Prophetas i. e. Isaiam, Ierem., Ezech., Dan., Os., Am., Mich., Ioel, Abd., Ion., Nah., Habac., Sophon., Agg., Zach., Malachiam, qui et Angelus, Iob, *Tobiam*, Esther, *Iudith*, Esdrae duos, *Machabaeorum duos* ». Baruch omittitur, quia ut plerumque cum Ieremia coniunctus erat.
4. *Tertull.* Scorp. 8 (*Bar.* 6, 3-5. M. 2, 137); c. Marc. I. 7; de Monog. 17 (*Iudith.* M. 2, 253. 952); de Praescr. 7; c. Marc. I. 16; de Monog. 14. (*Sap.* 1, 1; *Eccli.* 11, 14; 15, 18. M. 2, 20. 265. 950); de idol. 18; de ieiun. 8; de coron. milit. 4. (*Dan.* 13, 14. M. 1, 688; 2, 81. 964); c. Iud. 4 (2 *Mach.* M. 2, 606).
5. *Münscher* Handb. d. Dogmengesch. I. 243. Cfr *Tertull.* de cult. femin. I. 3 (M. 1, 1308).
6. *Münscher* l. c. I. 244.
7. *S. Cypr.* Ep. ad Fortun. de exhort. mart., et Testimoniorum libri tres adversus Iudaeos (M. 4, 651-780).

36. — Eundem Veteris Test. canonem, quem tribus prioribus saeculis occidentales ecclesiae tenuerunt, *orientales* quoque accepisse constat. S. Irenaeum a *S. Polycarpo* hanc didicisse fidem iam diximus; alios autem apostolicae aetatis testes addere possumus auctorem *Doctrinae duodecim Apostolorum* ac *S. Barnabam* vel quisquis est auctor epistolae, quae S. Barnabae inscripta est[1]. Sed his omissis, quorum admodum pauca scripta nobis conservata sunt, ad magnos 2. et 3. saec. Patres veniamus.

Inter quos *Clemens Alex.* ita erga deuterocanonicos libros affectus est, ut aliquos ex eis vix non libentius et frequentius, quam ipsos protocanonicos, adhibuisse videatur. In tribus Paedagogi libris *Ecclesiasticus* plus quinquagies allegatur, *Baruch* sub nomine Ieremiae quater, *Sapientia* bis; in Stromatum autem libris *Sapientia* frequentius, quam Ecclesiasticus (in solo libro VI. saltem duodecies), bis etiam *Tobias*, semel *Iudith* laudantur; quotiescumque autem verba ex deuterocanonicis libris affert, iisdem utitur formulis, quibus alias Scripturas allegat; solum 2 *Mach.* librum ita commemorat, ut dubitari possit, num eum canonicum habuerit[2].

Quidnam Clementis magnus discipulus *Origenes* de canone iudaico admittendo senserit, apertissime docet praeclara illa epistola, in qua Iulio Africano historiam Susannae, quia apud Iudaeos non inveniatur, in dubium vocanti « respondet, inquit *Ruf.*, magnificentissime, asserens nequaquam Iudaeorum commentis et fabulis auscultandum, sed

hoc pro vero habendum in Scripturis divinis, quod septuaginta interpretes transtulerint, nam id esse auctoritate apostolica confirmatum » [3]. Neque hac una in epistola sed aliis quoque in operibus protestanticum illud principium damnat refutatque [4], ut merito mireris, quod deuterocanonicorum adversarii Origenem in suas partes trahere conati sint [5]. Nunquam profecto eius opera vel obiter videntur inspexisse; in libello de Oratione promiscue cum testimoniis protocanonicis quater adhibet *Sap.*, quater *Tob.*, bis *Iudith*, semel 2 *Mach.* et *fragmenta Estheris;* in Exhort. ad Mart. fuse explicat martyrium Eleazari et septem fratrum Mach.; in libris c. Celsum frequenter *Sapientia*, aliquoties *Ecclesiastico* aliisque deuterocanonicis utitur [6]; in deperditis Stromatum libris teste S. Hieronymo et Susannae historiam exposuit et l. Iudith adhibuit [7]. Vix unus ex Origenis commentariis percurri potest, quin textus deuterocanonici inveniantur; ab iis enumerandis abstinemus, ne acta agere videamur; quæ enim attulimus, abunde sufficiunt, ut quid de deuterocanonicorum auctoritate senserit, nemini dubium esse possit. Maioris vero ponderis eius in hac quæstione sententia est, quia longe maiore cum diligentia, quam omnes Patres orientales, in libros iudaicos inquisivit eosque cum Scripturis Christianorum comparavit. Quem autem in finem ita egerit, in magnifica sua ad Africanum epistola declarat. Minime enim, ut hasce ex illis corrigeret, in suis Hexaplis alexandrinas Scripturas cum hebraico textu iunioribusque graecis versionibus composuit, sed ne Christiani in suis cum Iudaeis disceptationibus textus Iudaeis incognitos adhiberent, et ut illa, quæ Iudaei plura habent, contra adversarios suos tamquam argumenta ad hominem urgerent [8].

Vix opus est, ut post duo magna haec ecclesiae alexandrinae lumina Patres illos eiusdem aetatis consulamus, quorum non nisi opuscula vel fragmenta ad nos pervenerunt, *S. Athenagoram Athen.* dico, qui ab aliquibus primus scholae catecheticae alexandrinae præfectus fuisse creditur [9], *S. Archelaum,* Mesopotamiae episcopum et strenuum Manetis adversarium [10], *S. Gregorium Neocaes.,* Origenis discipulum et amicum [11], *S. Methodium Tyr.*, indefessum eiusdem Origenis adversarium [12], *S. Dionysium Alex.*, qui ob doctrinae et sanctitatis famam Magni cognomen meruit [13], *Constitut. Apost.* auctorem [14]. Continuum hunc et constantem illius aetatis fidem attendens Münscher fateri cogitur, ecclesias omnes et plerosque (dicamus : omnes) Patres « libris deuterocanonicis favisse neque ullum discrimen deuterocanonicos inter et protocanonicos agnovisse; non errare igitur modernam ecclesiam catholicam, si hac in re ad suum cum antiqua Ecclesia consensum provocet [15].

1. In *Doctrina duodecim Apost.* (de qua cfr *infra* 78. 3) bis ad librum Tobiae (Doctr. 2 cfr *Tob.* 4, 13; Doct. 4 cfr *Tob.* 4, 11. 12), ter ad Sapientiam (Doctr. 3 cfr *Sap.* 1, 11; Doctr. 5 cfr *Sap.* 12, 5; Doctr. 6 cfr *Sap.* 17, 17), quinquies ad Ecclesiasticum (Doctr. 1 cfr *Eccli.* 7, 3; Doctr. 2 cfr *Eccli.* 5, 9. 14; Doctr. 3 cfr *Eccli.* 2, 4; Doctr. 4 cfr *Eccli.* 4, 36; Doctr. 15 cfr *Eccli.* 10, 6) alludi vix non est certum; plures allusiones affert in sua editione *Funk* (Tubingae 1887 p. 106). — *S. Barn.* ep. 19 cfr *Eccli.* 4, 36. De tempore, quo haec epistola scripta est cfr *Funk* l. c. I. p. III sqq.; *Braunsberger* Der Apostel Barnabas (Mainz 1876). Ipsum S. Barnabam epistolae auctorem esse, non spernendis rationibus tuetur *Nirschl* Patrologie I. p. 54 sqq.

2. Testimonia, in quibus *Eccli.* tamquam liber divinus a *Clem. Alex.* adhibetur, non adscribimus, quia in Paed. libris vix pagina habetur, quae ea non exhibeat. *Baruch* Paed. I. 10; II. 3 (M. 8, 357. 436), *Sap.* cfr praesertim Strom. VI. 11 (M. 9, 313), quo in capite sexies citatur; *Tobias* Strom. II. 23; VI. 13 (M. 8, 1089; 9, 324), Iudith Strom. II. 7 (M. 8, 969). — 2 *Mach.* 1, 10 Strom. V. 14 (M. 9, 145): « Aristobulus, cuius meminit is, qui rerum machabaicarum epitomen concinnavit ». Fragmenta Estheris et Danielis, quod quidem meminerim, Clemens non adhibet.

3. *Rufin.* in sua versione Hist. Eccl. Eusebii V. 31 (cfr In ep. ad Afric. monit. M. 11, 39).

4. *Orig.* in Lev. hom. 1, 1 (M. 12, 405): « Sed tempus est, nos adversus improbos presbyteros uti sanctae Susannae vocibus, quas illi quidem repudiantes historiam Susannae de catalogo divinarum Scripturarum resecarunt, nos autem et suscipimus et opportune contra ipsos proferimus ».

5. Cfr ex. gr. *Haevernick* I. 93; *Keil* 623 etc.

6. *Orig.* Lib. de orat. 1. 5. 10. 31 (*Sap.* M. 11, 416. 432. 445. 549); 11. 14. 31 (*Tobias.* M. 11, 448 [bis]. 461. 553); 13. 29 (*Iudith.* M. 11, 453. 532); 11 (2 *Mach.* M. 11, 448); 14 (*Esth.* 13, 8; 14, 3. M. 11, 461) Exhort. ad Mart. 22-27 (Eleazarus et fratr. Mach. M. 11, 589 sqq.). Omissis aliis, quae innumera afferri queunt, adnotemus, *Ecclesiasticum* allegari c. Cels. IV. 75; VII. 12 (τῶν καθ' ἡμᾶς τις σοφῶν λέγει et ἡ γραφὴ λέγει M. 11, 1148. 1437), atque disertis verbis *libros Iudith*, *Tobiae*, et *Sapientiae* « divinis voluminibus » adnumerari (in Num. hom. 27, 1. M. 12, 780).

7. In fragmentis a S. Hieronymo conservatis, cuius in hac quaestione testimonium ab adversariis recusari nequit; cfr *S. Hier.* Comm. in Dan. 13 (M. 25, 580) et c. Rufin, I. 18 (M. 23, 412).

8. *Orig.* ad Afric. 5 (M. 11, 60). Postquam Africanum monuit terminos a maioribus positos non esse transgrediendos (*supra* 33) ita pergit: « Et haec quidem dico non quod prae desidia Scripturas scrutari recusem, quae apud Iudaeos sunt, illasque cum omnibus nostris comparare ac videre, quid inter eas sit discriminis. Hoc enim diligenter, nisi arroganter dictum est, pro virili fecimus collatis magna cura inter se editionibus et observatis earum differentiis, ita tamen ut aliquanto plus laboris impenderimus LXX interpretationi, ne quid adulterinum inducere videremur in ecclesias, quae sub coelo sunt, et praetextum daremus illis, qui occasionem captant voluntque tum eos, qui in medio sunt, calumniari, tum eos, qui in communi praelucent, criminari. Conamur non ignorare quas habent Scripturas, ut cum Iudaeis disserentes non proferamus ea, quae in eorum exemplaribus desunt, sed simul utamur iis, quae penes se habent, licet in nostris libris desiderentur. Si enim eiusmodi fuerit noster ad ea, quae in controversiam veniunt, apparatus, non contemnent neque, prout volunt, irridebunt eos, qui credunt ex Gentibus, quia vera et quae apud ipsos exstant scripta ignorent ».

9. *S. Athenag.* Legat. pro Christian. 9 cfr *Bar.* 3, 36 (M. 6, 908).

10. *S. Archelai Charr.* Disput. c. Man. 29 cfr *Sap.* 1, 13 (M. 10, 1474). S. Archelai, quum natione sit Syrus atque syriace suae cum Manete disputationis Acta ediderit, testimonium maximi est momenti; medio enim saec. 3. Syros inter suas Scripturas libros deuterocanonicos habuisse testatur. Probe quoque notandum, praeter Pentateuchum paucissimos V. T. libros ab Archelao allegari.

11. *S. Gregor. Neoc.* De fid. cath. cfr *Bar.* 3, 36 (M. 10, 1157).

12. *S. Method. Tyr.* in Conv. decem virg. *Ecclesiasticum* et *Sapientiam* frequenter adhibet (ex. gr. Or. I. 1. 3. 4. II. 3 etc. M. 18, 37. 41. 44. 47 etc.), aliquoties *Baruch* (Or. VIII. 3. M. 18, 143), *Iudith* (Or. XI. 2. M. 18, 212) et *historiam Susannae* (Or. XI. 2. M. 18, 212). Quamvis vehementissime Origenis doctrinas impugnaret, in canone omnino cum illo consensit.

13. *S. Dionys. Alex.* frequenter citat *Ecclesiasticum* (De Natur. fragm. 3. 5 etc. M. 10, 1257. 1268); ex libro *Sapientiae* contra Paulum Samos. non semel argumenta desumit (c. Paul. Samos. qu. 6. 9. 10 cfr S. Dionys. M. Opera ed. Simon de Magistris. Romae 1796 p. 245. 266. 274), etiam *Baruch* (c. Paul. Samos. qu. 10 l. c. p. 274) et Tobiam (ep. 10. l. c. 169) adhibet. (Migne in sua editione opera haec omisit).

14. *Constitutionum apostolicarum* libri sex priores, quorum primus titulus fuisse videtur *Didascalia Apostolorum*, ineunte iam saec. 3. conscripti, sed ineunte saec. 5. interpolati esse creduntur (cfr *F. X. Funk* Die apostolischen Konstitutionen. Rottenburg a. N. 1891). Deuterocanonici textus in antiquioribus iam inveniuntur partibus, id quod haud levis est momenti, quia Didascaliae Apost. antiqua exstat syriaca versio, qua S. Archelai Charr. testimonium (*n.* 10) confirmatur. Exceptis libris *Mach.* deuterocanonici omnes adhibentur, frequentius *Eccli.* (II. 21; IV. 6. 11; VI. 5. 14. etc. M. 1, 637. 812. 824. 916. 948), rarius *Sap.* (VI. 30. M. 1, 989), *Iudith* (III. 7; V. 20. M. 1, 777. 904) *Tobias* (I. 1. M. 1, 560), *Baruch* (V. 20. VI. 23. M. 1, 896. 974), *fragm. Dan.* (II. 51. M. 1, 713).

15. *Münscher* Hdb. d. Dogmengesch. I. 251 : « Die neuere katholische Kirche hat also nicht Unrecht, wenn sie bei ihrem Urtheil über den Kanon des A. T. sich auf ihre Uebereinstimmung mit der ältern christlichen Kirche beruft »; cfr *supra* 33 *n.* 2 et *Reuss* Hist. du Canon. Strasbourg 1863 p. 99. « Les théologiens de cette époque (saec. 2. exeuntis) ne connaissaient l'Ancien Testament que dans la récension grecque dite des Septante et, par conséquent, ne font point de distinction entre ce que nous appelons les livres canoniques et les livres apocryphes (i. e. deuterocanonicos). Ils citent ceux-ci avec autant de confiance que les premiers, avec les mêmes formules honorifiques et *en leur attribuant une égale autorité basée sur une égale inspiration* ».

37. — Quibus omnibus non obstantibus victas manus dare nolunt aliqui deuterocanonicorum adversarii, atque in illis tribus saeculis sui erroris quaerunt patronos; S. Iustinum M. scilicet, S. Melitonem Sardensem, ipsum Origenem sibi favere audaciores quam prudentiores asserunt.

« *Iustinus*, inquiunt, qui magna veneratione septuagintaviralem versionem prosequitur omnesque fere protocanonicos libros adhibet, si ne semel quidem unum ex istis, qui canoni alexandrino additi dicuntur, in suis operibus allegat, silentio suo satis clare demonstrat, se libros illos canonicos non habuisse » [1].

S. Iustinum nullo deuterocanonico libro uti, etsi forte in dubium vocari possit[2], demus; at S. Martyrem Veteris Test. libros fere non adhibere adnotemus, nisi in suo dialogo cum Iudaeo Tryphone, neque semel monere, se illis ex testimoniis solis velle argumentari, quae adversarius ipse quoque genuinos agnoverit. « Atque illud, inquit[3], vos scire velim *permultas Scripturas* (πολλὰς γραφὰς), ex quibus perspicue hunc ipsum, qui crucifixus est, et Deum et hominem et crucifixum et morientem praedicatum esse demonstratur, omnino ab iis (Iudaeis) ex illa interpretatione, quam senes apud Ptolemaeum adornarunt, deletas esse. Quas quia scio ab omnibus vestri generis hominibus negari, in eiusmodi quaestiones non delabor, sed de illis, quae apud vos communi consensu admittuntur, controversiam instituam ». Et alibi : « De vocula in contentionem vobiscum non venio; quemadmodum neque ex Scripturis, quas non agnoscitis,... demonstrationem de Christo perficere studui, sed ex iis, quae adhuc a vobis communi consensu recipiuntur ». Utrum S. Iustinus expressionibus suis *permultas Scripturas, Scripturis quas non agnoscitis* integros intellexerit libros[4], an singulares quosdam textus, parum ad quaestionem nostram refert; quocumque intelligitur modo, id ex his testimoniis aperte elucere ab omnibus concedatur oportet, magnum inter Iudaeorum Christianorumque Scripturas discrimen eum statuisse atque *consulto* eum ab afferendis illis Scripturis, quas soli Christiani admittebant, abstinuisse[5]. Iam vero ad argumentum, quod ex Iustini operibus contra nos deducere volunt, evertendum haec abunde sufficere quis negaverit?

Quid de *S. Melitone Sard.* dicemus, quo ceu praecipuo suo patrono gloriantur deuterocanonicorum adversarii? Haec enim refert Eusebius[6] :

(Melito) « in eclogis ab ipso compositis statim a principio librorum V. T. communi consensu receptorum (τῶν ὁμολογουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γραφῶν) catalogum exhibet, quem quidem hic afferre necessarium duximus; ad verbum autem ita se habet : Melito Onesimo fratri Salutem. Quum pro studio tuo erga verbum (divinum) desideraveris, ut eclogae quaedam ex Lege et Prophetis de Salvatore et tota fide nostra conscriberentur, atque accuratam V. T. librorum cognitionem relate ad eorum numerum et ordinem acquireres, operam dedi, ut haec perficerem; scio quippe tuum in fide ardorem tuamque divini verbi addiscendi cupiditatem, quia haec omnibus rebus ob Dei amorem praefers *pro aeterna salute decertans*. Profectus igitur in Orientem et usque ad illum locum progressus, ubi haec praedicata et gesta sunt, quum accurate V. T. libros didicerim, eorum tibi catalogum mitto. Quorum nomina sunt haec : Moysis quinque,... Iosue, Iudices, Ruth, Regnorum quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi David, Salomonis Proverbia, quae etiam Sapientia vocatur, Ecclesiastes, Canticum Cant., Iob, Prophetarum Isaiae,

Ieremiae, duodecim (minorum) in uno libro, Daniel, Ezechiel, Esdra quibus etiam eclogas perfeci in sex libros divisas. »

Tota ergo quaestio in eo versatur, Christianorumne an Iudae(canonem Melito Onesimo tradere voluerit. Ad quam solvendam] primis caveamus, ne Eusebii Melitonisque sententias confunda Eusebius enim, si de libris communi consensu receptis (αἱ ὁμολογού γραφαί) loquitur, iam 2° saec. inter Christianos controversiam quan de V. T. libris viguisse videtur indicare; atqui ea aetate ne mini quidem controversiae eiusmodi vestigium habetur : quare nisi Eusel parum accuratum antiquitatis testem dicere vel eum Melitonis ser non recte assecutum esse fateri velimus, expressionem adhibitam it plicemus oportet, ut libros, qui a Iudaeis et Christianis communi sensu recipiantur, designet.

Deinde animadvertamus, Melitonem in Palaestinam esse profec ut accuratam V. T. librorum cognitionem relate ad eorum num(et ordinem acquireret. At quis unquam audivit, in sola Palae *Christianorum* canonem accurate esse cognitum? Quis sibi persuas vix quinquaginta annis post S. Ioannis Apostoli mortem, quando discipulus Polycarpus etiam tum smyrnensem ecclesiam regebat Smyrnae, nec Ephesi, nec Sardibus nec aliis in ecclesiis, quibu diuturnum tempus praefuerat Apostolus Domini, canonem ab Ap lis traditum amplius esse cognitum? De christiano igitur cano Melitone quaesito ne cogitari quidem potest. Ad Iudaeorum vero l sacros cognoscendos iter a Melitone susceptum aptissimum fuit. Et ex S. Iustini cum Tryphone Iudaeo disputatione, quae circa idem pus Ephesi habita est, manifeste apparet, Iudaeos disputationibus Christianos provocasse et argumenta, quibus premebantur, Scrip quibusdam vel negatis vel in dubium vocatis effugere quaesiv Tiberiade autem in Palaestina ea aetate schola celeberrima rabbin(floruit, a qua certum se habiturum canonis a Iudaeis admissi noti iure speravit Melito, ut praecipuorum doctorum iudaicorum auctoı omne effugium adversariis in posterum eriperet.

Porro considerandum est, Onesimum laudari quod verum Scrip rum canonem cognoscere desideret, nec tamen Novi Testamenti, eius libri nondum exstiterint nec in auctoritate habiti sint, ullam mentionem. Atqui episcopi christiani (« frater » scilicet Onesim Melitone episcopo appellatur) primum munus est, Evangelium Ap lorumque scripta accurate tenere, ut gregem suum fidem docere sit; ad quid laudes illae quoque, si episcopus de Christianorum ca certior fieri voluisset, quem non ignorare gravissimum est eius offici

Bene meritae autem sunt laudes, si in Iudaeorum canonem inquisivit, ut argumentis, quae exceptionem nullam admittebant, eos validius et efficacius confunderet περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας ἀγωνιζόμενος. Disputationis contra Iudaeos causa Onesimum eclogas e libris sacris desiderasse ex eo pariter elucet, quod illae ex solis V. T. libris erant desumtae; si autem excerpta illa sive ad suam ipsius sive ad gregis sui institutionem et aedificationem desiderasset, haud dubie evangelica et apostolica multo maioris fuissent utilitatis et necessitatis.

Demum addamus, Melitonis testimonio, si eum hac in re errasse daremus, nullatenus tueri se posse iudaici canonis patronos; etenim non tantum librum Esther (et forte etiam 2 Esdrae) omittit, sed tota eius epistola luce clarius demonstrat, alium canonem ea aetate in ecclesiarum asiaticarum usu fuisse. Quocumque igitur se vertunt deuterocanonicorum adversarii, Melitonis epistola tantum abest, ut eis patrocinetur, ut indirecto saltem modo illam doctrinam confirmet, quam directis testimoniis demonstravimus, Ecclesiam scilicet antiquam non admisisse canonem palaestinensem [7].

Supervacaneum est, ut illis, quae supra de *Origene* disputavimus quidquam addamus. Haud ignoramus quidem, eum alicubi librorum V. T. catalogum recensere, in quo deuterocanonici desiderantur [8]. At docti isti viri, qui omnibus aliis Origenis operibus spretis ex hoc solo fragmento genuinam eius de canone sententiam eruere voluerunt [9], non animadverterunt, magnum doctorem alexandrinum in illo ipso loco disertis verbis asserere, se *Hebraeorum* canonem tradere. Etsi ex istis verbis cum protestantico eius biographo concludere nolimus, eodem in loco illum etiam Christianorum canonem tradidisse [10], id tamen ex eis efficitur, « iuxta Christianos » alium esse admittendum.

1. *Oehler* in Herzog P. R. E. Ed. 1. VII. 257.

2. Ordo, quo Iustinus trium Danielis amicorum nomina affert (Apol. I. 46. M. 6, 397 : Ananias, Azarias, Misael) idem est, qui in deuterocanonica Danielis parte habetur (*Dan.* 3, 88), dum in protocanonica *semper* alio ordine recitentur (*Dan.* 1, 7. 19; 3, 23. 93) : hinc ipse *Keil* (Einl. 622) S. Iustinum deuterocanonica Danielis parte usum esse fatetur.

3. *S. Iustin.* c. Tryph. 71. 120. M. 6, 643. 756.

4. *Welte* Tüb. Quartalschr. 1855 p. 90 sqq.

5. Cfr etiam *S. Iustin.* c. Tryph. 137 (M. 6, 792) : « Ego nunc proferam Scripturas, sicut eas interpretati sunt septuaginta : eas enim antea proferens, sicut vos eas habetis, vestri experimentum feci, quaenam vestri animi esset sententia ».

6. *Euseb.* H. E. IV. 26. M. 20, 396. Egregie de Melitonis sententia agunt *Welte* (Tüb. Quartalschr. 1839 p. 281 sqq.) et *Card. Franzelin* (De Trad. et Script. p. 450 sqq.).

7. Aliqui etiam directe ostendere conantur, Melitonem libros deuterocanonicos admisisse, ex eius nimirum allegatis in Clavi S. Scripturae. Opus simili titulo insi-

gnitum Melitonem scripsisse tradunt *Euseb.* (H. E. IV. 26. M. 20, 392) et *S. Hieron.* (De vir. illustr. 24. M. 23, 643); at num illud, quod *Card. Pitra* latine reperit et in Spicileg. Solesm. (Paris 1853 II. III) edidit, genuinus sit Melitonis foetus, merito dubitatur (cfr Studien u. Kritiken 1857 p. 584 sqq.); quare eius testimonium negleximus.

8. *Haevernick* I. 93 etc. Cum dubio quodam eandem sententiam tuentur *Bleek* (Einl. Ed. 2. p. 692) aliique.

9. *Orig.* in Psalm. 1. (M. 12, 1084); cfr *Euseb.* H. E. VI. 25 (M. 20, 580) : « Quoniam in numerorum loco singuli numeri vim et potestatem in rebus aliquam habent, qua usus est omnium rerum artifex interdum ad constitutionem universi, interdum ad speciem singulorum constituendam, animadvertenda sunt ex Scripturis et pervestiganda ea, quae ad ipsos numeros singillatim pertinent. Minime ignorare licet, canonicorum quoque librorum, *uti Hebraei tradunt*, viginti duorum numerum (ὅτι καὶ τὸ εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν), cui aequalis est apud eos numerus literarum, sua ratione non carere. Ut enim viginti duae literae introductio esse videntur ad scientiam et doctrinam, quae per has literas hominibus impressae sunt, sic ad sapientiam Dei et rerum notitiam fundamentum sunt atque introductio viginti duo libri Scripturarum ». Atque post pauca : « Sunt autem viginti duo libri *iuxta Hebraeos* hi » et illis enumeratis, inter quos « Ieremias cum Lamentationibus et *epistola* (i. e. Baruch) in unum compactus volumen », additisque librorum nominibus hebraicis adiungit : « extra eorum numerum sunt Machabaeorum libri (τὰ Μακκαβαϊκά), qui inscribuntur Sarbeth Sarbane El ». Primam in hoc loco allegoricam habemus numeri literarum et numeri librorum sacrorum comparationem, quam toties iuniores Patres graeci et latini repetierunt. Quid ipsa allegoria valeat, videant alii (Iudaeis ipsis, qui fere semper quatuor et viginti libros numerant, numerus ille sanctus non erat); allegorica autem numeri interpretatio nos monet, ne nimium Origenis aliorumque, qui eum sequuntur, Patrum verba premamus urgeamusque.

10. *Redepenning* Leben des Origenes (Bonn 1841 I. 236) : « Vermuthlich hat er auch eben da, wo er dieses anführt, diejenigen Schriften, welche in der griechischen Uebersetzung hinzugekommen waren, aufgezählt und ihre Geltung bei den Christen gerechtfertigt ». Totam de Origenis canone quaestionem egregie auctor hic tractat l. c. I. 234-238. 241-244.

III. Patrum 4. et ineuntis 5. saec. de canone sententiae.

38. — Frustra igitur inter trium priorum saeculorum christianos scriptores iudaici canonis propugnatores suae sententiae patronum vel fautorem quaerunt; at quam plurimos ex illis, qui duobus insequentibus saeculis floruerunt, secum stare gloriantur[1]. Negari nequit apud nonnullos aureae illius aetatis Patres, immo in aliquibus ecclesiis praesertim orientalibus, genuinam de V. T. canone traditionem aliquantulum esse obscuratam; trium enim priorum saeculorum unanimitas et plenus consensus in canone alexandrino admittendo non eadem cum claritate eodemque cum splendore lucet; dubitationes quaedam theoreticae eo usque inauditae manifestantur. Nihilominus pro certo asserere haud dubitamus, non tantum in occidentali ecclesia,

quae antiquorum Patrum doctrinae semper constans firmaque adhaesit, sed etiam in orientali veram doctrinam de canonis ambitu minime interiisse, quin etiam omnes duorum istorum saeculorum scriptores testes esse locupletissimos catholicae veritatis. Quod qua cum veritate asseratur, ut clarius appareat, tria haec demonstrabimus :

1.) *ne unum quidem ex insignioribus istius aetatis Patribus nominari posse, qui non aliquoties saltem in suis scriptis, etiam dogmaticis, polemicis, scientificis, deuterocanonicos libros tamquam divinas canonicasque Scripturas allegaverit, quaecumque theoretica fuerit eius de canonis ambitu et divisione sententia; omnes igitur nobiscum stare ceu traditionis catholicae testes ;*

2.) *aliquos etiam, eosque magnae auctoritatis, quum in orientali tum praecipue in occidentali ecclesia, canonis ambitum eodem modo, quo Patres tridentini, definivisse;*

3.) *ne unum quidem (solo S. Hieronymo forte excepto, de cuius vera sententia nihil certi constat) principium illud protestanticum de solo iudaico canone admittendo aut disertis verbis statuisse, aut tacite approbasse : proinde illos, qui arctioribus terminis canonis ambitum includere videntur, non erroneo illi principio paruisse, sed singularibus quibusdam rationibus ad minus accuratas suas sententias esse adductos.*

1. *Haevernick* Einl. 1, 94; *Keil* Einl. p. 699. graecam ecclesiam iam saec. 4. definitionibus conciliorum ac literis episcoporum numerum librorum V. T. accurate iuxta ambitum canonis iudaici statuisse atque syriacam quoque ecclesiam in hoc numero adoptando cum ea consensisse asserunt. (« Aber schon im vierten Jahrhundert setzte die griechische Kirche durch Concilienbeschlüsse und bischœfliche Schreiben die Zahl der kanonischen Bücher *genau nach dem Umfang des hebræischen Kanons* fest... Auch die æltere syrische Kirche erkannte nur die Schriften des hebræischen Codex als kanonisch an » etc.) — Cfr etiam *Diestel* Gesch. d. A. T. p. 70 sqq.; *Strack* (Herzog P. R. E. Ed. 2. VII. 442) etc. — Quo cum iure ecclesiam syriacam solos protocanonicos libros agnovisse asserant, iam ex *S. Archelai Charr.* disputatione cum Manete et ex Didascalia Apost. (supra 36 *n.* 10. 14) elucet et multo magis apparebit ei, qui vel semel *Opera syriaca S. Ephraem* inspicere voluerit. In suis Scholiis in Danielem continuo S. Doctor ad *Machabaeorum libros* respicit eosque ibidem diserte allegat (*S. Ephraem* Opera syriaca Romae 1740 II. 218. 231); eosdem etiam adhibet in Hymno 8. in Epiph. recenter edito (*S. Ephraemi* Syri Hymni et sermones Ed. a Th. I. Lamy. Mechliniae 1882 p. 75); libro *Iudith* utitur in explicando Ezech. 32, 26 (Opp. syr. II. 293); *additamentis Danielis* in Serm. ad Noct. resurr. 2 et in hymno 8. in Epiph. (Lamy l. c. 530. 77.), *Baruch* una cum aliis Prophetis bis in Serm. adv. Iudaeos laudatur (Opp. syr. II. 212. 213). Multo plura ex illis Ephraemi operibus, quae graece nobis conservata sunt, allegari possunt; at haec omittemus, ne quis forte, licet sine ulla ratione, ea ab interprete addita esse contendat; recentissime hanc quaestionem fuse et egregie *I. T. Lamy* tractavit (L'exégèse en Orient au 4. siècle. Revue biblique 1893. p. 13 sqq.) expositionemque suam terminans ait : « S. Ephrem possédait donc traduits en syriaque tous les livres et les fragments

deutérocanoniques de l'Ancien Testament. *Il ne fait aucune distinction* entre les uns et les autres; pour les principaux, comme la Sagesse, l'Ecclésiastique, les Machabées, il les range *expressément* au nombre des Livres saints, c'est-à-dire au nombre des Livres, qui ont l'Esprit S. pour auteur ». — Quid iunior ecclesia syriaca de deuterocanonicis senserit, *infra* (15 *n.* 8. et 9.) dicemus; haec autem praeoccupare voluimus, ut uno saltem exemplo ostenderemus, qua fide apodicticae protestantium assertiones hac in quaestione dignae essent.

39. — Ad primam asserti partem quod attinet, longum est omnes illius aetatis Patres recensere, qui deuterocanonica iisdem sollemnibus formulis, quibus in solis Scripturis allegandis utuntur, laudaverunt illisque eandem, quam protocanonicis, auctoritatem attribuerunt. Neque id necessarium est, siquidem ultro ab adversariis nostris conceditur, illos ipsos Patres, quos deuterocanonica e canone exclusisse asserunt, in operibus suis sive popularibus sive scientificis sive polemicis nullo prorsus discrimine facto utriusque classis Scripturas adhibere. « Patres graeci illius aetatis, inquit *Münscher,* libros illos, qui secundum eorum catalagos non sunt canonici, non tantum interdum allegant, sed ita allegant, ut inter illos et inter Scripturas divinas differentia nulla relinquatur »[1]; eodem modo alii protestantes sinceriores loquuntur[2]. Attamen quod una manu dant, id altera eripere conantur asserentes, allegationibus illis nullam inesse auctoritatem nullamque probandi vim et rationem, quippe quae nihil aliud demonstrent, nisi scriptores illos in eligendis suis argumentis debitam curam et diligentiam non adhibuisse[3].

Facile scilicet et perbelle effugium! Ut erroneam suam sententiam tueantur, omnes Patres levitatis, negligentiae, socordiae accusant. Quod si unus alterve Pater in homilia ad plebem ex tempore habita textus eiusmodi adhibuisset, illa exceptio locum forsitan haberet; at quum omnes, nullo prorsus excepto, in omnibus suis operibus, etiam dogmaticis et polemicis, deuterocanonica adhibeant iisque haereticorum placita refutent, nemo non videt quam vanum sit illud effugium. Multo magis cum veritate consonat alius scriptor protestans, qui allegationibus Patrum maiorem, quam eorum catalogis, auctoritatem attribuendam censet, quia in catalogis suis ea sola enarrent, quae a Iudaeis audierant, in citationibus autem suae aetatis suaeque ecclesiae fidem exprimant[4]. Optime autem egregius theologus catholicus ex eo, quod omnes illi Patres, qui magis minusve deuterocanonica e canone videntur excludere, in impugnandis haereticis et in dogmatis adstruendis ad ea provocant, invictam catholicae traditionis vim auctoritatemque demonstravit[5].

1. *Münscher* Handbuch der Dogmengesch. III. 69.

2. *Semler* Von der freien Untersuchung des Kanons I. 7; *Bleek* Einl. Ed. 2. p. 694; *Strack* l. c. etc.

3. *Münscher* l. c. : « Durch solche beiläufige Ausserungen können die auf jenen Zeugnissen beruhenden Resultate nicht umgestossen werden, sondern es erhellt daraus nur so viel, dass die Kirchenlehrer bei Vorträgen an das Volk oder bei Widerlegung der Ketzer nicht allzeit mit der gehörigen Genauigkeit verfuhren. Sie häuften Stellen von aller Art, die zu ihren Absichten dienten, ohne sorgfältig auf den Unterschied der Bücher zu sehen, woraus sie dieselben entnahmen ».

4. *Davidson* The Canon of the Bible p. 132 : « It is sometimes said, that the history of the Canon should be sought from definite catalogues, not from isolated quotations. The latter are supposed to be of slight value, the former to be the result of deliberated judgment. ***This remark is more specious than solid.*** In the relation to the Old Testament, ***the catalogues given by the fathers,*** as by Meliton and Origen, ***rest solely on the tradition of the Jews;*** apart from which they have none independent authority. As none, except Jerome and Origen, knew Hebrew, their lists of the Old Testament books are simply a reflection of what they learned of others. If they deviate in practice from their masters by quoting as Scripture other than canonical (i. e. protocanonicos) books, ***they show their judgment overriding an external theory.*** The very men who give a list of the Jewish books ***evince an inclination to the Christian and enlarged Canon*** (Sequuntur testimonia Origenis, S. Epiphanii, S. Hieronymi deuterocanonica tamquam Scripturas citantium). Thus the fathers who give catalogues of the Old Testament ***show the existence of a Jewisch and a Christian canon*** in relation to the Old Testament, the latter wider than the former, their private opinion more favorable to the one, though the other was historically transmitted ».

5. *Malou* La lecture de la Sainte Bible II. 150 : « Il faut que la tradition pratique ait eu un bien grand empire dès cette époque pour forcer jusqu'à ses adversaires apparents à lui rendre hommage. Si elle n'avait été identifiée en quelque sorte à la vie de l'Église, elle n'eût point subjugué des esprits aussi élevés que ceux d'un Athanase, d'un Grégoire, d'un Jérôme. L'opinion théorique de ces grands écrivains eût détourné une foule d'écrivains de la croyance qui était commune alors et qui bientôt devait devenir universelle (melius forte diceretur : redevenir universelle), si la vérité plus puissante que leurs doutes ne les avait soumis euxmêmes à son empire. ***Telle fut la force de la croyance primitive manifestée dans les coutumes et les usages du peuple chrétien, que les écrivains qui avaient exposé en historiens fidèles la tradition incomplète des églises isolées, suivirent le canon de l'Église dès qu'ils parlèrent en pasteurs et en docteurs (et en témoins) de la foi*** ».

40. — Patribus igitur illis, qui suis allegationibus deuterocanonicorum auctoritatem adstruunt, omissis ad illos transeamus, qui illos canoni suo expressis verbis inserunt.

1.) Inter quos, sive aetatem sive auctoritatem spectamus, primum locum facile tenent *Patres concilii nicaeni.* Praeter symbolum, quod statim ab integra Ecclesia catholica receptum est, nonnulla quoque decreta disciplinaria ab illis facta esse constat, de eorum autem numero et argumento disputatum est et hodie disputatur. Inter alias etiam quaestio illa agitatur, num de canone Scripturarum quidquam

statuerint, atque alii quidem dubitant, alii plane negant[1], nobis vero, sin minus certa, saltem longe veri similior visa est ea sententia, quae nicaenam synodum canonem Scripturarum, quas solas in ecclesiis tamquam divinas publice legi fas esset, decreto suo stabilivisse tenet, illumque canonem deuterocanonicos libros complexum esse contendit[2]. Tribus enim documentis historicis, quae minime spernenda sunt, sententia haec nititur.

Atque primum quidem *S. Hieronymus* in praefatione l. Iudith diserte ait : « hunc librum *synodus nicaena* legitur *in numero sacrarum Scripturarum computasse* ». Iamvero claris his verbis nullo modo ille satisfacit, qui in aliqua tantum Patrum nicaenorum disputatione ab uno ex iis hunc librum laudatum dixerit (de *nicaena* enim *synodo*, non de aliquo eius membro loquitur S. Doctor), neque ille, qui in sollemnibus et publicis synodi Actis librum allegatum atque ita indirecte approbatum putaverit[3] (in *numero* enim Scripturarum librum *computatum* dicit Hieronymus). Quare nisi S. Doctorem improprio plane, obscuro ambiguoque loquendi modo usum esse dixerimus, fatendum est, nicaenos Patres in aliquo suo decreto Scripturas enumerasse atque in eorum numero saltem unum deuterocanonicum recensuisse.

Cassiodorius deinde variis V. T. librorum allatis enumerationibus et divisionibus : « Unde licet multi Patres, inquit, i. e. S. Hilarius, pictaviensis urbis antistes, et Rufinus, presbyter aquileiensis, et Epiphanius, episcopus Cypri, et *synodus nicaena* et chalcedonensis non contraria dixerint sed diversa, omnes tamen per divisiones suas libros divinos sacramentis competentibus aptaverunt »[4] (i. e. eorum numerum ita stabiliverunt, ut in eo mystici aliquid significaretur). Atqui S. Hilarius, Rufinus, S. Epiphanius completos librorum sacrorum catalogos eo modo, quo indicat Cassiodorius, tradiderunt; ergo concludendum est, Cassiodorium, qui in antiquitatis monumentis optime versatus erat, etiam similem catalogum a nicaena synodo stabilitum invenisse, qui forte ideo simul chalcedonensi concilio attribuebatur, quia Patres chalcedonenses in primo suo decreto praecedentium synodorum canones, inter quos nicaeni primum locum tenebant, confirmaverunt[5].

Tertio in loco *Canon* 36. *conc. hippon.* an. 393, qui integrum librorum primi et secundi canonis catalogum exhibet, in codice quodam vallicellano medius inter alia opuscula adducitur hac inscriptione : « Ut praeter Scripturas catholicas nihil in ecclesia legatur. Capituli XXIV nicaeni concilii. Item ut praeter Scripturas catholicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem ca-

nonicae Scripturae » etc[6]. Caecilianum, carthag. episcopum, nicaenae synodo interfuisse nicaenorumque decretorum collectionem in Africam attulisse luculenter ex iis, quae in conc. carthaginiensi an. 419. acta sunt, demonstratur; unde huic inscriptioni, quamvis in uno solo codice inveniatur, sua auctoritas neganda non est, idque eo minus, quia cum ea S. Hieronymi et Cassiodorii testimonia conspirant.

Historicis hisce documentis nihil nisi una difficultas, quae memoratu sit digna, opponi solet; quomodo fieri potuit, inquiunt, ut iuniores Patres graeci alium Scripturarum catalogum traderent ex eoque librum Iudith expungerent, si nicaena synodus rem iam definisset[7]? Cui interrogationi iam respondet Cassiodorius (l. c.), non contraria stabilita esse, sed diversa. In disciplinari hoc decreto (uti enim ex inscriptione codicis vallic. constat, de Scripturis in ecclesia publice legendis agebatur) nicaeni Patres prohibuerunt quidem, quominus alii libri praeter enumeratos sub nomine divinarum Scripturarum praelegerentur, neque tamen omnes hos praelegendos esse statuerunt; quare ecclesiae, in quibus aliqui tantum ex illis praelegi solebant, pristinam consuetudinem retinere potuerunt; atque illae solae, quae ad publicam lectionem apocryphis utebantur, decreto hoc admonitae sunt. Ceterum quam immerito iuniorum Patrum catalogi nicaeno contradicere dicantur, ex infra dicendis patebit.

1. Inter eos, qui dubitant, referendum censemus *Hefele* (Conciliengeschichte. Freiburg 1855 I. p. 354 sq. Ed. 2. 1873 p. 371 sq.), quamvis negantium partes tueri videatur. Nullo argumento allato aeque audax atque impudens asserit *Diestel* (Gesch. d. A. T. p. 70), nullum antiquum concilium oecumenicum de ambitu canonis christiani quidquam statuisse, tridentinum autem concilium, quod canonem definire ausum sit, non fuisse oecumenicum (« *Kein* œkumenisches Concil der Alten Zeit hat beschlossen, welche Bücher den unter den Christen gebräuchlichen Kanon des A. T. bilden sollen, und als nach tausend Iahren ein Concil zu Trident [sic!] sich dessen unterfing, war es kein œkumenisches mehr »). Plerique protestantes hanc quaestionem omittunt.

2. Cfr *Bianchini* Vindiciae canonic. Scripturarum. Romae 1740. Praef. p. CCCLX sq.; *P. Ioan. Chrys. a. S. Iosepho* De Canone SS. librorum a Patribus Conc. Nic. constituto (Romae 1742); inter recentiores *Malou* Lect. de la Bible II, 113 sqq.; *Danko* De Script. p. 41 sq.

3. *Hefele* l. c. : « Wenn man aus diesen Worten folgern will, dass die Nicänischen Väter einen Canon über die ächten biblischen Bücher aufgestellt hätten, so hat man dazu keine volle (at saltem aliquam) Berechtigung; im Gegentheil kann die Stelle gar wohl so verstanden werden, dass die Nicänischen Väter in irgend einer Verhandlung einmal das Buch Iudith wie ein kanonisches citirt und gebraucht, somit factisch anerkannt haben ». Haec explicatio, licet ad deuterocanonicorum librorum auctoritatem vindicandam sufficere possit, quomodo Hieronymi verbis conveniat, equidem non video.

4. *Cassiod.* De instit. div. lit. 14 (M. 70, 1125)

5. *Hefele* Conciliengesch. II. p. 486.

6. *Biblioth. Vallicell.* B. 58. fol. 77. a. Praecedit epistola Salviani ad Eucherium; sequitur Augustini quaedam ad Hieron. — *Bianchini* (Vindic. can. Script. p. CCCLXI.) codicem hunc ad saec. 8. refert; Fratres Ballerinii (cfr Mansi Coll. Concil. III. p. 936. Adn. 99) non tantum non ante saec. 12. codicem ipsum scriptum asserunt (sed immerito, quum characteres palaeographici omnes eum saec. 10 anteriorem esse ostendant), sed etiam decreti inscriptionem nullius esse valoris ex eo probare conantur, quod « in conc. hippon. an. 393. de eo consulendam putaverint ecclesiam transmarinam et in conc. carth. an. 419. eum pro confirmatione in Papae Bonifacii notitiam deducendum sanxerint; iam vero de canone, quem in nicaeno generali concilio a tota Ecclesia recepto editum cognovissent, ecclesiam transmarinam nunquam consulendam eiusque confirmationem quaerendam putavissent ». Quod argumentum non est decretorium; agebatur enim de re disciplinari, atque eodem modo, quo Patres conc. carthag. (419) de tota sua canonum nicaenorum collectione romanam aliasque ecclesias interrogandas statuerunt (cfr *Hefele* Conciliengesch. II. 40), etiam de hoc singulari decreto ecclesiam transmarinam consulere potuerunt. Quanam speciali ratione ad hoc permoti sint, ex statim dicendis elucebit.

7. Cfr *Hefele* Conciliengesch. I. 355. — Si ipse quoque S. Hieronymus aliis in locis de libri Iudith canonicitate dubitasse asseritur (ad Fur. ep. 54, 17; in Agg. 1, 5. M. 22, 559; 25, 1394), respondemus eundem alibi sine ulla haesitatione librum canonicum habere (ad Princip. ep. 65, 1. M. 22, 623) frequenterque sibi in hac de librorum canonicitate quaestione contradicere. Neque maioris momenti est, quod concilium laodic. librum Iudith in suo librorum V. T. catalogo omiserit; infra enim ostendemus, admodum incertum esse illum catalogum laodicenum; si autem genuinus esset, ad eius auctoritatem in nostra quaestione infirmandam ea, quae *supra* (in textu) diximus, plane sufficerent.

2.) Concilio nicaeno addenda sunt *tria concilia africana, hipponense an.* 393., *et carthaginiensia an.* 397. *et* 419., quae omnia illum canonem, quem postea tridentinum sancivit, stabiliverunt[8]. Genuina esse haec decreta, quamvis a nonnullis nullo argumento allato in dubium vocata sint[9], probatione non indiget. Quod si cui mirum esse videatur, paucorum annorum intervallo *ter* africanos Patres suam de libris Scripturarum sententiam sollemni decreto affirmasse, is temporis illius rationem perpendat, atque ex illa non parum ponderis auctoritati decretorum illorum accedere perspiciet. Anno enim 390. S. Hieronymus in Palaestina novam suam V. T. versionem ex textu hebraico adornatam edere inceperat, atque primae, quam publici iuris fecit, parti, libris sc. Regum, prologum suum galeatum praemisit, in quo omnes libros, qui hebraice non leguntur, extra canonem esse asseruit. Alteram partem edidit c. annum 394., atque in suo prologo (Praef. in Esdr.) iterum suam sententiam affirmavit; in tertiae partis editione c. an. 398. ab hac sua sententia, quamvis mitioribus verbis utatur (Praef. ad libr. Salom.), non recessit atque demum in edenda ultima parte (c. an. 405.) saltem fragmenta deuterocanonica impugna-

vit[10]. Num igitur temeritatis accusabimur, si repetitis his novae et eousque in Occidente inauditae sententiae assertionibus Patres africanos decretum suum ter repetitum opponere voluisse dicemus? Neque sine ratione quoque de decreto isto consulendam esse statuerunt ecclesiam transmarinam, cuius S. Hieronymus erat presbyter, eiusque confirmationem a Romano Pontifice Bonifacio petierunt, ut pro sua parte impediret, ne Ecclesia aliquibus libris, quos ceu divinos ab Apostolis acceperat quosque concilium nicaenum tamquam divinas Scripturas publice legi permiserat, privaretur.

8. *Conc. hippon.* (393) can. 36. confirmatus in *carthag.* (397) apud Mansi Coll. Conc. III. 924 : « Ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium davidicum, Salomonis libri *quinque* (includuntur igitur *Sap.* et *Eccli.*), duodecim libri Prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, ***Tobias***, ***Iudith***, Hester, Hesdrae libri duo, ***Machabaeorum libri duo*** ». Novi dein Testamenti libris omnibus enumeratis additur : « Ita ut de confirmando isto canone transmarina ecclesia consulatur. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniversarii dies eorum celebrantur ». In numero librorum (sed non in eorum ordine) plene consentit *conc. carth.* (419) can. 29. (Mansi IV. 430) : « Et ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae i. e. Veteris Testamenti Genesis... Iob, Psalterium, Salomonis libri *quinque*, Prophetarum Esaias, Hieremias, Daniel (Ezechiel incuria, ut videtur, librarii excidit), libri duodecim Prophetarum, ***Tobias***, ***Iudith***, Ester, Hesdrae libri duo, ***Machabaeorum libri duo***. Novi Testamenti... Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro sancto Bonifacio, urbis Romae episcopo, vel aliis earum episcopis pro confirmando isto canone innotescat, *quia et a Patribus ita accepimus in ecclesia legendum* ».

9 Haevernick I. 85.

10. Cfr *infra* 42 *n.* 8 sqq. De ordine et tempore, quibus S. Hieronymus versionem suam edidit, cfr *Vallarsii* Vita S. Hieronymi. 21 (M. 22, 77 sqq.).

3.) *S. Augustinus* qui tribus istis conciliis africanis interfuit, eosdem libros ordine solo mutato enumerat, ut « in iis omnibus timentes Deum et pietate mansueti quaerant voluntatem Dei »[11]. Quod S. Doctoris testimonium vel ideo maioris est ponderis et auctoritatis, quia opus illud, in quo catalogum hunc tradit, an. 397. elaborare coepit, postquam ei S. Hieronymi nova sententia iam innotuit, et quia ecclesiarum antiquarum, quae sedes apostolicas habere meruerunt, traditionem, ceu fontem, ex quo genuinam de canone hauserit doctrinam, immediate antea indicat[12]. Ad eundem fontem, ut hunc catalogum defendat, semper recurrit, et versus finem vitae suae (c. a. 428.), quum monitus esset, Massilienses textum ex l. Sapientiae contra ipsos in testimonium allatum accipere nolle « tanquam non de libro canonico adhibitum », respon-

det in hunc modum : « Non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos, fideles, poenitentes, catechumenos, *cum veneratione divinae auctoritatis* audiri [13] ».

11. *S. Aug.* de doctr. christ. II. 8, 13 (M. 34, 41) : « Totus autem canon Scripturarum... his libris continetur : Quinque libris Moysis... et uno Iesu Nave, uno Iudicum, uno libello, qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere, deinde quatuor Regnorum et duobus Paralipomenon non consequentibus sed quasi a latere adiunctis simulque pergentibus. Haec est historia, quae sibimet annexa tempora continet atque ordinem rerum. Sunt aliae tamquam ex diverso ordine, quae neque huic ordini neque inter se connectuntur, sicut est Iob et *Tobias* et Esther et *Iudith* et *Machabaeorum libri duo*, et Esdrae duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetae, in quibus David unus liber Psalmorum, et Salomonis tres : Proverbiorum, Cantica Cant. et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, qui *Sapientia*. et alius, qui *Ecclesiasticus*, inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur... qui tamen, *quoniam in auctoritatem recipi meruerunt*, inter *propheticos* numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetae appellantur : duodecim Prophetarum singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt, pro uno habentur...; dein quatuor Prophetae sunt maiorum voluminum, Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas ».

12. *S. August.* de doctr. christ. II. 8, 12 (M. 34, 40); cfr *supra* 33.

13. *S. August.* de praed. Sanct. 14 (M. 44, 980). Simili modo c. Faust. XXXIII. 9 (M. 42, 517) : « Breviter vos admoneo, qui illo tam nefasto et exsecrabili (Manichaeorum) errore tenemini, ut si auctoritatem Scripturarum omnibus praeferendam sequi vultis eam sequamini, quae ab ipsius praesentiae Christi temporibus per dispensationes Apostolorum et certas ab eorum sedibus successiones episcoporum usque ad haec tempora toto terrarum orbe custodita, commendata, clarificata pervenit »; cfr etiam c. Faust. XIII. 5 (M. 42, 281) etc. Hinc perspicuum fit, quo sensu intelligenda sint verba, quibus S. Doctor ad exemplum e 2 *Mach.* 19, 41 desumtum et a Donatistis ad suicidium defendendum afferri solitum respondet (c. Gaud. II. 38. M. 43, 729) : « Et hanc quidem Scripturam, quae appellatur Machabaeorum, non habent Iudaei sicut Legem et Prophetas et Psalmos... sed recepta est ab Ecclesia *non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur* ». Immerito enim ex his Augustini verbis iam Chemnitius deducere voluit, cum libris Mach. minorem quam protocanonicis auctoritatem attribuisse. Nam sine ullo dubio S. Doctor ei, qui historiam filiarum Loth (*Gen.* 19) ad crimen excusandum adhibuisset, eodem prorsus modo respondisset, non inutiliter Genesin esse ab Ecclesia receptam, « si sobrie legatur ».

4.) Eodem tempore, quo africana ecclesia praefationibus, ni fallor, S. Hieronymi permota est, ut in conciliis suis et per maximum suum doctorem, S. Augustinum, fidem a maioribus traditam de libris secundi canonis una cum protocanonicis recipiendis iterum iterumque affirma-

ret, in gallicana quoque ecclesia de genuino canone dubitari coeptum est. Etiam hanc dubitationem assertionibus S. Hieronymi de iudaico canone praeferendo provocatam esse, facile apparet; a viro enim proferuntur, qui cum Hieronymo amicitiae vinculo erat coniunctus [14]. Eodem sc. anno 405., quo S. Hieronymus ei tres suos in Zachariam commentariorum libros inscripserat, S. Exuperius, tolosanus episcopus, *S. Innocentium I.,* Romanum Pontificem, inter alia etiam interrogavit « qui libri in canone sacrarum Scripturarum sint recipiendi ». Cui Summus Pontifex haec respondet, quae iam triginta fere annis antea eius praedecessor *S. Damasus* videtur statuisse [15] : « Qui vero libri recipiantur in canone sacrarum Scripturarum brevis adnexus ostendit. Haec sunt ergo, quae desiderata moneri voce voluisti : Moysis libri quinque... et Iesu Nave unus, Iudicum unus, Regnorum libri quatuor simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri *quinque,* Psalterium, item historiarum Iob liber unus, *Tobias* unus, Esther unus, *Iudith* unus, *Machabaeorum duo,* Esdrae duo, Paralipomenon duo. Item Novi Testamenti... Cetera autem, quae sub nomine Matthiae, sive Iacobi minoris... scripta sunt, et si quae sunt alia, non solum repudianda, sed etiam noveris esse damnanda ».

Quod si in hoc, ut in reliquis catalogis occidentalibus, Baruch omittitur, id nihil admirationis habet, quia in latinis codicibus eius liber cum Ieremiae vaticiniis et Threnis erat coniunctus, quare in ipso quoque canone tridentino, uti iam monuimus, non nominatur.

14. Cfr *S. Hieron.* praefationes in tres Comm. in Zach. libros (M. 25, 1415. 1453. 1497); magnis quoque laudibus Exuperium cumulat ad Rust. ep. 125, 20 et ad Ageruch. ep. 123, 16 (M. 22, 1085. 1058).

15. *Mansi* Coll. Conc. III. 1040. — Decretalis « de recipiendis et non recipiendis libris » a Gratiano in Decretum recepta (Dist. 15, 3), in cuius primo capite integer V. et N. T. canon insertis libris deuterocanonicis traditur, cui sit adscribenda ambigitur. In codicibus enim nec eadem semper forma exhibetur, nec eidem auctori attribuitur; alii *Damaso* (366-384), alii *Gelasio* (492-496), alii demum *Hormisdae* (514-523) eam inscribunt. Longiorem formam, quam Gratianus recepit, non esse Damasi manifestum est, quia inter prohibitos libri, qui post S. Damasi mortem conscripti sunt, recensentur; at quominus tria priora capita, quae sola a melioribus codicibus Damaso inscribuntur, ab eo profecta dicamus, nihil videtur vetare, « nam nec chronologicus ordo obstat, et quae ibi de Spiritu S. nominibusque Christi ac de canone et sedium patriarchalium auctoritate proferuntur, optime cum illius Pontificis tempore conveniunt, immo iam dudum in eiusdem documentis quodammodo desiderabantur » (*Thiel* Epistolae Roman. Pontificum. Brunsbergae 1868 p. 56). Accedit autem, quod in antiquioribus codicibus, qui sola tria priora capita Damaso inscripta exhibent, enumerentur « Ioannis *Apostoli* epistola una, alterius Ioannis *presbyteri* epistolae duae »; iam haec epistolarum distinctio optime quidem Damasi aetati congruit; eodem enim modo *S. Hieron.* (de vir. ill. 9. M. 23, 623)

unam epistolam Apostolo Ioanni attribuit, duas alteras « Ioannis presbyteri asseri » testatur; post S. Innocentium I. vero et multo magis post Gelasii aetatem in ecclesia occidentali illa distinctio non amplius commemoratur. Scrupulum animo iniicere illud quidem potest, quod S. Hieronymus, S. Damasi amicus, paucis post Pontificis mortem annis libros deuterocanonicos, quos decretalis protocanonicis interserit, non recipiendos pronuntiaverit : S. Doctorem vero sibi in sua de canone sententia non constare supra iam diximus et infra ostendemus. Ceterum in decretalis huius originem accuratius inquirere nostrum non est; qui plura desiderat, conferat *Thiel* (l. c. p. 53-58). — *Hefele* (Conciliengesch. II. 597 sqq.) canonem post Gelasii aetatem in decretalem insertum esse arbitratus est, sed in secunda suae Historiae conc. editione (1875 II. p. 619 sqq.) priore relicta opinione cum Thiel canonem Scripturarum S. Damaso attribuere non dubitat; ex protestantibus *Credner* (Zur Geschichte des Kanons. Halle 1847 p. 159-290) post Gelasium canonem insertum censet.

5.) Ex ecclesia orientali nec conciliorum (praeter nicaenum decretum supra nominatum) nec Patrum catalogos afferendos habemus, qui omnes V. T. libros enumerent[16]; at aliis e fontibus, quaenam ecclesiarum illarum de canone sententia fuerit, haurire licet.

Atque *a.*) antiquorum illorum *graecae versionis codicum* auctoritatem invocamus, quos saec. 4. et 5. sive in publicum ecclesiarum sive in privatum fidelium usum conscriptos hodie adhuc superstites habemus[17]. Quatuor tantum isti aetati a viris eruditis attribuuntur; sæculo 4. *vaticanus* et *sinaiticus*, quorum prior Romae, alter Petropoli asservantur; duo alii saec. 5. conscripti esse creduntur sc. *Ephraem rescr.*, qui parisiensis bibliothecae, et *alexandrinus*, qui musei britannici cimelia sunt. Iam vero omnes hi codices, etsi non eundem ordinem in libris referendis teneant, deuterocanonicos primi canonis libris intermiscent, ita ut nullum inter eos dignitatis vel auctoritatis discrimen agnoscant. Vaticanus quidem, quia mutilus, Mach. libris caret, Ephraem rescr. non nisi fragmenti Iobi, Proverb., Eccle., Cant., *Sap., Eccli.* exhibet, sinaiticus pro 2 Mach. recepit 4 Mach., alexandrinus, quia usui liturgico, ut videtur, erat destinatus, post Psalmos cantica ex aliis libris V. T. collecta inserit et duobus prioribus Mach. libris addit duos posteriores, sinaiticus quoque et alexandrinus duobus libris Esdrae tertium praemittunt : at omnibus his variationibus non obstantibus negari nequit, cunctos illius aetatis codices superstites inter primi et secundi canonis libros non distinguere luculenterque testari, ecclesiae graecae canonem a iudaico prorsus differre.

b.) Idem quoque testantur *versiones ea aetate in Oriente exaratae;* versio *aethiopica,* quae saec. 4. facta est, omnes nostros libros continet, quibus, posteaquam ecclesia illa ab unitate catholica recessit, apocryphi quidam additi sunt (cfr *infra* 45. *n.* 8); item versio *armeniaca,* quae ineunti saec. 5. adscribitur, omnes primi et secundi

canonis libros habet, iisque 3. et 4. Esdr., 3. Mach. et orationem Manasse addit; quibus versionem *gothicam* ab Ulfila ex graeco textu adornatam adiungere licet, si Philostorgio fides est [18]; ex V. enim Testamento pauca tantum Psalmorum et Esdrae fragmenta nobis conservata sunt.

16. *S. Chrysostomi* quidem Synopsis S. Scripturae afferri potest, quae post historicos libros protocanonicos hoc ordine reliquos recenset : Esther, *Tobiam*, *Iudith*, Iob, *Sapient.*, Proverb., *Eccli.*, Isaiam, etc. At quamvis multis argumentis Montfaucon opus hoc S. Chrysostomo vindicare studeat, hoc tamen testimonio uti nolumus, quia eius authentia aliquam saltem dubitationem habet. Argumenta sua explanat Montfaucon in sua Diatribe in Synopsin S. Scripturae. (M. 56, 305 sqq.).

17. De codicibus versionis alexandrinae et de versionibus ex ea derivatis agemus Diss. II. Sect. I. c. 2. § 6. 113; Sect. 2. c. 1 § 12. 136 sqq.

18. *Philostorg.* Hist. Eccl. II. 5. (M. 65, 469).

41. — Coronidis gratia huic demonstrationi addamus argumentum ex priscis christianae artis monumentis desumtum [1]. Uti iam monuit *S. Gregorius M.*, « quod legentibus Scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant; in ipsa legunt, qui literas nesciunt » [2]. Hanc ob causam primis iam saeculis Christiani non tantum sacra sua ædificia et sepulcra et cryptas illas, in quas persecutionum tempore ad sacra facienda conveniebant, sed etiam vasa fere omnia, quibus sive in liturgia celebranda sive in privata vita utebantur, imaginibus pictis vel sculptis ornarunt, quarum argumenta plerumque symbolica ex divinis Scripturis derivabant. Quem in finem non tantum protocanonicos V. T. libros sed etiam deuterocanonicos frequentissime adhibuerunt, immo aliqui typi deuterocanonici plerisque protocanonicis sunt usitatiores. *Tobiae* iunioris imago vel cum angelo deambulantis, vel piscem manu tenentis aut ex aqua extrahentis aut exenterantis, vel fel piscis manu gerentis etc. in antiquissimis coemeteriorum partibus et in primitivis vasis vitreis invenitur frequentissime [3]. *Iudithae* imago nondum quidem in antiquis picturis inventa esse videtur, at eam adhibitam esse diserte nos docet *S. Paulinus* basilicam describens, quam in S. Felicis M. memoriam Nolae exstruxerat; in eius enim porticu uno ex latere Iobi et *Tobiae senioris*, altero ex latere Estheris et *Iudithae* imagines depingendas curaverat [4], ac si hac ipsa personarum electione libros proto et deuterocanonicos eadem dignos esse veneratione testari voluisset. *Danielis* fragmenta deuterocanonica multo saepius, quam eius partes protocanonicae, in picturis cernuntur; Susanna enim saepe aut sola conspicitur aut tota eius historia repraesentatur; neque minus frequenter Daniel in fossa leo-

num depingitur, et quominus dubitemus, num ad protocanonicam an ad deuterocanonicam partem pictor vel sculptor respexerit, prohibet propheta Habacuc una cum Daniel depictus; aliquoties etiam draco a Daniele occisus atque tres iuvenes in camino ignis orantes et benedicentes Deum conspiciuntur[5]. Secundum aliquorum opinionem etiam fratrum *Machabaeorum* eorumque matris martyrium in antiquis vasis vitreis depictum est[6], at dubio hoc argumento non indigemus, quum primis saeculis eorum festum in universo orbe christiano celebratum esse, ecclesiae in eorum memoriam aedificatae testentur[7]. Omnes igitur libros deuterocanonicos illos, qui pictori vel sculptori argumentum artis exercendae praebere possunt, primis quinque saeculis adhibitos videmus.

1. Argumentum hoc primus videtur proposuisse *Blanchinius* (Vindiciae canon. Script. Praef. c. 5 : « Historia textus biblici et versionum comprobata ex antiquis Christianorum monumentis »). Hoc nostro saeculo, quum multo plura antiquitatis monumenta reperta essent, illud egregie excoluerunt *Vincenzi* Sessio IV. Conc. Trid. I. p. 113 sqq.), *Malou* (Lecture de la Bible II. 141), *Ubaldi* (Introductio crit. II. 389 sqq.) aliique.

2. *S. Gregor. M.* Ep. XI. 13 ad Seren. Mass. (M. 77, 1128.) Cfr *Blanchini* l. c. p. XLI.

3. Cfr *Garrucci* Storia dell' arte christiana. Prato 1872 I. p. 340. *Eiusdem* Vetri ornati di figure. Roma 1864 p. 2. 36 sq. Tav. 1. 3.

4. *S. Paulin.* Poem. 28, 23 sqq. De S. Felicis Nat. 10. (M. 61, 663) :

> At (cellas) geminas, quae sunt dextra laevaque patentes,
> Binis historiis ornat pictura fidelis.
> Unam sanctorum complent sacra gesta virorum,
> Iobus vulneribus tentatus, lumine *Tobit;*
> Ast aliam sexus minor obtinet, inclita *Iudith*,
> Qua simul et regina potens depingitur Esther.

5. Cfr *Garrucci* Storia etc. 346 sqq.; Vetri etc. p. 28. 37. Tav. 3. 4; *Heuser* in Realencyclopædie der christl. Alterthümer. Freiburg 1881 I. 342 sqq. (Daniel); II. 76 sqq. (Jünglinge im Feuerofen).

6. *Buonarotti* Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi. Firenze 1761 Tav. 20.

7. *Acta Sanctorum.* Edit. Paris. 1867 August. I. p. 7 sqq., quo in loco Martyrum Machabaeorum cultum vetustissimum esse in universa Ecclesia quum ex antiquis Calendariis, Martyrologiis, Sacramentariis, Patrum homiliis, tum ex ecclesiis, quae saec. 4. iam Antiochiae aliisque in urbibus Orientis et Occidentis exstructae erant, eruditissime demonstratur.

42. — Saec. igitur 4. et 5. sollemnibus conciliorum et Romanorum Pontificum decretis, insignium quorundam Patrum catalogis editis, continua sua et universali praxi integra Ecclesia illum V. T. canonem approbavit, quem trium priorum saeculorum Patres ad unum omnes in suis libris agnoverant. Restat ut videamus, quid de illis eiusdem

aetatis Patribus sentiendum sit, quos velut suae sententiae patronos et propugnatores sibi deuterocanonicorum adversarii vindicant. Sunt autem in Oriente *SS. Athanasius, Cyrillus Ierosol., Epiphanius, Gregorius Naz., Amphilochius,* quibus, ut concilii alicuius auctoritate glorientur, Patres *conc. laodiceni* et nescio quos auctores *can.* 85. *Apostolorum* addunt; in Occidente autem *S. Hilarius Pict., Rufinus, S. Hieronymus.* Praeclara haud dubie nomina! Si iure omnes afferrentur nec veram eorum sententiam adversarii nostri depravassent, victas manus dare paene cogeremur. Textus igitur omnium, qui in controversiam veniunt, afferemus, adnotationesque, quae ad eos diiudicandos inserviunt, adiiciemus, eorum dubitationes, undenam sint exortae, explicabimus, alia quoque eorum opera inspiciemus, atque luce clarius, ni fallimur, patebit vix unum adversariorum nostrorum partes tueri.

1.) Aetate et auctoritate inter eos, qui nobis opponuntur eminet *S. Athanasius,* qui in encyclica quadam epistola deuterocanonicos libros a canone excludere dicitur. Eius verba haec sunt [1]:

« Quoniam quidem aliqui conati sunt ea, quae dicuntur, apocrypha sibi in ordinem redigere eaque divinitus inspiratae immiscere Scripturae, quam certis accepimus testimoniis, quemadmodum Patribus tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi adhortantibus fratribus, prout didici, ab initio et ordine libros recensere in canonem relatos et traditos, qui divini esse creduntur, ut unusquisque, qui seductus fuerit, arguat seducentes, qui autem purus permanserit, laetus horum recordetur. Sunt itaque V. T. libri omnes numero viginti duo; tot enim, ut audivi, elementa apud Hebraeos sunt. Hoc autem ordine et his nominibus singuli enumerantur : Primum Genesis, dein Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; quos excipiunt Iosue filius Nun, Iudices et Ruth; hinc rursus Regnorum libri quatuor, ex quibus 1. et 2. pro uno numerantur, et similiter 3. et 4.; post haec Paralipomenon duo pro uno pariter habentur, et Esdrae 1. et 2. etiam pro uno; postea Psalmorum liber, Proverbia, Ecclesiastes et Canticum et Iob; deinceps Prophetae, ex quibus duodecim pro uno libro numerantur : hinc Isaias, Ieremias et cum ipso *Baruch,* Lamentationes, *Epistola,* postea Ezechiel et Daniel. Hactenus V. T. libri ». Enumeratis dein omnibus N. T. libris (ordine nostri canonis servato, nisi quod Epistolas Catholicas Paulinis praemittat) pergit : « Hi sunt salutis fontes, ut qui sitit eorum eloquiis impleatur; in his solis pietatis doctrina docetur; nemo iis addat aut aliquid ab illis detrahat... Sed maioris accurationis causa illud quoque addere necesse duxi : esse nimirum alios libros praeter istos, qui in canonem quidem non sunt relati, *sed quos Patres statuerunt legendos iis, qui nuper accesserunt et catechizari atque pietatis doctrinam discere student : Sapientia Salomonis et Sapientia Sirach, Esther, Iudith, Tobias,* Doctrina quae vocatur Apostolorum et Pastor. Attamen quum isti in

canonem sint redacti, hi legantur, nusquam apocryphorum mentio habetur; haereticorum quippe sunt commenta, qui arbitratu suo libros conscribunt, eisque arbitraria assignant tempora, ut ficta antiquitatis specie occasionem captent fallendi simpliciores »[1].

Quam parum modernis deuterocanonicorum adversariis, qui ab Hebraeis sibi veras Scripturas emendicant, magni alexandrini doctoris sententia faveat, explicatione vix indiget. Etenim non a Iudaeis, sed a Patribus, quibus Apostoli, « qui ipsi viderunt et ministri erant sermonis », eas tradiderunt, genuinas Scripturas accipiendas diserte docet; nec Iudaeorum canonem statuit, quum l. Esther omittat, Baruch vero Ieremiaeque epistolam et fragmenta deuterocanonica, quae ea aetate in omnibus codicibus legebantur, catalogo suo inserat; nec apocryphis libris nostros deuterocanonicos, qui in controversia versantur, ullo modo accenset. Tantum quoque abest, ut eos cum protestantibus modernis ceu errorum pravorumque doctrinarum plenos reiiciat, ut eos catechumenis praelegendos ex Patrum traditione commendet. Arctiore igitur sensu nomen canonis definit, ut canonici libri soli illi dicantur, qui fidelibus in fide christiana provectis publice leguntur; quamvis reliqui quoque, qui catechumenis docendis inservierunt, regulam fidei et morum constituant.

At undenam, inquies, S. Athanasius hanc librorum V. T. distributionem in duas classes hausit, quae certe nonnullis libris minorem auctoritatem, vel saltem minorem dignitatem, concedere videtur? Cui quaestioni facillime respondebit, qui iam ab ipsis alexandrinae ecclesiae initiis illum usum invaluisse meminerit, ut certi quidam libri solis catechumenis praelegerentur : cuius usus rationem iam diu ante S. Athanasium indicaverat *Origenes*[2], qui *sermonem divinum* esse verum cibum animi, eum autem diversum pro aetatum diversitate requiri praemonens : « ad similitudinem corporalis exempli, inquit, est aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior scilicet simpliciorque doctrina, ut de moralibus esse solet, quae *praeberi consuevit iis, qui initia habent in divinis studiis* et prima eruditionis rationabilis elementa suscipiunt. His ergo quum recitatur talis aliqua divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, *verbi causa ut est libellus Esther aut Iudith vel etiam Tobiae aut mandata Sapientiae.* Si vero legatur eis liber Levitici, offenditur continuo animus et quasi non suum refugit cibum » etc. Ob maiorem igitur suam facilitatem et iucunditatem (nequaquam vero ob minorem suam auctoritatem) libri deuterocanonici V. T. catechumenis legebantur, protocanonici vero iis, qui maiores in doctrina christiana progressus fecerant : hinc decursu temporis apud aliquos opinio satis facile exo-

riri potuit, minoris quoque esse dignitatis eos libros, qui solis catechumenis praelegebantur, huiusque opinionis vestigium habemus in athanasiana classium dictinctione; hinc etiam explicatur, cur ipse cum aliis quibusdam Patribus graecis librum Esther, quem Iudaei in canone habent, deuterocanonicis adiunxerit.

Longissime vero S. Doctorem ipsum ab eorum sententia abfuisse, qui deuterocanonica in stabiliendis confirmandisque dogmatis et refutandis haereticorum erroribus minoris *auctoritatis* esse censeant, continuo eorum usu in dogmaticis suis et polemicis operibus luculenter demonstrat. Ex multis pauca afferemus exempla. Idololatriae originem secundum l. *Sapientiae* explicat, quem laudat titulo « Sapientiæ Dei », « Verbi Dei », « Scripturae »[3]; ex *Ecclesiastico* sapientiam divinam in rebus creatis apparere demonstrat, difficultatem vero, quam ex isto libro Ariani contra Patris Filiique aequalitatem moverunt, eadem cum diligentia solvit, qua eodem in loco difficultates ex ep. ad Hebr. et ex Psalmis desumtas explicat[4]; ex *Baruch.* simul et ex Ieremia Deum fontem esse sapientiae probat eiusque dicta Verbo (ὁ Λόγος λέγει) adscribit[5]; *Iudithae* verbis Deum non esse sicut homines ostendit[6]; *Tobiae* librum formula « sicut scriptum est » allegat[7]; Verbum non esse creatum ex *hymno trium iuvenum*, qui in camino ignis laudant Deum, probat[8]; ad Dei aeternitatem demonstrandam verba Isaiae, *Susannae*, *Baruch* coniungit eodemque fragmento danielico utitur ad Verbi aeternitatem asserendam[9], atque *tertii* quoque *fragmenti danielici* verba quaedam « Danielis prophetae » nomine affert[10]; demum *Machabaeorum* quoque historiam commemorat[11].

1. *S. Athan.* Ep. Fest. 29 (M. 26, 1176 et 1436). Eadem librorum in tres classes distributio exhibetur in *Synopsi S. S.*, quae olim quidem S. Athanasio adscripta hodie ab omnibus ei abiudicatur (M. 28, 284 sqq.). Quum tamen eadem fere aetate a scriptore alexandrino edita esse videatur, eam hoc loco adiungimus. Ipsa quoque in librorum enumeratione Esther omittit, addit Baruch, Ieremiae epistolam, fragmenta danielica (M. 28, 289. 365). Post enumeratos libros ita pergit : « Sunt itaque canonici V. T. libri viginti duo, literis hebraicis numero pares; totidem enim sunt apud illos elementa. Praeter istos autem sunt adhuc *alii eiusdem V. T. libri* (ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς Παλαιᾶς Διαθήκης) non canonici quidem, *sed qui tantum catechumenis leguntur.* Sunt autem hi : *Sapientia Solomonis..., Sapientia Iesu filii Sirach..., Esther..., Iudith..., Tobit...* Tot sunt libri V. T. non canonici. Quidam vero ex veteribus apud Hebraeos librum Esther canonicum esse dixerunt, et historiam Ruth cum Iudicum libro in uno volumine numerari et librum Esther pro uno haberi, atque ita rursus numerum duorum et viginti librorum apud illos compleri ». Canon igitur Ps. Athanasio, uti ipsi quoque S. Athanasio, fere idem fuit atque collectio librorum, qui publice *fidelibus* in ecclesia leguntur.

2. *Orig.* in Num. hom. 27, 1. (M. 12, 780 sq.).

3. *S. Athanas.* Or. c. Gent. 9. 11. 17. 44 etc. (M. 25, 20. 24. 36. 88. ἡ σοφία τοῦ

Θεοῦ, ἡ γραφή, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος). Quam plurima alia verba ex l. Sap. allegat S. Doctor; illud unum adnotemus *synodum alexandrinam* (an. 340) contra Arianos Proverbiorum et Sapientiae testimonia coniungere sollemni formula : τὸ ἐν ταῖς Γραφαῖς γεγραμμένον (Apol. c. Arian. 3. M. 25, 252).

4. *S. Athanas.* Or. c. Arian. II. 79; cfr ibid. II. 4; Apol. c. Arian. 66; Epist. ad epp. Aeg. 3; Hist. Arian. 52 etc. (M. 26, 313. 153; 25, 365. 544. 756).

5. *S. Athan.* Or. c. Arian. I. 19; de decr. Syn. Nic. 12. 15 etc. (M. 26, 49; 25, 444. 449).

6. *S. Athan.* Or. c. Arian. II. 35. (M. 26, 521).

7. *S. Athan.* Apol. c. Arian. 11; Apol. ad Const. 17. (M. 25, 268. 616).

8. *S. Athan.* Or. c. Arian. II. 71. (M. 26, 297).

9. *S. Athan.* Or. c. Arian. I. 12. 13. (M. 26, 36. 40).

10. *S. Athan.* Or. c. Arian. III. 30. (M. 26, 388).

11. *S. Athan.* in Ps. 78. Arg. (M. 27, 357).

2.) Primus igitur testis, quem ad suum errorem tuendum citaverunt adversarii nostri, eorum spem prorsus fefellit eosque confudit, siquidem ex nostris partibus se stare tota sua agendi ratione manifestat atque ipsa verba, quae nobis opponuntur, nostram sententiam confirmant potius quam impugnant. Iam alterum audiamus, *S. Cyrillum Ieros.*, cuius haec verba contra catholicam de canone doctrinam afferri solent :

« Studiose quoque et *ab Ecclesia* disce, quinam V. T. sint libri et quinam Novi; neque quidquam mihi apocryphorum legas. Qui enim ea, quae ab omnibus agnita sunt, nescis, quid circa ea, de quibus dubitatur, frustra operam perdis (ὁ γὰρ τὰ παρὰ πασὶν ὁμολογούμενα μὴ εἰδώς, τί παρὰ τὰ ἀμφιβαλλόμενα ταλαιπωρεῖς μάτην)? Divinas lege Scripturas, hos V. T. libros viginti duos, quos LXX interpretes transtulerunt ». Relata dein huius interpretationis historia pergit : « Harum lege libros viginti duos neque quidquam cum apocryphis habeto commune. Eos solos studiose meditare, quos etiam in ecclesia cum fiducia legimus : multo prudentiores et religiosiores, quam tu, erant *Apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt.* Tu igitur, quum Ecclesiae filius sis, noli leges positas transgredi. Et V. T. quidem, ut dictum est, viginti duos meditare libros, quos, si discendi studio teneris, singulos nominatim me recitante memoriae infigere stude : Legis enim sunt primi quinque libri Moysis.., deinde Iosue filius Nave, et Iudicum liber una cum Ruth septimus numeratur. Ceterorum vero historicorum 1. et 2. Regnorum unus est apud Iudaeos liber; unus etiam 3. et 4. Similiter apud eos Paralip. 1. et 2. unum librum constituunt, atque 1. et 2. Esdr. unus censentur; Esther duodecimus est liber, et hi quidem sunt historici. Versibus scripti sunt quinque : Iob, Psalmorum liber, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum cant., qui liber est decimus septimus. Sequuntur prophetici quinque : duodecim Prophetarum liber unus, Isaiae unus, Ieremiae cum Baruch, Lamentationibus et Epistola unus, Ezechiel unus, et Danielis liber est V. T. vigesimus alter ». Enumeratis quoque N. T. libris omnibus praeter Apocalyp-

sin concludit : « reliqua vero omnia iaceant in secundo ordine ; quaecunque in ecclesiis non leguntur, illa noli etiam privatim legere » [12].

Iterum adnotemus oportet, nec in fonte, ex quo haurienda est genuina canonis cognitio, definiendo nec in libris canonicis enumerandis nec in aliorum librorum, qui non recensentur, auctoritate determinanda S. Cyrillum cum adversariis nostris consentire. Ab Ecclesia enim, et non a Iudaeis, discendum monet, quinam sint genuini V. T. libri; eos legendos esse, quos Apostoli et antiqui episcopi tradiderunt. Hinc etiam librum Baruch Ieremiaeque epistolam atque etiam, quum ex septuagintavirali versione Vetus Testamentum legi iubeat, Danielis et Estheris fragmenta canoni suo inserit. Neque tamen reliquos ceu apocryphos reiicit, sed velut dubios a catechumenis legi non permittit : « qui certos ignoras, de dubiis quid curas? »

Alium igitur agendi modum tenuit alexandrina ecclesia, alium ierosolymitana; illa deuterocanonicos catechumenis legendos concessit, immo praescripsit, haec eosdem illis denegavit. Cuius discriminis, ni fallor, explicatio in ecclesiae ierosolymitanae origine quaerenda est. Ex Iudaeis palestinensibus enim ab Apostolis collecta observantiis legalibus diutius inhaesit, nec dubium est, quin primi Christiani ierosolymitani, qui « omnes aemulatores erant legis » (*Act.* 21,20), in coetibus religiosis illos V. T. libros solos legerint, quos antea in synagogis suis legerant, i. e. libros canonis palaestinensis; hanc suam consuetudinem ierosolymitana ecclesia retinuit, postquam urbe destructa et reaedificata ex iudaeo-christiana facta est ethnico-christiana. Non pauca enim facta historica demonstrant, quam tenaces consuetudinum suarum, quas a maioribus haereditaverant, antiquae ecclesiae fuerint. Quae consuetudo non impedivit, quominus reliquos quoque libros, quos in codicibus suis habuerunt, pro sacris et canonicis reciperent, etsi eos a publica lectione excluderent. Unde intelligitur, cur idem Cyrillus, qui catechumenis (hos enim in suis catechesibus alloquitur) protocanonicorum tantum lectionem commendat, ipse deuterocanonicos libros, quos optime cognitos habuit, in suis argumentis aliquoties alleget; quod si rarius, quam reliqui Patres, iis utitur, id mirum non videbitur perpendenti, auditores eius illos ignorasse [13].

12. *S. Cyrilli Ier.* Catech. IV. 33. 35. 36 (M. 33. 496 sqq.). Ultima verba Cyrilli in Touttaei editione sunt haec : τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ, quae ipse vertit : « reliqua vero omnia *extra in secundo* (*ac nullo*) ordine habeantur ». At boni codices illud ἔξω omittunt, nec ullo exemplo demonstrari potest, phrasin ἐν δευτέρῳ εἶναι significare « in nullo loco i. e. nullius pretii esse ». S. Doctor librorum, qui in Bibliorum codicibus legebantur, duas classes statuit, alteram eorum, qui, quia publice in ecclesia legebantur, omnimoda certitudine gaudebant, alteram eorum, qui quia

a publica lectione erant exclusi, minorem certitudinis gradum habere videbantur. Praeter hosce dein apocryphos quoque libros cognovit, et ut catechumenos certius ab illis retineret, etiam a secunda canonicorum classe abstinendum esse monuit.

13. *S. Cyrillus* deuterocanonica *Danielis fragmenta* omnia allegat; Canticum trium iuvenum Cat. II. 16 et saepius, Susannam Cat. XVI. 31; Belis historiam Cat. XIV. 25 (M. 33, 404. 960. 857). *Sapientiae* verba Salomoni attribuit Cat. IX. 2; cfr XII. 5 (M. 33, 640. 732); *Ecclesiastici* verba pro auctoritate adhibet Cat. VI. 4; XI. 9; Mystag. V. 17 (M. 33, 544. 716. 1121). Haud rarae sunt expressiones, quae Sap. et Eccli. in memoriam revocant cfr *Eccli.* 2, 3 et Cat. XIII. 35; 3, 11 et Cat. VII. 16; 4, 36 et Cat. XIII. 8 etc.; *Sap.* 6, 17 et Cat. XVI. 19; 13, 2 et Cat. VI. 9.

Confer quae de deuterocanonicis Scripturis ab aliis auctoribus ecclesiae ierosolymitanae adhibitis tradit *Touttaeus* in sua dissertatione : De variis doctrinae Cyrillianae capitibus 13. (M. 33, 286).

3.) *S. Epiphanius*, quem tertio loco nobis obiiciunt deuterocanonicorum adversarii, quater de V. T. canone loquitur, atque ter quidem ita, ut ex eius verbis clare appareat, eum libros a Iudaeis receptos solos enumerare velle in eorumque numero mysticam aliquam significationem invenire [14]. Quarto autem in loco non tantum Sapientiam et Ecclesiasticum Scripturis adnumerat, sed praeter enumeratos se alios quoque canonicos admittere haud obscure prodit : « Si a Spiritu S. genitus esses (ita Aëtium alloquitur) atque a prophetis Apostolisque edoctus, facere te illud oportebat, ut a mundi creatione usque ad Estheris aetatem percurreres viginti septem libros, qui duo et viginti numerari solent, item quatuor s. Evangelia, et quatuordecim Epistolas S. Pauli, simul etiam Actus Apostolorum et Epistolas Catholicas Iacobi, Petri, Ioannis, Iudae et Ioannis Apocalypsin et Sapientiae libros, sc. Salomonis et filii Sirach, *et omnes ut brevi dicam, Scripturas divinas* (καὶ πάσας ἁπλῶς Γραφὰς θείας) ac dein temet ipsum damnares, quod eiusmodi terminum, qui nuspiam ponitur, nobis afferre voluisti » [15]. Cui sententiae consonat, quod libris *Sap.* et *Eccli.* et in haereseon refutatione et in fidei expositione haud raro ceu authenticis Scripturis utatur; similiter autem libello *Baruch* fragmentisque *Danielis* et *Estheris* utitur [16]. Quodsi vero *Tobiae*, *Iudith*, *Machabaeorum* libri nec in S. Epiphanii operibus nec in S. Cyrilli catechesibus usquam commemorari dicuntur, id minus mirum habebit, qui libros illos haeresibus refutandis demonstrandisque dogmatis minus inservire consideraverit.

14. *S. Epiphan.* De pond. et mens. 4 (M. 43, 244) : « Habent enim Hebraei viginti duas literas, quarum quinque duplicantur..., qua ratione, quum viginti duo libri numerentur, viginti septem reperiuntur, quia ex illis quinque duplicantur; sc. liber Ruth cum Iudicum libro coniungitur et unus ab Hebraeis censetur » etc. Enumeratis libris protocanonicis addit : « Ita viginti duo libri pro literarum hebraicarum numero censentur. Quod enim ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quae Panaretus inscribitur, et Iesu filii Sirach

librum... tametsi utiles sunt et magni emolumenti, in praedictorum tamen numero non numerantur; quare in Aron i. e. in arca foederis non erant depositi ». (διὸ δὴ ἐν τῇ Ἀρὼν [ארון] οὐκ ἀνετέθησαν τουτέστιν ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ). Ultima phrasis de Iudaeorum canone sermonem esse docet, qui libros suos iuxta arcam foederis (*Deut.* 31, 26; non *in* arca, uti cum S. Epiphanio opinati sunt alii) deposuerunt; si de Christianorum canone locutus esset, verba omni sensu carerent. — De pond. et mens. 22. 23 (M. 43, 277) enumeratis viginti duabus generationibus, quas ab Adam usque ad patriarcham Iacob recenset, pergit : « *Quare* (διὸ) et viginti duae sunt *apud Hebraeos* literae, secundum quas etiam viginti duos libros numerant, licet revera viginti septem sint »; postquam dein librorum hebraica et graeca nomina posuit, addit : « Est et alius quidam exiguus liber, qui Cinoth inscribitur i. e. Threni Ieremiae, qui extra numerum Ieremiae adiungitur. Ceterum iste numerus viginti duorum ubique reperitur... in viginti duobus operibus, quae Deus sex diebus... elaboravit, in viginti duabus generationibus, in viginti duabus literis..., in viginti duobus libris, qui a Genesi ad Esther recensentur ». Haec omnia, ut ostendat, non carere mysterio, quod modius viginti duos sextarios contineat. Quomodo in hoc textu aliquis Epiphanii de christiano canone sententiam invenire potuerit, non video. Demum haer. 8, 6 (M. 41, 413) catalogo viginti septem librorum, inter quos etiam « Ieremias Propheta cum Threnis *et Epistolis tam eius quam Baruch* » recensito : « Atque hi, inquit, sunt viginti septem libri a Deo *Iudaeis* dati ».

15. *S. Epiphan.* haer. 76. Confut. cap. 5. Aëtii (M. 42, 560 sq.).

16. *S. Epiphanius* verba *Sapientiae* adhibet tanquam dicta a Spiritu S. (haer. 26, 16), a beatissimo propheta Salomone (haer. 67, 4), Scripturam (Ancor. 2.) etc. (M. 41, 357; 42, 177; 43, 20). Item *Ecclesiasticum* Scripturam appellat haer. 24, 6; 33, 8; 37, 9 etc. (M. 41, 316. 569. 653); *Baruch*, *Danielis et Estheris fragmenta* saepe affert ex. gr. haer. 69, 31. 53. 55 (M. 42, 252. 285. 288), haer. 30, 31; 70, 7 (M. 41, 460; 42, 349). — Si S. Epiphanio Tractatus de numerorum mysteriis iure adscriberetur, eum etiam libros *Iudith et Mach.* agnovisse directe probare possemus (l. c. 3. 5. M. 43, 512. 517).

4.) *S. Gregorius Naz.* quoque inter deuterocanonicorum adversarios locum obtinuit, quia in suo carmine « de genuinis libris inspiratae Scripturae » solos duos et viginti libros enumeret, omnes nimirum protocanonicos excepto libro Esther, atque in carmine « ad Seleucum » (quod a plerisque hodie *S. Amphilochio*, eius amico, attribuitur) iisdem recensitis librum Esther « tamquam ab aliquibus receptum [17] » addat. At S. Gregorium deuterocanonicos repudiasse nemo asserere audebit, qui eius orationes unquam legerit, quum non tantum expressionibus suis loquendique modis quam familiares frequente lectione eos sibi reddiderit, evidenter probet, sed iisdem etiam ad dogmata adstruenda utatur. Dei immensitatem ex Ieremiae et ex *Sapientiae*, Filii divinitatem ex multis protocanonicis et ex duobus Sapientiae textibus demonstrat; iisdem in argumentis Lucam et *Ecclesiasticum*, uti Proverbia et Ecclesiasticum coniungit[18]. Simili ratione Gregorii amici, *SS. Basilius M.* et *Gregorius Nyss.* ex *Sap.* et *Ecclesi.* libris contra Eunomium argumentantur, neque raro aliis in suis operibus eosdem libros adhibent[19].

Quare parum recte S. Gregorium amicosque eius adversarii nostri in suas partes trahere conantur. Praeterea qui S. Gregorii et Athanasii Cyrillique Ieros. catalogos inter se comparaverit, magnam inter eos deprehendet similitudinem, atque Nazianzenum eos in suis carminibus imitatum esse facile fatebitur; unde ad illa explicanda et excusanda aliquatenus inservient eadem, quae supra de alexandrina epistola festali ac de ierosolymitana catechesi disseruimus, quamvis minus nobis cognitum sit, quaenam fuerit cappadocae ecclesiae conditio.

17. *S. Gregor. Naz.* Carm. I. 12 (M. 37, 472) : « Ne peregrinis libris mens tua subripiatur (sunt enim multi inserti errores), accipe a me, amice, selectum hunc numerum. Historici quidem libri sunt omnes duodecim antiquioris hebraicae sapientiae : Primus Genesis, dein Exodus et Leviticus, postea Numeri, tum Deuteronomium; dein Iosue, Iudices, Ruth octavus est; nonus decimusque libri sunt res gestae Regum, et Paralipomena, Esdram habes ultimo loco; versibus conscripti sunt quinque, quorum primus Iob, postea David, dein tres Salomonis, Ecclesiastes, Canticum et Proverbia; et similiter quinque Spiritus prophetici; in uno quidem libro sunt duodecim Osee...; secundus est Isaias, tertius qui vocatus est Ieremias a puero, dein Ezechiel et gratia Danielis. Veteres enumeravi viginti duos libros, hebraicarum literarum numero respondentes ». Atque post enumeratos N. T. libros omnes excepta Apocalypsi : « habes omnes, inquit; quod extra hos est. non est de genuinis libris ». In carmine ad Seleucum eadem fere traduntur (M. 37, 1593 sqq.) : « Praeterea autem istud scire maxime tibi convenit, non omnem librum pro certo esse habendum, qui venerabile Scripturae nomen prae se fert; sunt enim, sunt qui falsum nomen gerunt (ψευδώνυμοι), alii quidem medii et vicini, ut ita dicam, veritatis doctrinae. alii autem spurii et valde periculosi, sicut falsi et spurii nummi, qui regis quidem inscriptionem gerunt, sed adulterini ex qualicumque materia confecti. Ideo tibi divinitus inspiratos singulos recensebo; ut autem accurate eos discas, V. T. libros primo loco nominabo : Pentateuchus continet creationem (τὴν Κτίσιν = Genesin), Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium; hisce adde Iosue et Iudices, dein Ruth, Regnorum quatuor et Paralipomenon par unum; quos sequitur Esdras primus et secundus; exinde quinque versibus conscriptos nominabo : Iobi multarum passionum certaminibus coronati librum, Psalmorum quoque librum, dulcisonum animae remedium, tres libros sapientis Salomonis, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum; quibus adde duodecim prophetas, Osee...; post quos disce illos quatuor, intrepidum magnum Isaiam, misericordem Ieremiam, mysticum Ezechielem, ultimum Danielem factis et verbis sapientissimum. Hisce aliqui addunt librum Esther ». Dein N. T. libri enumerantur iique, quos Eusebius inter ἀντιλεγόμενα recenset, ita indicantur, ut poetam Eusebii canonem prae oculis habuisse appareat. Atque enumerationem his verbis terminat : « hic forsitan fuerit certissimus inspiratarum Scripturarum canon » (οὗτος ἀψευδέστατος κανὼν ἂν εἴη τῶν Γραφῶν).

18. *S. Gregor. Naz.* Or. 28, 2; 31, 29; 2, 50; 4, 12; 7, 1; 31, 29; 32, 20. 21 etc. (M. 36, 33. 96; 35, 459. 541. 737; 36, 165. 197). *Baruch* et *fragmenta Dan. et Esth.* a graeco Patre alexandrinam editionem adhibente canonica haberi, quum per se clarum sit, exemplis allatis ostendere opus non est. Ad *Tobiam* et *Iudith* allusiones occurrunt; S. Doctorem agnovisse libros *Mach.* aliqui ex eius oratione panegyrica in SS. Mart. Machab. demonstrant; at immerito; etenim « librum illum, qui ratio-

nem perturbationibus animi imperare docet » (Or. 15, 2. M. 35, 913), i. e. 4 Mach. librum pro fonte suo indicat.

19. *S. Basil.* c. Eunom. V. (M. 29, 713. 716. 752), *S. Gregor. Nyss.* c. Eunom. I. III. XII. (M. 45, 301. 530. 913. 961. 1105) etc. Cfr quoque *S. Basil.* homil. (M. 31, 201. 249. 261. 393 etc.), Regul. (M. 31, 928. 1037 etc.), *S. Gregor. Nyss.* in Eccle. hom. 1. 3 etc. (M. 44, 624. 660. 661), *S. Caesarii* Dial. 1, 23; 3, 143. 147. 166 etc. (M. 38, 881. 1095. 1098. 1125). Fatendum tamen est, Doctores cappadocos, aeque ac SS. Cyr. Ier. et Epiph., praeter Baruch et fragm. ex deuterocanonicis fere non adhibere nisi Sap. et Eccli.; id vero difficultatem non creat; supra enim monuimus, quatuor libros historicos (Tob., Iud., Mach.) dogmatis demonstrandis minus esse idoneos.

5.) *Concilium laodicenum* quo anno et a quibusnam episcopis celebratum sit, haud satis constat; circa medium tamen saec. 4. per aliquot Phrygiae praesules celebratum creditur, atque in eo editi dicuntur canones illi, qui in collectiones sub titulo canonum laodicenorum sunt recepti : inter quos duo nobis obiici solent : can. 59. « Quod non oportet *privatos et vulgares aliquos psalmos* dici in ecclesia nec *libros non canonicos,* sed solos canonicos Veteris et Novi Testamenti; can. 60. haec sunt quae legi oportet ex Vet. Test. : Genesis, Exodus i. e. exitus ex Aegypto, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudices et Ruth, Hester, Regnorum primus et secundus, Regnorum tertius et quartus, Paralipomenon primus et secundus, Esdrae primus et secundus, liber Psalmorum, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Cant., Iob, duodecim Prophetae, Isaias, Ieremias et *Baruch,* Lamentationes et *epistolae,* Ezechiel, Daniel, Novi autem Testamenti haec : Evangelia quatuor » etc; ac deinde omnes N. T. libri excepta Apocalypsi enumerantur[20].

Gravissima hic statim illa exoritur quaestio, num ultimus canon, qui s. librorum catalogum tradit, genuinus sit habendus necne; eius enim authentia a non paucis viris eruditis negatur, idque, ni fallor, iure merito[21]. Namque antiquiores canonum collectores omnes, etsi laodicenos receperint, ultimum illum 60. ignorant; neque Dionysius Exig., neque Martinus Brag., neque Ioannes Schol., qui primi saec. 6. canonibus colligendis operam navarunt, illum exhibent, neque Alexius Aristem., nec ipsi Balsamo et Zonaras in sua can. 59. explicatione ad immediate sequentem 60. respiciunt, sed ut explicent, quinam sint libri canonici, ad can. 85. Apostolorum recurrunt; praeterea tres codices syriaci Bibl. vaticanae, qui laodicenos reliquos tradunt, ultimum omittunt, atque etiam Isidorus Merc. videtur eum omisisse[22]. Argumento huic negativo, quod vi sua non carere patet, alterum addere licet, quod ex eius forma derivatur, quippe quae, quum nexum aptum cum praecedente decreto negligat, glossematis suspicionem provocet. Latina quidem canonis versio satis bene utrumque coniungit (« *Haec sunt, quae legi oportet* » etc.), at graeco textui parum consonat,

qui ad verbum ita se habet : « Quos oportet libros legi V. Testamenti 1. Genesin mundi, 2. Exodum ex Aegypto » etc.; iam ita loqui glossatoris quidem est, sed non legislatoris. Praeterea *privati psalmi*, quorum usum can. 59. prohibet, non sunt Psalmi duodeviginti salomonici, qui in quibusdam graecis codicibus iunioribus inveniuntur (uti nullo argumento nixi asserunt Balsamo et Zonaras), sed potius carmina illa, quibus haeretici antiqui, Bardesanes, Paulus Samos., Apollinaris inter fideles orientales suos errores spargere sunt conati; carmina enim orthodoxa, quae eo fere tempore SS. Gregorius Naz. et Amphilochius ediderunt, nec improbare nec eorum usum fidelibus interdicere haud dubie voluerunt laodiceni Patres; quare etiam *libri non canonici* intelligendi sunt haeretici : iam vero nusquam et nunquam in toto Oriente libri deuterocanonici haereticis adnumerati sunt : merito igitur et propter formam et propter nexum decretum illud ultimum glossema dicimus.

Etsi vero illud genuinum esse concederemus, nihil aliud sequeretur, nisi nonnullos Phrygiae episcopos, ut greges suos ab haereticis libris legendis efficacius arcerent, etiam deuterocanonicorum usum prohibuisse; nemo vero laodicenos illos integram ecclesiam orientalem repraesentasse dixerit. At, inquiunt, concilium trullanum, quod Graecis oecumenicum est, canones laodicenos recepit. Non diffiteor, sed idem etiam recepit canones carthaginienses, inter quos unus integrum librorum catalogum tradit, ideoque laodicenum catalogum non completum sed complendum censuit[23].

Aliqui etiam *can.* 85. *Apostolorum* afferunt, ut ecclesiam orientalem saec. 4. a deuterocanonicis abhorruisse demonstrent; sed vix refutationem merentur; nec enim cuius actatis sit canon ille constat, nec unquam in ecclesia auctoritate valuit, nec quidquam, si admitteretur, probaret; singularem enim catalogum tradit, quem nemo tueri ausus sit. Inter V. T. libros recenset *tres* Machab., Novo T. duas S. Clementis R. epistolas et octo libros Constit. apostolicarum addit; quare eum prorsus relinquendum censuimus[24].

20. ***Mansi*** Coll. Conc. II. 573 : 59. " Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς Ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης. 60. " Ὅσα δεῖ βιβλία ἀναγινώσκεσθαι τῆς παλαιᾶς διαθήκης, ά. Γένεσις κόσμου, β'. Ἔξοδος ἐξ Αἰγύπτου κ. τ. λ.

21. ***Herbst*** Tüb. Quartalschr. 1823 p. 43-45; ***Vincenzi***, sessio IV. p. 186-197; ***Malou*** Lecture de la Bible II. 82; ***Danko*** De S. Script. p. 28 sq. Ex protestantibus cfr *Credner* Gesch. des neutestam. Kanon herausgeg. v. G. Volkmar. Berlin 1860 p. 217-220. — Authentiam huius canonis inter alios tuetur *Hefele* Conciliengesch. I. p. 749-751 (Ed. 2. 1873 I. p. 775 sqq.); rem in dubio relinquit, canonem autem mutilum quam spurium dicere mavult *Card. Pitra* Iuris Eccles. Graecorum historia Paris 1864 I. p. 506; ex cod. enim veronensi quodam cum FFr. Ballerinis in N. T. addendam censet Apocalypsin, in V. T. ex codice alio vatic. librum Iudith.

22. *Dionysii Exig.* interpretatio in *Mansi* Coll. Conc. II. 575 sqq.; quia Dionysius can. 60. non habet, Hadrianus I. quoque cum in sua collectione omisit, quam Carolo M. dedit (Mansi XII. 868); *Martini Brag.* collectio in *Harduin.* Coll. Conc. III. 398; *Ioannis Antioch.* collectio in Voellii et Ianelli Bibl. iur. can. vet. II. 600. — *Alexius Aristemus* in commentando can. 59. libros V. et N. T. *enumerat*, id quod certe non fecisset, si can. 60. catalogum exhibuisset; item *Balsamo* et *Zonaras* ad can. 85. Apost. non recurrissent, si can. 60. cognovissent; cfr trium horum commentarios in : Beveregii Synodicon seu Pandectae Can. etc. (M. 137, 1421). De codicibus *syr. Vatic.* cfr *Vincenzi* l. c. p. 193; de *Isidori* collect. cfr Cod. canonum eccles. ed. FFr. Ballerinii (M. 56, 721), qui canonem 60. in collectione isidoriana adfuisse putant; at quum Isidorus hanc partem ex hadriana collectione transumserit, magna probabilitate asseritur Isidorum eo caruisse.

23. Cfr *Bevereg.* Synod. Can. conc. VI. in Trullo c. 2. (M. 137, 524); *Photii* Syntagma can. tit. III. c. 2, qui Apost. 85, Laod. 59. et 60., Carthag. 24. (i. e. Carthag. III. c. 47) simul affert (M. 104, 589. 592).

24. Cfr *Bevereg.* Synod. (M. 137, 211); *Mansi* Coll. conc. I. 77, apud quem est can. 84; *Card. Pitra* Iuris eccl. Graec. monum. I, 34 etc. — Dionysius Exig. *ineunte* saec. 6. solos quinquaginta priores canones reperit et latine vertit; *exeunte* eodem saec. 6. Ioannes Schol. primus reliquos triginta quinque cum prioribus in suam collectionem recepit; unde multi suspicati sunt, ultimos hos saeculo 6. originem suam debere, licet forte partim ex antiquioribus conciliis sint excerpti. Ceterum in eorum aetatem et auctorem inquirere nec vacat nec iuvat; egregie id praestiterunt *Drey* (Neue Untersuchungen über d. Constit. u. Canon. d. Apostel. Tübingen 1832), *J. W. Bickell* (Gesch. des Kirchenrechtes. I. 1843), ac prae ceteris *F. X. Funk* (Die apostol. Konstitutionen. Rottenbug 1891 p. 180-206), qui eos ineunte saec. 5. ab interpolatore Didascaliae apost. collectos vel compositos censet. Ad nostrum scopum adnotasse sufficit, ultimum nunquam in Ecclesia auctoritatem obtinuisse. Hormisdas (vel Gelasius) enim in sua decretali *de libris divinis* omnes istos canones proscripsit (« Liber, qui appellatur Canones Apostolorum apocryphus » *Thiel* Epist. Rom. Pontif. p. 937); trullanum omnes quidem recepit, at non tantum monuit, Constitutiones Apostolorum, quae a can. 85. Apost. inter divinas Scripturas recensentur, utpote adulteratas non esse legendas, sed quia simul canones carthag. recepit, canoni 85. Apost. vim suam restrictivam abstulit. Quare *Zonaras* (M. 137, 211) in sua glossa addit : « Alii autem catalogi praeter enumeratos libros permittunt etiam legi et Sapientiam Salomonis et Iudith et Tobiam et Apocalypsin Theologi » (i. e. Ioannis Apostoli). — Demum de accurato canonis textu non constat; teste enim *Card. Pitra* (l. c.) alii codices libris V. T. inserunt Iudith, alii etiam Tobiam.

43. — Inter omnes igitur Patres orientales saec. 4, et 5, ne unus quidem invenitur, quem deuterocanonicorum adversarii ex suis partibus stare argumentis idoneis demonstrare possint; iam quid de occidentalibus sentiendum sit videamus.

Inter eos primus nobis opponitur *S. Hilarius Pict.*, qui in Prologo Psalmorum, postquam Hebraeis viginti duas literas esse dixit, in hunc modum pergit : « *Et ea causa est,* ut in viginti duos libros Lex T. V. deputetur, ut cum literarum numero convenirent »; enumeratisque protocanonicis, inter quos « Ieremias cum Lamentatione et *epistola* »,

« quibusdam autem, visum est, additis Tobia et Iudith, viginti quatuor libros secundum numerum graecarum literarum connumerare, romana quoque lingua media inter Hebraeos Graecosque collecta, quia his maxime tribus linguis sacramentum voluntatis Dei et beati regni exspectatio praedicatur »[1].

S. Hieronymus iam monet, Hiliarium in suis Psalmorum explicationibus « imitatum Origenem nonnulla etiam de suo addidisse »[2]. Inter ea autem, quae de suo addidit, librorum sacrorum catalogus non est adnumerandus, quippe quem Origenes quoque in prologo ad 1. Psalmum attulerit[3]. Quae in fine quidem de Tobiae et Iudith libris a S. Hilario adduntur, illa in textu origeniano non leguntur, reliqua vero plane consentiunt, atque eodem modo, quo alexandrinus, etiam pictaviensis numerorum mysterium sectatur. Erraret igitur, qui S. Hilarium alios libros praeter enumeratos agnovisse negaret, quum non sit dubium, quin solos Iudaeorum libros recensere voluerit. Etenim a deuterocanonicis reiiciendis eum longissime abfuisse et eius in Psalmos commentarius et reliqua eius opera ostendunt, in quibus sat frequens deuterocanonicorum est usus[4].

1. *S. Hilar.* Prol. in Psalm. 15. (M. 9, 241).
2. *S. Hieron.* De vir. ill. 100. (M. 23, 699).
3. *Origen.* in Psalm. (M. 12, 1084; cfr *supra* 37 *n.* 9).
4. Optime editor Opp. S. Hilarii adnotat : « Falluntur plerique ex hoc loco existimantes Hilarium nullos alios libros, quam qui hic recensentur, pro canonicis habuisse. Ac primum quidem librum *Iudith* ut librum Legis commemorat in Ps. 125, 6. (M. 9, 688); *Tobiae* quoque liber occurrit citatus in Ps. 118. ב. 6 et in Ps. 129, 7 (M. 9, 513. 722); praeterea *Sapientiam* Salomoni tribuit in Ps. 127, 16, immo in Ps. 118. ב. 8 et 135, 11 et de Trin. I. 7 ex eadem profert testimonia tamquam a propheta (M. 9, 708. 514. 775; 10, 30); propheticum igitur hunc librum agnovit. Idem dicendum de libro *Ecclesiastici*, quem Salomoni et ipse adscribit in Ps. 66, 9 et a Latinis vulgo adscribi testatur in Ps. 140, 5 (M. 9, 441. 826). Denique prophetiam *Baruch* nomine Ieremiae citat in Ps. 68, 19 et de Trin. IV. 42 (M. 9, 482; 10, 127). Neque locum ex *historia Susannae* ab Arianis tanquam e Scripturis allatum respuit, immo... agnoscit (de Trin. IV. 8. 9. M. 10, 101 sq.). Horum itaque librorum canonem hic recenset iuxta Hebraeos, non iuxta usum ecclesiae suis temporibus receptum... Neque reponi potest, alios quidem libros ab iis, qui in Hebraeorum canonem recepti sunt, Hilarium approbasse, sed tamquam hagiographos, et non veluti canonicos. Si enim ita eos spectasset, neque libro Iudith Legis nomen et auctoritatem, neque Sapientiae Salomonis prophetiae titulum tribuisset ». — Addi potest S. Hilarium etiam 2 *Mach.* librum adhibere in Ps. 125, 4 (M. 9, 686).

Alter Latinus est *Rufinus,* qui protestantico errori magis videtur favere, quum sine ullo dubio christianum canonem recenseat.

« Quae sunt Novi et Veteris T. volumina, inquit, quae secundum maiorum

traditionem per ipsum S. Spiritum inspirata creduntur et ecclesiis Christi tradita, competens videtur hoc in loco evidenti numero, *sicut ex Patrum monumentis accepimus*, designare ». Nihilominus non nisi viginti duo enumerat, « in quibus concluserunt numerum librorum V. T. »; atque cunctis N. T. libris recensitis addit : « Haec sunt, quae Patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici sed ecclesiastici a maioribus appellati sunt, i. e. *Sapientia,* quae dicitur *Salomonis,* et alia *Sapientia,* quae dicitur *filii Sirach,* qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed scripturae qualitas nominata est. Eiusdem vero ordinis libellus est *Tobiae,* et *Iudith* et *Machabaeorum* libri. In Novo T. libellus, qui dicitur Pastoris sive Hermas (et) qui appellatur duae viae vel Iudicium Petri. Quae omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis legi noluerunt. Haec nobis a Patribus tradita sunt »[5].

Sicut ex his Rufini verbis, ita ex vehemente eius contra S. Hieronymum disputatione[6] perspicuum est, unicum fontem, ex quo canonis ambitum hauriendum docuit, maiorum traditione Ecclesiaeque magisterio constitui; error igitur, si quis eius verbis inest, non ex perverso principio de iudaico canone admittendo exortus est, sed ex defectu accuratae inquisitionis in maiorum traditionem, ita ut ea, quae apud unum ex maioribus invenit, communem antiquorum doctrinam esse putaverit. Si quis autem ad tres librorum classes, quas distinguit, librosque, quos duabus prioribus attribuit, animum advertere voluerit, eius doctrinam ex S. Athanasii epistola festali haustam esse deprehendet; nemini enim ex Latinis ante Rufinum, nec ex Graecis ante Athanasium classium illa distinctio est cognita. Neque tamen integram alexandrini Doctoris sententiam recipere potuit latinus eius interpres; namque in occidentali ecclesia consuetudo illa, quae deuterocanonicos catechumenis legi iussit, nunquam invaluerat, sed sine ullo discrimine primae et secundae classium libri publice fidelibus recitabantur. Quare eam temperandam censuit ex male intellecta, ut videtur, Origenis epistola ad Afric., in qua deuterocanonica *contra Iudaeos* ad fidem probandam afferri non debere monet. Quod praeceptum nimis generali modo explicans Rufinus ex deuterocanonicis « fidei nostrae assertiones constare » negat. Benigna itaque interpretatione eius verba indigent, eamque etiam admittunt. Nam qui Ecclesiae antiquorumque Patrum auctoritate nixus tam acriter et vehementer deuterocanonicorum fragmentorum canonicitatem contra S. Hieronymum defendit atque « id solum pro vero in divinis Scripturis habendum pronuntiavit, quod

septuaginta interpretes transtulerint, quia id solum auctoritate apostolica sit confirmatum »[7], is haud dubie etiam libros deuterocanonicos pro divinis admisit, quia eos in suo Bibliorum codice protocanonicis habuit intermixtos eosque tamquam ab Apostolis approbatos a maioribus sibi traditos scivit. Revera in paucis, quae habemus, genuinis scriptis Rufinus deuterocanonica pro auctoritate allegare solet[8].

5. *Rufin.* in Symb. Apost. 36 sqq. (M. 21, 373 sq.).

6. *Rufin.* Apol. II. 33 sqq. (M. 21, 611; cfr *supra* 33. *n.* 4.).

7. *Rufin.* Interpretatio Historiae Euseb. VI. 18 (cfr Tyrannii Rufini vita II. 18, 2. M. 21, 270).

8. Praeter libros historicos, in quibus nemo s. librorum citationes quaesiverit, eiusque vehementem diatriben in S. Hier. non nisi duo opuscula genuina Rufini habemus, commentarium in Symb. Apost., ex quo eius catalogum descripsimus, et libros duos de Benedictionibus Patriarcharum, i. e. explicationem *Gen.* 49. In priore citat *Baruch* et *Sapientiae* textus velut dicta prophetica (Symb. Ap. 5. 46. M. 21, 344. 385), in altero paucis in paginis ter *Ecclesiasticum* sollemnibus formulis « scriptum est » « Scriptura dicit » allegat (Bened. Aser 3, Ioseph. 3, Beniamin 2. M. 21, 326. 332. 333). Multo plura testimonia ex Comm. in Psalm., Osee, Ioel, Amos afferri possunt; at quum eorum authentia sit dubia, ea reliquimus.

Nemo sobrius, opinor, dubitat, quin S. Hilarius et Rufinus suas de canone sententias theoreticas ex orientalis ecclesiae scriptoribus hauserint; non minus vero manifestum est, *S. Hieronymum* quoque hac in quaestione Orientalibus potius quam Occidentalibus adnumerandum esse, quamvis a prioribus quoque dissentiat et solus stare videatur. Quaenam vera et genuina eius sententia de V. T. canone fuerit, difficillimum est dictu; nonnullae eius expressiones, si quis eas urgere velit, protestanticis opinionibus favent, at non desunt aliae, in quibus plane nobiscum consentit. Sunt qui eum ab omni contradictione excusare velint; ut quo cum iure id fiat videamus, primo in loco textus illos recensebimus, quibus libros deuterocanonicos a canone excludere interque apocryphos reiicere videtur; deinde illos referemus, quibus suam sententiam de apocryphorum auctoritate manifestat; ac demum omnibus illis collectis, in quibus de nostris deuterocanonicis diserte agit, accuratius definire conabimur, quae genuina eius sententia de Veteris Test. canone fuerit.

Ad primam classem illi potissimum textus spectant, qui in Prologo galeato aliisque versionis suae novae praefationibus leguntur.

In *Prologo gal.* (c. an. 391) enumeratis V. T. libris secundum canonem palaestinensem : « Hic prologus, inquit, Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris quos de hebraeo vertimus in latinum, convenire potest, ut scire valeamus, *quidquid extra hos est inter apocrypha esse ponendum.* Igitur *Sapientia,* quae vulgo Salomonis inscribitur, et *Iesu filii Sirach liber* et

Iudith et *Tobias* et Pastor [9] *non sunt in canone. Machabaeorum primum* librum hebraicum reperi, *secundus* graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest »; in *Praef. in Esdr.* (c. 394) : « Nec quemquam moveat, quod unus a nobis liber editus est, nec apocryphorum tertii et quarti somniis delectetur; quia et apud Hebraeos Esdrae Nehemiaeque sermones in unum volumen coarctantur, *et quae non habentur apud illos nec de viginti quatuor senibus sunt* (i. e. de viginti quatuor libris protocanonicis, quos in Prol. gal. per viginti quatuor senes Apocalypseos videt figuratos) *procul abiicienda* »; in *Praef. in ll. Salom.* (an. 398) : « Fertur et *Panaretus Iesu filii Sirach liber* et alius pseudepigraphus, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur. Quorum priorem hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas praenotatum...; secundus apud Hebraeos nusquam est, quin et ipse stylus graecam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudaei Philonis affirmant [10]. *Sicut ergo Iudith et Tobiae et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit, sic et haec duo volumina legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam* [11]. Si cui sane septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam; neque enim nova sic cudimus, ut vetera destruamus »; in *Praef. ad l. Esth.* (c. an. 405) : « *Librum Esther* variis translatoribus constat esse vitiatum, quem ego de archivis Hebraeorum revelans verbum a verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata (i. e. vetus latina ex graeco textu adornata) *laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea, quae ex tempore dici poterant et audiri;* sicut solitum est scholaribus disciplinis sumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui iniuriam passus est vel iniuriam fecit ». Evidenter alludit S. Doctor ad fragmenta deuterocanonica, inter quae somnium Mardochaei, epistolae Artaxerxis prior et altera, Mardochaei et Estheris preces fusae (*Esth.* 11, 9-16, 24).

9. Quomodo Pastorem una cum *Vet.* T. deuterocanonicis enumeret, explicare nequis, nisi eum ad S. Athanasii epistolam festalem respexisse concedas. Ipse enim librum hunc, quem « apud quasdam Graeciae ecclesias iam publice legi, apud Latinos autem fere ignotum esse » dicit, Hermae illi auctori tribuit, « cuius Paulus ad Romanos scribens meminit » (de vir. ill. 10. M. 23, 625). Eodem in loco « utilem » hunc librum esse asserit, at alibi « stultitiae apocryphum illum condemnandum » censet (in Hab. 1, 14. M. 25, 1286. Cfr Past. Vis. 4, 2).

10. Inter scriptores antiquos, quorum hodie opera supersunt, nemo ante S. Hieronymum Sapientiam Philoni Iudaeo adscripsit; ipse quoque in catalogo vir. illustr. Philonis opera recensens (de vir. ill. 11) libri Sapientiae mentionem non ingerit. Unicus, qui librum istum medium inter Scripturas sacras post Christum scriptas (sed comparationis tantum, ut videtur, causa) enumerat, est auctor fragmenti muratoriani, de quo *infra* recurret sermo (63).

11. Haec sententia, quam etiam Rufinus habet, ante hanc aetatem nec inter Latinos nec inter Graecos invenitur.

Secundo in loco quid S. Doctor de apocryphis in genere doceat videamus. Saepe magnam quandam ab apocryphis aversionem exprimit;

quod ut probemus, illos textus omnes relinquere possumus, in quibus sola haereticorum figmenta, quae Ecclesia semper reiecit, contumeliosis verbis prosequitur[12]; neque enim multi desunt alii, in quibus apocryphorum nomine etiam deuterocanonica, ut videtur, complectens ab asperis acerbisque accusationibus nequaquam sese abstinet. Inter quos gravissimus est ille, qui in epistola ad Laetam (c. 403) legitur. De institutione filiolae a matre interrogatus inter alia pulcherrima praecepta illud quoque tradit, ut puella « quotidie pensum de Scripturarum floribus carptum matri reddat » ordinemque indicat, quo Scripturas omnes legere debeat. A Psalmis incipiat, ad Cantica transeat et Proverbia etc.; atque omnibus V. T. libris protocanonicis Novique omnibus excepta Apocalypsi enumeratis : « ad ultimum, inquit, sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legerit sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens vulneretur. *Caveat omnia apocrypha,* et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis praenotentur, *multaque his admixta vitiosa et grandis esse prudentiae aurum in luto quaerere* »[13].

Probe autem notandum, non uno sensu apocryphorum nomen a S. Hieronymo adhiberi; interdum enim omnem erroris suspicionem ab illis prorsus removet : « Barnabas Cyprius, inquit, cum Paulo gentium apostolus ordinatus *unam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem epistolam composuit, quae inter apocryphas Scripturas legitur* »[14]; eodemque modo de libro Iudith loquens : « Apud Hebraeos *inter apocrypha legitur, cuius auctoritas ad roboranda ea, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur* »[15]. Incerto hoc et ambiguo loquendi modo factum est, ut medii aevi theologi, qui in suis de canone sententiis fere a S. Hieronymo solo dependent, duas vel tres apocryphorum classes distinguere soleant.

12. Huc spectant c. Helvid. 8 (M. 23, 192), ubi Protevangelium Iacobi « deliramenta apocryphorum » appellat; c. Vigil. 6 (M. 23, 344), ubi ad 4 Esdr. 7, 36 sqq. respiciens « illud in manus non esse sumendum dicit, quod Ecclesia non recipit »; c. Ruf. II. 27; in Is. 64, 4. 5; in Eph. 5, 31 (M. 23, 451; 24, 622; 26, 535), ubi illos vituperat, qui ut textus ex V. T. in N. citatos explicent vel inveniant, ad apocryphorum « naenias » et « deliramenta » recurrunt; in Matth. Prol. (M. 26, 20), ubi omnia Evangelia praeter quatuor ab Ecclesia recepta naenias vocat, et si qui sunt similes.

13. *S. Hieron.* ad Laet. ep. 107, 12 (M. 22, 877). Pro certo quidem non affirmamus, S. Hieronymum acerbissimis his verbis etiam deuterocanonica attingere voluisse, quamvis et contextus et verba, si cum Praef. in libr. Salom. comparantur, hoc suadeant : verum etiam quo *certo* argumento is, qui hunc sensum Hieronymi verbis attribuit, refutetur, non videmus. Nisi nos omnia fallunt, reliqui Patres ad unum omnes matri commendassent, ut puellae vel virgini Tobiae potius et Iudith historias

librosque Sapientiae et Ecclesiastici, quam Canticum Cant. aut ipsos Prophetas legendos daret.

14. *S. Hieron.* de vir. ill. 6 (M. 23, 619).

15. *Praef. in l. Iudith.* Bibliorum editio Clementina in hac praefatione et in illa ad l. Tob. pro « inter apocrypha » legit « inter hagiographa »; plerique autem operum S. Hieronymi editores, praesertim Martianay et Vallarsi, genuinam lectionem, quam a toto contextu postulari iam medii aevi theologi viderunt, codicum meliorum auctoritate nixi restituendam curarunt.

Trifariam porro textus, in quibus S. Doctor de libris V. T. deuterocanonicis diserte loquitur, distribui possunt et debent : in aliis enim illos a canone excludit; in aliis cum aliqua haesitatione illos allegat caute addens dubitationem quandam de illorum auctoritate; in aliis demum divinam auctoritatem et dignitatem illis attribuit illisque eodem prorsus modo, quo reliquis Scripturis, utitur.

Ad primam classem plerique, quos supra ex eius Praefationibus attulimus, pertinent, ad eandemque trahendi sunt pauci alii. *Fragmenta danielica* in suam versionem recepit quidem, sed « veru anteposito *illaque iugulante* », nec « ullam Scripturae S. auctoritatem ea praebere » asserit[16]. Item in sua Prophetae Ieremiae versione « librum *Baruch*, qui apud Hebraeos nec legitur nec habetur, praetermisit », in eodemque commentando « libellum Baruch, qui vulgo editioni septuaginta copulatur nec habetur apud Hebraeos, et ψευδεπίγραφον epistolam Ieremiae *nequaquam* censuit disserendam... parvipendens obtrectatorum rabiem »[17]. S. Paulino demum omnes V. T. protocanonicos omnesque N. T. libros enumerans atque commendans ne verbulo quidem alios quoque adesse indicat[18].

Admodum paucis tantum in locis deuterocanonicorum allegationi dubitationem de eorum auctoritate adiungit : contra Pelagianos disputans, postquam ad *Ecclesiasticum*, Ecclesiasten *librumque Sapientiae* provocavit, « ne forte huic volumini contradiceretur », testimonia haec textu ex ep. ad Rom. desumto confirmavit; simili ratione librum *Iudith* semel allegavit praemisso monito « si cui tamen placet volumen recipere », atque ex libro *Tobiae* argumentatus est, « quia, licet non habeatur in canone, tamen usurpatur ab ecclesiasticis viris »[19].

Multo frequentius libros illos adhibuit non tantum dubitatione nulla praemissa sed aut disertis verbis aut ipso allegandi modo divinas se illas habere manifestans. Longum est integrum istorum locorum catalogum texere, in quibus nec dignitatis nec auctoritatis discrimen ullum inter utriusque canonis libros agnoscit. In sex primis Isaiae capitibus commentandis saltem sexies *Ecclesiasticum* et *Sapientiam* ita adhibens, illos « nostros libros » vocat graecis scriptis profanis oppositis et « sanctam Scripturam », illos mandata tradere ait, illo-

rumque verba una cum protocanonicis sollemni formula « scriptum est » adducit[20]; similia de iisdem libris inveniuntur in aliis eius commentariis, in quibus etiam sub nomine Salomonis eos laudat[21], in epistolis reliquisque eius operibus[22]. Rarius, id quod minime est mirum, alia ab eo commemorantur; at secundi canonis nec est liber nec fragmentum, quo cum reverentia et pro divina auctoritate S. Doctor non sit usus[23].

16. Praef. in Dan.; Prol. Comment. in Dan. (M. 25, 493). Quod iisdem in locis de « *fabulis* » Belis et draconis etc., loquitur, id immerito ab aliquibus urgetur, quum « fabulae » vocabulo etiam verae historiae designentur. Non satis autem intelligitur, quomodo obelo illas partes notare potuerit, quas Origenes in sua hexapla sine obelo receperat (Daniel secundum LXX. Romae 1772 p. 8; *Field* Hexapla Origenis. Oxonii 1875 II. 934).

17. Praef. in Ierem.; Prol. Comm. in Ierem. (M. 24, 680).

18. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 8 (M. 22, 545 sqq.).

19. *S. Hier.* c. Pelag. I. 33; ad Fur. ep. 54, 16; in Agg. 1, 5; in Ion. Prol. (M. 23, 527; 22, 559; 25, 1394. 1119).

20. *S. Hier.* in Is. 2, 24; 3, 3. 7. 13; 6, 5 (M. 24, 39. 61. 65. 67. 95. 96).

21. *S. Hier.* in Ierem. 1, 7 (Propheta loquente); in Ezech. 18, 5; in Os. 7, 10; 9, 14; in Am. 5, 10; in Soph. 2, 6; in Eccle. 9, 7; 10, 8; in Gal. 3, 2; in Ephes. 1, 6; 4, 2. 4; in Tit. 1, 6 etc. (M. 24, 683; 25, 174. 878. 899. 1045. 1359; 23, 1084. 1094; 26, 350. 450. 493. 495. 566); « Salomon ait » (in Eccle. 10, 8 et in Is. 63, 15); « Sapientia Salomonis », « Sapientia, quae nomine Salomonis scribitur » (in Gal. 3, 1; in Is. 63, 10; in Am. 5, 10) etc.

22. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 58, 1 (« Salomon testatur »); ad Pammach. ep. 66, 5; ad Eustoch. ep. 108, 16. 22; ad Iulian. ep. 118, 1. 4; ad Rust. ep. 125, 19 (M. 22, 579. 642. 892. 893. 899. 961. 963. 1083.); c. Pelag. I. 33; II. 11 (M. 23, 527. 546) etc.

23. « Ruth et Esther et *Iudith* tantae gloriae sunt, ut *sacris* voluminibus nomina indiderint » (ad Princip. ep. 65, 1. M. 2, 623); *Iudithae* laudes celebrat atque ex eius libro et *ex Estheris fragmentis* eodem modo, quo ex protocanonicis, exempla fortitudinis desumit (ad Salvin. ep. 79, 11; ad Eustoch. ep. 22, 21. M. 22, 732. 408) etc. Praeterea *Estheris fragmenta* adhibentur ad Demetr. ep. 130, 4; in Is. 64, 4; 65, 3; in Ezech. 27, 19; in Am. 6, 12; in Gal. 1, 6 (M. 22, 1109; 24, 624. 632; 25, 246. 1065; 26, 318); *Tobias* in Eccle. 8, 2 (M. 23, 1074); *Machab.* in Is. 23, 2 (« Scriptura »); in Gal. 3, 14 (M. 24, 201; 26, 362); *Danielis fragmenta* explicat in Comm. in Dan. (M. 25, 510 sqq. 580 sqq.), ea adhibet ad Innoc. ep. 1, 9; in Os. 7, 10; in Nah. 5, 13; in Gal. 3, 2 (M. 22, 329; 25, 878. 1263; 26, 350).

Quod si frequentem hunc deuterocanonicorum usum cum iis, quae alibi de iisdem tradit, comparamus, ea inter se conciliari non posse censemus; praxis S. Doctoris eius theoriae contradicit. Ad quam repugnantiam explicandam pauca sufficient. S. Hieronymus, quum a puero doctrina christiana imbutus omnes s. libros, quos antiqua latina editio complectebatur, eadem cum veneratione prosequi eandemque omnibus auctoritatem divinam attribuere edoctus esset, in orientalibus primum ecclesiis inter eos discrimen quoddam fieri didi-

cit; deinde vero, postquam hebraicis literis vacare novamque suam versionem concinnare coepit, nimio « hebraicae veritatis » studio in Iudaeorum de canone sententiam inclinavit, quam forsitan eandem atque illam graecorum quorundam Patrum esse putaverit. Neque huic opinioni firmus constansque inhaesit; africanorum enim, ni fallimur, conciliorum et S. Augustini auctoritate permotus ea, quae in Prol. gal. et in Praef. ad I. Esdr. nimia cum confidentia asseruerat, in Praefationibus ad libros Salom., Iudith, Tobiae temperavit ac postea inter utramque sententiam incertus videtur haesisse. Cui incertitudini aliquoties etiam praxin suam accommodat: frequentissime quidem deuterocanonica adhibet, in nonnullis vero casibus ab eorum usu sese abstinet, in quibus eorum auctoritas non parvi momenti fuisset : contra Palagianos ex. gr. a Genesi incipiens ex omnibus fere veteribus Scripturis ex ordine argumenta colligit; ultimos Proverbia et Ecclesiasten adducit ac dein ad Novum T. transilit[24]. Quibus non obstantibus illud semper firmum ratumque manet, ipsam hanc S. Hieronymi incertitudinem catholicae veritati invictum praebere argumentum; luce enim clarius ex ea apparet, Christianorum omnium istius aetatis canonem a Iudaeorum canone differre[25], S. Doctorem autem, ubi deuterocanonicos libros adhibet, ea edisserere, quae a maioribus acceperat, antiquae traditionis testem; ubi vero eos improbat, privatum agere doctorem magistrorumque suorum hebraeorum sententias proferre, quae tanti aestimandae sunt, quanti valent earum argumenta; at argumentis numquam eas stabilire aggressus est.

Ceterum quid de *christianae* traditionis auctoritate in constituendo canone senserit, ex epistola eius ad Dardanum discimus, quam paucis ante mortem annis conscripsit (an. 414). Novi quidem Test. libros verba eius proxime attingunt, sed nihil prohibet, quominus etiam de Vetere ea intelligamus. « Non me fugit, inquit, quod perfidia Iudaeorum haec testimonia non suscipiat, quae utique V. Testamenti auctoritate firmata sunt. Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis tractatoribus quasi Pauli Apostoli suscipi, licet eam plerique vel Barnabae vel Clementis arbitrentur; et nihil interesse, cuius sit, quum ecclesiastici viri sit *et quotidie ecclesiarum lectione celebretur*. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, nec Graecorum quidem ecclesiae Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt. Et tamen nos utramque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, *sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis,* non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe

qui et gentilium literarum non raro utantur exemplis, *sed quasi canonicis et ecclesiasticis* »[26]. Duo igitur characteres, quibus iuxta S. Hieronymum canonici libri cum certitudine ab apocryphis vel profanis secernantur, sunt *continua* eorum *lectio liturgica* in ecclesiis et *universalis constansque* eorum *usus* in antiquorum Patrum operibus, dum ad singularem brevemque alicuius particularis ecclesiae consuetudinem attendendum non esse monet; atqui omnia, quae hucusque ex tota antiquitate christiana attulimus, evidenter docent, utroque charactere libros V. T. deuterocanonicos esse insignitos; ergo S. Doctor, si sibi constare velit, nostrum canonem integrum agnoscere cogitur.

24. *S. Hieron.* c. Pelag. I. 34 (M. 23, 527 sqq.).

25. Aliud clarum argumentum, quo duplicis canonis exsistentia demonstratur, praebent verba, quibus Hieronymus rationem explicat, qua ad vertendum Tobiae librum permotus est : « Exigitis, ut... ad latinum stilum traham librum Tobiae, quem Hebraei de catalogo librorum secantes his, quae apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt et nos Hebraeorum studia, et imputant nobis *contra suum canonem* latinis auribus ista transferre. Sed melius esse iudicans *pharisaeorum* displicere iudicio et *episcoporum* iussionibus deservire, institi ut potui » etc. (Praef. in Tob.). Pharisaeorum i. e. Iudaeorum igitur canon alius est, alius Episcoporum.

26. *S. Hier.* Ad Dardan. ep. 129, 3 (M. 22, 1103). Ad scopum nostrum nihil refert, quod S. Doctor nec occidentalium de ep. ad Hebraeos nec orientalium de Apoc. sententias satis accurate tradat; ineunte enim saec. 5. utrumque librum in universa Ecclesia iam diu receptum esse, *infra* videbimus. Ceterum ex eodem traditionis principio S. Hieronymus quaestionem de origine epistolae ad Philem. diiudicat : « Nunquam in toto orbe a cunctis ecclesiis fuisset recepta, ni Pauli Apostoli eam esse creditum esset » (Prol. in ep. ad Philem. M. 26, 601).

44 — Rationes speciales, quae eorum Patrum, qui deuterocanonicorum adversariis accensentur, theoreticis sententiis de canonis ambitu explicandis excusandisve inserviunt, supra iam attulimus; generales tres addemus, quibus clarius apparet, quomodo fieri potuerit, ut ea aetate in sat magna orientalis ecclesiae parte genuina de V. T. canone traditio aliquantum sit obscurata.

Atque 1.) quidem frequentes eo tempore erant in Oriente Iudaei frequentesque eorum cum Christianis religiosae disputationes. Quicumque vel semel orientalium Patrum homilias aliaque opera pervolverit, haud dubie mirabitur, quod Iudaeorum obiectiones refutare toties necessarium duxerint. Ex praecipuis enim 4. et 5. saec. scriptoribus vix unum nominari posse crediderim, quin aut in opere hunc in finem conscripto eos refutaverit aut data occasione in eos sit invectus. Periculum igitur gregibus suis imminere a Iudaeis viderunt episcopi; quare valida, quibus fidem suam defenderent, arma subministraturi in suis catechesibus et homiliis protocanonica praesertim testimonia

fidelibus proposuerunt quae a Iudaeis reiici non potuerunt. Unde paullatim factum est, ut et Patres ipsi rarius, quam antea fieri solebat, deuterocanonica allegarent, et protocanonicorum auctoritas ad stabilienda tuendaque dogmata putaretur maior.

2.) Intime autem cum priore connexa est altera ratio[1]. Ut Christianos doceret, quibus Scripturae textibus contra Iudaeos uti possent, Origenes in suis Hexaplis alexandrinam versionem cum textu hebraico aliisque, quae tum temporis exstiterunt, graecis versionibus composuerat obeloque omnia illa notaverat, quae, quia in hebraico deessent, a Christianis contra Iudaeos afferri non potuerunt, aliis autem signis alias inter utrumque textum discrepantias indicaverat. Qui textus hexaplaris cum diacriticis suis signis quam maxime in toto Oriente erat propagatus, ut teste S. Hieronymo « vix unus aut alter inveniretur liber, qui ista non haberet », « omnesque Christi ecclesiae tam Graecorum quam Latinorum Syrorumque et Aegyptiorum hanc sub asteriscis et obelis editionem legerent »[2]. Obelus autem ab alexandrinis grammaticis invectus erat, ut locos quosdam spurios et immerito additos declararent; et quamquam Origenes suo signo diacritico hanc significationem tribuere non intenderat, sed eo id unum monere voluerat, ut accuratius inspecto textu lectores num quid abundaret diiudicarent[3], iunioribus tamen Patribus obeli ab eo additi occasioni fuerunt, ut omnia hoc signo praenotata pro spuriis haberent[4].

3.) Demum fertilem illam aetatem fuisse scimus librorum adulterinorum, qui patriarcharum, prophetarum, apostolorum nomina prae se ferentes aut apertis scatebant haeresibus aut ridiculis fabellis fictisque revelationibus. Magnae autem curae erat Patribus, ut ab his haereticorum vel deceptorum foetibus defenderent fideles, fierique facile potuit, ut iustos diligentiae prudentiaeque limites transgressi usum alicuius libri canonici improbare quam apocryphum approbare mallent[5].

1. Cfr *Card. Franzelin* De Trad. et Script. p. 455 sq., cuius sententiam ita temperandam putamus, ut in Origenis Hexaplis non tam originem atque primariam controversiae causam quaeramus, quam exortae iam controversiae fomentum. Sine ullo dubio Athanasius et Cyrillus Ieros. suarum ecclesiarum consuetudinibus adducti sunt, ut inter libros sacros dignitatis vel auctoritatis discrimen statuerent.

2. *S. Hieron.* ad Augustin. ep. 112, 19; Prol. in Dan. (M. 22, 928; 25, 493). Ab exaggeratione quadam haec verba excusari vix possunt, si de textu hexaplari *cum omnibus suis signis* loquitur; in occidentali enim ecclesia ante S. Hieronymum vestigium illius non invenimus, atque in Oriente quoque, uti facile concipitur, eiusmodi exemplaria non admodum multa videntur exstitisse.

3. *Origen.* in Matth. tom. XV. 14 (M. 13, 1294) : « Et nonnulla quidem in hebraeo non exstantia obelo notavimus, quum ea penitus auferre minime ausi simus; aliqua vero cum asteriscis addidimus, ut perspicuum fiat ea nos e reliquis editionibus

consona hebraeo addidisse..; quem autem offendit illud, de eo admittendo necne, prout voluerit, statuat » (cfr *infra* 131).

4. *S. Hieron.* ad Sunn. et Fret. ep. 106, 7 (M. 22, 840) : « Ubi quod in hebraeo non est, in graecis codicibus invenitur, obelon i. e. iacentem praeposuit (Origenes) virgulam, quam nos latine *veru* possumus dicere; quo ostenditur *iugulandum* esse et *confodiendum*, quod in authenticis libris non invenitur »; Praef. in Dan. : fabulas Belis et draconis « *veru* anteposito easque *iugulante* subiecimus ». Aliter obeli significationem explicat in Praef. l. Paralip. iuxta Septuag. (M. 29, 404) : « Ubi obelus, transversa sc. virga praeposita est, illic signatur, quid septuaginta addiderint *vel ob decoris gratiam vel ob Spiritus S. auctoritatem*, licet in hebraeis voluminibus non legatur ».

5. Cfr *S. Athanas.* ep. fest. 39; *S. Cyrill. Ieros.* Cat. IV. 33. 36 etc. (*supra* 41, 1. 2).

IV. Canon V. T. a medio saec. 5. usque ad saec. 10.

45. — Ex testimoniis, quae attulimus, manifestum esse arbitramur, saeculis 4. et 5. antiquam traditionem de canone alexandrino ab Apostolis Ecclesiae commisso fideliter esse conservatam. Conciliorum et Romanorum Pontificum decretis quaestionem hanc iam eo tempore dogmatice esse definitam nequaquam asserimus; concilia enim et Pontifices et Patres in afferendis suis catalogis potissimum statuere voluerunt, quinam libri sub nomine divinarum Scripturarum publice in ecclesiis sint legendi[1]; de eorum vero auctoritate *directe* non iudicaverunt totamque quaestionem disciplinarem potius quam dogmaticam habuerunt.

Attamen altera ex parte quum ipso *divinarum Scripturarum* nomine, quo libros illos exornant, tum maxime continuo et universali eorum in quaestionibus dogmaticis et polemicis usu *indirecte* saltem produnt, quid de eorum origine, dignitate, auctoritate senserint; omnes enim, ut S. Augustini verbis utamur, eos testes adhibentes nihil se adhibere nisi divina testimonia crediderunt[2].

Historiam nostram persequentes saeculorum proxime insequentium pauca tantum afferemus testimonia[3], ut clarius appareat dubia illa, quae in orientalibus ecclesiis aliquorum mentes occupaverant, mox evanuisse et canonem ab Apostolis traditum et a Patribus primorum saeculorum transmissum non interrupto traditionis filo ad nos pervenisse, quamvis saec. 10., uti videbimus, dubitationes quaedam in occidentali ecclesia revixerint.

1. Rufino et S. Hieronymo exceptis nullus ex illis, qui nobis obiiciuntur, protocanonicorum maiorem quam deuterocanonicorum auctoritatem esse asseruit; SS. Athanasius, Cyrillus Ier., conc. laodicenum (si eius canon 60 genuinus est) diserte de libris in ecclesia publice legendis loquuntur; item concilia africana et Innocentius I. de libris in ecclesia « sub nomine divinarum Scripturarum legendis »; SS. Gre-

gorius Naz., Amphilochius, Augustinus, licet addito illo careant, eodem sensu intelligi possunt ac debent.

2. *S. August.* de Praedest. Sanct. 14, 28 (M. 44, 980).

3. Ingens est catalogorum V. T. numerus, qui sive ex scriptorum ecclesiasticorum libris sive ex antiquis Bibliorum codicibus adhuc superstitibus collecti sunt; centum fere in occidentali, non pauci in orientalibus ecclesiis a medio saec. 5. usque ad conc. tridentinum inveniuntur. Quam plurimos referunt *Hodius* (De Bibliorum textibus originalibus etc. Oxonii 1705 p. 648 sqq.), *Malou* (Lecture de la Bible II. Tableau synoptique), alii.

SAEC. 5. et 6. — Ut ab *occidentali ecclesia* exordiamur, primo in loco nominari merentur catalogi a Romanis Pontificibus promulgati. Iam teste codice amiatino, qui exeunte saec. 7. vel ineunte 8. conscriptus inter Vulgatae codices integros antiquitate et auctoritate eminet, *S. Hilarus* (461-468), Leonis M. in Oriente legatus ac postea in sede romana successor, Utriusque Testamenti libros septuaginta numeravit, ne uno quidem ex deuterocanonicis omisso; quod testimonium ipsius *amiatini* textu corroboratur, quum etiam omnes libros, solo Baruch excepto, contineat[4]. S. Hilaro addamus oportet *SS. Gelasium* (492-496) et *Hormisdam* (516-523), quibus plerumque canon iste, quem S. Damaso attribuendum esse supra diximus, adscribitur, sive illi praedecessoris sui decretum in suas decretales confirmationis gratia receperunt, sive ipsi illud primi ediderunt[5]. Quibus duobus pontificibus coaevi fuerunt *Dionysius Exig.* et M. Aurelius *Cassiodorius*, quorum prior in suam canonum collectionem catalogum ab africanis episcopis editum recepit[6], alter vero catalogos S. Augustini et antiquae Vulgatae tradit approbatque, sicut etiam in suis operibus haud raro deuterocanonica adhibet[7].

4. *Codex amiatinus* (de cuius origine cfr *infra* 169) secundo folio hunc catalogum exhibet : « In hoc codice continentur V. et N. T. libri numero LXX. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Samuhel, Malachias (lege Melachim i. e. 3. 4 Reg.), Paralypomenon, Liber Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum, *Liber Sapientiae, Ecclesiasticum*, Esaias, Hieremias, Hiezechiel, Danihel, Osee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Michas, Naum, Habacuc, Soffonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Iob, *Thobias*, *Iudith*, Hester, Ezras, *Machabaeorum libri duo* ». In altera columna exhibentur libri N. T. omnes; quod enim « Petri I » scriptum est, id errori librarii tribuendum, nam duas Petri epistolas codex continet. In tribus sequentibus foliis depictae sunt figurae quaedam, quibus enumerationes librorum inscriptae sunt et post illas additur : « Sic fiunt veteris et novi testamenti, sicut dividit sanctus *Hilarus*, *Romanae urbis antistes*, et Epiphanius Cyprius, quem latino sermone fecimus transferre, libri septuaginta, in illo palmarum numero forte praesagati, quos in mansione Helim invenit populus Hebraeorum ». In ista figura autem praeter reliquos deuterocanonicos etiam enumeratur « Hieremias cum *Baruch* ».

5. Cfr *supra* 40 *n*. 14.

6. *Dionysii Exigui* Codex canonum eccles. synod. apud Carthag. Afric. c. 24 (M. 67, 191).

7. *Cassiod.* Instit. div. liter. 12. 13. 14. divisiones exhibet secundum Hieronymum, Augustinum, antiquam translationem : « Nos omnia tria genera divisionum iudicavimus affigenda, ut inspecta diligenter atque tractata non impugnare sed invicem se potius exponere videantur » (M. 70, 1125).

Quis hoc tempore *ecclesiae orientalis* canon fuerit, ex illis librorum sacrorum collectionibus optime discimus, quas ecclesiae istis saeculis ab unitate catholica recedentes secum abstulerunt et ad nostram usque aetatem conservarunt. Iam vero integrum nostrum canonem a *Nestorianis chaldaeis* admitti constat; etenim Ebediesu († **1318**), Nestorianorum metropolita in Armenia, carmen composuit, « in quo libros divinos *et omnes compositiones ecclesiasticas* tum antiquorum tum iuniorum se propositurum » promittit, a libris autem V. T. incipiens omnes protocanonicos et deuterocanonicos enumerat, iisque deinde profana Iudaeorum scripta et apocrypha quaedam adiungit[8]. A *Monophysitis* (Iacobitis) quoque (*Syris, Aethiopibus, Armenis, Coptis*) omnes deuterocanonici recipiuntur; quod vero aliqui ex iis praeterea unum alterumve apocryphum post suam defectionem inter sacros suos libros admiserint, id difficultatem non creat, quum nullus apocryphus communi consensu apud omnes approbetur, e contra omnes deuterocanonici apud omnes inveniantur[9]. Unde concludere nobis licet, omnes deuterocanonicos ea aetate, qua sectae illae exortae sunt, in orientalium ecclesiarum usu fuisse, sectarios autem illos, uti fieri fere solet, quando una cum haeresi ignorantia populos subiugat, decursu temporis apocrypha illa canoni suo inseruisse.

8. *Assemanus* (Bibliotheca orientalis III. 2. p. 236) de Nestorianorum doctrina agens fuse probat, eos hac in quaestione Theodorum Mopsuest., quamvis eum magni faciant, non esse secutos nec cum eo deuterocanonicos atque multo minus protocanonicos (Iob, Paralip., Esdr., Cant.) e canone expunxisse. Idem (Bibl. orient. III. 1. p. 5 sqq.) integrum carmen Ebediesu refert, in quo post Legem librosque historicos, Psalmos et libros tres protocanonicos Salomonis referuntur *Bar Sira* (Eccli.) et *Sapientia magna* et Iob. Deinde Prophetae enumerantur hoc ordine : Isaias, duodecim minores, Ieremias, Ezechiel, Daniel, quos sequuntur *Iudith*, Esther, *Susanna*, *Daniel minor* (*a*), *Epistola Baruch*. Hosce excipiunt « traditionis Seniorum liber » et opera « Iosephi scribae », inter quae « Proverbia (*b*) et historia filiorum Samonae (*c*), liber etiam Machabaeorum (primus) et regis Herodis historia et

---

a.) Daniel minor a Nestorianis duo ultima capita Danielis vocantur, quae ex septuaginta translata versioni simplici (Peschito) sunt addita.

b.) Proverbiorum nomine designant fabulas aesopicas, quas Syri et Arabes Fl. Iosepho auctori adscribunt.

c.) Samona apud Syros est nomen matris fratrum machabaicorum, quae in Graecorum

liber postremae desolationis Ierosolymae per Titum, et liber Asiathae, uxoris Iosephi iusti filii Iacob (*d*), et *liber Tobiae et Tobith* iustorum Israelitarum ». Quibus enumeratis Ebediesu ad N. T. transit his verbis : « Nunc absoluto Vetere aggrediamur igitur Novum, cuius caput est Matthaeus » etc. Ex quibus verbis coniecerit forsitan aliquis, omnes libros antea nominatos Veteris Test. canone comprehendi; recte autem monuit Assemanus, eodem modo, quo postea a libris Novi Test. ad alios libros christianos enumerandos nullo monito praemisso transeat, eum a canonicis veteribus Scripturis ad illos libros iudaicos, qui ipsi cogniti erant, transivisse; nemini sane suspicio oriri potest, Nestorianos in suo canone « librum traditionis Seniorum » i. e. Mischna, antiquissimam Thalmudis partem, recensuisse. Ab eorum igitur canone, prout Ebediesu eum tradit, libri duo Mach. et Tobiae excludi videntur; sed Assemanus (Bibl. or. III. 2. p. 236) asserit, Tobiam aeque ac Baruch et Sapient., etsi in codicibus Bibliorum nonnullis omittantur, canonicos a Nestorianis haberi.

9. Canonem *Syrorum Iacobitarum* vel Monophysitarum ex operibus, quae eorum episcopi doctissimi, *Iacobus Edessenus* († 708) et *Gregorius Barhebraeus* († 1286) ediderunt, cum certitudine cognoscimus. Prioris exstat « Vocum difficilium, quae in syriaca V. et N. T. versione occurrunt, recensio et punctatio »; in quo opere incompleto adnotationes continentur ad Pentat., Ios., Iudic., Iob, 1,2 Reg., Psalm., 3,4 Reg., Is., 12 minor., Ierem. cum Thren. et *Baruch*, Ezech., Dan., Prov., *Sap.*, Cantic., Ruth, Esther, *Iudith*, *Eccli.* (*Assem.* Bibl. orient. II. p. 499. Cod. 22). Catalogo huic ex Barhebraei « Horreo mysteriorum » (i. e. Comment. in SS.) addenda sunt *fragmenta danielica;* post librum enim Ruth sequitur Susannae historia; de Bel autem et Dracone narratio Danielis vaticiniis addita est (*Assem.* l. c. II. 277). Praeterea Syros Iacobitas *omnes* libros deuterocanonicos admisisse etiam ex eo apparet, quod antiquae suae versioni (Peschito), quae ex hebraico textu facta erat, recentiorem ex alexandrino textu adornatam longe praetulerint (*Barhebr.* apud *Assem.* l. c. II. 281). Versionem hanc ineunte saec. 7. Paulus Telensis composuit ex textu hexaplari Origenis, eamque omnes libros nostri canonis continuisse constat ex codicibus superstitibus (cfr *Field* Hexapla Origenis I. Prolegom. p. LXVII sq. et *infra* 147 *n.* 5. 6.).

Aethiopicum canonem ita recenset *Ludolf* (Hist. aethiopica III. c. 5. Francof. 1681) « Vetus Testamentum, quod quadraginta sex libros continet in quatuor praecipuas partes dispertiunt et libros quosdam coniungunt diversi plane argumenti... Primus tomus *Lex* vocatur et Octateuchus est; continet enim octo libros, qui dicuntur Creatio, Exitus, Levitarum, Numeri, Tabernaculi (Deuteron.), Iosue, Ducum (Iud.), Ruth. Alter tomus vocatur *Reges* et continet tredecim libros : 1,2 Samuel, 1,2 Hebraeorum, quos tamen communius more Graecorum quatuor Regum vocant, 1,2 Minorum seu inferiorum (sic accepisse videntur Graecorum Paralipomena), 1,2 Esdrae, *Tobias*, *Iudith*, Esther, Iob, Psalmorum. Tertius *Salomon* quinque libros continet : Proverbia, Concio (Eccle.), Canticum Cant., *Sapientiam*, *Siraciden*. Quartus *Prophetae* continet duodeviginti libros : Isaiam, Ieremiae prophetiam eiusque Threnos, *Baruch*, Ezechiel, Daniel, Prophetas minores Osee etc. His coronidis loco

---

menologiis Salome appellatur; 4 Mach. igitur designatus est, qui ab antiquis multis Iosephi esse credebatur.

d.) Iosephi uxoris nomen erat Aseneth (*Gen.* 41,45); hoc nomine exstat apocryphum in *Fabricii* Cod. pseudepigr. V. T. (Hamburgi 1722 I. p. 774 sqq.; II. p. 85 sqq.).

addunt duos libros Machabaeorum ». Est igitur canon completus V. T., atque etiam in N. T. habent omnes nostros libros, quibus « communiter annumerant volumen quod graeco vocabulo Synodum appellant »; continet Constitutionum et Canonum Apost. octo libros. « Hinc est, quod rex David Alvarezio dixit se habere unum et octoginta sacrae Scripturae libros, nempe quadraginta sex Veteris (quia Threni Ieremiae seorsim computantur) et triginta quinque Novi T., additis scilicet ad viginti septem nostros istis octo Constitutionum et Can. Apost. ». Haec Ludolf; *Dillmann* autem (Herzog P. R. E. II. Ed. 2. I. 205) hanc divisionem V. T. non ab omnibus tradi asserit; semper quidem sex et quadraginta V. T. libros numerari, at interdum in eorum numero apocryphos quosdam, uti Henoch vel 4 Esdr. vel 3 Mach. etc., computari; quidquid hac de re est, illud constat, Iacobitas aethiopicos omnes deuterocanonicos suo canoni inseruisse, etsi forte aliqui praeter illos etiam nonnulla apocrypha admiserint. Duo libri Machab., quos possident, non sunt iidem, quos nos habemus, sed historiae iuniore tempore confictae; veros enim libros olim quidem possedisse, sed decursu temporis perdidisse ac demum, quum in antiquis suis catalogis titulos illos invenirent, apocryphis hisce confictis compensasse videntur.

Armenorum canonem etiam deuterocanonica omnia continere editiones eorum docent et diserta patriarcharum episcoporumque testimonia confirmant, quae referuntur in Perpétuité de la foi (Ed. Migne, Paris 1841 II. 1269-1276).

Operae vix pretium est, ut de catalogo librorum V. T., quem medio saec. 6. *Iunilius Africanus* tradidit, quidquam addamus. A Primasio scilicet, adrumetino episcopo, rogatus ea, quae a Paulo Persa, nisibenae scholae magistro, hauserat quaeque forte a Theodoro Mopsuesteno primo sunt proposita, literis consignavit [10]. In quatuor classes Utriusque Test. Scripturas distribuit; in prima recensentur libri historici : Pentat., Ios., Iudic., Ruth, Regum quatuor, Evangeliorum quatuor, Actuum Apost. unus. Interroganti discipulo, num qui alii libri ad divinam historiam pertineant, respondet : « adiungunt plures Paralip. duos, Iob unum, Tobiae unum, Esdrae unum, Iudith unum, Esther unum, Machab. duos »; at hosce « non inter canonicas Scripturas currere » ait « quoniam apud Hebraeos quoque super hac differentia sint recepti, sicut Hieronymus (?!) ceterique testantur ». In altera classe prophetici libri septem et decem enumerantur, nimirum « Psalmorum centum quinquaginta liber et Prophetae maiores quatuor et minores duodecim secundum temporis rationem, ut videtur, dispositi »; addit autem : « ceterum de Ioannis Apocalypsi (quam nondum enumeravit cuiusque in praecedentibus nulla fit mentio) apud Orientales admodum dubitatur ». Tertia classis libris proverbialibus duobus constituitur, « Salomonis Proverbiis et *libro Iesu, filii Sirach* », quibus « adiungunt quidam librum, qui vocatur Sapientia et Cantica Cant. ». Demum quarta libros complectitur, « qui ad simplicem doctrinam pertinent », septemdecim, ex V. T. solum Ecclesiasten, ex N. autem Paulinas epistolas quatuordecim, 1 Petri et 1 Ioan., quibus « adiungunt quam plurimi quinque alias, quae Apostolorum canonicae appellantur, i. e. Iacobi unam, Petri secundam, Iudae unam, Ioannis duas ». Praeterea libros distinguit, prout perfectae, aut mediae, aut nullius sint auctoritatis. Inter primos numerandos esse docet eos, quos in singulis speciebus absolute recensuit, inter secundos, quos *plures* adiungere

prioribus dixit, inter tertios « reliquos », i. e. Sapientiam et Canticum, quum hos a « *quibusdam* » addi asserat. Num Iunilius magistri sui Pauli Persae doctrinam accurate retulerit, inquirere nostra non interest, atque illam quoque quaestionem omittere possumus, num haec genuina sit Theodori Mopsuest. sententia; certissime enim constat, a nulla unquam secta hunc canonem esse receptum, nec ab ullo scriptore ecclesiastico alicuius auctoritatis eum esse propositum, nec ullo fundamento historico hanc canonicorum librorum enumerationem et distributionem inniti. Pro singulari igitur miroque invento catalogus Iunilii haberi debet, qui in canonis historia nullius est momenti et auctoritatis.

Exeunte saec. 6. *Leontius Byzantinus* operi suo « de sectis » catalogum librorum Utriusque Test. praemisit, in quo Novi quidem cunctos, Veteris autem solos protocanonicos, excepto l. Esther, recenset [11]. Iudaeorum quidem eum canonem tradere noluisse constat, nam diserte ait « hos esse libros, qui in Ecclesia canonici habentur »; at probe notandum, Leontium, licet Byzantinus a patria, ut videtur, cognominetur, in monasterio S. Sabae prope Ierosolyma vixisse atque opera sua composuisse; quare eius catalogus illos libros complectitur, qui eo tempore aeque ac duobus vel tribus saeculis antea soli in ecclesiis ierosolymitanis praelegebantur. Ceterum immediate postea in eodem opere *Baruch* sub nomine Ieremiae laudat, et contra Eutychianos et Nestorianos *Sapientiam* et *Ecclesiasticum* formula « Scriptura dicit » allegat [12]. Eodem igitur modo Leontii catalogus, quo cyrillianus, explicandus et excusandus est.

10. *Iunil. Afric.* De part. div. legis I. 3-7. (M. 68, 16 sqq.). De aetate, qua Iunilius floruit, de fontibus, ex quibus hausit, deque eius cum Theodori Mopsuest. placitis consensu erudite et egregie quidem agit *Kihn* (Theodor v. Mopsuestia u. Iunilius Afric. als Exegeten. Freiburg 1880), sed eum Iunilii scientiam et merita haud parum exaggerare arbitramur.

11. *Leontii Byz.* De sectis. Act. II. 1-4 (M. 86, 1200 sqq.).

12. *Leontii Byz.* De sect. Act. II. 6; c. Nestor. et Eutych. I. (M. 86, 1208. 1293. 1308); c. Nestor. III. 8; V. 24 (M. 86, 1633. 1745). In homilia in mediam Pentec. *fragmenta Danielis*, *Eccli.* et *Sap.* pluries citantur (M. 86, 1976 sqq.), sed dubitatur, annon hoc opusculum iuniori Leontio Byz. sit adscribendum.

46. — Saec. 7. — Hac aetate in *ecclesia occidentali* tres floruerunt celebres Hispaniae doctores, quos omitti non decet. Primus inter eos *S. Isidorus Hisp.*, postquam ex S. Hieronymi prologo galeato libros protocanonicos tribus ordinibus (Legis, Prophetarum, Hagiographorum) distinctos attulit, in hunc modum pergit: « Quartus est *apud nos* ordo V. T. eorum librorum, *qui in canone hebraico non sunt*. Quorum primus Sapientiae liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobias, quartus Iudith, quintus et sextus Machabaeorum, *quos licet Hebraei inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros et honorat et praedicat* ». Haec, quae non semel repetit [1], summa

quaedam sunt et compendium omnium eorum, quae antiqui Patres de Veteris Test. canone retulerant; unde merito mireris, deuterocanonicorum adversarium quendam his verbis quasi ad iram provocatum exclamare ausum esse : « Parum refert, quid tot post Christum saeculis temere censuerit aut decreverit unus aut alter, quum alia fuit communis catholicae ecclesiae sententia »[2]; ad hanc autem « communem ecclesiae catholicae sententiam » probandam pauca S. Gregorii M. verba in medium afferre non erubescit, in quibus de Machabaeorum canonicitate *videtur* dubitare. Num forte *S. Gregorii* M. auctoritas tanta est, ut omnibus aliorum Summorum Pontif., Patrum, conciliorum testimoniis praevaleat? Ceterum de germana magni Pontificis sententia ex innumeris fere locis constat, in quibus deuterocanonica sine ulla dubitatione consuetis formulis (*Scriptum est, Scriptura dicit, Sapientia Dei testatur* etc.) adhibet; quare iure merito verba illa, quippe quae forte minus accurate sint dicta, secundum illos explicemus oportet[3].

Alii hispanicae fidei testes sunt *S. Ildefonsus Toletanus* († 669), qui canonem S. Augustini recipit[4], et *S. Eugenius Tolet.* († 657), qui hisce versibus catalogum exhibet :

« Regula quos fidei commendat noscere libros,
Hos nostra praesens bibliotheca tenet :
Quinque priora gerit veneranda volumina Legis;
Hinc Iosues, optimaque hinc Ruth Moabitica gesta
Bisbis Regum nectuntur in ordine libri.
Atque bis octoni concurrunt inde prophetae;
En Iob, Psalterium, Salomon et Verba dierum,
Esdrae consequitur Esther, *Sapientia, Iesus*,
Tobi et *Iudith; concludit* haec *Machabaeorum;*
Hic Testamenti Veteris finisque modusque »[5].

Eodem saeculo in *Oriente* concilium *trullanum* recepto canone carthaginiensi finem controversiae imposuit (*supra* 42 *n.* 23) et *Paulus Telensis* in syriacam suam hexaplaris textus versionem omnes deuterocanonicos recepit (*supra* 45 *n.* 9.)

1. *S. Isidor. Hisp.* Etymol. VI. 1, 9; cfr VI. 2, 30-35; de eccles. offic. I. 11, 4. 5 (M. 82, 229. 233; 83, 746). Eodem modo in Prooem. Prol. 7. 8 (M. 83, 158) : « *Tobiae, Iudith* et *Machab.* libros Hebraei non recipiunt; Ecclesia tamen eosdem inter canonicas Scripturas memorat »; *Sapientia* et *Ecclesiasticus* « in Ecclesia parem cum reliquis canonicis libris tenere noscuntur auctoritatem ».

2. *Hodius* De Bibl. text. origin. p. 654.

3. *S. Gregor. M.* Moral. XIX. 21 (M. 76, 119) Machabaeorum librum citans : « Si ex libris non canonicis, sed tamen *ad aedificationem Ecclesiae* editis testimonium proferamus ». Verba haec, quocunque sensu intelliguntur, protestantico errori non favent, quippe qui deuterocanonicos libros plenos dicat errorum et scandalo-

rum, ut « ad aedificationem Ecclesiae » inservire nequeant. Animadverte autem, in secundo membro non sine ratione addi « Ecclesiae », unde in priore suppleamus necesse est « synagogae », ac proin S. Gregorius cum amico suo S. Isidoro plene consentit, quum de « libris non canonicis synagogae, sed ad aedificationem Ecclesiae editis » loquatur. Quam frequenter adhibeat deuterocanonica S. Gregorius, facile videbis, si unum Moralium librum percurrere volueris; libri *Sap.* et *Eccli.* ex. gr. pro sacra Scriptura adhibentur Moral. IV. 3. 17. 21. 23. 31. 34 (M. 75, 635. 654. 656. 657. 670. 674). S. Gregorii M. discipulus, *S. Paterius*, in sua « Concordia testimoniorum » eadem cum diligentia *Sap.* et *Eccli.*, qua reliquos libros, explicat (M. 79, 917 sqq.); omittit quidem historicos secundi canonis libros, sed omittit pariter aliquos protocanonicos (1, 2 Paralip., 1, 2 Esdr., Esth.); a discipuli autem canone ad magistri doctrinam concludere licet.

4. *S. Ildefons. Tolet.* De baptismo 59 (M. 96. 140); cfr S. August. de doctr. christ. II. 8 (*supra* 40 *n.* 11); unam tamen animadverte differentiam : S. Augustinus Sapientiam et Ecclesiasticum, « quia in auctoritatem recipi meruerint, inter propheticos numerari » dicit, S. Ildefonsus expressius : « quoniam in *divinam* auctoritatem recipi meruerint ».

5. *S. Eugen. Tolet.* Versus in bibliotheca (M. 87, 394). Mirum quod Iudicum liber sit omissus, at vers. 4. evidenter est corruptus in editionibus; forte legendum : « Hinc Iosue, Sophetim cum Ruth Moabitica; gesta bisbis Regum nectuntur in ordine libris »; S. Eugenius quatuor librorum ordines cum S. Isidoro videtur distinguere.

Saec. 8. et 9. — In Occidente praeclari nobis hac aetate testes sunt quinque Vulgatae codices, *amiatinus* in Hibernia quidem scriptus sed iuxta exemplar ex Italia allatum, *toletanus* in Hispania, *cavensis,* et *paulinus* (carolinus) et *statianus* (vallicellianus) in Italia conscripti, qui cunctos Veteris Test. libros praeter Baruch continent[6]; ultimi duo, quum textum iussu Caroli M. ab Alcuino correctum exhibeant, Angliae simul, Galliae, Germaniae Italiaeque testimonia de Veteris Test. canone complectuntur. At indirectis his non indigemus, siquidem directa abundant. *Alcuinus* duobus in carminibus completum catalogum enumeravit[7]; eundem *Rhabanus Maurus* non semel retulit, praeclaram S. Isidori Hisp. distinctionem iudaicum inter et christianum canones suam fecit, plerosque deuterocanonicos libros commentatus est[8]. Integros fere hos commentarios eius discipulus, *Walafridus Strabo*, in suam Glossam Ordinariam transcripsit[9]; ad Tobiae autem libellum, quem Rhabanus non explicaverat, interpretandum usus est Walafridus *Ven. Bedae* expositione allegorica[10]. Summo igitur cum iure, quod ad Occidentem attinet, *Nicolaus I.* de canone Innocentii I. velut de decreto in universa Ecclesia recepto loqui potuit[11].

6. De his codicibus agemus *infra* 169; etiam cfr *Blanchini* Vindic. canon. Scriptur. p. CCCXXII sqq.; *Vercellone* Variae Lectiones Vulgatae. Romae 1860 I. p. LXXXIV sq. etc.

7. *Alcuin.* Carm. VI. (M. 101, 731 sqq.). Quod si librum Eccli., ut ad obiectionem

quandam ex *Eccli.* 36, 14 desumtam facilius respondeat, « ab Hieronymo et Isidoro (?) inter apocryphas, i. e. *dubias*, Scripturas deputari » ait, (c. Elipand. I. 19. M. 101, 254), ipse tamen de eo dubitasse censendus non est, quia frequenter illum titulo Scripturae vel Sacr. Literarum allegavit; cfr ex. gr. de virtut. et vitiis 14. 15. 17. 18 etc. (M. 101, 623 sqq.).

8. *Rhaban. Maur.* de Universo VI. 1; cfr de instr. cler. II. 53; comment. in Sap. Prol. (M. 111, 105; 107, 364 sq.; 109, 672). Eius exstant commentarii in *Sap.*, *Eccli.*, *Iudith*, 1, 2 *Mach.*

9. *Walafridus Strabo*, quum in sua Glossa Patrum interpretationes colligat, plerisque quidem deuterocanonicis ex S. Hieronymo notam, eos non esse de canone, praemittit; nihilominus eadem cum cura eos, qua protocanonicos, interpretatur, quare notae illae eius sententiam exprimere non videntur.

10. *Ven. Beda*, quamquam nobis allegoricum libelli *Tobiae* expositionem reliquit atque fatentibus omnibus in suis citationibus scripturisticis inter deuterocanonicos et inter protocanonicos nullum discrimen facit, tamen deuterocanonicorum adversarius habetur (cfr *Hodius* de Bibl. textu orig. p. 654, quem reliqui caeco modo sequuntur). Eorum rationes sunt *a.*) quod in opere de temporum ratione (c. 6. De sex mundi aetatibus; ad an. mundi 3529. M. 90, 540) de 20. Artaxerxis anno loquens : « hucusque, inquit, divina Scriptura temporum seriem continet. Quae autem post haec apud Iudaeos sunt gesta, de libro Machabaeorum et Iosephi atque Africani scriptis exhibentur ». At rectissime Ven. Pater « *seriem* temporum » usque ad 20. Artaxerxis annum perduci dixit ac simili plane modo loquitur *S. Aug.* (Doctr. christ. II. 8, 13 cfr *supra* 40 *n.* 11) priores libros historicos, qui unum quasi continuum opus constituunt, a reliquis historicis distinguens; falsissime igitur ex Bedae verbis concluditur, eum reliquos libros, qui facta quaedam specialia (Tobias, Iudith) referunt aut historici non sunt (Eccli., Sap.), e canone expunxisse. Quid quod in ipso opere citato librum Iudith iam Cambysis tempore scriptum dicat (ad an. m. 3431. M. 90, 537)? Dein *b.*) in Apocalypseos explicatione dicunt eum solos viginti quatuor V. T. libros agnoscere (M. 93, 144) : « Alae senae quatuor animalium, quae sunt viginti quatuor, totidem Veteris Instrumenti libros insinuant »; allegoricam hanc explicationem Beda ex Primasii Adrumetani commentario (in Apoc. 4. M. 68, 818) desumsit; nemo autem ignorat, quot eiusmodi explicationes interpretes iuniores Hieronymi Epiphaniique exemplum secuti ex antiquorum operibus congesserint nec tamen suas fecerint. Operae pretium non est, ut duas reliquas similes explicationes examinemus, alteram, in qua librorum V. T. tres ordines (Legem, Prophetas, Hagiographa) tribus canistris videt praefiguratos, alterum, in qua duodecim iuga boum indicare viginti quatuor V. T. libros dicit. Interpretes enim illos, qui una ex parte Iudaeorum canonem viginti quatuor libris constitisse ex S. Hieron. praefationibus cognoverant, altera ex parte numerorum mysteria diligenter sectabantur, eiusmodi allegoricis explicationibus usos esse non est mirum; mirum autem est, quod protestantes, qui aliis in quaestionibus allegorias tantopere aversantur, in hac nostra controversia eis tantam fidem adhibeant. Ceterum ubinam ultimas has duas allegorias in Bedae operibus invenerint, ignoro.

11. *Nicolai I.* ep. ad universos episcop. Galliae (M. 119, 902).

Non minus autem vera sunt Nicolai verba, si quaenam fuerit *ecclesiae orientalis* ea aetate fides consideramus. Revera enim concilium trullanum, uti diximus, toti controversiae inter Graecos finem impo-

suisse, maxima cum evidentia demonstrat *Photii* testimonium. Qui acerrimus ecclesiae occidentalis hostis et adversarius, quum ad suum schisma excusandum minimas, quae eo tempore Orientales inter et Occidentales exstiterunt, discrepantias conquireret, non tantum canonis diversitatem silentio non praetermisisset, nisi hac in re perfecta harmonia adfuisset, sed etiam in suo Nomocanone et sua canonum collectione carthaginiense decretum de Utriusque Test. libris non retulisset, nisi illud in graeca ecclesia vim legis habuisset[12]. Postquam vero a romana unitate omnino recesserunt, Graeci eundem canonem retinuerunt; id enim non minus iuniores eorum canonistae Zonaras et Balsamo testantur[13], quam conciliabulorum illorum decreta, quae sacc. 17. Cyrilli Lucaris conatus, ut protestanticos novos errores in Orientem introduceret, felici cum successu represserunt. Etenim « ecclesiae catholicae, inquiunt concilii ierosolymitani membra, regulam sequentes sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a synodo laodicena mutuatus Cyrillus recenset, iis insuper additis, quos insipienter aut inscite aut potius malitiose vocavit apocryphos : *Sapientiam* videlicet *Salomonis*, libros *Iudith, Tobiae, Draconis historiam*, *historiam Susannae*, *Machabaeos* et *Sapientiam Sirach;* hos enim cum ceteris genuinis S. Scripturae libris ceu germanas eiusdem Scripturae partes censemus esse numerandos »[14].

Cui utriusque ecclesiae pleno consensui ea non obstant, quae ex S. Ioannis Damasceni et Nicephori Constant. operibus afferuntur. *S. Damascenus* enim suum V. T. catalogum ad literam a S. Epiphanio assumsit, non attendens isto maxime in loco, quem transcripsit, a cyprensi episcopo Iudaeorum canonem recenseri nec sua ipsius praxi eundem catalogum approbari[15]. *Nicephorus* vero in sua stichometria a synopsi Ps. Athanasii, quam in compendium redegit, totus dependet, ita ut nec suam nec suae aetatis nec suae ecclesiae sententiam referre dicendus sit, sed velut historicus fidelis anterioris cuiusdam aetatis documentum conservare voluerit; idque eo magis est concedendum, quia stichometria eius non est nisi chronographiae eius appendix quaedam[16].

12. *Photius* in sua « Encyclica ad archiepiscopales thronos Orientis » (Epist. I. 13. M. 102, 721 sqq.) Occidentalibus vitio vertit, quod sabbathis ieiunent, in prima Quadragesimae hebdomada lacticiniis vescantur, quod omnes sacerdotes ad coelibatum obligent, quod in symbolo « filioque » addiderint etc., immo alibi etiam eis obiicit, quod clerici barbam radant etc.; canonis biblici autem ne minima quidem fit mentio. — Nomocan. et Canon. Syntagm. tit. II. c. 3. (M. 104, 1094 et 592).

13. *Zonarae* (saec. 12.) et *Balsamonis* (saec. 13.) explicationes ad Conc. Trull. c. 2. vide in *Beveregii* Synod. (M. 137, 524; 138, 122).

14. *Cyrillus Lucar.* eos solos libros canonicos esse declaravit, quos laodicena

synodus approbaverat (Confessio Cyr. Lucar. Interrog. 3; cfr *Kimmel* Monumenta fidei orientalis. Ienae 1850 I. 42), at una cum reliquis doctrinae capitibus, quae a calvinianis hauserat, haec eius sententia iteratis vicibus reiecta et damnata est a Graecis. In concilio, quod Parthenius, patriarcha constantin. cum aliis duobus patriarchis, uno et viginti episcopis etc., an. 1638 Constantinopoli celebravit, data est epistola synodica ad synodum localem Giasii (Iassy) congregatam et ab hac accepta, qua sententia Cyrilli, qui « nonnullos Scripturae libros velut canonicos a sanctis et oecumenicis synodis receptos expungit », ceu « haeresis ubique spirans atque ab orthodoxa fide prorsus aliena » proscribitur (*Kimmel* l. c. p. 415 sq.). In concilio Constantinopoli mense Ianuario 1672 congregato Dionysius patriarcha const. cum multis aliis episcopis iterum declaravit : « Denique varias s. librorum enumerationes invenimus in canonibus Apostolorum et in synodis laodicena et *carthaginiensi*...; quos autem V. T. libros aliqua enumeratio non continet, illi propterea non reiiciuntur tamquam profani et communes; immo vero boni habendi sunt et praeclari nec ullo modo contemnendi » (*Kimmel* l. c. II. 225). Eodem anno 1672 mense Augusto Dositheus Ierosolymorum patriarcha in sua synodo illud edidit decretum, quod supra retulimus (*Kimmel* l. c. I. 467). Huic synodo cum multis aliis subscripserunt Timotheus monachus ex Magna Russia atque Iosaphat, archimandrita S. Sepulcri et apocrisiarius Alexii, imperatoris Moscoviae, nomine sui imperatoris decreta concilii illius confirmans (*Kimmel* l. c. I. 488). Quare etiam Russorum Biblia non tantum omnes nostros deuterocanonicos suis in locis inter protocanonicos continent, sed etiam orationem Manassis Paralipomenis, 3 Esdrae post duos priores Esdrae et 4 Esdrae post duos Machab. collocant (Editio a synodo petropolitana an. 1876 approbata). Si nihilominus metropolita Philaretes († 1868) in suo catechismo, qui etiam a synodo approbatus est, ad S. Cyrillum Ieros. et S. Athanasium provocans deuterocanonicos a canone excludit, notandum est, eundem Cyrilli Lucar. vestigia secutum multas doctrinas protestanticas inter Russos propagasse. — Unicus, qui inter *Graecos* cum Cyrillo Luc. consensit, fuit Metrophanes Critopulus, hieromonachus berrhoensis, qui in sua confessione libros deuterocanonicos non reiiciendos quidem existimat, sed nunquam ab Ecclesia Christi pro authenticis et canonicis receptos declarat (*Kimmel* l. c. II. 105 sq.). Cuiusnam autem auctoritatis in hac nostra quaestione haec assertio sit, facile apparet perpendenti Metrophanem, utpote iuvenem « ingenio ad reconditiorem doctrinam imbibendam praeditum » ab ipso Cyrillo Luc. in Angliam et Germaniam esse missum, ut ex protestanticis universitatibus « reconditiorem illam doctrinam » hauriret; non suae igitur gentis sed protestanticorum quorundam doctorum exprimit sententiam.

15. *S. Ioan. Damasc.* De fid. orthod. IV. 17 (M. 94, 1177); cfr S. Epiph. de pond. et mens. 4 (M. 43, 244; *supra* 42. *n.* 14). — *Sapientiam* et *Ecclesiasticum*, quamvis hos libros non numerari nec in cista reponi dicat (a), non infrequenter S. Damascenus pro divina auctoritate adhibet; ex. gr. de fid. orthod. IV. 4. 6. 15. 18. 27. (M. 94, 1108. 1113. 1164. 1184. 1221) etc.

16. *Nicephorus Constant.* chronographiae breve compendium ab Adamo ad suam usque aetatem composuit (M. 100, 1002-1056), cui librorum, qui divini in Ecclesia

---

(*a*) Ultima Epiphanii verba (ἐν τῷ Ἀρὼν οὐκ ἀνετέθησαν, τουτέστιν ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ) Damascenus non satis videtur intellexisse, quum ea sic referat : οὐκ ἔκειντο ἐν τῷ κιβωτῷ, quae aptum sensum non praebent, si de Christianorum libris sermo est.

praedicantur, catalogum adnectit. Intimam catalogi huius et synopseos Ps. Athanasii affinitatem omnes concedunt; dum autem plerique Nicephorum synopsin excerpsisse teneant, *Credner* (Zur Geschichte des Kanon. Halle 1847 p. 129 sqq.) synopsin a Nicephoro dependere affirmat. At immerito; post conc. trullani enim definitionem fieri non potuit, ut patriarcha constantinopolitanus tres classes librorum (canonicorum, dubiorum, apocryphorum) distingueret, quia omnes canones a trullano recepti canonicos et apocryphos tantum distinguunt; multo minus Apocalypsin Ioannis eodem loco, quo Apocalypsin Petri, epistolam Barnabae, Evangelium secundum Hebraeos (quod eo tempore iam dudum intericrat) habere omnesque hos inter dubios enumerare vel l. Esther suo tempore dubiis adscribere potuit. Totus catalogus ita est comparatus, ut a viro quodam privato saec. 4. vel 6., sed non a patriarcha constantinopolitano saec. 9. compositus sit dicendus.

V. Canon V. T. medio aevo.

47. — Dum in ecclesia orientali omnis controversia de canonis ambitu post conc. trullanum, uti diximus, prorsus extincta erat nec Cyrilli Lucaris conatu ad novam vitam revocari potuit, *in ecclesia occidentali* inde a saec. 10. iterum dubitatio quaedam animos invasit atque per totam scholasticorum aetatem ad concilium usque tridentinum duravit. Cujus praecipua causa in eo quaerenda est, quod multi theologi Romanorum Pontificum conciliorumque afrorum decreta, quibus integer V. T. canon approbatus est, continuamque Ecclesiae praxin, ex qua libri canonis primi et secundi sine ullo discrimine in sacra liturgia adhibiti sunt, non satis cum S. Hieronymi, « doctoris doctorum », praefationibus conciliare potuerint. Prologus enim galeatus ac reliquae S. Doctoris praefationes, quum in longe plerisque Vulgatae codicibus libris sacris praemitterentur, velut pars quaedam sacri textus ab aliquibus habebantur, commentariis illustrabantur, maximaque auctoritate valebant. Dubii igitur incertique multorum animi fluctuabant; neque enim S. Hieronymo contradicere et multo minus Ecclesiae auctoritati resistere audebant. Hinc multae et mirae nominum « hagiographi » et « apocryphi », quae in praefationibus legerunt, definitiones et explicationes, multique conciliationis et distinctionis conatus. Maior saniorque theologorum pars, S. Hieronymi sententia aut omissa aut quomodocumque explicata, antiquam traditionem secundum Rom. Pontificum decreta retinuerunt; at nullo tempore defuerunt, qui decreta illa secundum prologum galeatum aut reformare aut saltem explicare sunt conati. Nec prius incertitudo haec finem habuit, quam Patres tridentini canonem illum, quem Apostoli Ecclesiae reliquerant quemque continua et non interrupta traditio per Patres praecipuosque omnium saeculorum theologos transmiserat, sollemni decreto dogmatico definiverit.

In animo non est, varias illas definitiones et distinctiones referre, quibus theologi scholastici nonnulli genuinam de canone sententiam obscuraverunt potius quam explicaverunt; magna cum diligentia Hodius aliique, ut tridentinum decretum antiquae doctrinae repugnare ostenderent, eas collegerunt[1]; praecipuas tantum in medium afferemus, at simul ea quoque aetate deuterocanonicis libris divinam auctoritatem a plerisque attributam esse ostendemus; paucorum autem theologorum errore vel ignorantia catholicam traditionem neque destrui neque interrumpi patet.

1. *Hodius* de bibliorum text. origin. p. 154 sqq.; *Diestel* Gesch. des A. T. p. 180 sqq. 227 sq.; Bleek Einleitung. Ed. 2. p. 704 sq. etc.

48. — Inter eos, qui SAEC. 10. 11. 12. completum V. T. catalogum tradiderunt, primo loco nominandi sunt decretorum collectores, qui omnes aut Innocentii I. aut Gelasii canonem receperunt. Innocentii catalogum exhibet *Collectio canonum ecclesiae hispanicae*, quam ex codice anno 976. scripto Gonzalez edidit[1]; Gelasii vero decretum receperunt *Burchardus Wormat.* (+ 1025) et *Ivo Carnotensis* (+ 1117), idemque ante eos medio saec. 10. *Ps. Luitprandus* in suis Vitis Romanorum Pontificum iam retulerat[2].

Secundo loco veniunt illi, qui a S. Hieronymo solum canonem Iudaeorum tradi perspicientes solliciti canonem christianum utpote pleniorem atque Ecclesiae auctoritate confirmatum distinguunt. Huc pertinent *Petrus Blesensis* (+ 1200), qui S. Isidori et Rhabani Mauri verbis, quae sua facit, Iudaeos quidem sex libros inter apocrypha separare, Ecclesiam autem eosdem inter divinas Scripturas honorare ac praedicare asserit[3], et *Anonymus* quidam medio saec. 12., qui ait « praeter distinctos (i. e. protocanonicos) quinque esse, qui apud Hebraeos apocryphi dicantur, i. e. absconditi et dubii, quos vero Ecclesia honoret et suscipiat; primum esse Sapientiam » etc[4]. Non multum ab his abludit, accuratius autem argumenta, quibus deuterocanonicorum auctoritas demonstratur, *Aegidius Parisiensis* (c. 1180) in carmine quodam indicat[5]:

Ore styloque Dei digestus et editus orbi
  Canon Scripturae creditur esse sacrae;
Qui tamen excipit hos : Tobi, Iudith, et Machabaeos,
  Et Baruch, atque Iesum, pseudographumque librum;
Sed licet excepti; tamen *hos authenticat usus*
  Ecclesiae, fidei regula, scripta Patrum.

Aegidii coaevus et amicus *Petrus de Riga* etiam versibus quibusdam

omnes libros V. T. tradit, sed ad Iudaeorum canonem diversum non attendit[6].

Tertio loco nominamus eos, qui de ordine, quo in divino officio libri sacri recitandi sunt, tractantes completum eorum catalogum nullo discrimine commemorato tradunt. Sunt autem *Honorius Augustodun.* (c. 1125), *Gratianus* († 1155) et *Ioannes Beleth* (c. 1180), qui ultimus addit quatuor ex libris deuterocanonicis a quibusdam non recipi, ab Ecclesia autem approbari[7]. Quibuscum coniungere licet *Petrum Comestorem* († 1178), cuius Historia scholastica toto medio aevo scholarum communi usu celeberrima libros *Sap.*, *Eccli.*, *Iudith*, *Tob.*, *Mach.* apocryphos quidem vocat, « quia auctor ignoratur eorum », sed simul eos « ab Ecclesia recipi dicit, quia de eorum veritate non dubitatur »[8].

1. Cfr apud *Malou* Lecture de la Bible II. Tableau synopt. 44.

2. *Burchard. Wormat.* Decret. III. 217 (M. 140, 715); *Ivonis Carnot.* Decret. IV. 61 (M. 161, 276); *Ps. Luitprand.* De vitis Rom. Pont. 51 (M. 129, 212). Ab Ivone in decreto non recensentur nisi « Salomonis libri *tres* »; ambigendum vero non est, quin genuina lectio sit » Salomonis libri *quinque* »; idque non tantum, quia Gelasii decretum referre vult, sed etiam quia c. 62, ubi ordinem tradit, quo libri in ecclesiastico officio leguntur, toto mense Augusto « Salomonem » legi asserit; iam vero ex *Honorio Augustod.* (Gemma animae IV. 118 M. 172, 737) et ex *Beleth* (Ration. divin. offic. 62 M. 202, 68) constat, ea aetate, sicuti hodie, mense Augusto cum Prov., (Cant.), Eccle., etiam Sapientiam et Ecclesiasticum legi consuevisse.

3. *Petri Bles.* De divis. et script. s. libr. (M. 207, 1052).

4. *Anonymi* ep. ad Hugon. de modo et ordine legendi Script. (M. 213, 714). *Quinque* tantum libros numerat, quia duo Mach. ei sunt unus.

5. *Aegid. Paris.* De numero libr. U. T. (M. 212, 43). « Pseudographus liber » (vel pseudepigraphus) liber Sapientiae tum temporis appellabatur, « non quia auctor male scripserit, sed quia male inscripserit », uti nomen explicat Ioan. Saresberg. ep. 143 (M. 199, 129).

6. *Petri de Riga* Aurora. Fragm. 5. 1. Exod. (M. 212, 23). Numerum quinquaginta circulorum aureorum, de quibus *Exod.* 26, 6, allegorice de numero Scripturarum explicat : octo sunt N. T., sc. quatuor Evangeliorum, Actus, Paulus, Ep. Cathol., Apocalypsis; quadraginta duo autem V. T., quos ita recenset :

Quinque Moys : Iosue, Iudex, Paralipomenon, Iob,
Bis bini Regum, Ruth, David, Salomon,
Ezechiel, Daniel, Isaias, Ieremias,
Esdras, *Philo*, *Sirach*, plena vigore *Iudith*,
Esther amoena genis, *Tobias* et *Machabaei* :
Scripta prophetarum sunt duodena simul;
Nempe Neemiae dedit hospitium liber Esdrae,
Et Ruth Iudicibus hospita facta subest;
Scriptorisque sui *Baruch* librum Ieremias
Post libri recipit posteriora sui.

7. *Honorii Augustod.* Gemma animae IV. 118 (M. 172, 736); *Gratiani* Decret. I. dist. 15. c. 3. (M. 187, 79); *Ioannis Beleth* Rationale divin. offic. 59 (M. 202, 66) : « Quatuor tandem enumerant apocrypha, librum sc. *Tobiae*, *Machabeorum*, *Phi-*

lonis, cuius principium est : Diligite iustitiam, et Iesu filii Sirach, qui sic incipit : Omnis sapientia a Domino, appellaturque etiam Ecclesiasticus. Verum hos quatuor quidam non recipiunt, Ecclesia tamen eos approbat, quod argumentum fere habeant librorum Salomonis, etiamsi eorum auctores pro certo ac vere non sciat ». Demonstrationem additam nihil valere non est quod dicam; veram probationem indicavit Aegidius Paris. indicantque alii. Librum Iudith una cum protocanonicis recenset, l. Baruch omittit, quia cum Ieremiae vaticiniis coniunctus erat.

8. *Petri Comestoris* Histor. scholast. Praef. in Iosue (M. 198, 1260). Distinctis secundum Hieronymum tribus librorum ordinibus ad tertium pertinere novem libros dicit; in Scholio dein additur : Iob, David, tres libri Salomonis, Daniel, Paralipomenon (duo), Esther; Sapientia, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, Machabaeorum hagiographa (melius : apocrypha) sunt, quia auctor ignoratur eorum : sed *quia de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur*. Si autem nec auctor nec veritas sciretur, non reciperentur, ut liber de infantia Salvatoris ». Apud medii aevi scriptores uti iam monuimus, continua nominum « hagiographi » et « apocryphi » confusio exorta est ex librariorum oscitantia et ignorantia : uti in praefationibus hieronymianis, ita etiam in hoc loco et in aliis multis alii codices legunt « hagiographa », alii « apocrypha »; hinc etiam magna ipsorum scriptorum de illorum nominum significatione incertitudo. « Hinc historiam Iudithae, inquit Comestor, Iudaei inter *apocrypha* ponunt, Hieronymus tamen in prologo suo dicit : inter *hagiographa*; quod si esset tamen in tertio ordine esset canonis V. T., sed quia de nullo ordine est, dicemus quia Hieronymus diffusius accepit hagiographa, ut includeret etiam apocrypha » (Praef. l. Tobiae; cfr etiam praef. l. Iudith. M. 198, 1431. 1475). Ad hanc incertitudinem probe attendere debet, quicunque in medii aevi scriptorum sententiam genuinam de canone inquirit.

Minus accurate, quam ii, quos hucusque enumeravimus, loqui videtur *S. Petrus Cluniacensis* († 1185), qui contra Petrobrussianos sacrorum V. T. librorum auctoritatem acriter defendens omnibus protocanonicis recensitis hac ratione pergit : « Restant post hos authenticos S. Scripturae libros sex non reticendi : *libri Sapientiae, Iesu filii Sirach, Tobiae, Iudith, et uterque Machabaeorum liber. Qui etsi ad illam sublimem praecedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter laudabilem tamen ac pernecessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt.* Super quibus vobis commendandis me laborare opus non est. Nam si Ecclesia alicuius pretii apud vos est, eius auctoritate aliquid, saltem parum quid, a vobis suscipiendum est. Quodsi (sicut Iudaeis Christus de Moyse dixit) eius Ecclesiae non creditis, quomodo verbis meis credetis »[9]? Sed qui integrum huius loci contextum accurate perpenderit, nobiscum fateri non dubitabit, ex mente S. Abbatis nullum *auctoritatis* discrimen inter protocanonicos et deuterocanonicos libros adesse, sed deuterocanonicos iuxta eius sententiam ob eam solam rationem, quod eorum divinitas non aeque clare, ac reliquorum, ex *evangelicis* allegationibus demonstrari possit, ad protocanonicorum *dignitatem* non attingere; hoc enim demon-

strationis genere in praecedentibus contra Petrobrussianos, qui Vetus Test. reiiciebant Novi auctoritatem agnoscentes, usus erat atque ad idem demonstrationis genus post verba mox relata revertitur. « Nam, inquit, sicut in primis dixi : si soli Evangelio creditis, necessario toti huic, quod auditis, Veteri Instrumento credetis. Fert enim Evangelium omnibus, quos supra dixi, testimonium eisque auctoritatem canonicam dat, quum sermones suos eorum sermonibus confirmet » etc.

Eadem aetate alii, sed pauciores numero, ut S. Hieronymi sententiam cum Ecclesiae decretis conciliarent, ad distinctionem illam refugerunt, quam S. Doctor ipse in praef. ad libros Salom. indicarat quamque Rufinus quoque receperat, deuterocanonicos nimirum « ad aedificationem quidem fidelium, sed non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum » inservire. Huc trahendus *Radulfus Flaviac.* († 1155), qui, licet *Sapientiam* et *Ecclesiasticum* eiusdem auctoritatis, cuius alios libros sapientales et N. T. epistolas habeat, tamen « *Tobiae, Iudith, Machabaeorum libros,* etsi ad instructionem Ecclesiae legantur, perfectam non habere auctoritatem » asserit[10]. Longius in eadem via progreditur *Hugo a S. Vict.* († 1140), cuius magna doctrinae fama haud paucos iuniores scriptores ecclesiasticos ad eandem vel similem sententiam attraxit. Non semel « *Sapientiae, Eccli., Tob., Iudith, Machab. libros* legi quidem, sed non scribi in canone » vel « in canone auctoritatis » affirmat, iisque vix maiorem quam SS. Patrum operibus auctoritatem concedit[11].

9. *S. Petr. Cluniac.* c. Petrobruss. (M. 189, 751).

10. *Radulfi Flaviac.* In Levit. XIV. Praef. (Bibl. max. Patrum. Lugd. 1667 XVII. p. 177. Opus hoc in collectione Migne deest).

11. *Hugo a S. Vict.* De scripturis et scriptor. sacr. 6 (M. 175, 15); cfr De sacram. fid. I. 7; Erud. didasc. IV. 2 (M. 176, 186. 779). In primo loco secundum prol. gal. libros protocanonicos in tres ordines distributos enumerat et pergit : « Sunt praeterea alii quidam libri, ut Sap. Salomonis, liber Iesu filii Sirach, et l. Iudith, et Tobias, et ll. Machab., qui leguntur quidem, sed non scribuntur in canone ». Dein distinguit etiam tres ordines librorum Novi T., in primo sunt Evangelia, in secundo Actus, Epistolae, Apocalypsis, « in tertio ordine primum locum habent decretalia, deinde SS. Patrum scripta i. e. Hieronymi, Augustini... Haec tamen scripta Patrum in textu divinarum Scripturarum non computantur, quemadmodum in Vetere T., ut diximus, quidam libri sunt, qui non scribuntur in canone et tamen leguntur, ut Sapientia Salomonis et ceteri. Textus igitur divinarum Scripturarum, quasi totum corpus, principaliter triginta libris continetur; horum duo et viginti in Vetere, octo in Novo comprehenduntur ». Accuratius quidnam expressione « in canone » vel « in canone auctoritatis scribi » intelligat, ipse explicat (De sacram. fid. I. 7) : « Scripta Patrum in corpore textus non computantur, quia non aliud adiiciunt, sed idipsum, quod in supradictis (sc. Scripturae) libris continetur, explanando et latius manifestiusque tractando extendunt ».

A veritatis tramite prorsus aberrarunt *Notkerus Balbulus* († 912) et *Ioannes Sarisberiensis* († 1180), quorum secundus neglectis Ecclesiae decretis solum prologum galeat. pro duce habere vult, prior autem ipsius quoque Hieronymi sententia neglecta vel ignorata ad Iunilii placita fere accedit atque singulares mirasque opiniones tradit.

Etenim si *Notkero* credimus « Sapientiae liber ab Hebraeis penitus respuitur et apud nostros quasi incertus habetur; tamen quia priores nostri eum propter utilitatem doctrinae legere consueverunt et Iudaei eundem non habent, ecclesiasticus etiam apud nos appellatur. Quod de hoc, id etiam de libro Iesu filii Sirach sentias oportet, nisi quod is ab Hebraeis et habetur et legitur... In librum Tobiae et Esdrae Beda presbyter aliqua scripsit magis iucunda quam necessaria, quippe qui simplicem historiam vertere conatus est in allegoriam. De libris Iudith et Esther et Paralipomenon quid dicam, a quibus vel qualiter exponantur, quum ipsa etiam in eis litera non pro auctoritate, sed tantum pro memoria et admiratione habetur? Idem de libris Machab. suspicari poteris » [12].

Ioannes Sarisber. ea, quae in prologo galeat. leguntur, transcribit; nam « quia de numero librorum, inquit, diversas et multiplices lego sententias, catholicae Ecclesiae doctorem Hieronymum sequens, quem in construendo literae fundamento probatissimum habeo, sicut constat esse viginti duas literas Hebraeorum, sic duos et viginti libros V. T. in tribus distinctos ordinibus indubitanter credo ». « *Liber* igitur *Sapientiae et Eccli., Iudith, Tobias et Pastor* non reputantur in canone, sed neque *Machabaeorum liber,* qui in duo volumina scinditur ». Atque paulo post de librorum auctoribus agens: « De Tobia, Iudith et libro Machab., qui non sunt recepti in canone, a quibus auctoribus scripti sunt, nec vulgata docet opinio nec de his sequaces Philonis faciunt mentionem; quia tamen fidem et religionem aedificant, *pie admissi sunt.* Librum Sapientiae composuit Philo, diciturque Pseudographus, non quia male scripserit... sed quia male inscripserit; Ecclesiasticum scripsit Iesus, filius Sirach, qui et ipse styli conformitate et morum Salomonis dicitur » [13]. Divinam auctoritatem et dignitatem deuterocanonicis a Ioanne Sarisb. negari ex toto eius loquendi modo apparet; attamen illi et omnibus mediae aetatis theologis, qui in canonis ambitu definiendo dissentiunt, maximam inferremus iniuriam, nisi simul adnotaremus, illorum errorem ex falsis principiis non esse exortum, sed ex sufficientis investigationis defectu. Eadem enim in epistola, ex qua verba allata desumsimus, Sarisberiensis catholicam traditionem statuit fontem cognoscendi canonis; longissime igitur ipse, uti reliqui theologi scholastici, a subiectivismo protestantico abfuit, nec ab Iudaeis genuinas Scripturas emendicandas esse existimavit.

12. *Notkeri Balbuli* De interpretibus div. Script. 3 (M. 131, 996).
13. *Ioan. Sarisber.* ep. 143 (al. 172.) M. 199, 126. 129. Quam caeci ipse eiusque coaevi nonnulli scriptores solum Hieronymum in canone constituendo sequantur, ex eo elucet, quod cum deuterocanonicis nostris etiam Pastorem inter apocryphos ponant, quum tamen Sarisberiensis fateatur : « ille, qui inscribitur Pastor, an alicubi sit, nescio ». Simili modo *Alph. Tostatus* (in Prol. gal. qu. 29. Opp. XI. p. 20) : « de isto libro Pastoris apud nostros tractatores nihil habetur ».

49. — Eadem sententiarum diversitas eademque incertitudo tribus sequentibus SAECULIS 13. 14. 15. perduravit, atque illa aetate idem fere in Occidente evenisse videmus, quod in Oriente saec. 4. et 5.; in praxi omnes antiqua traditione retenta sine ullo scrupulo ad dogmata probanda deuterocanonicis usi sunt; in theoria aliqui perfectam eorum auctoritatem in dubitationem vocarunt.

Maximos istius aetatis theologos verae et antiquae doctrinae firmos immotosque inhaesisse docent eorum opera. *B. Albertus* M. in praefatione sui commentarii in l. Baruch adnotat, etsi S. Hieronymus librum illum de canone non esse dixerit, tamen ideo eius (divinam) veritatem non negari; fragmentis autem danielicis a S. Hieronymo alium tantum auctorem censet assignari; ne verbulo quidem eorum canonicitatem esse addubitatam indicat, atque indices S. Scripturae singulis operum voluminibus additi ostendunt eum non rarius deuterocanonicis quam protocanonicis testimoniis esse usum [1]. *S. Bonaventura* in prologo commentarii in l. Sapientiae « triplicem esse causam efficientem huius libri » docet, nimirum Deum, quatenus illum inspiraverit, Salomonem, quatenus eum invenerit, Philonem, quatenus illum compilaverit » [2]; nulla autem est ratio, cur illum de aliis deuterocanonicis, quorum ipse quoque frequentem usum facit, iniquius iudicasse dicamus. Inter *S. Thomae Aq.* opera invenitur commentarius in libros Mach., in cuius praefatione adnotatur, libros istos auctoritatem non habere *apud Iudaeos*, quemadmodum illos, qui sunt de numero viginti quatuor et faciunt canonem secundum Hieronymum, sed eos habere apud Latinos auctoritatem *in Ecclesia*, quae illos in quodam concilio approbavit et legendos ordinavit ». Quia vero, num hic commentarius Aquinatem habeat auctorem, merito dubitatur [3], hoc testimonio omisso ad innumeros eius deuterocanonicorum allegationes provocamus; vix enim in omnibus libris deuterocanonicis legitur pericope, quam non saepius in sola sua Summa theologica adhibuerit : quare non nisi ob paucissimos textus male intellectos angelicus Doctor a Hodio aliisque protestanticis interpretibus inter deuterocanonicorum adversarios adnumerari potuit [4].

1. *B. Alberti M.* Prol. in l. Baruch; in Dan. 13, 1 (Opera omnia. Lugduni 1651 VIII. 40. 68).

2. *S. Bonaventurae* in libr. Sapientiae et lamentationes Ieremiae pia expositio. Venetiis 1579 p. 6.

3. *S. Thomae* (Opera omnia. Parmae 1852 sqq. XXIII. 196). Commentarius in libros Mach. hodie Thomae Anglo, qui exeunte saec. 14. floruit, attribuitur ac proin semper manet aetatis scholasticorum testis.

4. Argumenta, quibus *Hodius* (de bibl. text. p. 657. col. 91), quem reliqui protestantes pro more sequuntur, probabile reddere conatur, S. Thomam deuterocanonicos repudiasse, sunt haec tria. — 1.) S. Thomas (Opusc. VII. c. 4. lect. 9. in Dionys. libr. de divinis nominibus. Opp. XV. 315) ex verbis Dionysii, qui textum libri Sapientiae cum textu epistolae S. Ignatii coniungit, concludit : « Ex quo patet, quod liber Sapientiae nondum *habebatur* inter canonicas Scripturas ». Patet autem verba haec clarissime docere, S. Thomae tempore librum illum fuisse inter Scripturas canonicas. Hodius quidem contra fidem codicum legere mavult « habeatur », sed non attendit ipsum contextum hanc lectionem respuere, et Aquinatem plus *ducenties* librum Sapientiae in sua Summa theol. pro vera Scriptura adhibere. — 2.) Alter textus obiectus legitur in Summa I. qu. 89. a. 8 ad 2. Eo in loco S. Thomas obiectionem quandam refutat, qua ex mortuorum apparitionibus frequentibus concluditur, animas separatas *naturaliter* cognoscere ea, quae in hoc mundo fiunt, mortuorum autem apparitiones ex Saulis Samuelisque historia confirmat (1 *Reg.* 28, 11 sqq.; *Eccli.* 46, 23). Cui obiectioni respondet, apparitiones istas aut per specialem Dei dispensationem contingere aut per operationes angelorum bonorum vel malorum fieri, atque exemplo proposito responsum hoc explicat : « Unde et de Samuele dici potest, quod ipse apparuit per revelationem divinam, secundum hoc quod dicitur *Eccli.* 46, quod dormivit et notum fecit regi finem vitae suae. Vel illa apparitio fuit procurata per daemones, *si tamen Ecclesiastici auctoritas non recipiatur propter hoc quod inter canonicas Scripturas apud Hebraeos non habeatur* ». Animadvertas velim, priorem S. Thomae solutionem auctoritate Ecclesiastici ab eo confirmari, atque alteram propter eos solos addi, qui illam non admittunt. Dein ultima verba, « propter hoc quod inter canonicas Scripturas *apud Hebraeos* non habeatur », necessario insinuant apud alios, i. e. *apud Christianos*, eum in canone haberi. Demum illud quoque nota, S. Doctorem, qui circiter *trecenties* in Summa Ecclesiasticum allegat, hoc uno loco additum illud adiecisse; cur hoc fecerit, intelligemus, si perpenderimus eum hanc difficultatis solutionem a S. Augustino (De cura pro mortuis 15. M. 40, 606) esse mutuatum : « Sed si huic libro (Eccli.) ex *Hebraeorum*, quia in *eorum* non est *canone*, contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus et in Evangelio cum Elia legitur apparuisse viventibus. » S. Augustinus vero evidenter Ecclesiasticum in Christianorum canone esse indicat, ergo etiam S. Thomae, qui in hoc articulo opusculum Augustini frequenter adhibet, verba eodem modo explicemus oportet. — 3.) S. Thomas, inquit Hodius, ad Dan. 13. de Bels et draconis *fabula* loquitur. At commentarium in Dan. non esse Aquinatis sed alterius Thomae, forte Angli, omnes hodie concedunt; dein nomen « fabulae » ex S. Hieronymi praefatione in Dan. desumtum commentatorem de historiae veritate dubitasse non probat. Cfr *Petri Comest.* Hist. schol. Daniel 13 (M. 198, 1466) : « Historiam Susannae Hebraeus non habet in libro Danielis et vocat eam *fabulam*, non quod inficietur rem gestam, sed... quia fabulamur eam scriptam a Daniele, quum a Graeco quodam scripta fuerit ».

Ceterum quam unanimis Scholasticorum aetas in admittendis deuterocanonicis fuerit, innumeri probant Bibliorum *codices*, qui omnes libros complectuntur, *correctoria*, quae deuterocanonicorum quoque apparatum criticum exhibent, *commentarii*, quibus et primi et secundi canonis libri eadem cum diligentia illustrantur. Immo non defuerunt, qui sententiam illam, quae ab omnibus fere S. Hieronymo attribuebatur, impugnarent argumentisque divinam istorum librorum auctoritatem diserte propugnarent. « *Liber Sapientiae*, inquit *Robertus Holcot* († 1340), quod inter sacras Scripturas debet numerari expresse dicit S. Augustinus de doct. christ. (II. 8), ubi prius omnes libros canonis et Bibliae enumerans de Sapientia et Ecclesiastico sic dicit : *Sapientia* et *Ecclesiasticus*, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Ex istis patet, quod iste liber inter Scripturas canonicas *apud Ecclesiam* computatur, licet ab *Iudaeis* oppositum sentiatur » ; ac paulo post : « et ideo licet *apud Iudaeos* non numerantur, *apud fideles* tamen magnae auctoritatis habentur »[5]. *Thomas Waldensis* († 1431) *ex Ecclesiae testificantis auctoritate* alicuius libri canonicitatem dependere fuse probat contra Wiclefitas atque dein ad gelasianam decretalem « de recipiendis et non recipiendis libris » provocat, quae « denuntiet libros, qui in plenaria auctoritate sint habendi »[6]. Eodem fere tempore in concilio basileensi *Ioannes de Ragusa* auctoritatem traditionis et Ecclesiae in stabiliendo canone velut doctrinam ab omnibus admissam supponit : « Insuper manifestum est, inquit, multos in eodem Bibliorum volumine libros contineri, qui *apud Iudaeos* in auctoritate non habentur, sed inter apocryphos computantur, qui tamen *apud nos* in eadem veneratione et auctoritate habentur, sicut et ceteri, et hoc utique non nisi *ex traditione et acceptatione universalis Ecclesiae catholicae*, quibus contradicere nullo modo licet pertinaciter »[7]. Paucis annis post hac traditione nixus *Eugenius IV* una cum Patribus *concilii florentini* in decreto unionis Iacobitarum declaravit :« unum atque eundem Deum Veteris et Novi T., i. e. Legis et Prophetarum atque Evangelii, profitetur S. Romana Ecclesia auctorem, quoniam eodem Spiritu S. inspirante Utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur : Quinque Moysis.... Esdra, Nehemia, *Tobia, Iudith*, Esther, Iob... Canticis Cant., *Sapientia, Ecclesiastico*, Isaia..., Malachia, *duobus Machabaeorum*, quatuor Evangeliis » etc.[8].

5. *Roberti Holkot* Postilla super I. Sapientiae C. I. Lect. 2. — Postilla haec saepissime impressa est; editio princeps (Spirae 1483), quae sola prae manibus est, nec folia nec paginas numerat.

6. *Thomae Waldensis* Doctrinale fidei II. 20. Paris 1532. I. 102 a. In editione hac

legitur « pelagiana epistola de recipiendis et non recipiendis libris »; verum quin legendum sit « *gelasiana* », non est dubium.

7. *Mansi* Coll. Concil. XXIX. p. 885.

8. *Labbe* Coll. Concil. XVIII. 1222. « Concilio florentino perperam hoc decretum attribui » asserit *Hodius* (De text. orig. 659 col. III) cum *Bleek* (Einl. Ed. 2. p. 705) aliisque protestantibus multis, qui iterum caeci Hodium sequuntur; contra quos illa transcribere sufficit, quae Card. de Monte, primus conc. trid. praeses, ad similem obiectionem respondit : « Bulla illa Eugenii, in qua recipiuntur libri sacri, et est super unione Iacobitarum et eius data est Prid. Non. Febr. 1441, vere edita est in conc. florentino ante eius dissolutionem. Falsum enim est et ab omni veritate alienum, quod concilium illud dissolutum fuerit an. 1439 statim post unionem Graecorum hallucinanturque maxime, qui putant finem dicti concilii fuisse unionem Graecorum, quum longe post, per tres sc. fere annos, perduraverit, usque videlicet ad an. 1442, quo anno 6. Kal. Mai. celebrata 10. sessione ipsum Romam translatum fuerit... Praeterea quod bulla unionis Iacobitarum data 1441, in qua ipsi libri recipiuntur, edita fuerit in ipso concilio, potest etiam ex originali, manu propria ipsius Eugenii et Cardinalium ibi praesentium subscripta et plumbeo sigillo obsignata, quam ego ipse his oculis vidi Romae una cum aliis actis concilii ab eisdem Eugenio et Cardinalibus subscriptis et plumbeo sigillo obsignatis, quae nunc in arce molis Adriani inter alias scripturas sedis apostolicae conservantur... Verba autem : *sacro approbante concilio* in principio bullae unionis Iacobitarum non ponuntur, quia dictum principium totum pertinet ad prooemium; ubi autem incipit dispositiva, ponuntur quidem, ut in aliis bullis in concilio editis. Ibi enim sic habetur : veram necessariamque doctrinam hodie in hac solemni sessione, sacro approbante oecumenico concilio florentino in nomine Domini tradimus etc. » (*Theiner* Acta genuina SS. oecumen. Conc. Trident. Zagrabiae 1874 I. p. 79 sq.; cfr etiam Praenotata ad bullam unionis in *Labbe* l. c.). Quod si *Bleek* (l. c.) post *Keerl* (Die Apocryphen des A. T. 1852 p. 150 sq.) asserit, ante concilium tridentinum neminem quidquam de decreto isto audivisse, ad eos refutandos sufficiet testimonium Caietani ante primam concilii tridentini indictionem demortui, quod mox afferemus.

50. — Neque tamen tacere licet, ea quoque aetate haud paucos theologos S. Hieronymi sententiam illam, quam in praef. ad libros Salom. tradit, secutos libris deuterocanonicis auctoritatem ad fidem probandam denegasse illosque apocryphis adnumerasse. Inter quos primum locum tenet *Hugo a S. Caro* († 1260), vir de sacrarum literarum studio optime meritus, quippe quod et correctorio suo edito et primis concordantiis collectis et postillis suis in integram Scripturam adornatis non parum promoverit. Hic enim cum Hieronymo quidem a canone deuterocanonicos excludit, idque eam ob causam « quia dubii sint », i. e. « quia eorum auctores ignorentur » (ac si protocanonicorum omnium auctores nobis sint cogniti); nihilominus illos quia « eorum veritas pateat », ab Ecclesia suscipi docet, « non tamen ad fidei probationem, sed ad morum instructionem »[1]. Eiusdem fere sententiae alter est istius aetatis interpres ceterum non spernendus, *Nicolaus Lyranus* († 1341), secundum quem libri Scripturae « qui canonici

nuncupantur, tantae sunt auctoritatis, ut quidquid in illis contineatur, verum teneatur firmiter et indiscusse ac per consequens etiam illud, quod ex illis manifeste consequitur », illi autem libri, « qui secundum Hieronymum non sunt de canone », recepti sunt ab Ecclesia, ut in iis ad morum informationem legatur, licet eorum auctoritas ad probandum ea, quae in contentionem veniunt, minus idonea videatur ». Immo eo usque Lyranus progreditur, ut partes deuterocanonicas libri Esther interpretari nolit, « quia non sunt in hebraeo, nec de Scriptura canonica, sed magis videntur a Iosepho et aliis scriptoribus conficta et postea editioni Vulgatae inserta, secundum quod dicit Hieronymus ». Attamen sicut Hugo a S. Caro, ita ipse quoque reliquos libros deuterocanonicos diligenter commentatus est, atque ipsum 3 Esdrae librum, quem Hugo omiserat[2].

1. *Hugo a S. Caro* Opera omnia in V. ac N. T. Lugd. 1669 sqq. — Prologo in Iosue (I. 178 a.) versus memoriales de libris V. T. adiungit et post enumeratos protocanonicos pergit :

Lex vetus *his libris perfecte tota* tenetur;
Restant apocrypha, Iesus, Sapientia, *Pastor*,
Et Machabaeorum libri, Iudith atque Tobias.
Hi quia sunt dubii, sub canone non numerantur,
Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos.

Solam prologi galeati doctrinam tradi ostendit commemoratio *Pastoris*. Quo sensu deuterocanonicos vocet dubios, alibi docet; apocryphorum enim duas (In prol. gal. I. 218 b; prol. in Eccli. III. 171 a), immo tres (prol. in Iudith I. 381 a) distinguit classes : « Dupliciter aliquis liber dicitur apocryphus, vel *quia eorum auctor ignoratur, sed veritas patet*, et tales recipit Ecclesia non ad probationem fidei sed ad morum instructionem, vel quia veritas dubitatur, et tales non recipit Ecclesia, ut est liber de infantia Salvatoris et de assumtione corporis B. Virginis. » In prol. in Iudith addit : « vel utroque modo (i. e. de auctore et de veritate dubitatur) et neque tales recipit ». Minime vero a *Scriptura* deuterocanonicos excludit; cfr prol. in Eccli. (III. 171) : « Summi regis palatium in quatuor consummatur, in fundamento, parietibus, tecto et ornatu interiori... Fundamentum est Lex, parietes Prophetae et Epistolae, tectum Evangelia, ornatus *Hagiographa et apocrypha* »; dein duabus apocryphorum classibus (ut supra) distinctis prioris solius classis apocrypha cum Hagiographis ad ornatum pertinere dicit; cfr etiam prol. in Iob. I. 373; in Sap. III. 139. Omnes deuterocanonicos commentatus est in postillis suis.

2. *Nicolai Lyrani* Postilla. Praef. in l. Tob.; in Esth. 10 (Ed. Veneta 1588 II. 283 b.; 314 a). Lyrani editionibus, quae una cum Glossa ordinaria post an. 1491 impressae sunt, praefixa est dissertatio « de canonicis et non canonicis Scripturis »; merito miraberis, quod satis multi protestantes (ex. gr. *Bleek* Stud. u. Krit. 1853 p. 272; Einl. Ed. 2. p. 704) ex hac dissertatione, quae de *impressis* Bibliorum editionibus loquitur, genuinam *Lyrani* sententiam de canonicis libris eruere non dubitaverint eamque Lyrano auctori adscripserint, licet Lyranus *integro saeculo* ante Gutenbergii inventionem typographiae mortuus sit.

Omissis aliis theologis, qui ante concilium florentinum scribentes eodem in errore versati sunt, praecipuos illos nominabimus, qui postquam tam clare Ecclesia genuinam doctrinam promulgavit, illam videntur plane ignorasse : sunt autem *S. Antoninus,* archiep. florentinus († 1459) et *Alphonsus Tostatus,* abulensis episcopus († 1455). S. Antoninus non tantum in suo Chronico « *Ecclesiasticum,* quamvis sit plenus morali sapientia et ideo ab Ecclesia receptus ad legendum », « authenticum esse » negat « ad probandum ea, quae veniunt in contentionem fidei », sed etiam in Summa sua theologica idem repetit de omnibus libris deuterocanonicis : « non sunt tantae auctoritatis, ut ex dictis eorum possit efficaciter argumentari in his, quae sunt fidei, sicut ex aliis libris Scripturae », quin etiam concludit eos « forte talem habere auctoritatem, qualem habent dicta sanctorum doctorum approbata ab Ecclesia » [3]. Qui omnia ea, quae S. Antoninus de deuterocanonicis tradit, attente perlegerit, facile videbit, eum huic quaestioni non illud studium impendisse, quo ad certam et claram sententiam pervenire posset; anceps et dubius varia congerit, nec satis apparet, quomodo ex praemissis suis legitime deducat suas conclusiones; quare idoneum testem in *hac* quaestione illum non habemus[4]. Aeque instabilem atque incertum se exhibet *Tostatus.* Etenim variis in locis contraria de eorum auctoritate et dignitate tradit : una ex parte Ecclesiae canonem ab iudaico differre asserit prioremque omnes libros deuterocanonicos complecti; et quamquam in 2 Mach. aliqua inesse dicit, « quae a quibusdam nostrum non recipiantur » [5], omnes tamen authenticos vocat, nec ullum inter protocanonicos et inter deuterocanonicos auctoritatis discrimen admittit; altera vero ex parte prioribus posteriores illos longe postponit; ex eius opinione Ecclesia *permittit* tantum, ut deuterocanonici a fidelibus legantur, atque ipsa quoque illos legit propter multa devota, quae continent, neminem autem obligat, ut ea credat, quae in illis continentur; sed argumenta, quae ex illis desumuntur, quamvis aliqualiter efficacia sint, inefficacia tamen esse dicit contra *Iudaeos et haereticos.*

3. *S. Antoninus* tribus in locis de deuterocanonicis agit. — Chronic. I. 3, 9 (Lugdun. 1586 I. p. 85) : « Dividunt Hebraei Vetus T. in quatuor partes; primam appellant Legem..., secundam Prophetas..., tertiam Hagiographa, et sic in totum 22 ponunt authenticos libros. Quartam appellant apocrypha sc. librum Sapientiae... Ecclesia sancta tamen etiam apocrypha recipit *ut vera,* ut patet Dist. 15. Sancta Romana, et *ut utilia et moralia venerator,* etsi in contentione eorum, quae sunt fidei, *non urgentia ad arguendum.* » Simili modo Chron. I. 3, 5 (I. p. 65); fusius autem in Summa theol. III. 18, 6 (Veronae 1740 III. p. 1043) enumeratis tribus partibus canonis iudaici : « Quartam partem, inquit, quam tamen non ponunt ipsi Hebraei in

canone Scripturarum, sed appellant apocrypha, faciunt de aliis quinque libris sc. Sapientia... (Baruch inter protocanonicos enumeratur l. c. 1042). Unde et de his quinque libris dicit Hieronymus in prol. super Iudith, quod auctoritas horum librorum ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Sed tamen synodus nicaena eos in numero S. Scripturarum legitur computasse; hoc dicit Hieronymus de libro Iudith, et idem de aliis quatuor videtur dicendum, et de hoc habetur Distinct. 15. Sancta Romana. Et idem dicit etiam Thomas 2. 2. (?) et Nicolaus de Lyra super Tobiam, scilicet quod isti non sunt tantae auctoritatis, quod ex dictis eorum posset efficaciter argumentari in his, quae sunt fidei, sicut ex aliis libris S. Scripturae. *Unde forte habent auctoritatem talem, qualem habent dicta sanctorum approbata ab Ecclesia* ». Decretum Eugenii IV et conc. florentini de unione cum Iacobitis obiter tantum commemorat (Chron. III. 11, 2. Lugd. 1586 III. p. 551) : « In aliquibus vero, in quibus a fide vera discrepabant (Iacobitae et Armeni) prohibentur, uti quod sacramentum confirmationis non habebant in usu conferendi illi nationi, declarato eis, quod illud, sicut et cetera sacramenta deberent accipere, credere et conferre, *et aliqua alia, quae nunc non occurrunt menti* »; atque deinde levi passu, quasi res fidei ei non fuerint curae, transit ad narranda bella Florentinorum.

4. Cfr *Malou* Lecture de la Bible II. 107 : « Il (S. Antoninus) a émis tour à tour des opinions contraires et inconciliables, nous laissant entendre par son inconstance et son indécision, que la forme réelle du canon n'avait jamais fait l'objet de ses études ».

5. *Alph. Tostati* Comment. in I Reg. In prol. gal. qu. 28 (Opera. Venetiis 1728 XI. p. 19 sq.) : « Dicitur autem (in prol. gal.) quod *liber Sap.* non est in canone, quia Iudaei illum inde secuerunt; a principio tamen in canone recipiebant, sed... postquam comprehendentes Iesum interfecerunt, memorantes in eodem libro evidentissima de Christo testimonia... collatione inter se facta, ne nostri eos pro tam aperto sacrilegio denotarent, a propheticis eum voluminibus reciderunt legendumque penitus prohibuerunt. Nos tamen *Ecclesiae auctoritate* inter libros authenticos illum suscipimus atque in ecclesia suis temporibus legimus... Etiam *liber Iesu filii Syrach* non habetur in canone apud Iudaeos... et quamquam Hebraei eum numquam habuerint in canone Scripturarum, Ecclesia tamen suscepit et legit ». Deinde utrum hagiographus an apocryphus sit liber Iudith, satis confuso modo disserit atque concludit : « Haec autem sunt vera secundum Iudaeos; apud nos secus est, nam *liber Iudith* inter authenticos receptus est, quum approbaverit illum Ecclesia in synodo nicaena et receperit in numero s. Scripturarum; alioquin Ecclesia illum non legeret in divinis ministeriis, sicut leguntur ceteri libri authentici ». In qu. 29 (l. c.) similia omnino tradit de *ll. Tobiae et Machab.* — In explicanda autem praef. prima S. Hier. in Paralip. (qu. 7. Opp. XVI. p. 12 sq.) iterum sensum vocabuli « apocryphi » agitans distinguit cum Hugone a S. Caro libros, de quorum veritate dubitetur, ab iis, de quorum auctoribus tantum dubitetur, atque alteri huic classi adnumerat deuterocanonicos. « Differt tamen inter illos et libros canonicos, qui vocantur authentici (quo nomine in prol. gal. explicando etiam deuterocanonicos insigniverat); nam ex authenticis licet accipere documentum et etiam potest argui solide tam contra Hebraeos quam contra Christianos ad probandum aliquas veritates; ex apocryphis autem, qui recipiuntur ab Ecclesia, *licet accipi doctrinam*, quia continent sacram doctrinam, unde vocantur interdum hagiographa; *sed auctoritas eorum non est sufficiens ad arguendum contra aliquem* et ad probandum ea, quae in dubium venerint, et istud habent minus, quam libri canonici et authentici;

sic patet ex prol. in Iudith... Nullus istorum librorum apocryphorum, etiamsi sit scriptus inter alios libros Bibliae et legatur in ecclesia, tantae auctoritatis est, ut ex eo Ecclesia arguat ad probandam aliquam veritatem, et *quantum ad hoc non recipit eos*, et de hoc intelligitur, quod dicit Heronymus : apocrypha nescit Ecclesia ». — Tandem in explicando prol. in Evang. (qu. 2. Opp. XVIII. p. 2) de ordine s. librorum agens explanat, quo sensu Ecclesiam de librorum istorum auctoribus dubitare censeat : « nescit scilicet *an Spiritu S. inspirati scriptores eorum dictaverint eos*... Quum autem dubitatur circa aliquos libros de scriptoribus eorum, an S. Spiritu moti sint, adimitur auctoritas illorum et non ponit illos Ecclesia in canone librorum suorum. 2° Quia Ecclesia non est certa circa tales libros, an ultra id quod habuerunt a propriis auctoribus, *haeretici aliquid admiscuerint vel subtraxerint*. Tales autem libros Ecclesia recipit permittens eos singulis fidelibus legere, ipsa quoque in officiis suis illos legit propter multa devota, quae in illis habentur; neminem tamen obligat ad necessario credendum id, quod ibi habetur, sicut est de *ll. Sap., Eccli., Mach., Iudith, Tobiae*. Isti enim licet a Christianis recipiantur et probatio ex eis sit aliqualiter efficax, quia Ecclesia illos libros tenet, contra haereticos tamen aut Hebraeos ad probandum ea, quae in dubium veniunt, non sunt efficaces, sicut ait Hier. in prol. super Iudith ». Quam parum haec inter se consonent, non est quod dicamus.

51. — Quos hucusque adduximus, theologi cuncti, qui omnibus canonis tridentini libris eandem auctoritatem et dignitatem non concedunt, ad suas opiniones S. Hieronymi praefationibus, id quod ex toto eorum loquendi modo evidenter constat, erant adducti, reliquorum autem Patrum communem doctrinam et praxim atque Ecclesiae quoque decreta magis minusve ignorasse videntur. Verum versus finem istius aetatis unus invenitur theologus, in scholastica quidem theologia celeberrimus, in S. Scripturae autem interpretatione minus praeclarus, qui contra concilia omnia et omnes Patres solius S. Hieronymi sententiam, prout ipse eam intellexit, tenendam statuit. Pro more suo apodictice *Card. Caietanus* : « Et hoc in loco, inquit (sc. in Esth. 10,3), terminamus commentaria librorum historialium V. T., nam reliqui, videlicet *Iudith, Tobiae et Machabaeorum libri* a D. Hieronymo extra canonicos libros supputantur et inter apocrypha locantur cum *l. Sapientiae et Ecclesiastico*, ut patet in prol. galeato. Nec turberis, novitie, si alicubi repereris libros istos intra canonicos supputari vel in sacris conciliis vel a sacris Doctoribus. *Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum, quam Doctorum*, et iuxta illius sententiam ad Chromat. et Heliod. episcopos libri isti et si qui alii sunt in canone Bibliae similes, non sunt canonici, i. e. non sunt regulares ad firmandum ea, quae sunt fidei; possunt tamen dici canonici, i. e. regulares ad aedificationem fidelium, utpote in canone Bibliorum ad hoc recepti et auctorati. Cum hac enim distinctione discernere poteris et *dicta Augustini* in 2. de doctr. christ. libro et *scripta in concilio flo-*

rentino sub Eugenio IV, scriptaque in provincialibus *conciliis carthaginiensibus* et laodiceno (?) et ab *Innocentio* et *Gelasio Pontificibus* ».

Eodem omnino tempore (nam « Romae anno salutis 1532, aetatis vero 64, die 19 Iulii » haec scripsit Caietanus) in Helvetia et Germania primae Bibliorum editiones prodierunt, quae quum deuterocanonicos libros ex antiquis suis sedibus, quas semper medii inter protocanonicos obtinuerant, remotos in appendicem relegarent, aperte antiquam de canone V. T. traditionem impugnaverunt atque antiquae omnium ecclesiarum praxi novam substituere conatae sunt[1]. Iam paucis annis ante Caietanum *Carlostadius* libello edito etiam Hieronymum Augustino et ecclesiarum usui opposuerat divinamque deuterocanonicorum auctoritatem negaverat[2]; *Lutherus* vero eiusque sequaces indigno vere atque iniquo modo de aliquibus iudicare coeperant[3], modernorum protestantium contumeliis praeludentes.

Duplici igitur, ut ita dicam, ex capite Ecclesia coacta est, ut sollemni decreto antiquam suam de canone doctrinam iterum promulgaret, quippe quam aliqui ex eius filiis aut ignorarent aut inanibus distinctionibus labefactarent, hostes vero eius aperte impugnarent. In primo quidem, quod contra saec. 16. novatores celebratum est, concilio[4] catholica doctrina clarissimis verbis proposita est : « in enumerandis itaque canonicae Scripturae libris, inquiunt Patres *concilii senonensis*, qui praescriptum Ecclesiae usum et auctoritatem non sequitur, sacri carthaginiensis concilii tertii, Innocentii et Gelasii decreta et denique definitum a SS. Patribus librorum catalogum respuit..., is velut schismaticus et haereseon omnium inventor et fautor a tanta temeritate reprimatur[5] ». Attamen concilium senonense, utpote provinciale, non eam nactum est auctoritatem, quae controversiae et liti finem imponeret; quare ad concilii oecumenici definitionem sollemnem perveniendum erat.

1. *Caietani* in omnes libros authenticos Scripturae comment. Lugd. 1639 II. 400. In praef. ad Clem. VII. Hieronymum laudibus celebrat non solum ob eius commentarios scripturisticos, sed etiam « propter discretos ab eodem libros canonicos a non canonicis, quatenus nimirum nos liberaverit ab Hebraeorum opprobriis, quod fingamus nobis antiqui canonis libros aut librorum partes, quibus ipsi penitus careant ».

2. Primae editiones protestanticae, quae deuterocanonicos in appendicem reiecerunt tamquam « libros, qui ab antiquis inter Scripturas non numerantur nec apud Iudaeos inveniuntur », sunt turicensis et wormatiensis an. 1529, 1530 (cfr Le Long Biblioth. sacr. Paris 1723 I. p. 399 sq.); an. 1534 prodiit prima Lutheri integra versio germanica, quae deuterocanonicis libris et partibus in appendicem amandatis praefixit inscriptionem : « Apocrypha, i. e. libri, qui S. Scripturae non aequiparantur, sed utiliter legi possunt ».

3. *Carlostadii* « de canonicis Scripturis libellus » exstat apud *Credner* Zur Geschichte des Kanons. Halle 1847 p. 291-421. Secundum illum « *Sap.*, *Eccli.*, *Iudith*, *Tob. duo Mach. libri* sunt apocryphi, i. e. extra canonem Hebraeorum, tamen hagiographi; at posteriores duo Esdrae inscripti, *Baruch*, oratio Manassis, *bona pars cap.* 3. *Dan.*, *duo postrema capita Dan.* sunt plane apocryphi, virgis censoriis animadvertendi » (§ 114. *Credner* p. 389); eodem in loco habet *Estheris fragmenta* (§ 109. *Credner.* p. 385). S. Hieronymi genuinam sententiam se tueri inepte arbitratur.

4. *Lutherus* 2 Mach. librum plane indignum habuit, qui in canone conservaretur; iniquius de l. Baruch iudicat etc. cfr *Bleek* Einl. Ed. 2. p. 707.

5. *Concil. senonens.* (an. 1528) decretum fidei IV. (*Labbe* Collect. Conc. XIX. p. 1164).

VI. Canon V. T. a conc. tridentino ad nostram usque aetatem.

52. — Patribus tridentinis statim, postquam in 3. sessione sollemni modo fidei suae professionem ediderunt, in proxima congregatione generali « proponitur pro dogmate futurae sessionis receptio sacrorum librorum, ut sit tamquam fundamentum eorum, quae a s. synodo pertractanda erunt, fiatque palam, quibus auctoritatibus s. synodus dogmata fidei roborare vel errores haereticorum refellere velit, moneanturque Patres, ut super ea re in futura congregatione examinanda cogitarent »[1]. Diu accurateque in multis consessibus generalibus et particularibus controversia haec est tractata; quatuor autem maxime quaestiones sunt agitatae : num omnia Utriusque Testamenti volumina essent approbanda, num eorum approbationem novum examen praecedere deberet, *num duae librorum classes essent distinguendae, ita ut alii libri ad probanda fidei dogmata declararentur apti, alii tantum ad morum institutionem idonei*[2], demum num etiam partes quaedam, quae in dubium vocabantur, essent approbandae[3]. Quomodo has quaestiones solvendas censuerint Patres, ex decreto, quod in 4. sessione die 8. Aprilis 1546 promulgarunt, manifestum perspicuumque est. Omnes enim libros Utriusque Test. eodem modo, quo a concilio florentino, Gelasio, Innocentio I., conciliis africanis, Augustino enumerati erant, licet non eodem prorsus ordine, recensent Patres tridentini; anathema dicunt ei, qui illos « integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non receperit », atque volunt, ut ex hoc decreto intelligant omnes, « quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus synodus sit usura ». Verba haec, quamvis per se clara sint, non parum tamen lucis accipiunt, si ad ea, quae in congregationibus de hac quaestione acta sunt, respicimus; quare pauca ex

illis ita enarrabimus, ut simul theologorum eorum, qui decretum erronee explicare conati sunt, placita refutemus.

1. *Acta genuina* SS. oecum. Conc. Trid. ed. *A. Theiner*. Zagrabiae 1874, I. p. 49; cfr *Pallavicini* Hist. Conc. Trid. VI. 11 (August. Vindel. 1775, p. 219 sqq.).

2. In *Congreg. gen.* die 12. Febr. 1546 Card. Cervinus : « Duo ego subiiciam, quae in mea particulari congregatione tractata fuerunt; unum est, utrum simpliciter facienda sit approbatio Scripturae, prout factum fuit per conc. florent. et iuxta etiam antiquiora concilia, an potius distinguendum, qui sint libri sacri, ex quibus fundamenta nostrae fidei et doctrinae eruantur, et qui sint quidem canonici, sed non eiusdem auctoritatis, ut priores illi, sed ideo ab Ecclesia recepti, ut ex his multitudo instrui possit, quales sunt libri *Sapientiae*, *Proverbiorum* et alii similes; idque forsan non abs re esset, quoniam videtur ambiguum necdum ab Ecclesia determinatum, quamvis et Augustinus et Hieronymus et alii veteres de iis nonnulla tradiderint. Alterum est, utrum sicco pede approbatio ista facienda sit, an vero additis rationibus et solutis argumentis, quibus adversarii maxime innituntur ad eorum nonnullos impugnandos et confringendos. Ab ipsis enim, ut omnes vos scitis, infringitur imprimis *liber Machabaeorum*, quem penitus reiiciunt, item epistola Pauli ad Hebr., una Iacobi et altera Petri ac etiam Apocalypsis et alia pleraque ». *Acta genuina* p. 52. — Quod Proverbiorum liber cum Sapientia coniungatur, lapsum calami diceres, nisi etiam *Pallavicini* (l. c. I. p. 220) haberet : « *Proverbiorum* et *Sapientiae* libri ».

3. De quarta hac quaestione agi coeptum est in congreg. gen. die 27. Martii, quae habita est « super examinatione decreti de receptione s. librorum ». « Card. Gienensis (Pacecus) dixit se optare, ut quaedam particulae N. T., quae in Luca et Ioanne non solum ab adversariis nostris, sed a catholicis contravertuntur specialiter enumerarentur » (Acta gen. p. 71). Schema enim propositum post enumeratos libros hanc brevem tantum clausulam habuit : « Si quis autem libros ipsos et traditiones praedictas violaverit, a. s. » (l. c. p. 66). Ideo inter quatuordecim capita dubitationum, ad quae Patres in congr. gen. die 1. Apr. responderunt, secundum fuit : « An quia *de quibusdam particulis Evangeliorum Marci cap. ult. et Luc. c.* 22. *et Ioan. c.* 8. a quibusdam est dubitatum, ideo in decreto de libris Evangeliorum recipiendis sit nominatim habenda mentio harum partium, et exprimendum, ut cum reliquis recipiantur, an non »? (l. c. p. 72).

53. — Etenim iam mox post decretum tridentinum promulgatum pauci quidam theologi antiquam controversiam resuscitare et obsoletas distinctiones recoquere coeperunt. Primus inter eos erat *Sixtus Senensis,* qui in sua Bibliotheca sacra a. 1566 Venetiis edita Estheris fragmenta inter apocrypha reiicere voluit nova distinctione inventa :

« Appendix libri Esther, inquit, quae septem posteriora capitula complectitur, variis laciniis et centonibus texitur, ex quibus in exemplaribus hebraicis nihil prorsus exstat... Sed venit hoc loco in mentem simul admonere et adhortari pium ac benevolum lectorem, ne me temeritatis arguat, quod haec septem capita a canonicis scriptis avulsa in hunc ultimum apocryphorum ordinem redegerim, ac si oblitus sim decreti tridentimi, quod sub anathematis interminatione recipi iubet omnes libros integros, prout in Ecclesia

catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur. Est enim canon ille intelligendus *de veris ac germanis partibus*, quae ad librorum integritatem spectant, non autem *de laceris quibusdam appendicibus et pannosis additamentis* a quovis incognito auctore temere appositis et utcumque insutis, qualia sane sunt huiusmodi ultima capitula, quae non solum Hugo Card., Nicol. Lyranus, Dionys. Carthusianus negant esse canonica, sed et D. Hieronymus a toto Esther volumine resecat ceu vitiatam partem et laciniosis, ut ipsius verbis utar, verborum sinibus conflictam ex his, quae ex tempore dici et audiri poterant, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui iniuriam passus est vel qui iniuriam fecit. Origenes quoque in ep. ad Iul. Afric. haec eadem additamenta explodit » [1].

Quantopere a genuino decreti sensu explicatio haec Sixti abhorreat non minus perspicuum est, quam eadem distinctione innumeras alias partes, quae nunquam in controversiam vocatae sunt, spurias et a canone alienas declarari posse. Directe quidem et proxime Patres tridentini, id quod ex Actis elucet (52. *n.* 3), Evangeliorum pericopas quasdam controversas tueri voluerunt; at expressio, qua utuntur, ita est conformata, ut simul deuterocanonica V. T. additamenta comprehendat. Illa enim in Ecclesia catholica legi consuevisse atque in veteri vulgata latina editione haberi constat; quamprimum autem duplex haec conditio a Patribus tridentinis stabilita in parte aliqua obtinet, iam non amplius licet eam « non veram et germanam » dicere, etsi aliqui ante concilii definitionem de ea dubitaverint.

Longius progressi sunt duo alii theologi, saec. 18. *Bernardus Lamy* in Gallia, ineunte nostro saec. *Ioannes Iahn* in Germania. Prior postquam Rufini et S. Hieronymi doctrinam de deuterocanonicorum auctoritate minore exposuit, tamquam suam quoque sententiam enuntiat : « idcirco libri, qui in secundo canone sunt, licet coniuncti cum ceteris primi canonis, tamen non sunt eiusdem auctoritatis » [2]. Eundem errorem fusius demonstrare conatur alter ; si illi crederemus, in tridentino concilio quaestio de discrimine protocanonicos inter et deuterocanonicos statuendo non tantum agitata esset, sed eam quoque solam ob causam testibus Pallavicinio et Sarpio, concilii historiographis, Patres ab hoc discrimine declarando abstinuissent, quia omnibus notum esset atque necessario subintelligendum; optime enim Patres intellexisse, se discrimen illud aeque parum auferre et tollere posse atque ipsum factum, cui innitatur, sc. quod deuterocanonici antiquitus nec ubique nec ab omnibus essent recepti [3]. Hallucinatur autem doctissimus vir, quum neuter ex historiographis citatis id, quod asserit, testetur; *Pallavicinius* enim narrat, istam divisionem, « uti revera fir-

mam rationem prae se non tulerit, nec sua specie allexisse Patres et vix nactam esse laudatorem »[4]; *Sarpius* autem haec habet : « de contexendi librorum S. Scripturae catalogi forma tres distinctae erant theologorum opiniones; una singulorum librorum mentionem non esse faciendam, altera catalogum in tres series (sc. ab omnibus receptorum, addubitatorum, apocryphorum) distinguendum, tertia in eodem omnes catalogo, *quippe qui eadem essent auctoritate,* ponendos; mandatum igitur est, ut tres schedulae conficerentur et in sequentem congregationem singuli diligenter perpenderent, quae e tribus accipienda esset;... die 15. Martii tribus formulis, quas modo diximus, propositis, unaquaeque suos habuit propugnatores, *tertia tamen a pluribus approbata* »[5]; atque eam solam esse acceptatam docet decretum, quod hodie habemus.

Satis accurate haec iis respondent, quae Acta genuina a concilii secretario Masarello conscripta referunt. His enim testibus in congregatione particulari (11. Febr.) a fanensi episcopo et Augustinianorum generali propositum est, ut distinctio fieret librorum, « qui ut authentici et canonici et ut a quibus nostra fides dependeat, recipi deberent », eorumque, « qui ut canonici tantum et ad docendum idonei et ad legendum in Ecclesia utiles » reciperentur; rogatis autem sententiis « *a nemine ista distinctio probata est* »[6]. Nihilominus simile dubium in sequentibus congregationibus generalibus (12. et 15. Febr.) iterum motum est; « tandem maiori parti placuit, quod libri ipsi sacri *pure et simpliciter* reciperentur et numerarentur, sicut factum fuit in conc. florentino... Oritur dein alia quaestio, *an aequaliter et pari reverentia omnes libri sacri recipiendi sint,* quum inter illos magna sit differentia... Maior itaque pars comprobavit, ut apponerentur haec verba : pari pietatis affectu recipimus; sed nihil decretum »[7]. Quum dein in congregatione generali die 1. April. schema futuri decreti disceptandum proponeretur, caput 10. dubitationum erat : « an verba illa in decreto posita : *pro sacris et canonicis,* placeant », caput 13. autem : « quae iam pridem in congreg. gener. stabilita fuerunt, ut *de non facienda distinctione inter libros, qui recipiuntur,* de eorum enumeratione iuxta conc. florentinum et de anathemate libris addendo, nescimus, an s. synodus retexere velit et acta agere; quod si voluerit, libera est »; iam vero cap. 10. placuit quatuor et quadraginta Patribus, negative respondentibus tribus et dubitantibus quinque; ad 13. cap. autem quod attinet, « ea, quae semel in generali congregatione per maiorem partem conclusa sunt, amplius non retractari omnibus placuit »[8]. Die 5. Aprilis de reformato schemate disputatum est, idemque dubium iteratum : inter alios tridentinum cardinalem turbavit, quod omnes

libri reciperentur, « spreta distinctione Augustini, Hieronymi et aliorum »; hoc enim saltem animadvertendum duxit, « ut libri, qui minoris auctoritatis habentur, in decreto ultimo loco post magis canonicos ponerentur. Nam liber Tobiae, qui ab Hieronymo inter apocrypha nominatur, ante plures libros, de quorum fide nunquam dubitatum fuit, positus est »; episcopus Castellimaris dubitavit, « an libri Baruch et Machabaeorum deberent recipi pro sacris et canonicis; posset dici, quod sunt de canone Ecclesiae ». Quae paucorum dubitationes reliquos Patres parum vel nihil videntur movisse; ultimus (Sotus) enim respondit: « placet decretum, quum iam omnibus placeat »[9]. Demum quum pridie ante publicam sessionem decretum ob alias causas retractatum novo examini subiiceretur, episcopus Castellimaris suam repetiit difficultatem : « verba: pro sacris et canonicis, non placent propter librum Iudith et alios quosdam, qui non habebantur in canone Hebraeorum; propterea dicatur : sunt in canone Ecclesiae ». Respondente autem Card. Cervino, qui congregationi praesidebat : « etsi verum est, quod dicitis, *nos tamen sequimur canonem Ecclesiae, non Iudaeorum;* quum igitur dicimus : canonici, intelligimus de canone Ecclesiae », ipse quoque castellimarensis acquievit responditque : Placet[10].

Frequenter igitur moniti sunt tridentini Patres, ut decreti verba iterum iterumque perpenderent; quod si nihilominus quaestione saepius tractata atque difficultatibus omnibus non semel consideratis in suo decreto omnes libros protocanonicos et deuterocanonicos « pari pietatis affectu » recipiendos definiverunt, eosque omnes « sacros et canonicos » declaraverunt, quorum « potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus » essent usuri, nonne evidentissime patet, eos illud discrimen, quod aliqui theologi inter libros sacros adesse statuerant utpote nullius valoris despexisse atque omnes libros aequalis, i. e. divinae, auctoritatis habuisse? Minime sane tridentini Patres negaverunt, nonnullos theologos, atque etiam nonnullos Patres de librorum quorundam auctoritate et canonicitate dubitasse, at, uti recte observat *Dupin*, « Ecclesia, etsi novas revelationes non accipiat, fieri tamen potest, ut tempore intercedente de alicuius operis veritate maiorem certitudinem acquirat, quam antea habuit; quando nimirum post diligens examen legitimum invenit fundamentum, quo nixa omne dubium expellere potest, et traditionem sufficientem, quae authenticum librum declarat »[11]. Atque id factum esse videmus relate ad libros deuterocanonicos; sua enim iam luce splenduit antiqua traditio de canonis alexandrini, utpote ab Apostolis ecclesiis a se fundatis traditi, libris omnibus pari pietatis affectu recipiendis; nec ulla tridentinis Patribus remansit dubitatio, quin

omnibus, quippe divinitus inspiratis, eadem dignitas eademque auctoritas esset attribuenda. Quare, si paucos illos, quos nominavimus, interpretes excipis, omnes, quotquot post concilium tridentinum floruerunt, theologi catholici hanc doctrinam ceu fide divina credendam docuerunt atque propugnaverunt.

Verum ut omnem dubitationem, quae forte ex illorum sententiis exoriri potuit, prorsus excluderet atque praecaveret, *concilium vaticanum* definivit : « Si quis libros integros cum omnibus suis partibus, prout illa s. synodus tridentina recensuit, *pro sacris et canonicis non receperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit*, anathema sit »[12]. Quae verba tam clara sunt, ut ampliore refutatione non indigere arbitremur recentis scriptoris catholici sententiam, qui nescio quam auctoritatis differentiam inter libros sacros (protocanonicos et deuterocanonicos) etiam post tridentinam et vaticanam definitiones relictam esse sibi persuasit[13].

1. *Sixti Sen.* Bibliotheca s. I. p. 44 sq. Quod in fine asserit, Origenem additamenta Estheris in epist. ad Afric. explosisse, id falsissimum est. Origenes enim haec additamenta eum in finem affert, ut multo plura, quam Susannae historiam, quam solam impugnaverat Iulius Afric., in textu hebraico deesse ostenderet; immediate autem post haec exempla allata irridere incipit Africano, quia a Iudaeis puras ac genuinas Scripturas emendicare velit; cfr *Orig.* ep. ad Afric. 3. 4. (M. 11, 52 sqq.).

2. *B. Lamy* Apparatus biblicus. (Ed. 6. veneta.) (Ed. 6. veneta) 1777 p. 375.

3. *I. Iahn* Einl. in die gœttl. Bücher d. A. B. Ed. 2. Wien 1802 I. p. 140 sq. « Als nun die deuterokan. Bücher von den Protestanten gänzlich aus dem Kanon verwiesen wurden, und der Kirchenrath von Trient hierüber eine Verordnung abfassen wollte, so wurde, wie nicht nur Paul Sarpi sondern auch der Card. Pallavicini erzählt, einige Zeit gestritten, indem manche darauf antrugen, zwei Classen zu machen und in die erste die allzeit ohne Widerspruch angenommenen Bücher, in die zweite aber die übrigen zu setzen, die jemals bezweifelt oder verworfen wurden. Sie führten dafür an, dass diese Unterscheidung der Bücher, obgleich sie in keinem Kirchenrath gefunden werde, doch allzeit von sich selbst verstanden wurde; dass selbst Augustin diesen Unterschied gemacht und dass sein Ansehen im Canon in Canon. kanonisirt worden ist; und dass ferner Hieronymus diesen Unterschied als eine Regel der Kirche angesehen, auch P. Gregor. I. in seinem Commentar über Iob denselben beobachtet, und noch Caietan, der doch seine Commentare dem Papst dedicirt habe, ihn befolgt hat. [De omnibus his nec in Pauli Sarpi nec in Card. Pallavicinii operibus ne verbulum quidem legitur, nec in Actis genuinis editis ab Aug. Theiner]. Da aber die übrigen anriethen, dem Beispiele der alten Kirchenräthe zu folgen und die hl. Bücher ohne Unterschied in eine Reihe zu setzen, weil der Unterschied zwischen den beiden Gattungen der Bücher ohnehin bekannt sei und sich folglich hier ebenso, wie bei den ältern Kirchenräthen von selber verstehe : so vereinigten sich alle zu diesem Vorschlage, und hiermit wurden in der 4. Sitzung alle Bücher ohne Unterschied in eine Reihe gesetzt mit dem Beisatz : si quis autem libros ipsos integros, etc. — Es ist also, selbst nach der Versicherung der Väter von Trient, der Unterschied zwischen den

deuterokanonischen und protokanonischen Büchern nicht aufgehoben worden, konnte auch, wie die Väter gar wohl einsahen, ebensowenig aufgehoben werden, als die Thatsache selbst, auf welcher derselbe beruht, naemlich dass die deuterokanonischen Bücher vor Alters nicht überall und nicht von Allen angenommen wurden ».

4. *Pallavicini*. Hist. Conc. Trid. VI. 11, 4. Aug. Vindel. 1775, p. 220.

5. Petri Soavis Polani (*Pauli Sarpi*) Histor. Conc. Trid. Francof. 1621 p. 168 sq.

6. *Acta genuina* ed. Theiner I. 51.

7. *Acta genuina* I. 53.

8. *Acta genuina* I. 73.

9. *Acta genuina* I. 84. 85.

10. *Acta genuina* I. 86.

11. *Dupin* Dissertation prélimin. ou Prolegomènes sur la Bible. Paris 1701, p. 18. Addit : « C'est la raison pour laquelle saint Jérôme dit que l'Épitre de saint Jude avait acquis de l'autorité par l'antiquité et par l'usage et mérité d'être mise au rang des livres sacrés du N. T. »

12. *Conc. Vatic.* Constitut. dogmat. de fid. cath. Can. 4. de revel.

13. Hanc sententiam *A. Loisy* Hist. du canon de l'A. T. Paris 1890 p. 232 sqq. proponit. Etenim contra *Em. Card. Franzelin*, qui cum omnibus catholicis tenet, decreto *tridentino* « omnes libros sine discrimine in eadem auctoritate infallibilis verbi Dei scripti constitui et testimonia ex iis omnibus declarari irrefragabilia ad confirmationem dogmatum » (*Franzelin* de div. trad. et Script. Ed. 3. 1882 p. 405), *Loisy* haec habet : « Si l'éminent théologien a voulu dire, que la définition du concile ne permet pas de nier l'inspiration des deutérocanoniques, il a raison; *s'il pense de plus que, selon les Pères de Trente, tous les livres bibliques ont la même valeur et la même autorité, que l'inspiration produit en tous les mêmes effets et que l'on peut indistinctement puiser dans tous des arguments pour prouver le dogme aussi bien que des leçons morales, il va plus loin que le concile ne voulait aller, il supprime des réserves que le concile tout entier a clairement acceptées, il confond la question d'autorité ou de valeur dogmatique des livres avec celle de canonicité* » (p. 235). Postquam deinde satis confuse et obscure haec exponere conatus est, ad decretum *vaticanum* venit, de quo haec habet : « Le concile du Vatican a-t-il décidé que tous les livres de l'Écriture soient égaux en valeur et en autorité? On ne voit pas qu'il y ait seulement pensé, et l'on pourrait dire, en modifiant l'argument de Iahn : le concile a bien pu déclarer que tous les livres du canon sont inspirés, *il n'a pas pu faire que tous soient égaux comme sources de la révélation, que l'Ecclésiaste égale en valeur dogmatique* [i. e. iuxta priora : en autorité] *les Épitres de S. Paul, et Ruth, l'Évangile de S. Jean. Tous les livres de la Bible, en tant qu'ils sont inspirés de Dieu, ont la même dignité, ils ont droit au même respect; mais leur autorité n'est-elle pas en rapport avec la nature de leur contenu? n'est-elle pas historique, si le livre contient de l'histoire; dogmatique, s'il expose les vérités de la religion; simplement morale et d'édification, si le livre n'a pas d'autre objet?* » (p. 239 sq.). Si auctor nihil aliud dicere voluit, nisi argumento suo libros sacros ita differre, ut ex uno plura quam ex alio dogmata demonstrari possint, recte quidem sensit sed obscure et parum apte locutus est. Sub anathematis poena Patres vaticani libros omnes a concilio tridentino recensitos pro inspiratis et canonicis recipi iubent; omnes igitur eiusdem divinae auctoritatis esse declararunt; iuxta eos Ecclesiastes Epistolis Paulinis non est inferior auctoritate nec liber Ruth Evangelio S. Ioannis. Ac profecto cum S. Paulo aliisque Novi Test. scriptoribus Patres omnes dogmata eodem modo ex historicis et ex didacticis et ex propheticis libris pro-

bant, ita ut eos cunctis libris, licet argumento suo differant, eandem auctoritatem attribuisse certum sit. Ceterum attende, hanc differentiam, quam Loisy arbitrarie in concilii decretum inserere vult, ad quaestionem nostram plane non pertinere, siquidem ipso latente « la condition de protocanonique n'est pas liée nécessairement avec la qualité d'ouvrage dogmatique et la condition de deutérocanonique avec la qualité d'œuvre édifiante » (p. 236); ad quid igitur nova haec distinctio hic affertur, ubi de auctoritate deuterocanonicorum agitur? Praeterea Loisy, si hoc in loco gradus canonicitatis admittit, ut alii libri sint canonici, quatenus regulam credendi contineant, alii canonici, quatenus regulam morum exhibeant etc., non tantum omnibus theologis catholicis sed sibi ipsi contradicit, quum contra Reuss recte statuat : « *Il est certain que le concile* (de Trente) *n'admet aucune différence au point de vue de la canonicité entre les livres protocanoniques et ceux qui avaient été autrefois contestés*; la canonicité comme il (le concile) l'entend n'admet pas de degrés » (p. 207). Plura contra Loisy tradit *Magny*, Étude sur la canonicité des S. Écritures Paris 1892.

VII. Canon Veteris Test. apud Protestantes.

54. — Duce igitur Spiritu S., a quo regitur, Ecclesia dubitationibus omnibus de canonis Veteris Test. remotis eandem esse protocanonicorum ac deuterocanonicorum librorum dignitatem et auctoritatem sollemniter agnovit; sectae autem protestanticae oppositam viam tenuerunt. Novatores a canone quidem deuterocanonicos excluserant et in appendicem relegaverant, at S. Hieronymi et Rufini distinctione retenta eos utiles legentibus declaraverant. Idem etiam plerique eorum primi sequaces senserunt suisque in publicis « confessionibus » professi sunt. *Confessio gallicana* (1559) libros canonicos discernit a « libris ecclesiasticis, qui, ut sint utiles, non tamen sunt eiusmodi, ut ex iis constitui possit aliquis articulus fidei »[1]; *confessio anglicana* (1562) deuterocanonicos ab ecclesia legi dicit « ad exempla vitae et formandos mores », ab illa autem non adhiberi « ad dogmata confirmanda »[2]; *confessio II. helveta* (1564) eos « in ecclesiis legi quidem vult, non tamen proferri ad auctoritatem fidei »[3] etc.

At vix saeculum praeterierat, quum iniquius de his libris iudicare coeperunt; error enim sibi constare nequit et abyssus abyssum invocat. Primi erant calviniani, qui in suo *conciliabulo dordracensi* (1618) declararunt, se desiderare, ut libri illi apocryphi nunquam S. Scripturae adiuncti essent, ideoque statuerunt, ut in posterum in Bibliis non imprimerentur nisi peculiari titulo distincti, « in quo diserte moneatur, hos libros opera esse humana ideoque apocrypha », atque praemissa praefatione, « in qua lectores tum de auctoritate horum librorum, tum de erroribus, qui in illis contineantur, accurate erudiantur »; demum in marginibus « voluerunt adnotari et refutari loca omnia, quae cum veritate librorum canonicorum pugnent »[4]. Calvinianos dordracenses secuti sunt presbyteriani Angliae, qui in *conciliabulo*

westmonasteriensi (1648) definierunt : « libri apocryphi vulgo dicti, quum non fuerint divinitus inspirati, canonem s. Scripturae nullatenus constituunt, proinde nullam aliam auctoritatem habere debent in ecclesia Dei, nec aliter, quam alia humana scripta, sunt aut approbandi aut adhibendi » [5].

Ab eo tempore ob odium catholicae veritatis inter protestanticas sectas odium quoque librorum deuterocanonicorum librorum crevit [6], quin etiam eo usque vesaniae progressi sunt aliqui, ut eos multis libris profanis longe peiores, mendaciorum, haereseon, superstitionum, contradictionum plenos praedicarent eosque aliis libris pravis haberent periculosiores, quia per summum scelus tamquam divinitus inspirati ipsi haberi vellent [7]. Inter omnes maxime illis infensos sese exhibuerunt presbyteriani Scotiae et Angliae, qui longe maiorem partem aliarum sectarum post se traxerunt, ita ut societas biblica londinensis lege statueret (3. Mai. 1826), nullam Scripturae editionem, quae « apocryphos » contineret, esse propagandam nec quemquam adiuvandum, qui eiusmodi editiones propagare conaretur. Frustra presbyterianis, quibuscum in Germania, Helvetia etc. fere omnes calviniani et zwingliani consenserunt, sese opposuerunt lutherani [8]; etenim quum integram veritatem de aequali deuterocanonicorum cum protocanonicis dignitate et auctoritate defendere non auderent erroresque ac falsas doctrinas in libris illis inesse concederent, non vinci non potuerunt; quis enim unquam permittere velit, ut libri humani, qui errores et pravas doctrinas continent, una cum libris divinis simplici populo tradantur? Hucusque tamen illae societates biblicae, quae a lutheranis sustentantur, « apocryphos » in suis editionibus retinent.

Altera vero ex parte rationalistae, qui suorum patrum principiis inhaerent atque id, quod Luthero licuit, sibi quoque licere censent, eodem cum iure, cum quo pseudoreformatores deuterocanonicos libros aggressi sunt, ipsi protocanonicos aggrediuntur; et quum in dies progressus maiores faciant, non longe abesse tempus videtur, quo et calvinistae et zwingliani et lutherani et quotquot numerantur sectae protestanticae etiam protocanonicos libros omnes e canone suo sint eiecturi Scripturamque illam plane destructuri, quam eorum patres, divinis traditionibus reiectis repudiatoque vivo Ecclesiae magisterio, unicum revelationis fontem supremumque fidei iudicem statuerant. Ac profecto impiae philosophiae placitis irretiti et occaecati plerique protestantici theologi nullam amplius agnoscunt supranaturalem revelationem, nullam inspirationem, nullum librum sacrum, neque solam divinam sed humanam quoque auctoritatem omnem denegant Scripturis illis, quas omnes, qui christiano nomine gloriantur, ceu divinitus

datas semper venerati sunt. Legislatio pentateuchica hodie illis nec divina est nec mosaica, sed putidum iuniorum Iudaeorum commentum; narrationes pentateuchicae eisdem nihil sunt nisi ineptae puerilesque fabulae mythis ethnicorum similes; alios Veteris Test. libros historicos erroribus omnis generis, fictionibus, mendaciis scatere dicunt; libri prophetici eis de Messia filiis Israel promisso eiusque universali regno spirituali non loquuntur, sed de vanis vagisque terrestris cuiusdam regni felicissimi exspectationibus somniisque, quibus Iudaei iuniores sese ipsi consolari conati sint; reliqua vaticinia aut post eventus dolose conficta aut eo tempore conscripta asserunt, quo res de quibus agunt naturali rationis lumine coniici potuerint — uno verbo nihil divini in libris illis inveniunt; quare etiam de canone divinarum Scripturarum non amplius loqui possunt eorumque sententias in historia canonis locum non merentur.

1. *Confess. gallic.* 3. 4. (*Niemeyer* Collectio Confessionum a reformatis publicatarum. Lipsiae 1840 p. 330.)

2. *Confess. anglic.* art. 6. (Niemeyer l. c. p. 602).

3. *Confess.* II. *helv.* 1. (Niemeyer, l. c. 468.) cfr etiam *conf. belg.* (1562) a. 6; *declar. thorn.* (1645); specialis declar. 2. (Niemeyer l. c. 362. 670.)

4. *Acta synodi nationalis dordrac.* Hanovriae 1620 p. 30, citata a *Strack* in Herzog P. R. E. (Ed. 2. VII. p. 44. Nota.)

5. *Confess. westmon.* I. 3. (Niemeyer App. p. 2.)

6. Ipse protestans *Strack* (Herzog P. R. E. Ed. 2. VII. p. 450) fatetur : « Die besonders seit der dordrechter Synode bei den Reformirten sich zeigende grössere Strenge in Behandlung der Apocryphen *ist ohne Zweifel zunächst durch den Gegensatz gegen die römische Kirche veranlasst worden.* »

7. *Keerl,* Die Apocryphenfrage 1852. passim; cfr *Schoell* in Herzog P. R. E. (Ed. 2. II. 374).

8. Lutheranorum modernorum sententiam fuse exponit *R. Stier* Die Apocryphen. Vertheidigung ihres Anschlusses an die Bibel. 1853; cfr etiam *Hengstenberg* Für Beibehaltung der Apocryphen Berlin. 1853. Eandem fere sententiam iam antea defenderat, licet a rationalisticis principiis procedat, *Reuss* Dissertatio polemica de libris apocryphis V. T. perperam plebi negatis. 1829.

CAPUT III.

HISTORIA CANONIS NOVI TESTAMENTI.

§ 5. — *Prima scriptorum apostolicorum collectio.*

55. — Dominus ac Redemtor noster divinam suam doctrinam in Vetere Test. promissam sola viva voce tradidit; per tres enim publicae suae vitae annos totam Palaestinam identidem peragrans in templo et in synagogis, in viis publicis et in domibus privatis, in oppidis et in desertis, coram frequentibus hominum turbis et coram paucis suis discipulis, vivae vocis suae oraculo coelestia dogmata praeceptaque sua explanavit ac missionem suam divinam splendidis comprobans miraculis prima Ecclesiae suae fundamenta iecit. Literis vero nihil divina sua manu mandavit; solae haereticae quaedam sectae sese documenta ab eo conscripta possidere gloriatae sunt [1].

Eodem modo, quo ipse primus Evangelium annuntiavit, illud ab Apostolis propagari voluit; quae in aure audierant, praedicare debuerunt super tecta; neque enim ut Ierosolymis sedentes scriptis libris acceptam doctrinam spargerent, sed ut euntes docerent omnes gentes eis praecepit euntibusque et docentibus continuam suam divinamque promisit assistentiam [2]. Procul dubio non prohibuit, quominus nonnulla de sua vita ac doctrina a discipulis suis, data occasione vel necessitate id suadente, conscriberentur; attamen eum vivae vocis praedicationem oralemque traditionem tamquam ordinariam viam propagandi Evangelii elegisse omnia vocabula insinuant, quibus in Novi Test. libris annuntiatio, acceptatio, conservatio Evangelii exprimi solent [3].

Quod nemo mirabitur, qui quum aetatis illius rationem tum Evangelii ipsius naturam indolemque perpenderit. Hodie quidem foliis publicis librisque impressis doctrinae, praesertim pravae, quae hominum cupiditatibus libidinibusque blandiuntur, citissime per omnem terrarum orbem sparguntur; verum longe aliter se rem habuisse Christi tempore, nemo est qui ignoret. Accedit autem, quod Evangelium non sit doctrina quaedam speculativa paucis tantum hominibus, quibus otium studiorumque adiumenta suppetunt, destinata; sed omnes omnino homines, quotquot ubique terrarum degunt, sive pauperes sunt sive divites, sive culti doctique sive rudes indoctique, eosque integros ad se

convertere vult, ut omnibus depositis erroribus pravisque debellatis animi contentionibus id amare incipiant, quod eousque odio habuerunt, idque odisse, quod eousque dilexerunt. Iam quis dubitat, quin viva vox, si rem humano modo considerare velimus, ad animos alliciendos, commovendos, convertendos libris quibuscumque scriptis longe sit efficacior? Nemo, credo, facile sibi persuadebit, Evangelium, quod Dominus pauperibus primum praedicari iussit, eadem cum celeritate paucorum annorum spatio a Ierosolymis usque ad extremos imperii romani fines propagari potuisse, si Apostoli tuti et quieti Ierosolymis residentes libris scribendis operam dedissent librisque scriptis doctrinam Domini promulgare satis habuissent[4].

1. Cfr *S. August.* de consens. Evang. I. 7. sqq. (M. 34, 1047 sqq.) : « Sed illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de ipso scribentibus necesse sit credere » etc. — De Domini, quae fertur, ad Abgarum epistolae authentia quid sentiendum sit cfr *infra* 78.

2. *Matth.* 10, 27; 28, 19 etc.

3. Christiana doctrina, eius propagatio, conservatio, acceptatio his fere nominibus exprimuntur : λόγος, λόγος θεοῦ, λόγος ἀκοῆς (*Gal.* 6, 6; *Luc.* 5, 1; 1 *Thess.* 2, 13; *Act.* 18, 25 etc.); εὐαγγέλιον, εὐαγγελίζεσθαι, εὐαγγελιστής (*Rom.* 1, 1; *Luc.* 9, 6; *Eph.* 4, 11 etc.); κήρυγμα, κηρύσσειν, κήρυξ (1 *Cor.* 2, 4; *Matth.* 10, 7; 1 *Tim.* 2, 7 etc.); μαρτυρία, μαρτυρεῖν, μάρτυς (*Act.* 22, 18; 23, 11; 1, 8 etc.); παράδοσις, παραδιδόναι (2 *Thess.* 2, 15; *Luc.* 1, 2 etc.). Fideles dicuntur ἀκούειν, ἀκροᾶσθαι, δέχεσθαι, παραλαμβάνειν verbum praedicatum (*Eph.* 1, 13; *Iac.* 1, 22; 2 *Cor.* 11, 4; *Col.* 2, 6 etc.); fidem esse ex auditu docet S. Paulus (*Rom.* 10, 17: *Gal.* 3, 2) etc.

4. Ratio haec, quam iam indicat Eusebius (loco mox citando), ea quae de modo Evangelii propagandi Dominus statuit, satis explicat, nec opus est, ut cum *Aberle* (Einleitung in das N. Test. Ed. Dr. Schanz. Freiburg 1877 p. 8 sqq.) ad alias confugiamus. Hasce indicat : *a.*) Apostolos libris, qui romanis imperatoribus displicerent, scriptis nascentem Ecclesiam magno periculo expositūros fuisse; *b.*) Iudaeis totam suam doctrinam scriptis tradere eo tempore non licuisse; *c.*) libros scriptos in iudiciis facillime contra Christianos adhiberi potuisse. Addit eius editor Schanz : *d.*) communem aetate Apostolorum fuisse persuasionem, Dominum *mox* ad iudicium adventurum ideoque libros superfluos fuisse. Sed nescio an quidquam rationes hae ad quaestionem propositam explicandam conferant. Nam nec metus imperatorum vel iudicum nec consuetudines Iudaeorum Dominum vel Apostolos, ut a scribendo abstinerent, permovissent, si alterum hunc propagandi Evangelii modum utiliorem habuissent. Quae autem quarta adducitur ratio, ea fatente ipso auctore in Domino locum habere non potuit; Apostolos autem ad hanc persuasionem, si quis eam illis attribui posse putaverit, neutiquam attendisse, elucet ex eorum agendi modo, qui simul tres priores esse vanas demonstrat.

Ut efficacius igitur et latius propagarent doctrinam a Domino allatam, Apostoli, sicuti recte iam monuit *Eusebius,* « divini Spiritus demonstratione adiuti atque Christi sola virtute, quae per eos multa miracula patrabat, freti notitiam regni coelorum ubique terrarum

annuntiarunt; neque curae illis fuit, ut libros conscriberent, quum *longe praestantiore et humanas vires superante ministerio* fungerentur. Paulus certe, qui inter omnes Apostolos et verborum apparatu et pondere sententiarum facile eminuit, praeter paucissimas epistolas nihil omnino scripto tradidit, etsi innumera mysteria exponere potuisset... Et reliqui Salvatoris nostri adiutores, duodecim dico Apostolos, septuaginta discipulos aliosque innumeros, eorundem (mysteriorum) minime quidem expertes fuerunt; soli nihilominus ex cunctis Domini discipulis Matthaeus et Ioannes scriptos rerum commentarios nobis reliquerunt, atque hos quoque necessitate quadam ad scribendum compulsos esse perhibent »[5]. Quam parum vero ad Evangelium sive propagandum sive conservandum necesse per se fuerit, ut scripto consignaretur, antiquiores iam docent Patres : « Quid, inquit *S. Irenaeus*, si neque Apostoli quidem reliquissent nobis Scripturas, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt illis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine atramento et charta scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes » etc.[6]; « traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre : et habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos »[7]. Fuse autem ac diligenter prae reliquis *Tertullianus* in praeclaro suo de praescriptionibus adversus haereticos tractatu docet, non Scripturam sed Ecclesiam, « unam illam ab Apostolis primam, ex qua omnes », esse veram regulam fidei; « ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut par incertae », sed illud disputandum est, « quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum »[8]. Longissime igitur a vero aberrant, qui Scripturas unicum revelationis fontem et proximam fidei regulam habentes sine illis Ecclesiam exsistere non posse putant, licet, id quod historia canonis docebit, per sat longum tempus floruerit, antequam completum et certum Scripturarum N. T. canonem habuit.

Vivae vocis enim praedicatione exemplum Domini secuti Apostoli Evangelium praedicare coeperunt, atque non tantum in tota Palaestina finitimisque terris, sed probabiliter Romae iam fundatae erant ecclesiae, antequam aliquis ex Christi discipulis quidquam scripserat.

Accuratum quidem annum, quo S. Matthaeus, quem plerique Patres primum inter Apostolos scripsisse tradunt, Evangelium suum edidit, definire non possumus; at non est dubium, quin aliqui saltem anni inter Domini passionem et Evangelii primi editionem interpositi sint, ita ut illi, qui ante an. 42. Matthaeum librum suum non conscripsisse docent, vero propiores sint; primum deinde saeculum christianum ad finem vergebat, quum quartum Evangelium suum Ioannes tribus prioribus adderet[9]; ante tertii autem saeculi initium ne unam quidem ecclesiam invenimus, quam completam Scripturarum collectionem et definitam possedisse cum certitudine asserere licet.

5. *Euseb.* H. E. III. 24. M. 20, 264 sq.
6. *S. Iren.* c. haer. III. 4. M. 7, 855.
7. *S. Iren.* c. haer. III. 3. M. 7, 848.
8. *Tertull.* De praescr. 19. 20. M. 2, 31. 32.
9. De tempore, quo singuli libri N. T. conscripti sint, in Introd. spec. egimus; hic animadvertisse sufficiat, aliquos annos eosque non paucissimos a Domini passione et resurrectione usque ad Evangelii primi scriptionem effluxisse ex formula « usque ad hodiernum diem », qua S. Matthaeus bis utitur (*Matth.* 27, 8; 28, 15), certo constare; cfr Introd. spec. in N. T. p. 79.

56. — Etsi igitur *ordinariam* propagandi Evangelii viam praedicationem oralem fuisse ex Domini verbis, Apostolorum tota agendi ratione antiquorumque Patrum doctrina evidenter colligatur, absit tamen, ut dicamus Apostolis vitam Domini eiusque doctrinam literis consignare non licuisse. E contrario, quum evangelica fides eaque integra omnibus omnino hominibus unica sit salutis via, necessario admittendum est, Deum etiam voluisse, ut discipuli sui omnibus auxiliis, quae ad eam propagandam, inculcandam, conservandam apta videbantur, diligenter uterentur; atque ille ipse, qui euntibus et docentibus divinam suam assistentiam promiserat, eis non defuit, quando nonnulla literis mandanda duxerunt, ut doctrinae suae viva voce traditae facilius accuratiusque retinerentur, errores eis absentibus exorti reprimerentur, pristinus fervor, ubi languescebat, iterum excitaretur. Quin etiam, tota salutis oeconomia considerata, pro certo asserere non dubitamus, Spiritum S., qui Apostolis erat promissus, ut eos in tota missione regeret eosque omnem veritatem doceret, eos ad scribendum quoque, ubi utilitas vel necessitas id suadebat, impulisse eisque omnia, quae scribenda erant suggessisse.

Hac ergo ratione Novi Test. libri exorti sunt; quamvis non nisi ex Spiritus S. impulsu et cum eius supranaturali auxilio conscripti sint, fortuitis tamen, ut ita dicam, et singularibus conditionibus causisque originem suam debent, atque proxime a suis scriptoribus uni vel paucis

tantum ecclesiis vel personis sunt destinati. Ut epistolas et Apocalypsim praetermittamus, quae inscriptionibus suis et toto suo argumento fortuitam illam originem aeque produnt ac suam ad determinatas ecclesias vel personas destinationem, nonne historicis quoque libris, nisi unanimi Patrum traditioni fidem denegare velimus, eandem originem eandemque singularem destinationem attribuamus oportet? Rogantibus Iudaeis, qui crediderant, Matthaeus ad alias gentes profecturus Evangelium suum conscripsit, ut defectum praesentiae suae illis, quos reliquit, scripto compensaret[1]; Marcus a Romanis rogatus, ut doctrinae illius, quam a Petro audierant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret, eorum precibus obsecutus Evangelium suum edidit[2]; Lucas libros suos Theophili gratia conscripsit, ut cognosceret eorum verborum, de quibus eruditus erat, veritatem[3]; Ioannes demum, quum videret in aliis Evangeliis ea, quae ad externam Christi vitam magis spectant (τὰ σωματικά) tradita esse, a familiaribus rogatus afflatus Spiritu S. spiritale edidit Evangelium[4].

Sed huius loci non est haec accuratius pertractare; neque enim singulorum librorum authentiam demonstrare et a modernorum rationalistarum obiectionibus vindicare hic nobis est propositum, sed inquirendum nobis est, quandonam viginti septem illi libri, quos decretum tridentinum in Novo Test. recenset, colligi, libris Veteris Test. aequiparari atque in unum canonem adunari coepti sint. Libros autem illos omnes ab auctoribus, quorum nomina gerunt, esse conscriptos hoc loco supponimus, idque iure merito, quum per quindecim saecula, vix quoquam contradicente aut dubitante, ab omnibus, qui christiano nomine gloriantur, haec eorum authentia admissa sit.

1. *Euseb.* H. E. III. 24. (M. 20, 265.); cfr *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 3. (M. 57, 17.)
2. *Clem. Alex.* apud Euseb. H. E. VI. 14. (M. 20, 552.); cfr *Eus.* H. E. II. 15. (M. 20, 172.)
3. *Luc.* 1, 4; *Act.* 1, 1.
4. *Clem. Alex.* apud Euseb. H. E. VI. 14; cfr III. 24. (M. 20, 552. 265.)

57. — Quantam sollicitudinem diligentiamque primitiva Ecclesia in colligendis conservandisque Apostolorum scriptis adhibuerit, omnimoda cum certitudine ex quodam *S. Polycarpi* testimonio concludere nobis licet. « Epistolas Ignatii, inquit, quae nobis ab eo transmissae sunt, et alias, quotquot apud nos habuimus, ad vos misimus, *sicut mandastis;* quae sunt subiectae huic epistolae, ex quibus magnus vobis erit fructus »[1]. Etenim si S. Ignatii Martyris epistolas colligendas curarunt illius aetatis Christiani, ut ex eis fructum spiritualem haurirent, quis dubitaverit, quin multo sollicitiores in illis scriptis conservandis

et acquirendis fuerint, quae ab Apostolis edita sciverunt? Corinthii epistolam illam, quam a S. Clemente Rom. acceperunt, in publicis suis coetibus praelegere solebant[2]; haec autem eorum consuetudo certiores nos reddit, eos ipsos et fideles reliquarum ecclesiarum, quae apostolicas epistolas accipere meruerant, easdem frequenter in coetibus suis sacris legisse.

Porro Apostoli interdum ecclesias, ut inter se epistolas suas communicarent, monuerant[3], interdum non ad unam solam sed ad plures ecclesias easdem literas ceu encyclicas miserant[4]; reliquae vero, licet ad unam tantum ecclesiam vel unam personam essent directae, argumento suo ad omnes omnino fideles, aeque atque Evangelia, pertinere videbantur. Quae enim S. Paulus Galatas et Romanos de foederis novi ad vetus relatione, Corinthios de schismatis aliisque vitiis evitandis, Timotheum et Titum de ecclesiarum gubernatione etc. docuit, omnibus ecclesiis maximae erant utilitati. Quare dubitari non potest, quin omnes epistolarum istarum exemplaria apud se habere cupierint earumque frequenti et publica lectione illa, quae ab Apostolis audierant, in mentem revocarint.

Ubicumque igitur praedicatum est Evangelium et ecclesia fundata, ibi etiam statim scripta apostolorum collecta esse pro certo et indubitato admittimus, ita ut iam ante Apostolorum mortem omnes ecclesiae collectiones quasdam maiores minoresve haberent. Has autem etiam sine ullo dubio inter se communicarunt, uti S. Polycarpum suam ignatianarum epistolarum collectionem cum Philippensibus communicasse videmus; frequentissimum enim apostolico tempore erat ecclesiarum mutuum commercium[5], ideoque etiam facillima scriptorum apostolicorum collectio.

1. *S. Polyc.* ad. Philipp. 13.

2. *S. Dionys. Cor.* apud Eus. H. E. IV. 23. M. 20, 388 : « Hodie, inquit in epistola ad Soterem Rom. Pontif., sacrum diem dominicum transegimus; in quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinde legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis praeceptis ac documentis abundabimus. »

3. *Col.* 4, 16.

4. 2 *Cor.* 1, 1; *Eph.* 1, 1 (?); *Iac.* 1, 1; 1 *Petr.* 1, 1; *Iudae* 1, 1; *Apoc.* 1, 1 etc.; cfr *Act.* 15, 22.

5. Non tantum S. Pauli socii continuis itineribus ecclesias visitarunt, sed fideles quoque frequenter sedes suas mutasse videmus; Aquila et Priscilla nunc Corinthi, nunc Ephesi, nunc Romae, nunc iterum Ephesi resident (*Act.* 18, 2. 18; *Rom.* 16, 3; 2 *Tim.* 4, 9); in ep. ad *Rom.* 16, 5 sqq. Paulus nonnullos salutat, quos in Asia, Macedonia, Graecia cognoverat etc. — SS. Ignatii M. et Polycarpi epistolae idem ecclesiarum commercium testantur; *S. Ign.* ad Eph. 1. 2., ad Trall. 1. etc.; *Polyc.* ad Philipp. 12; cfr *Euseb.* H. E. III. 37. 38; V. 25 etc. (M. 20, 288 sqq. 508).

58. — Mirum ergo non est, quod prima collectionis cuiusdam apostolicorum scriptorum vestigia iam in ipsis Apostolorum ultimis epistolis inveniamus. Quando enim S. Petrus monet « in omnibus fratris sui Pauli epistolis quaedam esse difficilia intellectu, quae homines indocti et instabiles depravent, sicut *et ceteras Scripturas* ad suam ipsorum perditionem », recte ex eius verbis colligimus collectionem quandam epistolarum paulinarum in communi usu iam fuisse easque, quod ad earum auctoritatem et dignitatem attinet, V. T. libris esse aequiparatas. Optime enim *Estius :* « hoc loco, inquit, Petrus canonizat, ut ita dicam, i. e. in canonem refert atque canonicas facit (vel : supponit) Pauli epistolas. Dicens enim, *sicut et ceteras Scripturas,* utique significat, se illas quoque in numero S. Scripturarum habere ». Porro collectionem quandam designari articulus (ἐν πασαῖς ταῖς ἐπιστολαῖς) docet, quo epistolae non tantum notae et vulgatae, sed etiam in uno, ut ita dicam, volumine adunatae significantur [1]; quasnam vero epistolas paulinas collectio illa continuerit, ex verbis S. Petri definire non possumus.

Uti autem Petrus coapostoli sui Pauli epistolas collectas et eiusdem dignitatis, quo reliquas Scripturas, habitas esse testatur, ita Paulus disciputi sui Lucae Evangelio canonicam auctoritatem attribuit; sollemni enim formula *dicit Scriptura* textum ex Deuteronomio desumtum una cum verbis Domini, quae in tertio Evangelio leguntur, allegat [2]; haec vero formula sola, id quod ex toto loquendi usu Scripturarum constat, Evangelium Lucae eo iam tempore, quo S. Paulus priorem epistolam Timotheo misit, tamquam librum divinitus inspiratum in usu publico fuisse doceret, etiamsi non esset cum Lucae textu testimonium Deuteronomii coniunctum [3].

Antequam demum S. Ioannes Evangelium suum scripsit, una cum Lucae Evangelio etiam duo priora in usum communem esse recepta docent Patres, qui S. Ioannem priorum veritatem confirmasse eaque, quia aliquid deesse videbatur, suo commentario complevisse tradunt (cfr *supra* 56 *n.* 4). Neminem profecto, qui quartum Evangelium attentus perlegerit, latebit, S. Ioannem non semel ad suos antecessores respexisse suaque narratione errores praecavere voluisse, qui ex parum diligenti priorum lectione exoriri potuerunt [4].

Ex illis igitur, quae in N. T. libris ultimis leguntur, consequens est, ante S. Ioannis mortem multas ecclesias apostolicorum librorum collectionem quandam possedisse, quamvis quosnam continuerit definire nequeamus. Quin etiam qui ad modum, quo N. T. scripta exorta sunt, animum adverterit, facile concedet, in variis ecclesiis varias collectiones exstitisse, neque unum fuisse fidelium coetum, qui eo tempore

iam omnes eos libros, quos nunc in canone habemus, cognoverit, nedum pro sacris et canonicis habuerit[5]. Altera autem ex parte illud quoque est concedendum, nullum in nostro canone adesse librum, quin in alicuius saltem ecclesiae collectione fuerit. Quod si enim teste S. Clemente Rom. Corinthii, Ephesii teste S. Ignatio, et Philippenses teste S. Polycarpo epistolas, quas ab Apostolo gentium acceperant, magna cum reverentia custodiverunt[6], quis asserere dubitabit, alias ecclesias eadem cum cura et diligentia literas ab Apostolis acceptas conservasse posterisque transmisisse? Optime igitur et rectissime *S. Augustinus*, quum quisnam esset Novi Test. canon sollemni definitione nondum constaret, fideles admonuit, ut « in canonicis Scripturis ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequantur, inter quas sane *illae sint, quae apostolicas sedes habere et epistolas recipere meruerunt* »[7].

1, 2 *Petr.* 3. 15. Lectio ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς ob codicum autoritatem (ℵ K L. P. al. pler. cfr *Tischendorf* Nov. Test. gr. Ed. 8. Lips. 1872) omnino praeferenda est. — Textus hic modernis quibusdam criticis argumento est, alteram Petri epistolam non esse authenticam, quia a priori statuunt, apostolico tempore scripta apostolica nondum habuisse canonicam auctoritatem (*De Wette Schrader* Einl. p. 34; *Bleek* Einl. i. d. N. T. ed. Mangold. Ed. 2. Berlin 1875 p. 739, etc.); sed quae gratis asseruntur, gratis negantur. — *Hilgenfeld* (Einl. in das Neue Testam. Leipzig 1875 p. 37) argumentum nostrum non admittit, quia « inter omnia N. T. scripta non inveniatur aliud, quod ob testimoniorum antiquorum defectum magis, quam altera Petri epistola, mereatur addubitari », neque aliter iudicat *H. I. Holtzmann* (Lehrbuch der hist. krit. Einl. in d. N. T. Freiburg 1886 p. 109); sed in *Introd. spec.* in N. T. (p. 639-649) nec testimonia deesse epistolae nec *serias* difficultates eius authentiae opponi sufficienter demonstravimus; cfr etiam *Hundhausen* Das zweite Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1878 p. 18 sqq. — *Huther* (Meyer's krit. exeg. Commentar XII. Ed. 3. Gœttingen 1867, p. 389 sqq.) tum *collectionem* epistolarum designari, tum expressionem « ceteras Scripturas » de libris V. T. intelligendam esse negat. Sed articulus, si genuinus est (eumque genuinum esse codicum auctoritate constare diximus), quo cum iure collectionem aliquam designari negetur, non videmus, ac multo minus, quomodo expressio αἱ γραφαί, quae in toto N. T. ne semel quidem alio sensu, quam de V. T. adhibetur, hoc loco de eo intelligenda non sit. At, inquit *Huther*, quamvis aliis in locis semper V. T. libros significet, hoc loco, quum additum sit λοιπαί, alios libros eosque diversos intelligendos esse apparet. Scire autem velimus, quo adiectivo S. Petrus uti debuerit, si V. T. libris epistolas Pauli comparare iisque simul eandem auctoritatem attribuere voluerit. In re evidenti, quam sola mala voluntas aut praeiudicium pervertere potest, immorari non vacat.

2. 1 *Tim.* 5, 18. cfr Deut. 25, 4. Luc. 10, 7. Hic quoque textus a *Bleek-Mangold* (l. c.), *Holtzmann* (l. c.) aliisque tamquam argumentum contra epistolae authentiam adhibetur atque *Hilgenfeld* (l. c.) iterum monet, aliunde authentiam epistolae esse dubiam, quamvis ab apostolicis Patribus *S. Clemente* (1 Cor. 29), *S. Ignatio M.* (ad Magn. 8), *S. Polycarpo* (ad Philipp. 4. 5) iam adhibeatur. Inter catholicos quoque interpretes non desunt, qui, quum Lucam a Paulo allegari persuadere sibi nequeant,

proverbium quoddam textui Deuteronomii addi censeant, aut cum *S. Thoma* (i. h. l.) in Vet. Testamento locum a Paulo allatum quaerant. Rectius autem *S. Chrys.* (in 1 Tim. hom. 15, 2. M. 62, 581) : « ponit quae Legis sunt, ponit quae Christi sunt », et *Theodoret.* (i. h. l. M. 82, 820) : « illud quidem ex Veteri, hoc ex Novo Testamento adduxit ». Profecto vix credi potest, S. Paulum verbo divino dictum aliquod humanum adiungere voluisse; si vero Christi dictum adducere voluit, non video cur illud ex Lucae Evangelio desumtum negetur; alibi quoque S. Paulus duos textus coniunctione copulativa connectit (2 *Tim.* 2, 19; *Hebr.* 1, 8, 10).

3. *Epistolam* 1 *Tim.* non ante an. 65 scriptam esse alibi demonstravimus; cfr Introd. spec. in N. T. p. 559 sq. 569 sq.

4. Ex. gr. *Ioan.* 2, 11; 4, 54, quaenam miracula Domini in Galilaea primum et secundum fuerint, indicat, quia ex synopticis Evangeliis facile quis opinari possit, cum ab aliis miraculis vitam publicam in Galilaea inchoasse; immo forte apocryphas quasdam narrationes de miraculis a Iesu puero patratis, quae tum iam propagari coeptae sunt, iisdem verbis simul reiicere voluit; cfr etiam *Ioan.* 3, 24 et *Matth.* 4, 12; *Marc.* 1, 14; *Luc.* 3, 20, qui captivitatem Ioannis B. immediate post Domini N. baptismum narrant etc.

5. Quae ex *Photii* Biblioth. (cod. 254 De martyrio Timothei M. 104, 101) interdum afferuntur, ad tempus, quo N. T. libri *collecti* sunt, definiendum nihil conferunt. Post Timothei mortem Ioannes Ephesum reversus « tomos, qui variis linguis continebant salutarem Domini passionem, miracula, doctrinamque ab afferentibus acceptos in ordinem digessit distinxitque et tribus Evangelistis quartus accessit ». Ita versio vulgata; rectius autem : « et singulis trium Evangelistarum nomen adaptavit » (καὶ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν τριῶν εὐαγγελιστῶν τὸ ὄνομα ἐνηρμόσατο). Quidquid vero de huius testimonii sive versione sive auctoritate statuitur, illud de solis Evangeliis loqui patet.

6. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 49; *S. Ign.* ad Ephes. 12; *S. Polyc.* ad Philipp. 12.

7. *S. August.* de doctr. christ. II. 8. M. 34, 40.

§ 6. *Canon primis tribus Ecclesiae saeculis.*

1. Patrum apostolicorum canon N. T.

59. — Primos Apostolorum discipulos et successores magistrorum suorum libros et epistolas pro sacris habuisse divinitusque inspiratis, qui eiusdem, cuius V. T. libri, essent auctoritatis et dignitatis, vix quisquam ante nostra tempora in dubium vocare ausus est. At id maxime hodie a rationalistis omnibus negatur, applaudentibus illis, qui quamvis non omnem supranaturalem revelationem reiiciant, ad rationalismum magis minusve inclinant eiusque principia sectantur. A Patribus scilicet apostolicis epistolas Apostolorum iisdem formulis, quibus V. T. libri, unquam allegari infitiantur, facta autem evangelica et verba Domini ita referri aiunt, ut ex orali potius traditione, quam ex libris scriptis, illa hausta esse appareat; quare nostros libros canonicos ea aetate aut nondum exstitisse, aut saltem divinam auctoritatem non habuisse asserunt[1].

Quibus cavillationibus ut occurramus, antequam testimonia nostra ex Patrum operibus afferamus, de antiquorum scriptorum allegandi ratione pauca sunt praemittenda[2]. 1.) Non est qui neget, S. Irenaeum aliosque exeuntis saec. 2. scriptores res gestas et verba Domini N. ex Evangeliis nostris hausisse : iam vero quoties factum aliquod in suis argumentationibus adducunt, raro iisdem prorsus verbis, quibus illa ab Evangelistis narrata sunt, utuntur, sed plerumque suis verbis rem magis indicant quam narrant, quippe quam legentibus cognitam esse supponant. Quoties autem Domini dictum allegant, frequentissime Evangelistae, qui illud nobis conservavit, nomine tacito directe illud Domino dicenti adscribunt (« Dominus dixit » etc.). Iam nulla adest ratio, cur antiquiores Patres eandem allegandi rationem observasse negetur: quam primum igitur in factorum, quae referunt, minutis circumstantiis aut in verbis ipsis magna cum Evangelio quodam adest similitudo atque affinitas, prudens sine ulla haesitatione Patres ad illud respexisse ex illoque sua hausisse concedet. 2.) Porro iuniores Patres, quamvis verba prophetica et didactica accuratius atque plerumque auctoris nomine addito recitent, haud raro tamen verbis neglectis solam sententiam eamque aut generaliore quadam citationis formula aut ea omnino suppressa adducunt. Nihilominus illos sacrum textum allegare voluisse manifestant aut formulae illae, quibus utuntur, aut characteristicae nonnullae voces, quae ex sacris Scripturis in usum communem transierunt. S. Iustinum M. ex. gr. aeque ac Celsum quartum Evangelium adhibuisse pro certo habebit, quicumque eos Dei Filium « Verbum » appellare attenderit; S. Theophilum Ant. nomen « primogeniti omnis creaturae » a Paulo didicisse etiam facile conceditur[3] etc. Iterum autem nulla apparet ratio, cur in apostolicorum Patrum operibus alium omnino citandi modum agnoscendum esse dicamus, eorumque *allusionibus* omnem probandi vim abiudicemus. Libenter quidem concedimus, immediatos Apostolorum discipulos ex magistrorum suorum praedicatione vitam Domini eiusque doctrinam didicisse, neque diffitemur, illos etiam facta nonnulla et verba Domini referre, quae in nostris libris canonicis non leguntur[4] : at haec non impediunt, quominus Patres istos nostra Evangelia nostrasque Epistolas adhibuisse asseramus, dummodo conditiones indicatae adsint; frequentiores enim sunt, quam quae ex sola traditione orali exoriri potuerint.

1. *Landerer* in Herzog P. R. E. Ed. I. VII. 273; cfr *Schmidt* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VII. 454; *Reuss* Geschichte des N. T. Ed. 5. Braunschweig 1874 II. 8 sq.; *Bleek Mangold* Einl. p. 740 etc.

2. Cfr *Leonh. Hug* Einl. i. d. N. T. Ed. 3. Freiburg 1826 I. p. 37 sqq.

3. *S. Iustin.* Apol. I. 33; c. Tryph. 61 etc. (M. 6, 381. 613); *Orig.* c. Cels. II. (M. 11, 852); *S. Theoph. Ant.* ad Autol. II. 22. (M. 6, 1088).

4. Satis multa quidem quum ex apostolicorum tum ex iuniorum Patrum operil dicta ac facta Domini afferuntur, quae in canonicis Evangeliis non inveniuntur (*Westcott* Introduction to the study of the gospels 1881 p. 454 sqq.; *A. Resch* Agrapl ausserkanonische Evangelienfragmente. Leipzig 1889; *eiusdem* Aussercanonisc Paralleltexte zu den Evangelien 1893); sed pleraque nostrae quaestioni elucidanc non inserviunt.

Ex *S. Barnabae* epistola duo citantur; ad priorem (Barn. 7 : « Sic, inquit, « volunt me videre et ad regnum meum venire, debent per afflictiones et tormei possidere me ») recte adnotat *Funk* (Opp. PP. apost. I. 25) : « Nonnulli putavert certam aliquam Christi sententiam sive scriptam (*Matth.* 16, 24; 20, 22), sive n scriptam vel locum libri alicuius apocryphi (4 *Esdr.* 7, 14) hic proferri; revera se tentia praecedens recapitulatur ». Neque maiore cum iure allegatur Barn. 15 : « I autem testatur mihi dicens : ecce dies Domini erit tamquam mille anni »; qui en ibi testis adhibetur, non est Christus, sed Deus, qui per Psalmistam testatur « qu niam mille anni ante oculos tuos sicut dies hesternus »; eodem enim libero mo idem textus a S. Irenaeo adhibetur (c. haer. V. 23. M. 7. 1186). — Neque ex *S. C mentis Rom.* 1 Cor. epistola certus locus affertur; illa enim, quae ex 1 Cor. et 50. laudantur, ex variis Scripturae locis contexta esse apparet. — Maiore cum i adducuntur *S. Ignat. M.* ad Ephes. 19 et ad Smyrn. 3; namque stellae, quae Ma apparuit, descriptio ex orali traditione haud. dubie hausta est; eidemque fonti ve bum Domini : « Apprehendite, palpate me et videte, quod non sum daemoni incorporale », adscribendum censemus, quamvis illis, quae *Luc.* 24, 39. legunt ita consentiat, ut libera quaedam allegatio esse queat; *S. Hieron.* (de vir. illustr. M. 23, 633.) quidem Ignatium haec ex evangelio Nazaraeorum desumsisse as rit; at Evangelii illius, quod num Ignatii tempore iam exstiterit, incertum e auctorem ex eodem fonte, ex quo S. Ignatius, haec haussisse sine ulla haesitatio affirmaverim. — Huc quoque nonnulla ex *S. Clementis* 2 ad Cor. spectant, c. « Vobis haec facientibus dixit Dominus : Si fueritis mecum congregati in sinu m et non feceritis mandata mea, abiiciam vos et dicam vobis : Discedite a me; nesc unde sitis, operarii iniquitatis »; Ibid. 5. « Ait enim Dominus : Eritis velut agni medio luporum. Respondens autem Petrus dixit : Si autem lupi agnos decerpseri Dixit Iesus Petro : Ne timeant agni post mortem suam lupos, et vos nolite time eos, qui occidunt vos et deinde nihil vobis possunt facere; sed timete eum, postquam mortui fueritis habet potestatem animae et corporis, ut mittat in gehenn ignis »; Ibid. 12. « Interrogatus a quodam Dominus, quando venturum esset regn ipsius, dixit : Quando duo erunt unum, et quod foris sicut id quod intus, et mascul cum femina », et si qui sunt alii.

Ceterum simile quid apud iuniores Patres invenitur nec tamen eos nostra Eva gelia adhibuisse ambigitur. Ex. gr. inde a *Clementis Alex.* (Strom. I. 28. M. 8, 9 tempore apud multos legitur verbum : « Estote boni trapezitae » (vel nummulari quod mox Christo, mox Paulo, mox Scripturae attribuitur, quod vero, uti re monet *Cotelerius* (ad Constit. Apost. II. 36. M. I, 687) ex traditione orali haust ceu glossa ad *Matth.* 25, 27. vel 1 *Thess.* 5, 21 adnotatum in aliquos codices ir psit, ideoque tamquam dictum evangelicum vel apostolicum vel scripturistic laudatur.

60. — Quibus praemissis facile iam probatur *immediate post apost*

licam aetatem scriptis Apostolorum divinam auctoritatem esse attributam, atque canonis tridentini libros in communi christianorum usu fuisse.

1.) Ut priorem asserti partem demonstremus, a.) ad illos textus provocamus, in quibus sollemni quadam formula, quae Scripturis solis divinis allegandis inservit, aliquod Novi Test. testimonium adducitur. Insignis nobis est testis *S. Barnabas* : « nam attendamus, inquit, ne forte, *sicut scriptum est* (ὡς γέγραπται) multi vocati, pauci electi inveniamur ». Frustra adversarii nostri tergiversantur, ut huius testimonii vim effugiant. Olim verba illa ab interprete latino addita responderunt; sed postquam primigenio graeco epistolae textu reperto effugium hoc inane evasit, alii, quum epistolam saltem ante a. 120. scriptam esse constaret, librum apocryphum allegari dictitarunt, alii formulam hanc in Barnabae epistola de solis divinis libris adhiberi sunt infitiati. At prior excusatio non minus est vana quam arbitraria; ad alteram autem quod attinet, formulam illam interdum ab antiquioribus scriptoribus in allegandis libris non divinis adhiberi concedimus, sed simul monemus, libros istos, qui hac formula afferuntur, a scriptoribus illis pro divinis et inspiratis habitos esse; formulae igitur suus semper manet determinatus exploratusque sensus [1]. Alter testis nobis est *S. Polycarpus*, qui in sua epistola textum Psalmorum una cum textu paulino allegat formula : « ut his Scripturis dictum est » [2]. Tertio loco nominamus *S. Clementem Rom.*, qui in epistolis de Virginitate haud raro eodem allegationis modo utitur [3], atque in homilia sua (2 Cor.) testimoniis nonnullis ex V. T. desumtis dictum Domini hac ratione adiungit : « Alia Scriptura dicit : *Non veni vocare iustos sed peccatores* » [4]. Huc demum referre licet etiam *Doctrinam duodecim Apostolorum*, quae quater ita ad Evangelium lectores suos reiicit, ut ei vere divinam auctoritatem attribui appareat [5].

1. *S. Barn.* 4. cfr *Matth.* 9, 13. Mirum quod *De Wette Schrader* (Einl. p. 35) etiam anno 1869, postquam graecus epistolae textus iam diu innotuit, verba illa interpreti attribuere non dubitet, ad *Credner* (Beiträge zur Einl. Halle 1832 I. 28) provocans, qui primigenium textum nondum cognovit. *Volkmar*, qui eandem olim sententiam tenuit, Matthaeum autem allegari non negavit (*Credner* Geschichte des Kanon; herausgeg. von G. Volkmar Berlin 1860), postquam Tischendorf graecum textum in codice sinaitico reperit, subito deprehendit, non Matthaeum sed Ps. Esdram (4 *Esdr.* 8, 3. « Multi quidem *creati* sunt, pauci autem *salvabuntur* ») a Barnaba laudari (Esra propheta 1863 p. 293; Index lect. in Univ. Turic. 1864 p. 16), atque sequaces inter alios habuit *Renan* et *Strauss* (Leben Iesu für d. deutsche Volk p. 55). Quod quum nimis absonum absurdumque esse appareret, *Mangold* tandem detexit, eadem formula ab auctore epistolae etiam librum Henoch allegari ac proin formulam nativa sua via destitui nec quidquam ad demonstrandam divi-

nitatem libri alicuius iuvare (*Bleek-Mangold* Einl. 1875 p. 740 Nota edit.). Eodem modo facile aliquis demonstraverit, in Clementis Alex. operibus, qui eadem formula aliquos apocryphos laudat, illam definito ac determinato sensu carere; dum tamen eadem formula utuntur rationalistae, ut Clementem apocryphos pro divinis libris habuisse demonstrent. Quam maxime mirum est, quod *Bern. Weiss* (Lehrb. der Einl. 1889 p. 27) verbo γέγραπται concedat quidem divinam dicti illius auctoritatem significari, sed neget ex hac formula sequi, auctorem dictum illud *ex libro quodam* desumsisse; ubi enim formula haec de verbis viva voce traditis usurpatur? Non minus arbitrarie addit, formulam illam ab interpolatore quodam fortasse esse insertam. — Laudandus autem est *Hilgenfeld*, qui non tantum fatetur a Barnaba textum evangelicum tamquam testimonium scripturisticum citari, sed etiam epistolam ipsam ante 1. saec. finem (an. 97) scriptam esse concedit. Ceterum de tempore, quo scripta dicenda est, cfr *supra* 36. *n.* 1. et opera ibi laudata.

2. *S. Polyc.* ad Philipp. 12 cfr *Ps.* 4, 5 et *Eph.* 4, 26. Quum hucusque huius loci textus graecus non sit repertus, hanc quoque formulam interpreti latino attribuunt vel locum interpolatum asserunt (*Ritschl.* Altkathol. Kirche. Ed. 2. p. 584); assertum autem suum argumentis nec demonstrant nec demonstrare possunt.

3. *S. Clem. Rom.* 1. Virg. 6. 11, etc.; cfr quae de epistolarum authentia *supra* diximus 34. *n.* 3.

4. *S. Clem. Rom.* 2 Cor. 2 cfr *Matth.* 9, 13.

5. *Doctr. Apost.* 8. « Neque orate sicut hypocritae, sed *sicut praecepit Dominus in Evangelio :* sic orabitis : Pater noster » etc. (*Matth.* 6, 9 sqq. etc.); *Doctr.* 11 « quod apostolos attinet et prophetas, *secundum decretum Evangelii* sic facite » etc. (cfr *Matth.* 10, 5 sqq.; *Luc.* 9, 1 sqq. etc.); *Doctr.* 15 « arguite vos invicem non in ira, sed in aequanimitate, *sicut habetis in Evangelio* » (cfr *Matth.* 5, 22 sqq. etc.); *Doctr.* 15 « omnes actiones ita facite, *sicut habetis in Evangelio Domini nostri* »; quum de oratione et eleemosyna agatur, auctor ad *Matth.* 6 respicere videtur. Ceterum de Doctrina Apost. cfr *infra* 78. 3.

Multa sunt modernorum « criticorum » artificia, quibus testimoniis nostris omnem probandi vim adimere conantur; interdum enim, uti bene monet *Tischendorf*, testimonia simpliciter reiiciuntur, interdum iuniori aetati attribuuntur, interdum ignorantiae aut fraudis accusantur, interdum genuina esse negantur, interdum erroneis interpretationibus corrumpuntur (« bald werden die Zeugnisse selbst abgeleugnet, besonders gern unter Herbeiziehung verloren gegangener Schriften, *bald werden die Zeugnissgeber verjüngert und aus der entscheidenden Zeitperiode auf ein indifferentes Gebiet versetzt*, bisweilen auch der Unwissenheit und des Betrugs angeklagt; *bald müssen die Schriften, aus denen die Zeugnisse stammen, unæcht werden oder wenigstens insoweit interpolirt, als zur Beseitigung der Zeugnisskraft nothwendig ist*; bald endlich werden die Zeugnisse der Alten durch Fælschung und Verdrehung unschædlich gemacht » *Tischend.* Wann wurden unsere Evangel. verfasst? Ed. 4. Leipz. 1880 p. VIII). Quia pro argumentis nihil nisi praeiudicia sua afferunt, opus non esse putamus, ut singula refutemus, praesertim quum nonnulla Patrum testimonia in Introd. spec. accuratius sint perpendenda. Dubitare nemo sane potest, quin gravioribus argumentis, quam ullum opus profanum, Patrum apostolicorum opera authentica esse demonstrentur. Quot opera profanis scriptoribus essent abiudicanda, si antiquitatis testimonia, quibus eorum authentia magis minusve probabilis redditur, eadem cum severitate examinarentur! Quid quod non paucis eiusmodi testimonia plane desint atque unius alteriusve codicis, qui media aetate conscriptus est, auctoritas plane sufficiat ad omnium animos abripiendos?

Confirmationis gratia immediatis his Apostolorum discipulis unum addamus haereticum, *Basiliden,* quippe qui eiusdem sit aetatis atque se ipse Apostoli Matthiae discipulum praedicaverit. Omnium primus fuisse videtur, qui commentarium in « Evangelium », quo nomine antiquitus quatuor Evangeliorum collectio designabatur, ediderit; in suis autem, quae adhuc exstant, fragmentis saltem trium Evangeliorum, Matthaei, Lucae, Ioannis, et epistolarum quarundam paulinarum locos formulis consuetis : « scriptum est », « Scriptura dicit » etc. allegat. Hunc quoque testem perinde atque Patres apostolicos a rationalistis repudiari, optime scimus; ea enim, quae exeunte saec. 2. Clemens Alex. et auctor Philosophumenon Basilidi attribuunt, non minus, quam ea, quae Origines et S. Epiphanius de eo tradunt, de iunioribus Basilidis sequacibus intelligenda esse asserunt atque assertum suum inanibus et ridiculis coniecturis stabiliunt. Annon Patribus, qui Basilidis ipsius eiusque discipulorum opera prae manibus habuerunt disertisque verbis ea, quae citant, ipsi magistro adscripserunt, magis credendum est, quam modernis Patrum correctoribus, qui omnibus istis operibus destituti sibi ipsi antiquorum haereticorum systemata atque systematum successiones fingunt [6]?

6. *Basilidem* tempore Hadriani (117-138) vixisse refert *Euseb.* H. E. IV. 7 (M. 20, 316): idem ex Agrippae Castoris, qui Basilidis coaevus fuit, testimonio tradit eum εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τέσσαρα πρὸς τοῖς εἴκοσι συντάξαι βιβλία (l. c. M. 20, 317; *S. Hier.* de vir. ill. 21. M. 23, 639). Basilides autem eiusque filius et discipulus Isidorus se Matthiae discipulos fuisse atque ab eo « sermones absconditos, quos audierat ipse a Domino peculiariter edoctus », didicisse gloriabantur, teste auctore Philosoph. (Philosoph. VII. 20. M. 16, 3302). Pauca testimonia ex Philosophumenis addamus : « Factum est, inquit (Basilides) ex non entibus (ἐξ οὐκ ὄντων) semen mundi, verbum, quod nominatum est : Fiat lux; et hoc est, inquit, quod dictum est in Evang*eliis* (τὸ λεγόμενον ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις) : erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (Philos. VII. 22. M. 16, 3306); VII. 25 laudantur *Rom.* 8, 9 et 5, 14 formula « ut scriptum est »; VII. 26 item 1 *Cor.* 2, 13 formula « Scriptura dicit »; eodem in loco simili modo afferuntur *Eph.* 3, 3; 2 *Cor.* 12, 4; *Luc.* 1, 35. Dein VII. 27 : « suum autem cuique rei tempus esse, inquit, idoneus testis Salvator est dicens : nondum venit hora mea (*Ioan.* 2, 4) et magi stellam conspicati » (*Matth.* 2, 2) etc. Probe notandus est primus locus; verba laudata in quarto solo Evangelio legi nemo ignorat; Basilides quum ea « in Evang*eliis* » legi asserat, in una collectione plura Evangelia adunata habuit; inter quae primum et tertium fuisse alia verba allata certum reddunt, atque omnia haec ab eo pro divinis habita esse formulae adhibitae declarant.

Ex *Origenis* testimonio (in Luc. hom. 1. M. 13, 1801 nota) quod recepit *S. Hieron.* (in Matth. Prol. M. 26, 17), Basilides sibi ipse videtur composuisse Evangelium; at quum Eusebius Basilidem *commentarium* in Evangelium conscripsisse tradat et ex Philosophumenis eum plura Evangelia agnovisse constet, verba Origenis haud dubie ironico sensu sumenda sunt, ita ut commentarium istum Εὐαγγέλιον κατὰ

Βασιλίδην appellet. — *Hilgenfeld* (Einl. i. d. N. T. p. 47) conqueritur : « Wenigstens mit Gründen ist meine Behauptung noch nicht beseitigt worden, dass die Philosophumena nicht den ächten Basilides, sondern eine spätere Gestaltung des Basilidianismus darstellen »; at ni fallor, si quis thesin aliquam statuit, *argumentis* eam stabiliat oportet, antequam conqueri possit, quod alii eam non examinaverint; coniecturae autem inanes non sunt argumenta.

b.) Non minus certum argumentum, quo librorum N. T. auctoritatem divinam ab apostolicis Patribus agnitam esse demonstremus, exhibent illi textus, in quibus « Evangelium et Apostoli » i. e. duae N. T. partes, in quas olim N. T. distributum est, ita cum « Lege et Prophetis » coniunguntur, ut et scripta designari et eandem dignitatem utrisque adscribi appareat. « Oportet attendere, inquit *S. Ignatius. M.*[7], Prophetis, praecipue autem Evangelio, in quo passio nobis ostensa et resurrectio perfecte demonstrata est » (ἐν ᾧ... δεδήλωται... τετελείωται). Evangelium hoc loco non viva voce praedicatum sed scriptum intelligendum esse et eius cum Prophetis coniunctio, et praepositio ἐν, et praeterita adhibita demonstrant. Eadem in epistola S. Martyr de haereticis loquitur, « quibus nec Prophetiae persuaserunt, nec Moysis Lex, sed nec Evangelium in hunc usque diem »[8]. Omne autem dubium, si quod remanet, utrum de Evangelio scripto an praedicato sermo sit, tertius locus ex epistola ad Philadelph. removet : « Obsecro vos, ut nihil contentiose agatis, sed iuxta Christi doctrinam. Quum audirem quosdam dicentes : Nisi invenero in archivis, i. e. in Evangelio (ἐν τοῖς ἀρχείοις, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ), non credo, et dicente me ipsis, quod scriptum est, responderunt mihi, hoc esse demonstrandum. Mihi vera archiva Iesus Christus, illibata archiva crux eius et mors et resurrectio eius et fides, quae est per ipsum... Eximii autem aliquid habet Evangelium, nimirum adventum Salvatoris, passionem ipsius et resurrectionem : dilecti namque Prophetae annuntiaverunt eum, Evangelium vero est perfectio vitae aeternae »[9]. Iam vero si meminerimus τὰ ἀρχεῖα non tantum tabularia significare, in quibus instrumenta publica deponuntur et asservantur, sed ipsa etiam documenta scripta[10], S. Ignatium ibi testimonio scripto, quod haeretici videre voluerunt quodque revera adesse asserit, vivum alterum testimonium, quod ipse in corde inscriptum gerebat, pulcherrime addere videmus. Eadem porro in epistola : « Confugiamus, inquit, ad *Evangelium* tamquam ad corporaliter praesentem Christum, et ad *Apostolos* tamquam ad praesens Ecclesiae presbyterium. Sed et *Prophetas* diligamus, quia et ipsi Evangelium annuntiaverunt et in Christum speraverunt » etc.[11]. Frustra haec quoque verba miris modis torquent vexantque adversarii nostri, ut eorum testimonium nobis eripiant; at nimis clara sunt.

Sermonem enim esse de libris scriptis, ultimum membrum declarat; prophetarum libri diligendi sunt, quia in ipsis praenuntiatum iam est Christi Evangelium atque prophetarum ipsorum spes in Christum expressa; ac proin sensus est : in Evangelio scripto audimus Christum ipsum quasi praesentem nobisque veritatis doctrinam praedicantem, in Apostolorum autem epistolis Apostolos audimus, qui apostolatum suum scriptis suis continuant.

Quibus S. Ignatii testimoniis aliud ex epistola ad Diognetum addi liceat, quum ipsa quoque ab immediato Apostolorum discipulo scripta aut saltem Patrum apostolicorum aetati adscribenda esse videatur. « Metus, inquit, *Legis* decantatur, et *Prophetarum* gratia cognoscitur, et *Evangeliorum* fides stabilitur, et *Apostolorum* traditio custoditur, et Ecclesiae gratia exsultat »[12]. Quominus textum hunc quisquam de Evangelio viva voce praedicato intelligat, prohibet numerus pluralis adhibitus (Evangeliorum); quin autem eodem modo, quo « Lex et Prophetae » duas V. T. partes constituant, « Evangelia et Apostoli » ceu duae N. T. partes designentur et utrorumque auctoritas aequiparetur, prudenti nequit esse dubium.

7. *S. Ign. M.* ad Smyrn. 7.

8. *S. Ign. M.* l. c. 8.

9. *S. Ign. M.* ad Philadelph. 8 sq. Ex duobus huius textus lectionibus : ἐν ἀρχείοις (in archivis) et ἐν ἀρχαίοις (in antiquis) priorem esse praeferendam et solam tenendam integer contextus suadet. Etenim si ἐν ἀρχαίοις in priore membro legendum esset, eadem vox in aliis duobus membris retinenda foret : « *antiqua* mihi sunt Iesus Christus, illibata *antiqua* crux eius » etc., quae parum aptum sensum praeberent, etsi gratis supponeres τὰ ἄρχαια hic designare Vetus Testamentum. Praeterea eo in casu construendum foret : ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω, id quod Graecorum loquendi modo parum congruit. Demum secundo et tertio in locis lectionem ἀρχεῖα codicum auctoritas tuetur, quare etiam cum recensione graeca longiore in primo est restituenda (cfr *Funk* Opp. Patr. apostol. I. p. 230 n.).

10. *Ioseph.* in App. I. 20 : ἐν τοῖς ἀρχείοις τῶν Φοινίκων σύμφωνα... ἀναγέγραπται. *Euseb.* H. E. I. 7 (M. 20, 96) : ἀναγράπτων εἰς τότε ἐν τοῖς ἀρχείοις ὄντων τῶν Ἑβραικῶν γενῶν κτλ. — Hinc etiam, quum ἀρχεῖα *publica* instrumenta significet, Evangelia tamquam *publica* instrumenta tempore S. Ignatii habita esse elucet.

11. *S. Ign.* ad Philad. 5.

12. *Ep. ad Diogn.* 11. Epistolam hanc Traiani (98-117) aetati attribuendam esse cum *Moehler* (Patrologie Regensburg 1840 p. 165), *Hefele* (Opp. PP. apost. Ed. 4. p. LXXXVI sqq.), *Alzog* (Patrologie Ed. 3. Freiburg 1876 p. 58) censemus, nec ullam videmus rationem, cur eam post medium saec. 2. scriptam dicamus; cfr *Nirschl* Patrologie I, p. 132.

c.) Tertium argumentum nobis praebent innumerae fere, quae in Patrum apostolicorum operibus occurrunt, allusiones ad N. T. libros; inter eas, quae enumerantur[13], non paucas esse concedimus, quae

parum sint certae, alias, quae fortuitae sunt, alias, quae orali forte traditioni debentur; at magnus semper remanet earum numerus, quae nullam dubitationem habent. Iam vero ex allusionum frequentia id saltem consequens est, immediatos Apostolorum discipulos continua lectione libros quoque magistrorum suorum ita suos fecisse, ut eorum verbis sua ipsorum sensa etiam nolentes, ut ita dicam, et non conscii exprimerent. Evidenter autem ulterius ex hoc facto, quod nec negari nec addubitari potest [14], elucet, quanto in pretio illos habuerint; et si simili modo solos praeterea V. T. libros illis familiares fuisse videmus, iure concludimus, Utriusque Testamenti libris eandem illos auctoritatem tribuisse. Accedit autem, quod quaedam ex istis allusionibus tantam cum apostolicis textibus scriptis habeant affinitatem, ut vix non verae allegationes dicendae sint, quamvis consuetae allegandi formulae desint.

13. Cfr *Indices locorum SS. SS.* in variis editionibus Opp. PP. apost. *Funk* in sua editione (I. 564 sqq.; II. 358 sqq.) enumerat 68 allusiones in ep. *S. Barn.*, 158 in *S. Clem.* 1 Cor., 79 in *S. Clem.* 2 Cor., 143 in *S. Clem.* 1. 2. de Virg., 53 in epistolis *S. Ignatii,* 68 in parva *S. Polyc.* ep. ad Philipp., 29 in ep. *ad Diogn.* ac demum 165 in *Doctr. Apost.* Longe maior pars istarum allusionum in epistolis *de Virg.* citationes vocari possunt, in aliis operibus nominatis circiter 50 et in *Doctr. Apost.* fere 30 sunt, quae eodem nomine appellari merentur.

14. Ipsi quoque rationalistae haec concedunt, quamvis ulteriorem nostram conclusionem variis modis effugere conentur. Inter alios audiatur Reuss (Hist. du Canon Strasb. 1863, p. 23) : « A la vérité on ne découvre pas encore dans ces épitres (Patrum apostolicorum) des citations nominatives à de rares exceptions près... et surtout les textes des apôtres ne sont nulle part invoqués expressément et littéralement comme des autorités (cfr tamen *Polyc.* ad Philip. 13). Mais ils sont quelquefois exploités tacitement de façon qu'il est impossible de s'y tromper; en certains endroits, les exhortations revêtent les formules employées par ces illustres prédécesseurs, et l'on se convainc facilement que *les écrivains de cette seconde génération faisaient déjà une étude des auteurs de la première.* C'est ainsi que la lettre de Clément offre des réminiscences assez précises de quelques passages des épitres aux Romains et aux Corinthiens et surtout de celle aux Hébreux; celles d'Ignace, plus nombreuses (quae tamen simul sumtae vix priorem Clementis longitudine aequant) et en tout cas beaucoup plus récentes, en présentent d'autres qui nous ramènent aux épitres aux Corinthiens et aux Galates ainsi qu'à l'Évangile de Jean; enfin la toute petite épitre de Polycarpe contient de fréquentes allusions à des passages apostoliques, notamment aux Actes, à la première épitre de Pierre, à celles aux Rom., aux Cor., aux Gal., aux Éphés., et à la première à Timothée. Encore une fois, cet usage est purement homilétique ou rhétorique; nulle part un nom d'apôtre, une formule de citation (?), un avis quelconque n'avertit le lecteur que les paroles, que nous reconnaissons immédiatement comme des éléments d'emprunt, aient une valeur particulière et différente de celles de l'entourage ». Sed undenam hoc apostolicorum scriptorum studium continuusque hic verborum apostolicorum usus, si scriptis et verbis illis peculiarem auctoritatem non attribuerunt? Cur antiquiorum Patrum libris *idem* studium a iunioribus adhibitum non est?

d.) Quarto demum loco adnotemus, *S. Clementem Rom.* exhortari Corinthios, ut epistolam inspiciant, quam B. Paulus « divinitus inspiratus (πνευματικῶς) de se ipso, de Cepha et Apollo ad eos dederat »; S. Polycarpum Philippensibus fateri, « nec se nec alium sui similem beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi posse, qui, quum apud Philippenses adesset, coram hominibus tum viventibus perfecte ac firmiter (ἀκριβῶς καὶ βεβαίως) verbum veritatis docuerit, et alias scripserit epistolas, quibus, si attente eas inspicere voluerint, aedificari possint in fide »; atque S. Ignatium quoque Ephesios monere, S. Paulum in omni epistola eorum meminisse[15]. Iam quis negabit, prioribus saltem duobus testimoniis epistolis ad Cor. et Philipp. a S. Paulo scriptis peculiarem quandam dignitatem et auctoritatem attribui atque in tertio quoque loco epistolas paulinas ita commemorari, ut aliis scriptis mere humanis superiores esse videantur ac singularis eis auctoritas attribuatur?

15. *S. Clem.* 1 Cor. 47; *S. Polyc.* ad Philip. 3; *S. Ign.* ad Eph. 12. Id ne impudentissimus quidem in dubium vocare poterit, quin immediati Apostolorum discipuli Romae epistolam Corinthiis, Smyrnae epistolam Philippensibus (in Macedonia), Antiochiae epistolam Ephesiis aliisque ecclesiis scriptas non tantum cognitas sed etiam in honore ac veneratione habuerint.

61. — 2.) Quibus argumentis, si attente considerantur, invicte demonstratur, saec. 1. exeunte et ineunte 2. Apostolorum libris divinam auctoritatem divinamque dignitatem attributam esse nec ullum inter V. T. libros atque libros Apostolorum discrimen esse factum. Quaenam autem eo tempore scripta apostolica iam cognita fuerint, eadem cum certitudine definiri nequit. Si ex solis Patrum apostolicorum allusionibus, quae afferri solent, idoneum certumque argumentum deduci posset, omnes, vix ullo excepto, libri a conc. tridentino recensiti eorum canonem constituissent; indices enim operibus PP. apost. additi praeter parvulas S. Pauli ad Philem. et 3. Ioan. epistolas omnes enumerant. At allusiones solae, quum aliae leviores, aliae fortuitae vel ex traditione haustae esse videantur, invictum argumentum non praebent. Altera vero ex parte illis quoque non assentimur, qui ex solis disertis allegationibus libros a Patribus agnitos cognoscere volunt; etenim nulla in S. Clementis priore epistola diserta epistolae ad Hebr. invenitur citatio; si quis autem S. Clementem eam cognovisse negaret, omnium eruditorum risum iure provocaret; tanta enim inter Pauli ep. ad Heb. et inter Clem. 1 Cor. intercedit affinitas, ut minime sit mirum, quod antiquitus iam aliqui Clementem epistolae ad Hebr. scriptorem esse putaverint. Mediam

ergo viam teneant oportet, qui ex Patrum apostolicorum operibus genuinam eorum de canonis N. T. ambitu sententiam cognoscere voluerint, neque ex omnibus, quae afferuntur, sed ex certis indubitatisque allusionibus eam diiudicent. Accuratius in hanc quaestionem inquirere singulasque ad singulos libros allusiones diiudicare huius loci non est; sufficiet enim, ut obiter tantum et generatim indicemus, quinam Apostolorum libri Patribus apostolicis certo cogniti fuerint; difficultatibus autem, quae relate ad aliquos fieri possunt, alibi satisfaciemus.

Atque *a.*) quidem *quatuor nostra Evangelia* ab immediatis Apostolorum discipulis agnita esse asserimus[1] ita ut appellatio ignatiana « Evangelii » de « quadriformi Evangelio », ut loquitur S. Irenaeus, vel de « uno Evangelio, quod per quattuor scriptum est », ut loquuntur iuniores Patres[2], intelligendus sit. Quam interpretationem fere certam reddunt allusiones et citationes, quae in epistolis ignatianis aliisque illius aetatis operibus inveniuntur[3].

b.) *Actus Apostolorum* adhibentur a SS. Ignatio, Polycarpo et in Clementis epistolis de Virg.[4].

c.) *Epistolas S. Pauli* maiores Patribus apostolicis cognitas fuisse inter omnes constat; de solis epistolis pastoralibus et de epistola ad Philem. quaestio agitari potest; ultimam hanc non commemorari iam diximus; tribus autem pastoralibus usi sunt SS. Clemens R., Ignatius et Polycarpus[5].

d.) Ex *epistolis catholicis* tres saltem (Iacobi, 1 Petri, 1 Ioannis) illa aetate in usu ecclesiarum fuerunt; ad 2 Petr. quoque et 2 Ioan. allusiones quaedam, sed parum certae, inveniuntur; 3 Ioan. et Iudae nullum prorsus testimonium probabile habent[6].

e.) *Apocalypsis* demum invictum testimonium habet eorum, « qui facie ad faciem Ioannem viderunt », qua expressione Irenaeus procul dubio SS. Polycarpum et Papiam designat, ut ad allusiones recurrere opus non sit[7].

Praeter quinque igitur epistolas ad Philem., 2 Pet., 2, 3 Ioan., Iudae) omnes nostros N. T. libros a Patribus apostolicis aliisque istius aetatis scriptoribus adhibitos esse certis testimoniis demonstratur; valde autem erraret, qui quinque istos libros tum nondum exstitisse vel prorsus ignotos nec ullibi agnitos fuisse concluderet. Namque pauca admodum istius aetatis nobis supersunt opera scripta, et multo magis mirandum est, quod in paucis istis monumentis longe maior librorum apostolicorum numerus tam frequenter sit adhibitus, quam quod aliquorum certa vestigia in iis non occurrant. Nullus dubito asserere in multis longioribus iuniorum Patrum, nedum modernorum

scriptorum, *theologicis* operibus *multo pauciora* Novi Test. vestigia inveniri; nemo tamen inde deducet, iuniores Patres libros non commemoratos non agnovisse. Praeterea Patres illi trium tantum vel quatuor ecclesiarum testimonia exhibent, romanae, antiochenae, smyrnensis atque in Doctr. duodec. Apost. forte etiam ierosolymitanae; facillime autem fieri potuit, ut minores illae epistolae, quamvis aliae ecclesiae ab Apostolis fundatae eas iam in canonem suum inseruerint, nondum reliquis innotuerint.

1. Haud satis intelligo, quomodo *Westcott* (A general survey of the history of the canon of the N. T. 6. Edit. London 1889 p. 60 sqq.), quamvis Epistolas apostolicas a Patribus apostolicis adhiberi concedat, *scripta Evangelia* adhiberi neget. Eadem enim est argumentorum ratio, quibus Epistolarum quibusque Evangeliorum usus demonstratur, nisi forte in eo differentia quaedam inveniatur, quod Pauli Apostoli quidem sed nullius Evangelistae nomen commemoretur; at haec differentia vel ideo levissima est, quia dicta factaque Domini, quae afferuntur, auctoritatem integram in se ipsis habent neque maioris momenti sunt, sive a Matthaeo sive ab alio sunt relata, e contra vero verbis Pauli, qui corinthiam, philippensem, ephesiam ecclesias fundarat, in his ecclesiis etiam ob auctoris humani nomen auctoritas quaedam attribuebatur. Ceterum diserta verba, quibus in Doctrina Apost., in S. Barnabae et S. Polycarpi epistolis et in S. Clem. 2 Cor. Evangelium scriptum designatur, immerito a Westcott uncis includuntur, ac si spuria sint et a iuniore auctore inserta; neque ullo modo testimonia ignatiana, quae attulimus, addubitari possunt.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 8. M. 7, 885. — *Orig.* in Ioan. tom. V (M. 14, 193) cfr *Ps. Orig.* de vera fide 1 (M. 11, 1724); *S. Chrys.* in Gal. 1 (M. 61, 622); *S. August.* in Ioan. tr. 36, 1 (M. 35, 1662. « Quatuor libri unius Evangelii »).

3. Eodem fere tempore, quo S. Ignatius de *Evangelio*, de *Evangeliis* loquuntur auctor ep. ad Diogn. et Basilides. — Evangelium *S. Matthaei* certe adhibetur a *S. Barn.* 4. 5., *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 46; 2 Cor. 2. 3. 4. 6), *S. Ign.* (ad Smyrn. 1. 6; ad Eph. 14; ad Polyc. 2.), *S. Polyc.* (ad Philip. 2. 7.) ac potissimum, omnibus fatentibus, ab auctore *Doctr. Apost.*, qui plus quam triginta versus fere ad verbum citat; *S. Lucae* a *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 46 (?); 2 Cor. 6. 8. 13), *S. Polyc.* (ad Philip. 2) atque a *Doctr. Apost.* probabiliter bis (1. 16); *S. Ioannis* a *S. Ignat.* (ad Philad. 7. ad Magn. 6-8); Ep. ad Diognet. 6. 7. 9. 16; Basilidem illud allegasse diximus supra (60. n. 5). Quod ad *S. Marci* Evangelium (si excipis 2 Virg. 15) *certae* allusiones non inveniantur, id non mirabitur, qui pauca admodum in secundo Evangelio legi perpenderit, quae iisdem vel similibus verbis in primo et tertio non sint expressa. Ceterum de illius origine et usu *S. Papiae*, quem Ioannis Apostoli discipulum et Polycarpi amicum appellat S. Irenaeus, praeclarissimum habemus testimonium (*Eus.* H. E. III. 39. M. 20, 300), de quo fusius alibi erit agendum, cfr *Introd. spec.* in Novum Test. p. 85 sq.

4. *S. Ignat.* ad Smyrn. 3; ad Magn. 5 (?); *S. Polyc.* ad Philip. 1. 2; *S. Clem.* 2. Virg. 16.

5. *S. Clem.* 1 Cor. 2. 61 (*Tit.* 3. 1); ex utraque ad Tim. 1 Virg. 3. 8. 9. 13. etc.; *S. Ign.* ad Magn. 8 (1 *Tim.* 1. 4); *S. Polyc.* ad Philipp. 4. 5. 9.

6. *S. Clem.* 1 Cor. 10. 17. 31. 38 (*Iac.* 2, 21 sqq.; 3, 13); 1. Virg. 3. 8. 11 (*Iac.* 1, 26; 4, 6; 3, 1. 2) etc. *SS. Papiam* et *Polycarpum* testimonia ex 1 Petr. usurpasse refert Euseb. H. E. III. 39. IV. 14 (M. 20, 300. 340); etiam *Basilid.* in fragmento a

Clem. Alex. conservato (Strom. IV. 12. M. 8, 1292) 1 Petr. adhibuit. Cfr *S. Pol* ad Philip. 1. 2. 5. etc. et *S. Clem.* I. Virg. 7. 8. 9, etc. — Teste eodem Euse *Papias* usus est testimoniis ex 1 Ioan., qua *S. Polyc.* ad Phil. 7. etiam utitur.

7. *S. Iren.* c. haer. V. 30. M. 7, 1203; *S. Papiam* Apocalysi divinam origin attribuisse testantur *Andreas Caes.* et *Arethas Caes.* (M. 106, 220. 493).

II. Canon N. T. a medio saec. 1. ad usque medium saec. 3.

62. — Ab immediatis Apostolorum discipulis, quorum ultimus Polycarpus post medium saec. 2. martyrio vitam coronavit, gressu proxime facimus ad illos saeculi 2. Patres, qui quamvis non imm diate ab Apostolis eruditi circa idem fere tempus, quo S. Polycarpu et paulo post floruerunt.

S. Iustinus M. in utraque sua Apologia et in suo Dialogo cum Tr phone evangelicae historiae fontem habet « memorabilia Apostoloru quae vocantur Evangelia »[1]; quotnam admiserit, disertis quide verbis non indicat, sed quum alia, quae ab Apostolis, alia, quae a Apostolorum discipulis conscripta sint, Memorabilia distinguat, eu quatuor saltem admisisse certum est[2]. Quod etiam ex eius operib elucet, quae quatuor nostrorum Evangeliorum usum testantu Memorabilia porro haec Apostolorum S. Iustino fuisse collection aliquam determinatam atque V. T. libris, quod ad eorum auctoritate attinet, omnino aequalem, iure concludimus ex eo, quod illa aut Pr phetarum scripta singulis diebus dominicis ante celebranda myste praelegi tradat[4]. At num praeter quatuor nostra Evangelia S. Mart apocrypha quaedam admisit? Affirmant rationalistae, et concedu aliqui quoque, qui librorum N. T. canonicitatem defendere volunt Namque S. Iustinum bis in Apologia ad apocrypha Acta Pilati aut, u hodie nonnulli volunt, ad apocryphum Petri Evangelium provocas aiunt et circumstantias quasdam vitae Dominicae commemorasse, qu in canonicis Evangeliis non traduntur[6]. Quis vero, nisi praeiudiciis an mus eius abreptus sit, sibi unquam persuadebit, S. Iustinum phil sophum in Apologia, quam ipsi imperatori inscripsit, ad libru apocryphum, qui non pauca absurda tradit, provocare ausum ess Omnia potius suadent, ut eum, perinde ac Tertullianum in suo Ap logetico[7], relationem quandam laudasse dicamus, quam pro mune suo Pilatus Romam miserat quaeque Iustini ac Tertulliani quoque aeta in tabulario romano asservabatur. Res vero quasdam, quas Evang listae non tradiderunt, narrari ab Iustino fatemur, sed quo certo a gumento eas ex apocrypho Evangelio haustas esse probetur, non v demus. Quatuor igitur saltem et quatuor tantum Evangelia agnovis Iustinum asserimus, atque ad asserti demonstrationem testem invoca

mus eius discipulum *Tatianum,* quem in suo Diatessaro quatuor canonicorum Evangeliorum primam harmoniam coordinasse tota antiquitas testatur[8].

Ex reliquis N. T. libris S. Iustinus solam Apocalypsin diserte allegat eamque et divinae esse originis et S. Ioanni Apostolo auctori deberi asserit[9]. Quod autem alios libros non nominet, id nullam creat difficultatem; nec enim in suis Apologiis nec in suo dialogo integram doctrinam christianam exponere voluit, sed ut contra gentiles divinam eius originem explicaret atque a calumniis eam vindicaret, contra Iudaeos autem antiqua vaticinia in Christo impleta esse demonstraret, ei fuit propositum. Operum igitur, quae supersunt, argumentum et finis, ut Evangeliis potius quam Epistolis uteretur, postularunt. Nihilominus haec quoque, quanto in pretio Epistolas habuerit et quoties eas perlegerit, innumeris, quae in ipsis inveniuntur, allusionibus sufficienter manifestant. Namque vix quisquam hodie dubitabit, quin S. Martyr omnes epistolas paulinas, excepta illa ad Philem., saltem quatuor ex catholicis (Iac., 1, 2 Petr., 1 Ioan.) Actusque adhibuerit[10]. Quod si « eius contra Marcionem insignia volumina, quorum Irenaeus in IV. c. haer. libros meminit et alius liber contra omnes haereses, cuius facit mentionem in Apologetico, quem dedit Antonino Pio »[11], adhuc exstarent, haud dubie etiam directis et disertis testimoniis demonstrare possemus, eum Apostolorum scripturis usum esse illasque divinae auctoritatis credidisse. Marcion enim ob mutilum suum canonem, quem uno Lucae Evangelio (eoque corrupto) ac solis decem epistolis Pauli retentis sibi ipse adornaverat, ab omnibus, qui eum impugnarunt, Patribus (Irenaeo, Philosophumenon auctore, Tertulliano, Epiphanio) vehementer vituperatur falsificationisque accusatur[12]; ecclesiae igitur omnes catholicae medio saec. 2. ex mente istorum Patrum, quorum tres priores ipsi ecclesiarum istius aetatis statum suis oculis viderant, locupletiorem canonem possederant; quare nemo prudens concedet, Iustinum in « insignibus suis contra Marcionem voluminibus » a canonis mutilati accusatione abstinuisse; quod si fecisset, ipse vix Patrum istorum vituperium effugisset. Ad quam conclusionem confirmandam iterum ad Iustini discipulum Tatianum provocamus, quem in altera N. T. parte, in Apostolo, epistolas a Marcione reiectas conservasse testatur S. Hieronymus, quamvis ad haeresin suam tuendam ab aliis canonis mutilationibus non abhorruisset[13].

Magna igitur probabilitate gaudet eorum sententia, qui S. Iustinum integrum fere canonem nostrum adhibuisse censent; nam ad quatuor tantum minores epistolas (ad Philem., 2, 3 Ioan., Iudae) nullae apud eum reperiuntur allusiones[14].

1. *S. Iustin.* Apol. I, 66. (M. 6, 429 : οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια, κτλ.)

2. *S. Iustin.* c. Tryph. 103 (M. 6, 717). Eodem plane loquendi modo utitur *Tertullianus* (c. Marc. IV. 2. M. 2. 363) : « constituimus inprimis evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere...; si et apostolicos, non tamen solos sed cum Apostolis et post Apostolos;... nobis fidem ex Apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant ».

3. Ipse *Hilgenfeld* (Einl. p. 66) dubium non esse fatetur, quin S. Iustinus tria priora Evangelia adhibuerit; immo etiam non facile refutari posse concedit eos, qui quartum adhibitum esse contendant. Ac profecto S. Ioannis Evangelium a Iustino non tantum usurpatur Apol. I. 61; c. Tryph. 88 (M. 6, 420. 688), sed in omnibus locis supponitur, in quibus Filium Dei *Verbum* vocat. *Volkmar*, si auctorem quarti Evangelii haec ex Iustini operibus hausisse contendit (Ursprung unserer Evangelien. Zürich 1866 p. 100 sqq.) comicum tantum agit risumque provocat.

4. *S. Iustin.* Apol. I. 67 (M. 6, 429) : « ac Solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium fit conventus et *commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur*, quoad licet per tempus » etc.

5. *Hilgenfeld* l. c. p. 67 post alios rationalistas; cfr *Tischendorf* Wann wurden unsere Evang. verfasst? p. 29. 77. 83; Eiusd. Evangelia apocr. Lips. 1853 p. LXII. sq. Accuratius hanc quaestionem alibi agitavimus (cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 27. n. 16).

6. *S. Iustin.* Apol. I. 35. 48 (M. 6, 384. 400). — Apocryphum *Petri evangelium*, cuius satis magnum fragmentum de passione Domini tractans nuperrime repertum ac publici iuris factum est (de quo cfr *infra* 80), a S. Iustino inter genuina Apostolorum Memorabilia adhibitum esse, *A. Harnack* septem argumentis probabile reddere conatur (Bruchstücke des Evang. und der Apoc. des Petrus. Leipzig 1893 p. 38 sq.), sed tam levia ipse sua argumenta habet, ut rem pro certa affirmare non audeat. Ac profecto quid dicemus, si Iustinum inter fontes suos *Memorabilia Petri* (τὰ ἀπομνημονεύματα Πέτρου c. Tryph. 106) nominare monemur, ac si hoc nomine Evangelium *Marci* designari nondum constaret (cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 87)? Quid quod expressiones quaedam, quas Iustinus cum Ps. Petro communes habeat, pro argumentis afferuntur? Num revera Iustinus apocryphum illud evangelium adhibuisse dicendus est, si sepulcrum Domini, quod a *Matth.* 27, 64. 66 τάφος nominatur, cum Ps. Petro μνῆμα appellat (c. Tryph. 108), qua appellatione etiam *Luc.* 23, 53; 24, 1 etc. semper utitur? aut si de vestium Domini divisione loquens cum Ps. Petro expressione λαχμὸν βάλλειν utitur (c. Tryph. 97) pro synonymo κλῆρον βάλλειν, quo utuntur Evangelistae? aut si Herodes Antipas, tetrarcha Galilaeae, a Iustino (c. Tryph. 103) cum Ps. Petro *rex* appellatur, quem titulum ei etiam *Matth.* 14, 1. 9 et *Marc.* 6, 14 attribuunt?

Primo tamen in loco Harnack ad Apol. I. 40 provocat, ubi S. Martyr explicare vult, quomodo « propheticus Spiritus factam ab Herode Iudaeorum rege ipsisque Iudaeis cum Pilato, romano apud eos procuratore, eiusque militibus adversus Christum coitionem narret »; haec enim ex Ps. Petro (1. 2) desumta censet, ubi et de Herode rege et de Pilato et de Iudaeis et de militibus sit sermo; sed si integrum Iustini locum legisset ac perpendisset, nobiscum asserere non dubitaret, S. Martyrem ad *Act.* 4, 26. 27 respexisse, quo in loco prophetica verba *Ps.* 2, 1, quae Iustinus ipse affert, etiam ab Apostolis afferuntur ac de Herodis Pilatique et gentium Iudaeorumque coniuratione contra Christum explicantur. Quodsi vero secundo in loco addit, Iustini (Apol. I. 35) verba : διασύροντες αὐτὸν ἐκάθισαν ἐπὶ βήματος καὶ εἶπον· κρῖνον ἡμῖν plane consonare cum Ps. Petro (6. 7) : σύρωμεν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ... ἐκάθισαν

αὐτὸν ἐπὶ καθέδραν κρίσεως λέγοντες· δικαίως κρῖνε, βασιλεῦ τοῦ Ἰσραηλ : praeprimis respondemus, prima verba prorsus differre, siquidem σύρειν nihil amplius significat quam *trahere* neque ab ullo scriptore graeco, id quod Harnack ipse fateri cogitur (p. 63), sensu *illudendi* adhibetur; at διασύρειν a Iustino sensu *illudendi* sumi contextus eius extra dubitationem ponit. Deinde ad verba sequentia quod attinet, S. Iustinus potius ad *Ioan.* 19, 13 καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος respexisse ac verbum ἐκάθισεν sensu transitivo sumsisse videtur, id quod apte fieri potest. Demum in ultimis verbis maiorem quidem consonantiam adesse fatemur, sed ad rhetoricas textus evangelici (*Matth.* 27, 27 sqq.) amplificationes, quas S. Martyr amat, pertinent, neque ullo modo probatur, verba ista ex Ps. Petro esse desumta; nonne eodem cum iure Ps. Petrus ea ex Iustino desumsisse dicitur?

7. *Tertull.* Apologet. 21 (M. 1, 403). Tertullianum, qui ante suam conversionem iuris consultus fuerat, ad librum apocryphum, qui nulla in re actis publicis similis est et ubique scriptorem christianum prodit, velut ad publicam procuratoris romani relationem coram senatu romano provocare non potuisse, luce clarius est.

8. *Tatianum* quatuor Evangelia canonica, omissis illis quae suae haeresi contraria erant, in suo *Diatessaro* composuisse testantur *Euseb.* H. E. IV. 29 (M. 20, 401), *S. Epiph.* haer. 46, 1 (M. 41, 840), *Theodoret.* haeret. fab. I. 20 (M. 83, 369) etc. Opus hoc, quamvis in Orientis ecclesiis olim quam maxime esset propagatum, omnino fere perierat, hoc nostro tamen saeculo non tantum ex Ephraemi commentario (Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo; ed. *Moescinger.* Venetiis 1876) sed etiam ex eius versione arabica (Tatiani Evangeliorum harmoniae; arabice; nunc primum ex duplice codice ed. *P. Aug. Ciasca.* Romae 1888) eiusque latina versione in cod. Fuld. (Codex Fuldensis ed. *E. Ranke.* Marburg 1868) iterum innotuit. Quam egregium testimonium Diatessaron nostris Evangeliis perhibeat, praeclare exponit *Mich. Maher* S. I. (Recent evidence for the authenticity of the Gospels : Tatian's Diatesseron. London 1893); cfr etiam *Theod. Zahn* Forschungen zur Gesch. des Neutestam. Kanons. I. Tatian's Diatessaron. Erlangen 1881 ac praesertim *eiusdem* Gesch. des Neutest. Kanons II. 1891. p. 530 sqq.

9. *S. Iustin.* c. Tryph. 81 (M. 6, 669) : « apud nos vir, nomine Ioannes, unus ex Christi Apostolis, in Apocalypsi ipsi data annos mille Ierosolymis transacturos esse illos *prophetavit* (προεφήτευσεν), qui Christo crediderunt » etc.

10. Cfr *Grube* Die hermen. Grundsätze Iustin's des Mart. (Katholik. Mainz 1880 I. p. 20 sqq.) ét opera ibi citata. — *Hilgenfeld* (Einl. p. 68) quoque Iustinum *epistolas paulinas*, *Act. Apost.*, 1 *Petr.* et 1 *Ioan.* cognovisse et adhibuisse concedit; sed etiam ab eo adhibetur *Iacobi* ep. (Apol. II. 8. 13. M. 6, 457. 468) et 2 *Petri* (c. Tryph. 82. M. 6, 669).

11. *S. Hier.* de vir. ill. 23 (M. 23, 641).

12. *S. Iren.* c. haer. I. 27. etc. (M. 7, 688); *Philosoph.* VII. 38 (M. 16, 3346); *Tertul.* c. Marc. IV. 2. 5 etc. (M. 2, 363. 366); *S. Epiph.* haer. 42, 9 etc. (M. 41, 708).

13. *S. Hier.* in ep. ad Tit. Prol. (M. 26, 556) : « Tatianus Encatritarum patriarches, qui et ipse nonnullas Pauli epistolas repudiavit, hanc vel maxime, i. e. ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit, parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, assertionem ».

14. Fuse et egregie de S. Iustino canonis nostri teste agit *Th. Zahn* Gesch. des Neutestam. Kanons. I. Erlangen 1889 p. 463-585, qui tamen praeter ep. ad Philem. etiam 2 Cor., 1 Thess. et 2 Tim. ab eo non adhiberi putat; at errat, siquidem allusiones ab aliis, quos nominavimus, citatae vix minus clarae sunt illis, quibus eum reliquas epistolas cognovisse probatur.

S. Theophilus Antioch., qui « sextus ecclesiae antiochenae episcopus » [15], Iustino fere coaevus floruit, quamquam in suis ad Autolycum libris paucos tantum N. T. libros allegat, minime tamen omittendus est, quia primus est, qui disertis verbis Evangeliorum et Epistolarum divinam originem divinamque auctoritatem asserit Ioannemque Evangelistam iis adnumerat, qui Spiritu S. inspirati erant [16]. Certe tria Evangelia (*Matth.*, *Luc.*, *Ioan.*) adhibet, quorum verba formulis citat « evangelica vox » vel « Evangelium dicit »; per S. Hieronymum autem discimus, eum quatuor nostra Evangelia agnovisse; praeterea ex Pauli epistolis saltem sex (*Rom.*, 1 *Cor.*, *Col.*, 1 *Tim.*, *Tit.*, *Hebr.*) et 1 *Petri* ab eo usurpantur [17].

15. *S. Hier.* de vir. ill. 25 (M. 23, 643).

16. *S. Theophil. Ant.* ad Aut. III. 12 (M. 6, 1137) : « etiam de iustitia, quam lex praecipit, consentaneae inveniuntur *Prophetarum et Evangeliorum* sententiae, quia *omnes uno Dei Spiritu pleni locuti sunt* (διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἑνὶ Πνεύματι Θεοῦ λελαληκέναι); ibid. II, 22 (M. 6, 1088) : « haec nos docent sacrae Scripturae et omnes qui inspirati erant (πνευματοφόροι), inter quos Ioannes dicit : In principio erat verbum » etc.; ibid. III. 14 : « etiam ut magistratibus et potestatibus subiiciamur et pro iis oremus iubet divinus sermo (ὁ θεῖος λόγος), ut quietam et pacatam vitam agamus (1 *Tim.* 2, 2); atque omnibus omnia reddere docet : Cui honorem honorem, cui timorem timorem » (*Rom.* 13, 7. 8).

17. *Matthaeus* allegatur ad Autol. III. 13. 14 (*evangelica vox*, *Evangelium* dicit) et saepius; *Lucas* ad Autol. II. 13; *Ioannes* ad Autol. II. 22; cfr *S. Hier.* ad Algas. ep. 121, 6 (M. 22, 1020) « Theophilus, antiochenae ecclesiae septimus (vel sextus cfr *n.* 15) episcopus, qui quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens ingenii sui nobis monumenta dimisit, haec super hac parabola in suis commentariis est locutus ». Quae verba non de harmonia quadam Evangeliorum sed de commentariis in ea compositis intelligenda esse diximus in *Introd. spec.* in N. T. p. 8. — Ep. ad *Rom.* et 1 *Cor.* adhibentur ad Autol. I. 14; *Col.* ad Autol. II. 22; 1 *Tim.* ad Autol. III. 14; *Tit.* ad Autol. II. 16; *Hebr.* ad Autol. II. 25; 1 *Petr.* ad Autol. II. 34.

63. — Saeculo 2. ad finem vergente multo plures iam invenimus testes ex omnibus fere praecipuis ecclesiis; merito earum catalogos enumerare incipimus a romana, quam ab Apostolorum principibus Petro et Paulo fundatam omnium aliarum caput et magistram veneramur. Quos enim saec. 2. sacros habuerit *ecclesia romana* libros N. T., insigni edocemur documento, quod a L. A. Muratorio in bibliothecae ambrosianae codice repertum iurisque publici factum [1] omnium interpretum attentionem in se convertit ingeniaque non parum vexavit. Quum primus hic, qui exstat, librorum N. T. catalogus et initio careat et in fine mancus esse videatur, quumque, id quod iam primus eius editor doluit, quam plurima vulnera librariorum oscitantia et ignorantia acceperit, non tantum quis eius sit auctor ignoratur, sed de ipsa eius lingua primigenia, qua exaratus sit, dubitatur. Muratorius ipse,

ut Caium, presbyterum romanum et S. Irenaei discipulum, illum graece edidisse crederet, rationibus non idoneis adductus est; Simon de Magistris Papiam Hierapolitanum, moderni quidam Hegesippum, alii Hippolytum auctorem esse coniecerunt[2]; quisquis autem illum composuit, dubium non est, quin auctor altera saec. 2. parte in Italia vixerit canonemque ecclesiae romanae tradere voluerit. Plerique hodie etiam consentiunt, *fragmentum muratorianum* a parum perito interprete ex primigenio textu graeco translatum esse; quidam enim loci sensum aptum vix admittunt, nisi inscite eos e graeco quodam textu versos esse statuatur. Vix ullum in tota antiquitate habemus documentum, quod in canonis N. T. historia enarranda singulorumque librorum genuinitate vindicanda paris, nedum maioris, sit auctoritatis; quare non est mirum, quod ab innumeris fere interpretibus nostro saeculo sit tractatum et explicatum[3], quodque nos quoque integrum illud cum omnibus suis mendis transcribendum censeamus. Ut facilius tamen intelligatur, illa vocabula, quae sola librarii negligentia ita corrupit, ut legenti difficultatem creent, correcta uncis inclusa addemus, interpunctionem quoque, quae in codice aut prorsus vitiosa est aut omnino omissa, supplebimus, notas, quae genuino sensui percipiendo inserviant, paucas textu subiiciemus.

1. *L. A. Muratorii* Antiquitates Italicae. Mediolani 1740 III. 854 sqq.

2. *Murator.* l. c.; *Sim. de Magistris* Daniel secundum LXX ex singulari codice Chisiano. Romae 1772 p. 467; — *Bunsen* Analecta antenicaena. London 1854 I. p. 125 sq. (cfr *Credner* Gesch. des Neutestam. Kanon p. 142 sq.); — *Lightfoot* in The Academy. 1889 21. Sept. p. 186 sqq.

3. Post Muratorium ex codice ipso fragmentum accuratius edendum curaverunt *Routh* (Reliquiae sacrae. Ed. 2. Oxonii 1846 I. 393 sqq.), *Wieseler* (Studien u. Krit. 1847 p. 818 sqq.), ac praesertim *Tregelles* (Canon Muratorianus; the earliest catalogue of the books of the N. T. Oxford 1867), cuius facsimile transcribemus. Omnes libros et dissertationes de fragmento muratoriano editos enumerare non vacat; quam plurimas protestanticas enumerat Tregelles (l. c. p. 14 sq.); ex catholicis praeter Introductiones in N. T. utiliter confertur *Nolte* Ueber das Muratorische Fragment (Tüb. Quartalschr. 1860 p. 193-243), qui graecum textum primigenium restituere conatus est; ex recentibus acatholicis prae reliquis conferri meretur *Th. Zahn* (Geschichte des Neutestam. Kanons. II. 1. Erlangen 1890 p. 1-143), qui in longa sua dissertatione primum de fragmenti textu agit, deinde integrum fragmentum amplissimo commentario explicat, tum quid ipse tenendum censeat exponit, demum graecam translationem addit. Ipse quoque fragmentum ex graeco translatum, Romae autem vel in vicina ecclesia, quae in liturgia linguam graecam adhibebat, compositum esse tenet; in eius tamen tempore definiendo aliquantulum dissentit, quum auctorem non ante S. Zephyrini aetatem (199-216), probabiliter inter a. 202-206, scripsisse coniiciat; sed levibus tantum argumentis coniecturam confirmat; praeter auctoris enim ipsius testimonium (lin. 73-80) nihil suppetit, quo tempus definiri possit.

Textus igitur fragmenti muratoriani secundum facisimile a Tregelles editum est hic :

quibus tamen Interfuit et ita posuit.
Tertio [tertium] Evangelii librum secundo [secundum] Lucan. (*a*)
Lucas Iste medicus post acensum [ascensum] XPI,
Cum eo [eum] Paulus quasi ut iuris studiosum (*b*)
Secundum adsumsisset, numeni [nomine] suo
ex opinione concribset [conscripsit]; dnm tamen nec Ipse (*c*)
dvidit [vidit] in carne, et idē prout asequi [assequi] potuit;
ita et ad [ab] nativitate Iohannis incipet [incepit] dicere.
Quarti Evangeliorum Iohannis ex decipolis [discipulis] (*d*).
Cohortantibus condescipulis et eps suis
dixit : conieiunate mihi odie [hodie] triduo [triduum], et
quid cuique fuerit revelatum, alterutrum (*e*)
nobis enarremus. Eadem nocte reve-
latum andreae ex apostolis, ut recognis-
centibus [recognoscentibus] cuntis [cunctis] Iohannis [Ioannes] suo nomine
cunta [cuncta] discribret [describeret] et ideo licit [licet] varia sin-
culis [singulis] evangeliorum libris principia (*f*)
doceantur, Nihil tamen differt creden-
tium fidei (*g*), cum uno ac principali (*h*) spu de-
clarata sint in omnibus omnia, de nativi-

(*a*) Lineae 2. et 9. rubro scriptae sunt. Sine ullo dubio « tertio » corrigendum est « tertium »; cfr statim « eo » pro « eum », « secundo » pro « secundum ». Punctum, quod librarius post Lucan (Lucam) posuit, vitiosum est, quum membrum hoc a verbo « conscripsit » dependeat.

(*b*) « iuris studiosum secundum ». Num verba haec sint corrupta, an potius versio inaccurata non liquet. Inter varias coniecturas propositas ea videtur praeferenda, quae graece scriptum fuisse statuit : ὡς τοῦ δικαίου (vel τοῦ νόμου) σπουδαῖον. Τὸ « secundum » autem probabiliter refertur ad Marcum, qui primus Paulum secutus postea Petri discipulus factus Evangelium iuxta Petri praedicationem scripsit. Ad Marcum certe referendum est, quod Lucas « *nec ipse* » Dominum vidisse et « *idem* » sicut assequi potuit scripsisse dicitur.

(*c*) « Ex opinione conscripsit » forte corrupte pro graeco : αὐτῷ ἔδοξε συγγράψαι (*Nolte;* ex *Luc.* 1, 3); vel melius nomen Pauli excidisse dicemus, ut « ex Pauli opinione conscripsit » sit pro κατὰ τὴν Παύλου δόξαν ἔγραψεν; δόξα enim apud *Clem. Alex.* (Strom. VII. 17. M. 10, 552) idem est ac παράδοσις (*traditio*).

(*d*) Probabiliter legendum : Quarti Evangeliorum (auctor est) Ioannes ex discipulis.

(*e*) Aut corrigendum, « alterutri », aut vitiosa versio graeci θάτερον, sc. utrum Evangelium scribendum sit, necne.

(*f*) « principia » ab aliis initia vel prooemia Evangeliorum (ἀρχαί) intelliguntur; melius ab aliis varia doctrinae capita (στοιχεῖα). Nescio annon idem exprimere voluerit auctor, quod Clemens Alex. (*Eus.* H. E. VI. 14. M. 20, 552), sc. Ioannem spiritale Evangelium adiecisse synopticis, qui ea quae ad humanitatem Christi pertinent, potius retulerant.

(*g*) « nibil differt credentium fidei » οὐδὲν διαφέρει τῆς τῶν πιστευόντων πίστεως.

(*h*) « principalis » = ἡγεμονικός. — *S. Iren.* (c. haer. III; 11. M. 7, 887) aeternam Christi generationem vocat ἡγεμονικὴν [καὶ ἔμπρακτον] καὶ ἔνδοξον « principalem et efficabilem et gloriosam ».

tate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum decipulis [discipulis] suis, ac de gemino eius advento [adventu], Primo In humilitate dispectus [despectus], quod fotu [fuit], secundum potestate regali preclarum quod foturum [futurum] est (*i*). quid ergo mirum, si Iohannes tam constanter sincula [singula] etiā In epistulis suis proferat dicens in semeipsu (*k*) : Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis; Sic enim non solum visurem [visorem], sed et auditorem, sed et scriptorē omnium mirabiliū dnī per ordinem profetetur [profitetur]. Acta autē omniū apostolorum sub uno libro scribta [scripta] sunt. Lucas obtime theofile comprindit [comprehendit], quia (*l*) sub praesentia eius singula gerebantur, sicut et semote passionē Petri evidenter declarat, Sed et profectionem pauli ad [ab] urbes [urbe] ad spaniā proficescentis (*m*). Epistulae autem Pauli, quae, a quo loco, vel qua ex causa directe [directae] sint, volentatibus [volentibus] intellegere Ipse [ipsae] declarant. Primū omnium corintheis scysmae haeresis (*n*) Interdicens, deinceps B callatis [Galatis] circumcisionē, Romanis autem ornidine [ordinem] scripturarum (*o*) sed et principium earum esse X̅P̅M̅ Intimans, prolexius [prolixius] scripsit, de quibus sincolis [singulis] Neces-

(*i*) Sensus lin. 23-26 est clarus, quamvis textus sit corruptus. Lege : « ac de gemino eius advento [in infima latinitate pro substantivis 4. declinationis saepe adhibentur neutra : eventum pro eventus, adventum pro adventus etc.], primo in humilitate despecto, quod fuit, secundo in potestate regali praeclaro, quod futurum est ».

(*k*) Lege aut « in semet ipsum » i. e. relate ad se ipsum, vel « in semet ipso » i. e. in sua persona, in suo exemplo. *Tert.* de pud. 18. (M. 2. 1017) : « nam hoc etiam in sua persona statuit Apostolus », sc. Deum peccatoribus misericordiam exhibere (1 *Tim.* 1, 15).

(*l*) Legendum videtur : « Lucas optimo Theophilo comprehendit, quae sub praesentia eius (i. e. ipso praesente) gerebantur ».

(*m*) Ad difficiliores totius fragmenti hic locus pertinet; ex omissione narrationum de martyrio Petri et de itinere hispanico Pauli videtur auctor deducere velle, Lucam in Actibus ea sola narrasse, quibus ipse interfuerat. Si hic est sensus, corrigi potest : « sicut et semota (i. e. seposita vel omissa) passione Petri evidenter declarat et profectione Pauli ab Urbe in Hispaniam proficiscentis ». Alii errorem traductoris admittere malunt; si graece scriptum erat : καθὼς καὶ χωρίσας τὸ Πέτρου πάθος σαφῶς δηλοῖ καὶ τὴν πόρειαν κτλ., interpres forte pro χωρίσας (praeteriens) legit χωρίς (*Nolte*). Innumerae de hoc loco sunt coniecturae.

(*n*) Lege aut « schismae (pro *schismatis*) haereses », aut « schisma haeresis ».

(*o*) « ordo Scripturarum » ex *S. Iren.* c. haer. I. 8 (M. 7, 521 τὴν τάξιν καὶ τὸν εἱρμὸν τῶν Γραφῶν ὑπερβαίνοντες. V. « ordinem et textum Scripturarum supergredientes ») videtur designare ea, quae Scripturae fieri iubent, ita ut ordo sit id quod summum argumentum Scripturae.

se est ad [a] nobis desputari (*p*). Cum ipse beatus apostolus paulus sequens prodecessoris [praedecessoris] sui Iohannis ordinē (*q*) nonnisi comenatī [nominatim] semptaē [septem] eccleses [ecclesiis] scribat, ordine tali : a [ad] corenthios prima; ad efesios seconda, ad philippinses tertia, ad colosensis quarta, ad calatas [Galatas] quinta, ad tensaolenecinsis [Thessalonicenses] sexta, ad romanos septima, Verum corintheis et thessaolecensibus, licet pro cerrebtione [correptione] Iteretur (*r*), una tamen per omnem orbem terrae ecclesia deffusa [diffusa] esse denoscitur [dignoscitur]; Et Iohannis [Ioannes] enī pocalebsy [Apocalypsi] licet septē eccleseis scribat, In a- tamen omnibus dicit. verū ad filemonem una; et ad titū una, et ad tymotheū duas [duae] pro affecto et dilectione, In honore [honorem] tamen ecclesiae catholice [catholicae], In ordinationem ecclesiastice [ecclesiasticae] descepline [disciplinae] scīficate [sanctificatae] sunt. Fertur etiam ad Laudecenses [Laodicenses], alia ad alexandrinos Pauli nomine fincte [fictae] ad heresem Marcionis, et alia plura, quae in catholicam ecclesiam recepi [recipi] non potest; Fel enim cum melle misceri non concruit [congruit]. epistola sane Iude [Iudae] et superscriptio [suprascripti] Iohannis duas [duae] In catholica habentur (*s*). Et sapientia ab amicis Salomonis in honorē ipsius scripta (*t*). apocalapse [apocalypsim vel apocalypses] etiam Iohannis et Pe-

---

(*p*) Omissa videtur particula negans : « de quibus singulis necesse non est a nobis disputari ».

(*q*) Prodecessor vel praedecessor Pauli Ioannes vocatur, quatenus prior ad fidem et ad apostolatum vocatus est, non quatenus auctor Apocalypsin ante epistolas paulinas scriptam putavit.

(*r*) Phrasis « verum Corintheis et Thessalonicensibus, licet pro correptione, iteratur » parenthetice inserta est; sensus autem integrae enuntiationis satis impeditae est : Quum (i. e. quamvis) Paulus praedecessoris sui Ioannis ordinem secutus nonnisi septem ecclesiis nominatim scribat, tamen ecclesiam per omnem orbem diffusam esse apparet, quia etiam Ioannes in Apocalypsi septem tantum ecclesiis scripsit, quamquam eius liber omnibus fidelibus est destinatus.

(*s*) « In catholica habentur » i. e. vel « in catholica » sc. Ecclesia, vel « inter catholicas » sc. epistolas, vel melius « inter catholica » sc. scripta. Hoc sensu ἐν καθολικοῖς usurpatur ab *Euseb.* H. E. III. 3 (M. 20, 217), ubi de apocryphis quibusdam loquitur, quae omnia « inter catholica » tradita non sint.

(*t*) « Et Sapientiae »; plerique recte legendum censent « *ut* Sapientia », quum liber Sapientiae inter N. T. Scripturas nunquam sit enumeratus. Quia nimirum teste S. Hieronymo (de vir. ill. 9. 18. M. 23. 623. 627) olim ab aliquibus dubitatum est, utrum 2 et 3 Ioannis ab Apostolo scripturae sint, an ab altero Ioanne presbytero, auctor noster videtur docere, in his duabus Ioannis epistolis idem accidisse, quod in libro Sapientiae multi locum habuisse putant, qui nimirum, quamvis sub nomine Salomonis sit vulgatus, tamen non ab eo, sed ab aliis sub eius nomine (in eius honorem) sit compositus.

tri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi In ecclesia nolunt (*u*). Pastorem vero nuperrim et [nuperrime] temporibus nostris In urbe roma herma conscripsit, sedente [in] cathetra [cathedra] urbis romae ecclesiae Pio eps̄, frater [episcopo, fratre] eius; et ideo legi eum quidem Oportet, se puplicare (publicare] vero in eclesia populo Neque inter profetas [prophetarum] completum numero [numerum] neque Inter apostolos In finē temporum potest. Arsinoi autem seu valentini, vel miltiadis nihil In totum recipemus [recipimus]. Qui etiam novu psalmorum librum marcioni conscripserunt una cum basilide assianum catafrycum constitutorem (*x*).

Quo tempore et quo in loco catalogus noster scriptus sit, ipse clare prodit. Auctor enim, quum librum Pastoris *nuperrime* ab Herma fratre Summi Pontificis Pii I. (142-151 vel 156) eoque cathedram romanam tenente scriptum esse asserat (l. 73 sqq.), non diu post Pium I. vixit, et vero propiores erimus, si catalogum non post an. 170. editum esse dicamus; certissimum autem est, eum ante saec. 2. finitum prodiisse. Quia praeterea de itinere Pauli « *ab urbe* in Spaniam proficiscentis » loquitur (l. 38 sq.), expressio adhibita eum « in urbe » i. e. Romae vel in eius vicinia vixisse demonstrare videtur. Ea autem aetate a christianis scriptoribus romanis sola graeca lingua adhibebatur; uti primo saeculo a Clemente Rom., ita secundo ab Herma, Caio presb., Hippolyto; quare iure merito asserimus, fragmentum nostrum esse versionem graeci catalogi librorum, qui in secunda parte saec. 2. ab ecclesia romana publice in coetibus religiosis praelecti ac proin pro sacris et canonicis habiti sint. Pastoris enim lectio, utpote libri boni, quamvis privata permittatur, publica tamen prohibetur, quia neque inter prophetica neque inter apostolica scripta locum obtinere possit (l. 78).

(*u*) Maxima hoc in loco est difficultas, num auctor Apocalypses Ioannis et Petri ceu canonicas aliis Apocalypsibus apocryphis opponat (has duas tantum, non plures recipimus), an « tantum » erronea versio sit graeci « μόνην » (et Petri unam sc. epistolam recipimus). *Clemens Alex.* (Eus. H. E. VI. 14. M. 20, 549) etiam Petri Apocalypsin genuinam habuisse refertur, quae ab aliis quoque antiquis scriptoribus non respuebatur. Ideo priorem explicationem, quae textum immutatum relinquit, praeferendam censemus, simul autem monemus, librum hunc non tamquam certum recipi, quum aliqui ei contradicere dicantur. Alii ante vocabulum « et Petri » punctum ponere volunt: « Et Petri tantum recipimus » sc. quantum Ioannis, duas epistolas et unam Apocalypsin; sed huic explicationi contextus contradicit.

(*x*) Quae l. 81-85 leguntur, multas habent difficultates, sed quum haec non amplius de libris canonicis agant, eas explicare omittimus.

Quanti momenti haec verba sint, nemo non videt; ingens enim discrimen, quod Ecclesia inter libros sacros statuit interque libros, qui, quamvis boni et utiles sint, mere humanam originem habent, manifestum reddunt. At simul quoque ostendunt, persuasum quidem fuisse ecclesiae romanae, se integrum *Veteris* Testamenti canonem possidere (Prophetarum i. e. propheticorum librorum numerus completus dicitur), at eandem certitudinem eam nondum habuisse de *Novi* Testamenti collectione, quae completa esse non asseritur et in qua liber adfuit, qui communi consensu non erat approbatus (l. 73 sq.).

Quatuor igitur librorum classes in catalogo nostro distinguuntur; *a.*) eorum, qui ab omnibus sacri et divini habiti publicae lectioni approbantibus omnibus inservierunt; *b.*) eorum, qui licet interim ad lectionem publicam admissi omnium suffragia non tulerant ideoque dubiae fuerunt auctoritatis; *c.*) eorum, qui quamvis utiles, quum ab Apostolis non essent traditi, a publica lectione exclusi, privatis permissi dicuntur; *d.*) eorum, a quorum sive publica sive privata lectione prorsus est abstinendum, quia haereticae sunt originis. In fragmento muratoriano prototypum igitur habemus decreti gelasiani « de recipiendis et non recipiendis libris ».

Si ad singulos libros iam transimus, ad primam classem certum est pertinere *quatuor* nostra *Evangelia* canonica; nam nemo dubitat quin in exordio amisso duo priora enumerata fuerint; praeterea pro certis admittuntur *Actus Apostolorum* et *tredecim epistolae paulinae*, inter quas etiam illa ad Philem., cuius hucusque certum vestigium nondum invenimus, et pastorales. Praeter Ioannis Evangelium etiam pro certa admittitur *Apocalypsis* eius; de numero autem admissarum epistolarum eius non constat; prima saltem simul cum Evangelio commemoratur (l. 26 sqq.), de duabus, quae etiam certae sint, sermo est postea (l. 69); num vero in hoc numero prima sit inclusa, non liquet : qui correctionem, quam indicavimus eo in loco, approbaverit, nobiscum censebit *tres Ioannis epistolas* recipi, quarum duae ultimae « ut Sapientia Salomonis ab eius amicis in eius honorem » compositae dicantur. Demum certa etiam fuit *Iudae epistola*. Mirum est, quod Petri epistola nulla nominetur, quamvis prior et a *S. Clemente Rom.* et ab *Herma* adhibita[4] et in omnibus aliis ecclesiis ea aetate recepta sit : at probe notandum nos non habere nisi fragmentum, nec quidquam obstare, quominus Petri scripturas communi consensu receptas ab auctore esse recensitas dicamus, quando de Marci Evangelio locutus est. Etenim Petrum ibi nominatum esse docent prima verba conservata (« quibus tamen interfuit et ita posuit »), quum ex Patrum traditione Marcus Evangelium suum ex Petri praedicationibus composuerit[5]; sicut

autem Ioannis epistolas auctor cum eius Evangelio coniunxit, et duas ultimas postea ideo tantum iterum adduxit, ut aliquid de eorum scriptore adderet, ita etiam priorem vel utramque Petri cum eius, i. e. Marci, Evangelio coniungere potuit. Mirum quoque, quod Iacobi epistola prorsus sit omissa, quam Hermae Pastor in ecclesia romana cognitam fuisse testatur[6]. Epistolae autem ad Hebr., quamvis S. Clemens Rom. eam adhibuerit, mentionem non fieri, facilius explicatur, quia etiam insequenti saeculo in ecclesia occidentali pro certa nondum est recepta[7].

Quare si Hermae testimonia catalogo nostro adiungimus, medio saec. 2. ecclesiam romanam eundem, quem saec. 3., habuisse canonem iure asserimus, ita ut illi solae epistolae ad Hebraeos et 2 Petri defuerint. In eo solo differt, quod librum *dubium* continuit, Apocalypsin Petri, quae origine eius accuratius cognita prorsus est reiecta.

Tertiae classi unus adnumeratur Pastor Hermae, quartae vero praeter duas epistolas apocryphas Pauli ad Laodicenses et Alexandrinos (l. 63-67) scripta haereticorum saec. 2., quae ultimo loco recensentur (l. 81-85).

4. *S. Clem. Rom.* ad 1 Petr. allusiones (sed parum certae) in 1 Cor. sat multae recensentur (*Funk* Opp. PP. apost. I. p. 70), in ep. de Virg. certe adhibetur (*supra* 61 *n.* 5). Etiam *Herm.* Past. Vis. 3, 11; 4, 2. 3 etc. ea usus est.

5. *S. Papias* apud Eus. H. E. III. 39 (M. 20, 300), *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 845), *Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 552), *Orig.* apud Euseb. VI. 25 (M. 20, 581) etc.

6. Cfr *Herm.* Past. Vis. 3, 9; Mand. 10, 1; 12, 6; Sim. 1; 8, 6; 9, 19 etc. Praeter duas Ioan. et unam Iudae alias epistolas catholicas in canone fuisse, expressio « in catholica habentur » suadet.

7. Aliqui nomine epistolae ad *Alexandrinos* epistolam ad Hebr. designari putant; sed immerito, nam nemo, qui eam unquam legerit, eam « ad haeresin Marcionis fictam » esse suspicabitur : arbitrario autem supponitur legendum esse « ad impugnandam haeresin Marcionis fictae »; et nemo, quod scio, ex antiquis scriptoribus hoc nomine epistolam ad Hebr. appellavit. Epistola quoque ad *Laodicen.* minime ea esse videtur, quae hodie hoc titulo insignita inter apocrypha habetur, nam haec quoque nihil haeretici habet, sed ex variis sententiis aliarum paulinarum est conflata.

64. — Ad totius *ecclesiae occidentalis* canonem cognoscendum egregio nobis adiumento foret antiqua latina N. T. versio, quam saec. 2. exaratam esse omnes fere concedunt et *infra* demonstrabimus (137), si, quosnam ab initio libros continuerit, accurate et cum certitudine definire possemus. Verum quidem est, nulla exstare vestigia, quibus aliquos libros iuniore tempore additos esse probetur[1]; si enim Cassiodorius in Italae catalogo recensendo 2 et 3 Ioan. epistolas omittit[2], id sine ullo dubio aut lapsui memoriae aut librarii oscitantiae attri-

buendum est, quum illa aetate omnes, quos hodie habemus, libros iam dudum contineret. At altera ex parte ecclesiam occidentalem ante 4. saec. initium epistolam ad Hebr. pro certa et indubitata non recepisse constat, atque primus *africanae ecclesiae* scriptor, qui latinam versionem adhibet, *Tertullianus* non tantum ep. ad. Hebr. canonicam non habet, sed etiam Iacobi et 2 Petri epistolis non utitur, ita ut eius canon fere idem ac fragmenti muratoriani fuisse videatur. Quod quidem ex 2 et 3 Ioan. nullum testimonium desumserit, id pro argumento non est, eum libros hos in suo codice non legisse, praesertim quum una plures Ioanni attribuat; at Iacobi et 2 Petri epistolarum testimonia non pauca in polemicis suis operibus afferre potuisset, si illa cognovisset. Epistolam autem ad Hebr. nec plane ignorat nec omnem ei auctoritatem negat, sed eam Barnabae auctori adscribit, neque ipse eam ceu canonicam allegat nec Marcionem, qui illam etiam non agnovit, ob eius omissionem vituperat[3]. Quum *S. Cyprianus* quoque easdem tres epistolas (ad Hebr., Iac., 2 Petr.) nusquam citaverit[4], a vero aberrare nobis non videmur, si illas in antiqua latina versione saec. 2. exeunte et saec. 3. ineunte nondum adfuisse censeamus.

1. Cfr *Card. Franzelin* De Trad. et Script. p. 489.
2. *Cassiod.* De instit. div. liter. 14 (M. 70, 1125).
3. *Tertull.* c. Iud. 2. (M. 2, 600 : « *Abraham amicus Dei* deputatus est ») *forte* respexit ad *Iac.* 2, 23; at vestigium hoc satis est incertum; ad 2 *Petri* nullibi invenitur allusio. Citationi ex ep. ad Hebr. (6, 4-8) haec praemittit : « exstat et *Barnabae* titulus ad Hebraeos, adeo satis auctoritatis viri, ut quem Paulus iuxta se constituerit in abstinentiae tenore... Et utique receptior apud ecclesias epistola Barnabae illo apocrypho Pastore moechorum » (De pudic. 20. M. 2, 1021). Eum plures epistolas Ioannis recepisse patet de pudic. 19 (M. 2, 1020) : « Ioannes in *prima* epistola negat nos esse sine delicto » (1 Ioan. 1, 8); immo si quis illud « in *prima* » urgere et ex eo deducere velit, eum tres agnovisse, victas daremus manus, nisi forte quis cum *Roensch* (Das Neue Test. Tertullians. Leipzig 1871 p. 544 sq.) verbis *in prima epistola* (i. q. in principio epistolae) principium epistolae parti mediae vel ultimae opponi censeret (cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 660). — *Iudae* epistolam pro auctoritate adhibet *Tert.* de cultu fem. I. 3 (M. 1, 1008).
4. *S. Cyprianus*, quum disertis verbis Paulum ad *septem* ecclesias scripsisse asserat (de exhort. mart. 11; test. c. Iud. I. 20. M. 4, 668. 689), epistolam ad Hebr. aut prorsus ignorat, aut saltem Paulo abiudicat.

Eundem quoque canonem eodem tempore *ecclesiam gallicanam* habuisse *S. Irenaei* operibus edocemur. Eusebius quidem, ubi de Scripturis, quibus usus sit Irenaeus, agit, praeter quatuor Evangelia non nisi Apocalypsin, 1 Petri et 1 Ioannis epistolas enumerat[5]; at enumerationem hanc incompletam esse Doctoris lugdunensis opera super-

stita clamant. Ita Evangeliorum quaternarium numerum stabilit, ut nec plura nec pauciora esse posse asserat[6]; quae verba utique non ita urgenda sunt, ut ex mente S. Irenaei nec ipse quidem Deus huic numero quidquam addere vel detrahere potuisset, sed id unum vult, sapientissima Dei providentia factum esse, ut nec plura nec pauciora sint. In altera canonis sui parte, in « apostolicis », Actus Apostolorum, quos Lucae auctori adscribit[7], epistolas paulinas, ut videtur, tredecim, S. Ioannis saltem duas, S. Petri unam, atque Apocalypsin habuit. Ex paulinis epistolis illius, quae est ad Philem., nulla quidem fit mentio, sed inde minime liquet, illam in canone lugdunensi non fuisse. Quod vero ad epistolam ad Hebr. non nisi leves occurrant allusiones, nec ipsa tamen nec eius auctor nominatim laudentur[8], id explicari non posset, si illam pro certa et indubitata recepisset; eius enim adhibendae quam plurimas habuit occasiones et reliquae paulinae frequenter a S. Doctore adhibentur. Ad S. Iacobi epistolam una alterave allusio legitur, sed ita levis, ut argumento vix esse queat[9]. S. Petri priore, teste iam Eusebio, usus est Irenaeus; ad 2 Petri autem et Iudae ne allusio quidem invenitur. Demum ad S. Ioannis scripturas quod attinet, Apocalypsis et duae priores epistolae addito S. Apostoli nomine laudantur[10]; tertiae autem citandae vix occasio fuit. Itaque in canone ecclesiae gallicanae exeunte saec. 2. defuisse tantum censemus epistolas *ad Hebr., Iacobi, 2 Petri, Iudae*[11].

5. *Euseb.* H. E. V. 8 (M. 28 448 sq.).

6. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 885) : « neque plura numero, quam haec sunt, neque pauciora capit esse Evangelia », etc.

7. *S. Iren.* c. haer. III. 14 (M. 7, 913) ex prima persona, qua S. Lucas in Actibus interdum utitur, cum inseparabilem S. Pauli socium fuisse demonstrat, atque frequenter eius testimoniis utitur.

8. *S. Iren.* c. haer. II. 30 (M. 7, 822) : Deus « omnia fecit... *verbo virtutis suae* » (*Hebr.* 1, 3); c. haer. IV. 11 (M. 7, 1003) dicit munditias exteriores Legis in figuram futurorum traditas esse, « velut *umbrae* cuiusdam descriptionem faciente *Lege* »; (cfr *Hebr.* 10, 1 « *Umbram* habet *lex* futurorum bonorum »). *Eusebio* (H. E. V. 36. M. 20, 509) teste S. Irenaeus in opusculo deperdito τῶν διαλέξεων διαφόρων epistolam ad Hebr. *commemoravit* quibusdam sententiis adductis (μνημονεύει ῥητά τινα ἐξ αὐτῆς παραθέμενος); *Photius* vero ex Gobari Tritheitae libro quodam affert, Irenaeum epistolam illam Pauli esse negasse (*Phot.* Biblioth. cod. 232. M. 103, 1104).

9. *S. Iren.* c. haer. IV. 13 (M. 7, 1009) : « Abraham amicus factus est Deo » et c. haer. IV. 16 (M. 7, 1016) : « Abraham credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam et amicus Dei vocatus est »; cfr *Iac.* 2, 23 : « *Et suppleta est Scriptura dicens :* Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam et amicus Dei appellatus est ». Utima verba « et amicus Dei appellatus est », quae *S. Iac.* et *Iren.* habent, non leguntur *Gen.* 15, 6. — *S. Iren.* c. haer. V. 1 : « facti sumus initium facturae » cfr *Iac.* 1, 18 « ut simus initium aliquod creaturae eius ».

10. De Apocalypsi praeter Eusebii testimonium cfr *S. Iren.* c. haer. IV. 20. V. 30, etc. (M. 7, 1040. 1203. 1207, etc.); sub nomine Ioannis discipuli Domini, quo nomine Apostolum designat, 2 *Ioan.* epistolam citat c. haer. I. 13. III. 16 (M. 7, 633. 927), ita tamen, ut eam priori adiunctam habuisse videatur.

11. S. Irenaeum etiam aliquos libros non inspiratos in canone habuisse affirmant aliqui, nimirum S. Clementis R. 1 Cor. et Hermae Pastorem. Ad primum librum quod attinet, fatendum est veterem interpretem Irenaei librum istum canonicum habuisse (c. haer. III. 3. M. 7, 850), S. Irenaeo autem ipsi illo in loco γραφήν esse epistolam vel literas, quo nomine Vetus Interpres quoque paucis lineis antea eandem vocem transtulit; atque integer loci contextus hanc solam interpretationem genuinam esse demonstrat. Librum vero Hermae revera Scripturis inspiratis videtur addidisse (c. haer. IV. 20. M. 7, 1032).

65. — Saeculo igitur 2. exeunte in Occidente, si omnium ecclesiarum catalogos coniungimus, omnes N. T. libros videmus receptos, sola 2 Petri excepta, cuius certum testimonium non invenimus. Epistolam enim *ad Hebr.* ab aliquibus occidentalibus ecclesiis agnitam esse auctor est Tertullianus; Epistolae *Ioannis tres* et *Iudae* sufficiens habent testimonium in fragmento muratoriano et Tertulliani operibus, *Iacobi* autem in Hermae Pastore; *Apocalypsis* demum in toto Occidente fuit canonica. Cum genuinis vero hisce Scripturis aliquae ecclesiae etiam dubias quasdam coniunxerunt; romana Petri Apocalypsin, gallicana (lugdunensis) Hermae Pastorem. Ad *ecclesias orientales* transeuntibus Syrorum orientalium versio, saec. 2. adornata (Peschito), primus nobis testis est. Dubitatur quidem, num omnes ab initio libros continuerit, hodierna enim versio Peschito, qua Nestoriani utuntur, epistolis 2 Petri, 2, 3 Ioan., Iudae atque Apocalypsi caret, illa autem horum quinque librorum versio, quam orthodoxi adhibent, omnibus fatentibus iunioris est originis : unde eius testimonium libros illos quinque a canone excludere asseritur. At altera ex parte *S. Ephraem*, quem graecae linguae ignarum fuisse constat [1], haud raro etiam quinque illos in suis operibus adhibet, illos ergo in suo codice syriaco legit, ac proin coniicere licet, illos post Ephraemi aetatem ob dubitationes, quas Theodorus Mopsuest. et, quae eum sequebatur, nisibena schola iunior recoxerunt, e canone esse eiectos [2], ipsam autem antiquam versionem omnes libros continuisse.

Asiaticarum ecclesiarum testes alios ea aetate non habemus, insignem vero *ecclesiae alexandrinae*, quae prima inter omnes completo canone usa esse videtur. Nam *Clemens Alex.*, unus ex primis et praecipuis scholae catecheticae alexandrinae praefectis, teste Eusebio « in libris ὑποτυπώσεων omnium, ut uno verbo dicatur, Utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit narrationem, ne illis quidem praetermissis, de quibus ambigitur » [3] (μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρ-

ελθών). Revera hodie adhuc exstant Clementis non tantum in 1 Petri, sed etiam in duas priores Ioannis et in Iudae epistolas « adumbrationes », quas Cassiodorius latine vertendas curavit nobisque conservavit[4]; reliquarum etiam catholicarum, excepta 2 Petri, non infrequentem facit usum[5]; eum autem etiam alteram petrinam canonicam habuisse iure concludimus ex Eusebii verbis. Tacere vero nolumus, a Clemente nonnullos quoque libros, uti Eusebius (l. c.) innuit, pro canonicis habitos esse et pro auctoritate allegari, qui inspirati non sunt, uti Apocalypsin Petri, Praedicationem Petri, Traditionem Matthiae, epistolam Barnabae, Clementis Rom. 1 Cor., Hermae Pastorem[6]; quotiescumque tamen eos allegat, ipso citandi modo se plane certum de eorum canonicitate non esse insinuare videtur.

1. Cfr *Hug* Einl. I. 355-359; *Card. Franzelin* De Trad. et Script. p. 488. Inter protestantes eandem sententiam tenent *Thiersch* Versuch zur Herstellung d. hist. Standp. für d. Krit. d. N. T. 1845. p. 428 sq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 11; sq. — Cfr *infra* 71. *n.* 5.

2. De canone *Theodori Mopsuest.* et de eius in iuniore schola nisibena auctoritate cfr *Kihn* Theodor v. Mopsuest. u. Iunil. Afric. p. 65 sq.; 201 sq.; 374 sqq.

3. *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20, 549).

4. *Cassiod.* de instit. div. lit. 8 (M. 70, 1120). Versio, quam Cassiod. adornandam curavit, illa ipsa est, quam inter Clem. Al. opera habemus. M. 9, 729 sqq.

5. Pauca testimonia sufficient, alia in vindicanda singulorum librorum auctoritate addemus. *Iacobi* Strom. V. 14. VI. 18 (M. 9, 149. 397); 1 *Petr.* Coh. ad Gent. 4. Paed. I. 6 (M. 8, 160. 391); 1 *Ioan.* Paed. III. 11. 12. (M. 8, 661. 677); 3 *Ioan.* (?) Paed. II. 7. (M. 8, 461); *Iudae* Paed. III. 8; Strom. III. 2 (M. 8, 616. 1113). *Certum* 2 et 3 Ioan. testimonium legi non memini; at quum Clem. Al. 1 Ioan. citet formula « in *maiore* epistola » (ἐν τῇ μείζονι ἐπιστολῇ Strom. II. 15. M. 8, 1004) etiam minores se agnoscere manifestat.

6. Clementem *Apocalypsin Petri* explicasse testatur Eusebius (l. c.); *Praedicatio* (κήρυγμα) *Petri* ab eo citatur Strom. I. 29; II. 15 (M. 8, 929. 1005); *Traditiones* (παραδόσεις) Matthiae Strom. II. 9; III. 4 (M. 8, 981. 1132); *Barnabae epistola* Strom. II. 7, 20. (M. 8, 969. 1060); *Clem. Rom.* 1 Cor. Strom. I. 7. IV. 24 (M. 8, 733. 1312); *Hermae* Pastor Strom. I. 29. II. 1. (M. 8, 928. 933) etc. Qui ad modum, quo libri hi omnes allegantur, attenderit, sine ullo dubio nobiscum dubitabit, num Clementem illos in suo canone habuerit; gravissimum est, quod Barnabam, quando eius epistolam adhibet, Apostolum vel Apostolicum appellet; attende autem, quomodo simul illius auctoritatem confirmare studeat, Pauli cooperatorem illum appellans : « Quomodo autem spiritus immundos in peccatoris animam seminare dicamus, pluribus verbis mihi opus non est, si adduxero testem Barnabam apostolicum (erat autem is ex septuaginta et Pauli adiutor) his verbis ita loquentem » etc. Testimonium ex Matthiae traditionibus affert hac formula : λέγουσι καὶ τὸν Ματθίαν οὕτω διδάξαι κτλ... Nusquam autem in allegando uno ex istis libris utitur formulis in Scriptura afferenda consuetis : *Scriptum est*, *Scriptura dicit*, *Spiritus S. dicit* etc.; sed ad summum « Potestas illa, quae Hermae loquitur in visione » (ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα), « Potestas, quae Hermae in visione apparuit » etc.

Melius tamen, quam a Clemente Alex., ab eius maiore discipulo *Origene* alexandrinam traditionem de canonis ambitu discimus, quum non tantum in operibus suis libros omnes frequenter adhibuerit, sed etiam catalogum eorum tradiderit. Nihil aliud se velle probare, nisi quod approbat Ecclesia, professus « quatuor tantum Evangelia esse recipienda »[7] docet, « ex traditione enim accepisse se de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittantur »[8]. Epistolarum, quas recipit, Eusebius catalogum quendam refert, in quo *Iacobi* et *Iudae epistolae* desiderantur, *altera Petri* et *duae posteriores Ioannis* dubiae dicuntur[9]. Frequentissime quidem hoc testimonio abutuntur aliqui moderni, quorum interest ut Origenem non omnes libros agnovisse demonstrent; at nunquam verba ab Eusebio allata in genuino contextu legerunt, qui ex illis Origenis canonem cognoscendum praedicant. In prooemio nimirum tomi sui quinti expositionum in Ioannis Evangelium Origenes prolixitatem, qua in paucis Ioannis verbis explicandis quatuor integros libros insumserat, iocoso quodam modo sibi ipsi obiicit adductis verbis Ecclesiastis « Fili mi, cave multos libros conscribas », atque hagiographorum exemplo proposito, qui omnes pauca tantum scripserunt :

« Qui vero reprehendet, inquit, quod ad plura scribenda me accingam, Moysen talem ac tantum virum quinque solos libros reliquisse dicet. Is vero, quem Deus idoneum reddidit Novi Test. ministrum non literae sed spiritus, Paulus, inquam, qui ab Ierosolymis et finitimis locis usque ad Illyricum Evangelium adimplevit, non omnibus ecclesiis, quas docuerat, scripsit, sed et iis, quibus scripsit, paucas admodum lineas exaravit. Petrus autem, supra quem fundata est Ecclesia, quam portae inferi non praevalebunt, unam dumtaxat communi consensu receptam epistolam reliquit; concedamus et secundam, de qua dubitatur. Quid dicendum de Ioanne, qui supra Christi pectus recubuit? Qui quidem unum reliquit Evangelium, tametsi fateatur tot se libros scribere potuisse, quot nec ipse orbis terrarum posset continere; scripsit etiam Apocalypsin iussus silere nec septem tonitruum voces perscribere; reliquit etiam epistolam admodum brevem, concedamus etiam secundam et tertiam, nam non omnes eas genuinas habent, sed ambae simul non centum continent stichos ».

Ad augendam igitur, quam sibi fecerat, obiectionem Origenes totus in eo est, ut librorum, quos conscripserunt Apostoli, numerum minuat; quem ad finem qui attenderit, nunquam ex eius verbis eum epistolas Iacobi et Iudae ignorasse ac de 2 Petri et 2, 3 Ioannis dubitasse concludet. Non semel enim Iacobi, Iudae, 2 Petri epistolas pro auctoritate laudat[10], disertisque verbis Iacobum Iudamque inter

sacros scriptores refert[11]. Genuinam Origenis de canone sententiam ex alio potius loco discimus, in quo N. T. libros tubis comparat, ad quarum sonum Ierichuntis muri corruerunt :

« Veniens Dominus N. Iesus Christus, cuius prior ille Iesus Nave designabat adventum, mittit sacerdotes Apostolos suos portantes tubas ductiles, praedicationis magnificam coelestemque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in *Evangelio Matthaeus* increpuit, *Marcus* quoque, *Lucas* et *Ioannes* suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. *Petrus* etiam *duabus epistolarum* personat tubis, *Iacobus* quoque et *Iudas;* addit nihilominus *Ioannes* adhuc tuba canere per *epistolas* suas et *Apocalypsin* et *Lucas Apostolorum gesta* describens. Novissime autem ille veniens, qui dixit : Puto autem quod Deus nos novissimos Apostolos ostendit, et in *quatuordecim epistolarum* suarum fulminans tubis muros Iericho et omnes idololatriae machinas et philosophorum dogmata usque ad fundamenta deiecit » [12].

Quamvis igitur, id quod ex testimonio supra allato constat, de aliquibus N. T. libris dubitari optime sciret, dubiis tamen his spretis non tantum libros addubitatos ipse adhibet sed etiam nullo prorsus facto discrimine in suo catalogo recenset. Neve dicat aliquis, catalogum hunc, quum in sola latina Rufini versione nobis sit conservatus, plenam fidem non mereri sed suspectum esse. Namque Rufinum non semper fidelem interpretem agere atque interdum aliqua ex suis addere non negamus; at in prologo ad homiliarum in Iosue versionem non tantum se minore libertate, quam in aliis operibus vertendis, usum esse diserte tradit, sed ipse quoque Origenes multis suis allegationibus, quonam in loco habuerit libros omnes, de quibus disceptatur, evidentissime manifestat. Quare pro certo asserimus, omnes nostros N. T. libros illi sacros et canonicos fuisse, nec ullum non inspiratum vel apocryphum ab eo esse receptum; primus igitur est omnium antiquorum, qui completum et absolutum librorum N. T. catalogum statuit. Obiici vero nequit, eum etiam Pastorem et Barnabae epistolam canonicis adnumerasse; etsi enim Pastorem « valde utilem sibi videri » dicat, ita ut eum « divinitus inspiratum putet », et Barnabae epistolam « catholicam » vocet, ubique tamen, ubi illis utitur, ipse laudandi modus vel dubitatio addita illos a canone excludi docent[13].

7. *Orig.* in Luc. hom. 1 (M. 13, 1803).

8. *Orig.* in Matth. (M. 13, 829, apud *Eus.* H. E. VI. 25. M. 20, 581).

9. *Eus.* H. E. VI. 25. (M. 20, 581 sq.) cfr *Orig.* in Ioan. tom. V. Prol. (M. 14, 188).

10. *Iacobi* epistola ab *Orig.* adhibetur in Exod. hom. 8, 4 (Apostolus Iacobus), in Levit. hom. 2, 4 (Scriptura divina), in Ioan. tom. XIX. 6 (ἐν τῇ φερομένῃ Ἰακώβου ἐπιστολῇ) etc. (M. 12, 355. 418; 14, 569); *S. Iudam* epistolam « brevem sed *sapientia divina plenam* scripsisse » dicit (in Matth. t. X. 17. M. 13, 877) eamque citat in Matth.

tom. XVII. 30; de princ. III. 2; in Gen. hom. 2, 5 etc. (M. 13, 1569; 11, 303; 12, 272); 2 *Petri* allegatur in Exod. hom. 12, 4; in Lev. hom. 4, 4; in Num. hom. 13, 8 etc. (M. 12, 387. 437. 676).

11. *Orig.* in Gen. hom. 13, 2 (M. 12, 232) libros sacros cum puteis comparans, quos Isaaci servi foderant (Gen. 26, 18 sqq.) « pueri Isaaci sunt, inquit, *Matthaeus, Marcus, Lucas* et *Ioannes*; pueri eius sunt *Petrus, Iacobus, Iudas*, puer eius est Apostolus *Paulus*, qui omnes N. T. puteos fodiunt ».

12. *Orig.* in Ios. hom. 7, 1 (M. 12, 857).

13. *Orig.* in Rom. 16, 14 (M. 14, 1282) de *Hermae Pastore* ait : « quae scriptura valde mihi utilis videtur et, *ut puto*, divinitus inspirata ». Quomodo eum alleget cfr in Num. hom. 8, 1 (« si tamen scriptura illa recipienda videtur »); in Matth. tom. XIV. 21 (« si libro uti audebimus, qui in ecclesiis quidem circumfertur, sed ab omnibus pro divino non habetur ») M. 12, 622; 13, 1240 etc. De *Barnabae epistola* cfr c. Cels. I. 63; de princ. III. 2, 4 etc. (M. 11, 777. 309).

66. — Ineunte igitur saec. 3. alexandrinam ecclesiam completum N. T. canonem possedisse certum est, in aliarum vero ecclesiarum catalogis aut unum alterumve librum defuisse aut etiam, saltem ut dubios, paucos libros non inspiratos retentos esse. Notatu porro dignum est, nullam omnino ecclesiam nominari posse, quae ante 3. saec. ullum ex istis libris, quos nos hodie in canone habemus, diserte reiecerit; occidentales nonnullae de ep. ad Hebraeos dubitaverunt quidem ideoque eam ad publicam lectionem non admiserunt, sicut orientales et occidentales aliae de quibusdam minoribus epistolis catholicis dubitaverunt. A 3. saeculo autem unum librum, qui eousque communi consensu ab omnibus ecclesiis receptus erat, ab Alexandrinis primum in dubium vocari, ab aliis Orientalibus deinde reiici videmus.

Vix alter est liber, cuius canonicitatis tot testimonia primis duobus saeculis invenimus, quam S. Ioannis Apocalypsis; in ecclesia romana ei testes sunt fragmentum murator. et S. Hippolytus [1], in africana Tertullianus et S. Cyprianus [2], in gallicana S. Irenaeus, qui simul testimonium eorum exhibet, « qui Ioannem facie a facie viderant » [3], in asiaticis S. Papias Hierapolitanus, S. Melito Sardensis, Apollonius Ephes. [4], in antiochena S. Theophilus [5], in palaestinensi S. Iustinus M. [6], in alexandrina Clemens et Origenes [7].

At quum haeretici nonnulli Apocalypsi abuti coepissent, ut crassum quendam chiliasmum stabilirent, in Occidente et in Oriente eius divinitas in dubium vocata et negata est. Teste Eusebio *Caius*, romanus presbyter, qui S. Irenaei discipulus fuerat, Cerintho haeretico eam auctori adscribere non dubitavit [8], neminem vero, qui sibi assentiret, in toto Occidente invenit. Paullo post autem Nepote arsinoensi episcopo contra nimium allegoricae interpretationis studium, quod Origenes in scholam alexandrinam invexerat, insurgente atque in alterum extre-

mum delapso vel ipsas symbolicas Apocalypseos descriptiones literali sensu interpretante illisque chiliasmum suum stabiliente, *S. Dionysius M.,* Origenis discipulus, ut facilius chiliastas impugnaret, Apocalypsin S. Ioanni Apostolo abiudicare alterique Ioanni presbytero attribuere voluit, sententiam suam ex libri ipsius inscriptione, dictione styloque demonstrare conatus[9]. Neque tamen haec sententia in ecclesia alexandrina, nedum in ulla ecclesia occidentali praevaluit; at tanta fuit Dionysii et sanctitatis et doctrinae fama, ut ecclesiae aliquae orientales non tantum cum episcopo alexandrino Apocalypseos authentiam, sed ulterius progressae eius inspirationem, quam S. Dionysius in dubium non vocaverat, negarent eamque a publica lectione prorsus excluderent.

1. *Fragm. murat.* lin. 71; *S. Hippol.* de Christ. et Antichr. 36 (M. 10, 756).
2. *Tertull.* c. Marc. III. 14 etc. (M. 2, 340); *S. Cypr.* de bon. patient. 24 etc. (M. 4, 638).
3. *S. Iren.* c. haer. V. 30; IV. 20 etc. (M. 7, 1207. 1040).
4. *S. Papiae* testimonium refert *Andr. Caes.* in Apoc. Prol. (M. 106, 493), *S. Melitonis* et *Apollonii* testimonia *Eus.* H. E. IV. 26; V. 18 (M. 20, 392. 480).
5. *S. Theoph. Antioch.* apud *Eus.* H. E. IV. 24 (M. 20, 389).
6. *S. Iustin.* c. Tryph. 81. M. (6, 669).
7. *Clem. Alex.* Strom. VI. 13 etc. (M. 9, 328); *Orig.* in Matth. tom. XVI. 6 etc. (M. 13. 1385).
8. *Caii* testimonium cfr apud *Eus.* H. E. VI. 20 (M. 20, 571).
9. *S. Dionys. M.* verba refert *Eus.* H. E. VII. 24. 25; cfr III. 28 (M. 20, 692 sqq. 273). S. Dionysii argumenta in *Introd. spec.* in N. T. p. 702-710 accuratius exposuimus ac perpendimus.

III. Eusebii Caes. de Novi Test. canone testimonium.

67. — Omissis reliquis 3. saec. Patribus aliud testimonium afferre liceat, ex quo, quis primis tribus saeculis N. T. canon fuerit, accurate et certo cognoscimus. *Eusebius Caes.* enim, quidquid hac de re apud veteres scriptores exstitit, diligenter investigavit, collegit, digessit, atque summam eorum, quae invenit, in hunc modum tradit[1].

« Opportunum videtur hoc loco N. T. libros, qui (in Ecclesia) cogniti sunt, summatim recensere. [I. 1.] Atque in primo quidem loco ponamus oportet *Evangeliorum quadrigam,* quam sequitur *Actuum Apostolorum liber.* Post quem numerandae sunt *Pauli epistolae,* quibus ex ordine adnectendae ea, quae *prior Ioannis* dicitur, et similiter *prior Petri epistola.* Hisce adiungetur, si videbitur, *Apocalypsis Ioannis,* de qua quid sentiatur suo loco dicemus. Atque hi quidem libri communi consensu recepti sunt (ἐν τοῖς ὁμολογουμένοις). [I. 2. a] Ex iis vero, qui in controversia versantur, a plurimis tamen genuini habentur (τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς

πολλοῖς) sunt epistolae, quae dicitur *Iacobi*, et *Iudae*, et *secunda Petri*, et quae vocantur *secunda et tertia Ioannis*, sive ab Evangelista sive ab alio viro homonymo sint conscriptae. [I. 2. b.] Inter spurios [ἐν τοῖς νόθοις] collocandi sunt et Pauli Actuum liber, et qui vocatur Pastor, et Apocalypsis Petri, praeterea Barnabae epistola et Apostolorum quae dicuntur institutiones (τῶν ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί), atque, uti dixi, si placet, *Ioannis Apocalypsis*, quam aliqui, ut dixi, seponunt (ἀθετοῦσιν), alii inter libros communi consensu receptos numerant. Hisce aliqui etiam Evangelium secundum Hebraeos adiungunt, quo maxime illi, qui ex Hebraeis fidem Christi acceperunt, utuntur. Atque hi forsitan sint libri omnes, qui in controversia versantur. Quorum catalogum simul contexendum putavimus distinctis libris illis, qui secundum ecclesiasticam traditionem veri et genuini et nullo contradicente recepti sunt, atque aliis, qui in canone quidem non sunt, sed controvertuntur, plerisque tamen viris ecclesiasticis cogniti sunt, ut et ipsos cognoscamus, et [II] illos, qui sub nomine Apostolorum apud haereticos habentur, qui sive Petri et Thomae et Matthiae vel aliorum quorundam evangelia continent, sive Andreae et Ioannis et aliorum Apostolorum actus, quorum nihil unquam in libris suis ullus ecclesiasticus vir, qui continuata successione in Ecclesia floruit, commemorare dignatus est. Sed et ipsum dicendi genus a more apostolico dissentit, atque eorum argumentum et ea, quae in illis traduntur, quum plerumque a vera orthodoxia dissentiant, illos haereticorum foetus esse manifestant. Quare ne in spuriis (ἐν νόθοις) quidem collocandi sunt, sed tamquam absurdi et impii prorsus repudiandi ».

Duas igitur Eusebius librorum, qui sacri haberi volunt, classes distinguit, eorum qui in Ecclesia cogniti sunt (αἱ θηλωθεῖσαι γραφαί) et in honore habentur, eorumque, quos nullus unquam scriptor ecclesiasticus mentione dignos habuit, quique tamquam prorsus absurdi et impii ne spuriis quidem adnumerari merentur. In priore autem classe duo sunt ordines librorum, quorum alter iterum duas continet sectiones. Prior igitur ordo Scripturas omnes complectitur, quae primitus iam in universa Ecclesia receptae in publica lectione sine ulla controversia adhibentur (τὰ ὁμολογούμενα), alter autem eas, quae in controversia sunt (τὰ ἀντιλεγόμενα), inter quas aliae *a plerisque genuinae* habentur (τὰ γνώριμα τοῖς πολλοῖς), aliae autem, quamvis ab aliquibus adhibeantur, spuriae tamen vocandae sunt (τὰ νόθα). Itaque secundum Eusebium in hunc modum distribuendi sunt libri :

I. 1. Τὰ ὁμολογούμενα : Quatuor Evangelia, Actus, epistolae Pauli 1 Petri, 1 Ioannis, et *si videbitur* Apocalypsis Ioannis.

2. Τὰ ἀντιλεγόμενα,

a) γνώριμα δὲ τοῖς πολλοῖς : Epistolae Iacobi, Iudae. 2 Petri, 2, 3 Ioannis.

b) νόθα : Actus Pauli, Pastor, Apocalypsis Petri, Barnabae epistola

et Apostolorum institutiones; et *si videbitur* Apocalypsis Ioannis; et secundum aliquos Evangelium iuxta Hebraeos.

II. Τὰ ἄτοπα καὶ δυσσεβῆ : Evangelia Petri, Matthiae, Thomae et aliorum; Actus Andreae, Ioannis et aliorum.

De numero Evangeliorum, quae sola in universa Ecclesia communi consensu recepta sunt, exeunte saec. 3., quod tempus Eusebius ineunte 4. saec. historiam suam scribens praeprimis prae oculis habuit, iam dudum constitit, atque nomen ipsum *sacra Evangeliorum quadriga* (ἡ ἁγία τῶν Εὐαγγελίων τετρακτύς), quod ad visionem Ezechielis (1, 4 sqq.) alludit, evidenter manifestat, quam profunde omnium animos quaternarius hic Evangeliorum numerus occupaverit.

Numerum quoque epistolarum paulinarum Eusebius cognitum supponit; nam, uti alibi tradit, « Pauli *quatuordecim* epistolae notae sunt omnibus ac manifestae; scitu tamen dignum est, aliquos epistolam ad Hebraeos seposuisse, quod eam a romana ecclesia Paulo abiudicari dicerent » [2]; dubitatio autem haec, etsi olim aliquos incertos reddiderit, videtur evanuisse, postquam in epistolae canonicitatem non tantum ab omnibus orientalibus, sed etiam a plerisque occidentalibus ecclesiis admissam accuratius investigatum est : quare Eusebius hoc in loco, in quo summam quandam antiquarum de canone traditionum tradere vult, dubitatione illa omissa ep. ad Hebr. inter τὰ ὁμολογούμενα recensendam putavit.

Aliter se res habuit relate ad Apocalypsim Ioannis; eam usque ad medium saec. 3. ab omnibus ecclesiis divinam et inspiratam creditam esse diximus, ab eo autem tempore ab aliquibus ecclesiis orientalibus, quae S. Dionysii Magni auctoritatem sequi maluerunt, a publica lectione esse exclusam et e canone eiectam. Quare Eusebius, cuinam classi eam adscriberet, ipse dubitavit. Namque si ad unanimia omnium antiquorum scriptorum testimonia attendit, eam primo ordini τῶν ὁμολογουμένων non attribuere non potuit; sin suae aetatis ac praesertim suae provinciae usum respexit, quum palaestinensis ecclesia eam ad publicam lectionem non amplius admitteret, eam a canonicis Scripturis excludere et spuriis (τοῖς νόθοις) accensere debuit. In hac ambiguitate difficultatem ipse solvere non ausus « pro lubitu » (εἰ φανείη) eam aut inter τὰ ὁμολογούμενα aut inter τὰ νόθα recensendam lectoribus suis permisit.

Qui agendi modus nos docet, quosnam libros priori secundi ordinis sectioni attribuere voluerit. Uti enim Apocalypsin Ioannis aliquae ecclesiae primitus receperant et postea ob difficultates a S. Dionysio M. aliisque motas e canone prorsus eiecerant, ita Apocalypsis quoque Petri ab ecclesia romana, teste fragmento muratoriano, Pastor ab ec-

clesia gallicana, teste S. Irenaeo, reliqui libri, quos inter « spurios » enumerat, ab aliis ecclesiis per aliquod tempus in publica lectione adhibiti erant, sed tempore Eusebii non amplius adhibebantur. Unde *spurii* (νόθοι) in hac classium distributione Eusebio illi libri fuisse dicendi sunt, qui a particularibus quibusdam ecclesiis olim sacri et canonici habiti, re melius et accuratius perpensa, ab iisdem ecclesiis reiecti erant. E contra epistolae, quas in priore sectione enumerat, olim quidem ab aliquibus ecclesiis, quibus aut plane incognitae fuerant aut de earum authentia non constiterat, non erant receptae, at nulla ecclesia cognitas diserte reiecerat aut semel in canonem admissas postea repudiarat. Maximum igitur inter duas secundi ordinis sectiones intercedit discrimen, atque non nisi improprie epistolae illae vocantur ἀντιλεγόμεναι, quia nulla ecclesia illis contradixerat easve impugnaverat.

Quam genuinam esse duarum sectionum distinctionem elucet ex iis quoque, quae alibi de iisdem epistolis Eusebius tradit, dummodo non verbis, quibus utitur, inhaereamus, sed sensum, quem exprimere vult, investigemus. « *Iacobo,* inquit[3], adscribi solet epistola prima earum, quae catholicae dicuntur. Sciendum autem eam spuriam quidem haberi (ἰστέον δὲ ὡς νοθεύεται μέν); non multi sane antiquorum eius mentionem faciunt, uti neque illius, quae *Iudae* dicitur, et ipsa quoque una est ex septem catholicis; attamen scimus etiam has una cum reliquis in *plerisque* ecclesiis publice legi » (ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις). Qua ex ratione addita evidens est, *spurium* (νόθον) hoc in loco Eusebio illum librum esse, qui haud multa quidem testimonia antiqua habet, cui tamen nemo unquam contradixit. Item de *2 Petri :* « illam, inquit[4], quae Petri secunda dicitur, in canone quidem non esse accepimus; attamen, quia utilis visa est, una *cum reliquis Scripturis diligenter recepta est* »; iterum secundae Petri testimonia quidem antiqua deesse asserit, sed nihil quoque, quod obstet, apud antiquos inveniri. Diligentissimo igitur huic antiquitatis investigatori unica ratio, cur quinque epistolas primo ordini inserere noluerit, antiquorum silentium fuit; quam parum vero ipse de earum perfecta canonicitate dubitaverit, clare demonstrat, quum de « septem catholicis » loquatur tamquam de collectione ab omnibus admissa, in aliisque suis operibus omnes sine ulla haesitatione Scripturis adnumeret[5]. Errant igitur, qui ex Eusebii verbis concludunt, eius etiam aetate quinque illas epistolas, quas in prima secundi ordinis sectione nominat, magis minusve dubias fuisse; ut enim cum S. Hieronymo loquamur, « auctoritatem vetustate et usu iam meruerant »[6], et tota ratio eusebianae distributionis est mere historica : primo loco ei veniunt libri illi, qui *omnium* antiquorum

testimoniis genuini demonstrantur, secundo loco illi, qui *pauca* quidem, sed *sufficientia* testimonia antiquitatis habent, tertio illi, qui *testimoniis* quidem, sed *insufficientibus et non idoneis* nituntur, quarto demum illi, quibus nunquam catholicus aliquis scriptor pro auctoritate usus est.

1. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 268 sqq.).
2. *Euseb.* H. E. III. 3 (M. 20, 217).
3. *Euseb.* H. E. II. 23 (M. 20, 205).
4. *Euseb.* H. E. III. 3 (M. 20, 216).
5. *Euseb.* H. E. III. 5 (M. 22, 216) : « Ioannes in suis Epistolis aut nomen suum proprium tacet, aut presbyterum se vocat, nusquam vero Apostolum et Evangelistam ».
6. *S. Hier.* De vir. ill. 4 (M. 23, 615).

§ 7. *Canon Novi Test. a saec. 4. ad nostram usque aetatem.*

68. — Ex iis, quae hucusque retulimus, manifestum est, non nisi lente et procedente tempore per tria priora saecula librorum apostolicorum collectionem esse factam et paucas admodum ecclesias fuisse, quae 3. saec. ineunte iam omnes vere canonicos possederint omnesque dubios excluserint. Decurrente deinde 3. saec. aliae quoque ecclesiae paullatim omnes libros receperunt, sed completus consensus non nisi saec. 4. videtur esse exortus, postquam pace Ecclesiae reddita earum, quae ab ipsis Apostolis epistolas accipere meruerant, traditio melius et certius innotuit. Vix dubito asserere, concilium nicaenum catalogo suo librorum sub nomine Scripturarum in Ecclesiis legendorum, de quo supra (40) egimus, ad consensum hunc stabiliendum contulisse, atque hic ipse consensus novum nobis argumentum est, revera in primo concilio oecumenico quaestionem canonis esse tractatam. Mirum enim, quam concordes et constantes ab eo tempore omnes fere ecclesiae in omnibus Novi Testamenti libris admittendis fuerint. Dum traditione de Veteris Testamenti ambitu aliquantulum obscurata dissensus quidam, uti vidimus, occidentales inter et aliquas ecclesias orientales sese manifestavit, traditio de Novi Testamenti ambitu maiore in dies luce splendescens Occidentem inter et Orientem plenum consensum creavit. Quare historiam nostram paucis iam absolvere possumus.

I. Ecclesiarum occidentalium de N. T. canone decreta.

69. — Nonnullis Occidentis ecclesiis duas epistolas antiquitus defuisse vidimus, epistolam ad Hebraeos et secundam Petri; reliquae

autem N. T. scripturae deuterocanonicae saltem in plerisque erant receptae ac facile ad alias transire potuerunt. At duas quoque istas scripturas decursu 4. saec. ab omnibus Occidentalibus videmus adhibitas. Ad 2 Petri quod attinet, *S. Hieronymus* quidem asserit eam « a plerisque » Petro abiudicari « propter styli cum priore dissonantiam » [1]; perspicuum autem est, S. Doctorem non ecclesiarum occidentalium, quae de graeco stylo epistolarum petrinarum iudicium certe non tulerant, sed quorundam interpretum orientalium sententiam his verbis expressisse; quam ipse nullo modo approbavit, quum dissonantiam illam styli « a diversis interpretibus, quibus pro diversitate rerum usus sit Petrus » derivandam censeret [2], atque nulla dubitatione expressa 2 Petr. inter septem Catholicas adnumeraret [3]. Epistolam autem ad Hebraeos Latinorum consuetudinem non recipere inter Scripturas canonicas cum exaggeratione quadam asseruit [4], si de sua aetate loqui voluit; nam *S. Philastrius* iam, quamvis ipse in recensendis libris, qui in Ecclesia catholica legi debeant, epistolam ad Hebraeos et Apocalypsin omiserit, immediate postea haeresin esse docuit epistolam istam S. Paulo abiudicare [5]. Revera catalogi librorum N. T., qui S. Hieronymi tempore sive a Patribus occidentalibus, sive a conciliis africanis, sive a romanis Pontificibus editi sunt, omnes omnino libros exhibent. Praeter *Rufinum,* qui dubio nullo expresso aut indicato quatuordecim Pauli epistolas enumerat [6], praesertim nominandus est *S. Augustinus,* qui « quamvis nonnullis incerta esset » epistola ad Hebr., « auctoritate ecclesiarum orientalium permotus, quae hanc etiam in canonicis haberent », eam recepit ex eaque eodem modo, quo ex aliis paulinis, testimonia sua desumsit [7]; « ea enim teste usi sunt illustres regulae catholicae defensores » [8], ideoque etiam eam in suo catalogo retulit [9]. In conc. hipponensi an. 393. antiquae dubitationis vestigium remanet, quum « epistolas Pauli *tredecim, eiusdem epistolam ad Hebraeos* » recenseat, dum conc. Carthag. an. 419. aeque ac S. Innocentius I. in suo ad Exsuperium Tolos. responso *Pauli epistola quatuordecim* nominant [10]; eodemque modo in gelasiana decretali enumerantur.

1. *S. Hier.* De vir. ill. 1 (M. 23, 609.) cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 643 sq.

2. *S. Hier.* ad Hedib. ep. 120, 11 (M. 22, 1002).

3. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 8 (M. 22. 548); quo in loco integrum N. T. canonem refert : « Tangam et Novum breviter Testamentum; Matthaeus, Marcus, Lucas et Ioannes, quadriga Domini et verum Cherubim... per totum corpus oculati sunt... Paulus Apostolus ad septem ecclesias scribit; octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur [i. e. non cum reliquis ad ecclesias directis coniungitur, sed ultimum locum occupare solet]. Timotheum instruit ac Titum, Philemonem pro fugitivo servo deprecatur... Actus Apost. nudam quidem sonare videntur historiam

et nascentis Ecclesiae infantiam texere... Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Apostoli septem epistolas ediderunt tam mysticas quam succinctas... Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba ».

4. *S. Hier.* ad Dard. ep. 129, 3; cfr de vir. ill. 59; in Ierem. 28, 11 (M. 22, 1103; 23, 669; 25, 272).

5. *S. Philastr.* De haeres. 88 : « Propter quod statutum est ab Apostolis et eorum successoribus non aliud in Ecclesia legi debere catholica nisi Legem et Prophetas, et Evangelia et Actus Ap. et *Pauli tredecim epistolas* et septem alias, Petri duas, Ioannis tres, Iudae unam et unam Iacobi, quae septem Actibus Ap. coniunctae sunt »; haer. 89 : « Haeresis quorumdam de epistola Pauli ad Hebraeos. Sunt alii quoque, qui Epistolam Pauli ad Hebr. non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabae esse Apostoli » etc.; haer. 60 : « Haeresis Evangelium Ioannis et Apocalypsin ipsius reiiciens. Post hos sunt haeretici, qui Evangelium secundum Ioannem et Apocalypsin ipsius non accipiunt, et quum non intelligunt virtutem Scripturae nec desiderant discere, in haeresi permanent pereuntes » (M. 12, 1199. 1200. 1174).

6. *Rufin.* Symb. apost. 37 (M. 21, 374) : « Novi Testamenti sunt quatuor Evangelia, Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis, Actus Apost., quos describit Lucas, Pauli Apostoli epistolae quatuordecim, Petri Apostoli duae, Iacobi fratris Domini et Apostoli una, Iudae una, Ioannis tres, Apocalypsis Ioannis. Haec sunt, quae Patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt ».

7. *S. August.* De peccat. merit. et rem. I. 50 (M. 44. 137); eam « a *pluribus* Paulo adscribi, a *quibusdam* negari » dicit de Civ. Dei XVI. 22 (M. 41, 500).

8. *S. August.* Enchir. 8 (M. 40, 235). Revera ante S. Hieronymi aetatem ex latinis « regulae catholicae defensoribus » ea usi erant *S. Hilarius Pictav.* (de Trin. IV. 11. M. 10, 104), *Lucifer Calarit.* (De non conven. cum haeret. M. 13, 782), *S. Ambrosius* (De fuga saec. 16. De Ioseph 29 etc. M. 14, 577. 622) etc.

9. *S. August.* de doctr. christ. II. 8 (M. 34, 41) : « Novi Testamenti (terminatur auctoritas) quatuor libris Evangelii..., quatuordecim epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos... ad Hebraeos, Petri duabus, tribus Ioannis, una Iudae et una Iacobi, Actibus Apost. libro uno et Apocalypsi Ioannis libro uno ».

10. *Conc. hippon.* an. 393. can. 36 (Mansi III. 924) : « Novi Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actus Apost. liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, Eiusdem ad Hebr. una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis ». *Carthag.* an. 419. Can. 29 (Mansi IV. 430); *S. Innoc. I.* ad Exsuper. Tolos. 7. (Mansi III. 1041) : « Item Novi Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Apostoli Pauli epistolae quatuordecim, epistolae Ioannis tres, epistolae Petri duae, epistola Iudae, epistola Iacobi, Actus Apost., Apocalypsis Ioannis. Cetera autem, quae vel sub nomine Matthiae, sive Iacobi Minoris, vel sub nomine Petri et Ioannis, quae a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreae, quae a Xenocharide et Leonida philosophis, vel sub nomine Thomae et si quae sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda ». — De canone gelasiano vel potius damasiano cfr *supra* 40 *n.* 15.

70. — Quum tam unanimis sit Latinorum omnium saec. 4. consensus in omnibus N. T. libris admittendis atque S. Hieronymus, quamquam antiquorum dubia commemorat, ea tamen reprobet, facile intelligitur, iuniores quoque scriptores latinos Patrum vestigiis inhae-

rentes libros eosdem recepisse, ita ut paucissimos, qui alia senserint, inveniamus. Aliqui ex S. Hieronymi operibus antiqua quidem dubia de aliquorum librorum auctoribus transcribunt, de eorum autem canonicitate non dubitant; unus alterve praeter libros nostros alium recipiendum contendit. *Iunilius Afric.* Theodori Mopsuest. et nisibenae scholae placita in Occidentem introducere conatus est, cuius sententiam supra (45) indicatam longiore expositione hoc loco indigere non arbitramur, atque demum ineunte saec. 16. unus invenitur Caietanus, qui libris nonnullis minorem quam aliis competere auctoritatem asseruit.

A S. Hieronymo *S. Isidorus Hisp., Alcuinus, Rhabanus Maur.* aliique hauserunt, quaecunque de aliquibus libris tradunt. « Ad Hebraeos epistolam, inquit *S. Isidorus,* plerisque Latinis Pauli esse incertum est propter dissonantiam sermonis, eandemque alii Barnabam conscripsisse, alii a Clemente scriptam fuisse suspicantur. Petrus scripsit duas nomine suo epistolas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a quibusdam eius esse non creditur propter styli sermonisque distantiam; Iacobus scripsit suam epistolam, quae et ipsa a nonnullis eius esse negatur, sed sub nomine eius ab alio dictata existimatur. Ioannis epistolas tres idem Ioannes edidit, quarum prima tantum a quibusdam eius asseritur, reliquae duae Ioannis cuiusdam presbyteri existimantur, cuius iuxta Hieronymi sententiam alterum sepulcrum apud Ephesum demonstratur ». Quibus non obstantibus totam enumerationem hisce verbis claudit S. Isidorus : « Hi sunt *scriptores* sacrorum librorum divina inspiratione loquentes atque ad eruditionem nostram praecepta coelestia dispensantes; *auctor* autem earundem Scripturarum Spiritus S. esse creditur; ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictaverit » [1].

Peculiarem sententiam tenet *Ioannes Sarisber.,* quamvis in reliquis, quae ad canonem spectant, S. Hieronymum « doctorem doctorum » sequatur; integrum N. T. in octo volumina distribuit, quorum quatuor priora continent Evangelia, quintus epistolas paulinas, sextus epistolas catholicas, septimus Actus Ap., octavus Apocalypsin. At « epistolae Pauli *quindecim* sunt, uno volumine comprehensae, licet sit *vulgata et fere omnium communis opinio non esse nisi quatuordecim,* decem ad ecclesias, quatuor ad personas, si tamen illa, quae ad Hebraeos est, connumeranda est epistolis Pauli, quod in praefatione eius adstruere videtur doctorum doctor Hieronymus, illorum dissolvens argutias, qui eam Pauli non esse contendebant. Ceterum quinta decima est illa, quae ecclesiae Laodicensium scribitur, et licet, ut ait Hieronymus, ab omnibus explodatur, tamen ab Apostolo scripta est : neque sententia

haec de aliorum praesumitur opinione, sed ipsius Apostoli testimonio roboratur; meminit enim ipsius in epistola ad Coloss. »[2].

Vix sequacem hac in opinione videtur habuisse Sarisberiensis, quum optime omnes perspicerent, aliud esse S. Paulum scripsisse ad Laodicenses, aliud epistolam, quae sub hoc titulo olim iam circumferebatur et ab omnibus explodebatur, genuinum esse Pauli opus. Hinc usque ad saec. 16. canon ille, quem antiqui Patres latini et Romani Pontifices tradiderunt quemque decreto suo Eugenius IV. et conc. florentinum saec. 15. sanxerunt[3], nullo fere dissentiente receptus est, atque ipse autor dissertationis « de canonicis et non canonicis libris », quae editionibus Glossae ordinariae et Lyrani Postillis inde ab an. 1491 praemitti solebat, licet V. T. deuterocanonicos omnes reiiciat, omnes N. T. libros pro canonicis admitti testatur : « quamvis ante Hieronymum a multis de epistola ad Hebraeos, itidem de epistola Iudae ac de 2 et 3 Ioannis in ecclesia primitiva a multis, an deberent in canonem recipi, valde dubitatum est... tamen omnium approbatione iam sunt receptae et citra cuiusque refragationem pro canonicis habentur »[4].

Unanimem hunc consensum turbavit ineunte saec. 16. *Caietanus*, qui epistola 2 Petri, quam omnino admittendam decrevit, et Apocalypsi, de qua nihil tradit, exceptis, reliquos omnes libros, de quibus in antiqua ecclesia dubitatum est, non tantae esse auctoritatis statuit, ut ex illis solis firmum argumentum desumi possit. Postquam S. Hieronymi verba de epistolae ad Hebr. auctore collegit, in hunc modum pergit : « ex his et aliis Hieronymi verbis prudens lector advertit, Hieronymum non fuisse omnino certum de auctore huius epistolae. Et quoniam Hieronymum sortiti sumus regulam, ne erremus in discretione librorum canonicorum (nam quos ille canonicos tradit, canonicos habemus, et quos ille a canonicis discrevit, extra canonem habemus), ideo dubio apud Hieronymum auctore huius epistolae exsistente, dubia quoque redditur epistola; quoniam nisi sit Pauli, non perspicuum est canonicam esse. *Quo fit, ut ex sola huius epistolae auctoritate non possit, si quod dubium in fide accideret, determinari* ». Item relatis S. Hieronymi verbis de epistola Iudae concludit : « ex quibus apparet minoris esse auctoritatis hanc epistolam iis, quae sunt certae Scripturae sacrae »; quia S. Hieronymus duas posteriores Ioannis epistolas forte Ioannis presbyteri esse dixerat, « propterea ambae minoris sunt auctoritatis », atque demum Iacobi epistolae auctor verbis Hieronymi « minus certus redditur », unde haud dubie, quemadmodum in epistola ad Hebr., deducendum est, epistolam ipsam quoque « minus certam » esse[5].

Eodem tempore in Germania pseudoreformatores eorumque sequa-

ces, de quorum opinionibus infra loquemur, antiqua dubia recoquere coeperunt, quare sapientissime Patres tridentini una cum V. T. libris omnibus etiam omnes N. T., prout illos Hieronymus, Augustinus, Rufinus, Innocentius, Gelasius, Patres africani in suis catalogis recensuerant, pro sacris et canonicis recipiendos declararunt[6]; in congregationibus autem sive generalibus sive particularibus, in quibus; de hoc decreto edendo tractabatur, ne unus quidem novas Caietani opiniones defendit. Ab eo exinde tempore, etsi de epistolae ad Hebr. auctore vel potius scriptore etiam hodie variae sententiae teneantur, de omnium N. T. librorum, quos tridentinus catalogus enumerat, divina inspiratione et canonicitate a nullo catholico interprete ullo modo dubitatum est.

1. *S. Isidor. Hisp.* de eccles. offic. I. 12, 11. Etymol. VI. 2, 45, etc. (M. 83, 749; 82, 234). Cfr *Alcuin.* Disput. pueror. 8 (M. 101, 1129); *Rhab. Maur.* de instit. cleric. II. 54; de Univ. XXII. 2 (M. 107, 367; 111, 110) etc.

2. *Ioan. Sarisb.* ep. 143 al. 172 (M. 199, 126). Etiam in codice fuldensi N. T. invenitur epistola ad Laodic. post illam ad Coloss. (Cfr Cod. Fuldens. ed. Ranke. Marburg 1868 p. 291), sed ex ipsa inscriptione patet eam in exemplari, ex quo descriptus est fuldensis, defuisse.

3. *Conc. florent.* Decr. Union. c. Iacob. (Labbe Coll. Conc. XVIII. 1222) cfr *supra* 49 *n.* 8.

4. De canon. et non canon. libris (cfr M. 113, 24).

5. *Caietan.* Comm. in S. Script. Lugd. 1639. V. 329. 398 b. 399 b. 362 b.

6. *Conc. trid.* Sess. IV. Decr. de can. Script. (cfr *supra* 14. *n.* 1).

II. Canon N. T. in ecclesiis orientalibus inde a 4. saec.

71. — In ecclesiis orientalibus controversia non tam cito composita est. De epistola ad Hebr. quidem Orientales nunquam dubitaverunt, quapropter ei inter paulinas non ultimum locum attribuere sed cum reliquis, quas Apostolus ad ecclesias scripsit, coniungere consueverunt. In Apocalypsi vero et quatuor minoribus epistolis catholicis recipiendis nec cum Occidentalibus nec inter se consenserunt omnes; alii enim integrum canonem tenuerunt, alii solam Apocalypsin, alii una cum Apocalypsi etiam quatuor illas epistolas omiserunt.

Ecclesia alexandrina, quam inter omnes primam cunctos N. T. libros in suo canone habuisse diximus, eosdem etiam fidelis retinuit; despectis enim dubitandi illis rationibus, quas S. Dionysius M. contra Apocalypseos authentiam congesserat, iuniores Patres alexandrini omnes eam pro divina Scriptura adhibuerunt[1], atque *S. Athanasius* eam suo catalogo, in quo « fontes salutis » enumerat, inserere non dubitavit[2]. Antiquissimi quoque codices graeci, quos Alexandriae

scriptos esse plerique asserunt, *sinaiticus*, *vaticanus*, *alexandrinus*, *Ephraem rescr.* omnes libros habent, quibus alios quosdam addunt[3]. Eundem completum N. T. catalogum retinuit ecclesia cyprensis, nam *S. Epiphanius* non tantum frequenter Marcioni mutilati canonis crimen obiicit, sed contra Aëtium etiam ad omnes nostros libros provocat[4]. Duabus hisce addere licet ecclesiam Syrorum orientalium; saec. 4. enim illam omnes nostros libros in sua versione syriaca retinuisse testis nobis est *S. Ephraem*, quem cunctis usum esse supra diximus[5].

1. Cfr ex. gr. *Didym. Alex.* in Iud. 4; de Trin. III. 5, etc. (M. 39, 1813. 840); *S. Cyrill. Alex.* de ador. in spir. VI, etc. (M. 68, 433).

2. *S. Athanas.* ep. fest. 39 (M. 26, 1176) : « etiam N. T. libros referre non piget; sunt enim hi : quatuor Evangelia..., dein Actus Apost. et epistolae Apostolorum, quae catholicae vocantur, septem, Iacobi una, Petri duae, Ioannis tres, Iudae una; quas excipiunt Pauli Apostoli epistolae quatuordecim hoc ordine : ad Roman., duae ad Corinth., ad Galat., ad Ephes., ad Philipp., ad Coloss., ad Thessal. duae, ad Hebraeos, ad Tim. duae, ad Titum, ad Philem.; demum Ioannis Apocalypsis. Hi sunt salutis fontes, ut qui sitiat eorum eloquiis impleatur » etc. Eodem ordine omnes libri enumerantur in *Ps. Athan.* Synopsi SS. (M. 28, 292 sq.).

3. *Sinaiticus* Actus et epistolas cathol. post paulinas habet; inter paulinas autem illam ad Hebr. pastoralibus praemittit; Apocalypsin sequuntur ep. Barn. et Pastor Hermae. — *Vaticanus* e contra omnino tenet Athanasii ordinem; quia autem in fine mutilus est (ultimus versus est *Hebr.* 9, 14) desunt quatuor epistolae Pauli ad Tim., Tit., Philem. et Apocalypsis. — *Alexandrinus* quoque sequitur Athanasii ordinem atque post Apocal. addit duas Clementis epistolas. — Etiam *Ephraem rescr.*, quod ex reliquiis apparet, ordinem athanasianum tenuit.

4. *S. Epiphan.* haer. 76, 5 (cfr supra 42, 3).

5. *S. Ephraem* utitur 2 *Petri* (Opp. Syr. II. 342; Opp. Graec. II. 387. III. 60); *Iudae* Opp. Syr. I. 136. Opp. Gr. III. 61). 2, 3 *Ioan.* (Opp. Gr. I. 76; III. 52); *Apoc.* (Opp. Syr. II. 332; Opp. Gr. II. 53. 194. 252, etc.).

S. Dionysii M. vero auctoritas effecit, ut aliae ecclesiae orientales Apocalypsin reiicerent. In ecclesia palaestinensi *S. Cyrillus Ier.* in catalogo suo eam omittit, quin etiam diserte apocryphis videtur adnumerare, quamvis in eius catechesibus non desunt allusiones, quae frequentem eius lectionem manifestant[6]. Item in ecclesia cappadoca *S. Gregorius Naz.* eam non enumerat[7], et in carmine iambico ad Seleucum, quod Gregorii amico *S. Amphilochio* auctori probabiliter tribuendum esse diximus, monemur, ab aliquibus eam inter canonicas recenseri, a plerisque vero spuriam haberi[8]. Quibus addendi sunt *Canon* 85. *Apost.* et, si quis eum genuinum habet, *Can.* 60. *laodicenus*, qui ipsi quoque eam ignorant[9]. At simile quid in Apocalypsi obtinuit, quod in deuterocanonicis V. T. libris obtinere vidimus; illi ipsi enim, qui in catalogis suis eam non recensent, sine ulla haesi-

tatione in aliis suis operibus eam ceu Scripturam divinam adhibei ita revera *S. Gregorius Naz.* Apocalypsi utitur, atque cum eo eti reliqui doctores cappadoces, *S. Basilius M.*, *Gregorius Nyss.*[10] etc.

6. *S. Cyrill. Ier.* Cat. IV. 36 (M. 33, 500); Cat. XV. 16 (M. 33, 892) : « regna vero Antichristus tres annos et dimidium tantum; quod non ex apocryphis discim sed ex Daniele ». Ceterum in hac eadem catechesi Apocalypsi plus semel utitur n. 22. 27 (M. 33, 888. 900. 909).

7. *S. Gregor. Naz.* de genuin. Script. (M. 37, 474) enumeratis quatuor Evan liis, Actibus, quatuordecim Pauli, septem catholicis epistolis addit : « si q praeter hos est, non est inter genuinos libros ».

8. *S. Amphiloch.* Carm. iamb. (M. 37, 1537) inter paulinas ultimo loco habet ad Hebr. « quam quidem aliqui spuriam dicunt, non recte loquentes; genui enim est gratia ». Deinde : « catholicarum epistolarum alii dicunt septem esse, tres tantum debere recipi, unam Iacobi, unam Petri, unam Ioannis; alii vero t (τὰς τρεῖς sc. Ioannis) et insuper duas (τὰς δύο) Petri recipiunt et septimam Iud Apocalypsin Ioannis iterum aliqui canonicam habent, plures vero spuriam dicunt

9. Cfr *supra* 42. 5.

10. *S. Gregor. Naz.* Serm. 42, 9 (M. 36, 469) : « Ioannes per Apocalypsin docet »; Serm. 29, 17; 30, 9; 40, 45 etc. (M. 36, 96. 115. 424). — *S. Basil. M.* ad Eunom. IV. 2, etc. (M. 29, 677); *S. Gregor. Nyss.* adv. Eun. II (M. 45, 501). *Andr* vero et *Arethas*, Caesareae in Cappadocia episcopi, commentarios in Apoc. sc pserunt, in quibus se Gregorii Theologi (Nazianz.) explicationibus usos esse testa tur (M. 106, 220. 493).

Ab hisce prorsus dissensit ecclesia antiochena, quae praeter Ap calypsim etiam quatuor minores epistolas catholicas non agnovi Etenim in Synopsi S. S., quae *S. Chrysostomo* auctori attribuitur, enumerantur N. T. libri : « epistolae quatuordecim Pauli, quatu Evangelia, duo discipulorum Christi, Ioannis et Matthaei, duo aute Lucae et Marci, quorum alter Petri, alter Pauli discipulus fuit. itemque liber Actuum, qui etiam Lucae est, narrantis ea, quae ges sunt, et ex catholicis tres epistolae »[11]. Certum quidem non est ha Synopsin genuinum Chrysostomi opus esse; at haec ipsa quinq librorum omissio Montefalconio argumento est, Synopsin Chrysosto esse adscribendam, quum « S. Doctor, qui Scripturae s. libros omn in suis homiliis adhibet, quatuor illarum epistolarum loca nusqua afferat », nec « unquam Apocalypsi usus est in homiliis suis aliisq libris, etsi ad mores informandos, in quo genere maxime versatur, i Apocalypsi multa idonea opportunaque reperiantur »[12]. In homil aliqua, quam Cotelerius S. Chrysostomi, Montefalconius vero presb teri anonymi antiocheni esse censet, disertis verbis 2 et 3 Ioann epistolae extra canonem esse asseruntur[13]. Alii porro Antiocheni e usque progressi sunt, ut omnes catholicas epistolas reiicerent; tes enim Leontio Byz. *Theodorus Mopsuest.*, « ipsam epistolam Iacobi

alias deinceps aliorum catholicas abrogavit »[14]. Unde etiam factum esse videtur, ut Syri orientales, qui ab antiochena ecclesia dependebant, quatuor minores epistolas et Apocalypsin, quas tempore S. Ephraem habuerant, omnino relinquerent[15].

11. *S. Chrys.* Synops. S. S. (M. 56, 317).

12. *Montfaucon* Diatribe in S. Chrysostomi Synopsin SS. (M. 56, 308 sq.).

13. Homil. in Qua potestate, etc. Inter *S. Chrys.* opp. (M. 56, 424).

14. *Leontii Byz.* c. Nestor. III. 14 (M. 86, 1366). — *Kihn* (Theod. v. Mopsuest. u. Iunil. Afric. Freib. 1880 p. 64 sqq.) Leontii verba ita interpretanda esse censet, ut non omnes epistolae catholicae, sed ep. Iacobi cum quatuor minoribus a Theodoro sint reiectae.

Omnes tamen has differentias saec. 5. et 6. iam disparuisse, antequam *concilium trullanum* canonem a synodis africanis statutum approbavit[16], apparet ex ecclesiarum schismaticarum, quae istis saeculis sese separaverunt, catalogis. Omnes enim, solis Nestorianis exceptis, qui canonem ecclesiae antiochenae sequuntur[17], eosdem libros N. T. habent, quos conc. trid. pro sacris et canonicis recipiendos decrevit. Ecclesia graeca tam firma fuit in horum librorum canonicitate admittenda, ut vel ipse Cyrillus Lucaris, quando deuterocanonica V. T. reiecit eosque solos libros admittere voluit, quos conc. laodicenum approbasset, tamen disertis verbis addendam esse « Apocalypsin discipuli dilecti a Domino » declararet[18]. Uti in Vetere, ita in Novo Testamento, schismatici quidem canoni addunt aliquos apocryphos; Aethiopes adiunctis constitutionum apostolicarum libris octo, quos Synodicon appellant, N. T. libros triginta quinque numerant; Armeni addunt epistolam tertiam (vel potius primam) ad Corinthios[19] etc. In genere autem dici potest, inde a 6. saeculo in toto Occidente et Oriente perfectum consensum in viginti septem libris N. T. admittendis obtinuisse.

15. *Cosm. Indicopl.* Topograph. VII (M. 88, 373) suo tempore (floruit autem medio saec. 6) a Syris non nisi tres Iacobi, Petri, Ioannis epistolas recipi, alias quatuor apud eos ne reperiri quidem tradit; at hoc verum non est, nisi assertio ad Nestorianos restringatur; Monophysitae enim eo tempore illas iterum habuisse videntur. Reliqua quoque, quae Cosmas ibi de epistolis catholicis tradit, parum accurate sunt dicta.

16. Cfr *supra* 44 *n.* 23.

17. Canonem Nestorianorum in suo carmine refert *Ebediesu* apud *Assem.* Biblioth. orient. III. 1. p. 7.

18. *Cyrilli Lucaris* Confessio 3. cfr *Kimmel* Monumenta fidei orthod. I. p. 42, sq.

19. *Ludolph* Hist. aeth. III. c. 5. — Biblia armena Venetiis 1860 p. 1219.

III. Canon N. T. apud Protestantes.

72. — Paullo ante quam Caietanus antiquas dubitationes de nonnul-

lis N. T. libris ad novam vitam revocare conatus est, in Germar novatores eosdem fere libros e canone reiicere inceperant. Carlostadi iam anno 1520 epistolas ad Hebr., Iacobi, 2 Petri, 2, 3 Ioan., Iud una cum Apocalypsi « in tertium et infimum auctoritatis divinae cum » referendas pronuntiaverat[1]; eius vero opinio non multis prob mox oblivioni data est. Multo magis inter suos valuit sententia Luthe qui epistolas ad Hebr., Iacobi, Iudae et Apocalypsin a reliquis lib separatas ultimo loco suae versioni addidit. Ratio, quae eum ad il reiiciendas permovit, minime erat, quod antiquitus iam de eor canonicitate in aliquibus ecclesiis dubitatum esset, sed quod ipse illis « spiritum evangelicum et apostolicum » non sentiret. Si ipsi cre mus, epistola ad Hebr. peccatoribus negat poenitentiam, stylus e stolae Iacobi longe infra apostolicam maiestatem est, epistola Iudae superflua, Apocalypsis nec apostolica nec prophetica est, nec qui quam inspirati in illa apparet[2]. Quam arbitrarius et absurdus hic age modus sit, opus non est ut ostendamus; rectissime autem ratio listae neo-tubingiani, qui reliquos quoque libros praeter quatuor e stolas paulinas, quum apostolicum et evangelicum spiritum in illis n invenirent, e canone eiecerunt, ad Lutherum tamquam ad magistr et patronum suum provocare possunt, nec apparet ratio, cur incred cuicumque eadem, qua Lutherus, ratione permoto libros omnes rep diare non liceat. Quod iam primi Lutheri ipsius discipuli optime p spexerunt, quamvis plures, quam suus magister, libros reiicerent. E enim principio relicto ad primitivae ecclesiae testimonium provoca runt ideoque cum Chemnitio quatuor libris a Luthero reiectis tres al epistolas addiderunt, eisque, quia « certis, firmis et consentienti primae et veteris ecclesiae testificationibus » destituti essent, ve *apocryphis,* ex quibus « nullum dogma exstrui posset, quod non h beat certa et manifesta fundamenta et testimonia in aliis canoni libris »[3], auctoritatem divinam negarunt.

1. *Carlostadii* de canon. Suript. libellus § 158 in *Credner* Zur Gesch. des Kan Halle 1847 p. 408.

2. Principium, ex quo diiudicandi sint libri sacri, statuit *Lutherus* in Praef. epist. Iac. (Deutsche Werke. Erlangen. LXIII, p. 157) : « Das Amt eines rech Apostels ist, dass er von Christus Leyden und Auferstehung und Amt predige u lege desselbigen Glaubens Grund, wie er selbst saget : Ihr werdet von mir zeug Und darinnen stimmen alle rechtschaffene heilige Bücher überein, dass sie al samt Christum predigen und treiben. Auch ist das der rechte Prüfstein alle Büc zu tadeln, wenn man siehet, ob sie Christum treiben oder nicht... Wass Christ nicht lehret, das ist noch nicht apostolisch, wenn es gleich S. Petrus oder Pau lehrete. Wiederum, was Christum prediget, das wäre apostolisch, wenns gle Iudas, Hannas, Pilatus und Herodes thät »; cfr rationes, cur singulos libros re

cerit apud *I. Wessel* Commentatio crit. ad libros N. T. in genere. Cum praef. Carpzovii. Ed. 2. Lips. 1757. p. 219 sqq.

3. *Chemnitii* Examen Conc. Trident. I. sect. 6, § 9.

E contra zwingliani et calviniani in suis « confessionibus » omnes N. T. libros receperunt[4], quamvis Zwinglius ipse et Oecolampadius, quum eis textus ex Apocalypsi esset obiectus, se eam pro canonico libro non habere declararent[5]. Ad eandem sententiam lutherani quoque ab ineunte saec. 17. reverterunt praeeunte Ioan. Gerhardo, qui in N. T. libros duplicis ordinis distinxit, secundo autem ordini illos attribuit, de quorum *auctoribus* in ecclesia aliquando esset dubitatum; etenim « non tam de auctoritate canonica, inquit, quam de auctore librorum istorum secundariorum in primitiva ecclesia fuit dubitatum »[6]. A medio igitur saec. 17. omnes sectae prostestanticae eundem nobiscum N. T. canonem retinuerunt, usque dum Semlerus idem fere, quod Lutherus, canonicitatis principium stabiliret singulisque fidelibus ius vindicaret de canonicitate librorum omnium iudicandi eosque solos retinendi, quos inspiratos esse ipsi *sentirent*[7]. Quo principio nixi hodie protestantes de canone N. T. adhuc inter se certant, nec ulla illis affulget spes fore, ut lite composita mox cum certitudine libros istos cognoscant, ex quibus tamen solis veram fidem haurire se posse et velle protestantur[8].

4. *Conf. gallica* 3; *Conf. belgic.* 4; *anglic.* 6 (« Novi Testamenti omnes libros, *ut vulgo recepti sunt*, recipimus et habemus pro canonicis »); *purit.* 2. (*Niemeyer* Confessiones Reform. p. 314. 361. 602. Append. p. 2).

5. *Zwingli* Berner Disputation 1528 (Werke II. 1. p. 169) : « us Apocalypsi nemend wir kein Kundschafft an, dann es nit ein biblisch Buch ist »; *Oecolampad.* Ep. ad Vald. 1530 (Sculteti Annal. evangel. II. 313) : « in N. T. quatuor Evangelia cum Actis apost. et quatuordecim epistolis Pauli et septem catholicis una cum Apocalypsi recipimus, tametsi Apocalypsin cum epistolis Iacobi et Iudae et ultima Petri et duabus posterioribus Ioannis non cum ceteris conferamus ».

6. *Gerhard* Loci theol. II. p. 186.

7. *Semler* Abhandlung von freier Untersuchung des Kanons. Halle 1771 sqq.; cfr *infra* 262.

8. *Schleiermacher* Kurze Darstellung des theol. Stud. § 110 : « Die protestantische Kirche muss Anspruch darauf machen, *in der genauen Bestimmung des Kanons noch immer begriffen zu sein* » ; cfr praeterea *Volck* (in Zöckler Hdbch d. theol. Wissensch. Nördlingen 1883 p. 642), cui etiam canonis constitutio est problema adhuc solvendum; *De Wette-Schrader* (Einl. p. 69. cfr *supra* 29. *n.* 2) etc.

CAPUT IV.

DE LIBRIS APOCRYPHIS ET DEPERDITIS U. T.

---

§ 8. — *De genuina apocryphi notione et de librorum apocryphorum distributione.*

73. — Ex illis, quae hucusque enarravimus, satis ni fallor elucet, libros illos, quos conc. tridentinum pro sacris et canonicis recipiendos decrevit, Ecclesiae semper sacros et canonicos fuisse. Ad Vetus enim Testamentum quod attinet, prudens nemo, attentis historicis quae attulimus documentis, dubitare potest, quin libri illi, quos Iudaei alexandrini in suis Bibliis habuerunt, cuncti ab Apostolis ecclesiis a se fundatis ceu divinitus inspirati sint traditi; nec unanime primorum saeculorum testimonium theoreticis quibusdam iuniorum Patrum dubitationibus labefactatur, quum hi ipsi constanti sua et consentienti praxi auctoritatem praedecessorum suorum confirment; Novi autem Testamenti libri, etsi non omnes statim omnibus ecclesiis innotuerint, testimonia tamen illis in ecclesiis habent, quibus de apostolica earum et divina origine constare certo potuit, ita ut ab aliis omnibus sint recepti, quamprimum hisce argumentis muniti innotuerunt. Libros igitur omnes Utriusque Testamenti, quos catalogus tridentinus enumerat, ceu divinos ab Apostolis per continuam testium seriem ad nos pervenisse docet historia.

Interrogari vero potest, num alii praeterea adfuerint vel adhuc adsint libri, qui licet divinae originis sint, ab Ecclesia in canonem non sint recepti, vel aliis verbis : num aliqui ex libris, quos Deus inspiravit, negligentia eorum, qui primi eos accipere meruerint, vel quavis alia causa sint deperditi; aut num adsint quidem, sed ab Ecclesia non agnoscantur. Haud paucae enim scripturae praesertim in V. T. libris pro fontibus citantur vel commemorantur, quae divinam auctoritatem videntur habuisse, multoque plures antiquitus circumferebantur, quae non tantum ab haereticis sed etiam ab aliquibus orthodoxis dignitatis auctoritatisque eiusdem, atque nostri libri canonici, dicebantur, quas tamen Ecclesia velut apocryphas reiecit. Quapropter ut

completa nostra sit in historiam canonis inquisitio accuratiusque testimonia, quae ex Patribus attulimus, et argumenta vindicari possint, duplici huic quaestioni respondeamus oportet, ideoque pauca de libris apocryphis et deperditis addemus.

74. — *Apocryphum,* si propriam vocis significationem spectas, idem est quod *occultum* vel absconditum; sed cur certis libris, quos antiquitus aliqui divinos iactarunt, nomen hoc sit inditum, in controversia est positum.

a.) Non pauci olim illos ideo vocari apocryphos putarunt, quia illorum auctores essent incerti et occulti; quam nominis explicationem videtur invexisse *S. Hieronymus,* qui in epistola ad Laetam monet, apocrypha « eorum non esse, quorum titulis praenotentur » [1], ac si apocryphum et pseudepigraphum unum idemque esset. A S. Hieronymo eam receperunt medii aevi theologi multi, quibus liber apocryphus est « liber sine certo auctore » [2], quique duplicem apocryphorum classem distinguere coeperunt, quorum sc. aut auctor lateat et veritas pateat, aut auctor una cum veritate ignoretur [3]. Verumtamen canonicorum quoque librorum multorum auctores nobis incogniti sunt; quinam enim libros Iosue, Iudic., Ruth, Regum, Iob etc. scripserint, cum certitudine definire non possumus; nemo tamen illos unquam apocryphos appellare est ausus.

b.) Melius moderni quidam [4] apocryphum positum esse censent pro hebraico גְּנוּז, quo vocabulo rabbini Scripturarum codicem designarunt, qui, utpote mendose scriptus, ad publicam lectionem adhiberi non potuit ideoque, quum librum sacrum destruere illis nefas esset, occultandus fuit [5]. Narrant quoque, Ezechiam librum quendam medicum « occultasse » (גנז), ne homines fiduciam suam in remediis naturalibus ponentes Dei auxilium implorare omitterent [6]. Unde apocryphus liber esset ille, qui, ne lectores in errorem inducat vel periculo salutis exponat, usui communi subtrahitur. Quae explicatio per se quidem apta est; at Clementem Alex., qui primus nomen apocryphi adhibuit, hunc rabbinorum loquendi usum cognitum habuisse vix quisquam sibi persuaserit.

c.) Quare potius cum aliis modernis [7] Patres nomen illud a Graecis esse mutuatos censemus. Etenim omnes fere populi ethnici suos possederunt libros, quos diis ipsis auctoribus attribuerunt et in templorum adytis, quia ad mysteria pertinerent, conservarunt, ut solis initiatis innotescerent; unde ἀπόκρυφα βιβλία, « libri reconditi », « libri secreti » sunt appellati [8]. Procedente porro tempore magi, theurgi aliique eiusdem furfuris homines libros a se fictos iisdem vel similibus titulis exornarunt, utque « apocryphis » his auctoritatem conciliarent,

secretam quandam potentiam se ex illis hausisse dictitarunt. Aliquid simile apud Iudaeos iuniores obtinuit. Therapeutae, Iudaeorum aegyptiacorum secta, teste Philone praeter sacros V. T. libros scripturis nonnullis usi sunt, quas a Patriarchis conscriptas dixerunt[9]; Iudaeorum autem theurgi magicas suas, quibus gloriabantur, artes libris occultis se debere simularunt, quos Salomo, Moyses, Abraham reliquissent[10]. Invaluerat quoque opinio, praeter canonicos libros a sacerdotibus iudaicis alios conservari, qui ob secretam suam et perfectiorem doctrinam cum solis sapientibus populi communicarentur[11]. Hinc factum est, ut ultimo a. Chr. saeculo et primis christianis temporibus multi confingerentur libri, qui absconditam illam doctrinam tradere voluerunt sibique auctoritatem nomine Patriarchae vel Prophetae praefixo comparare studuerunt. Quare mirum non est, quod nomen *apocryphi* notam adulterini, falsati, haeretici admixtam habeat.

Hoc sensu appellationem inde a Clementis Alex. et Tertulliani aetate Patres adhibuerunt[12]; quam perperam igitur et immerito a protestanticis interpretibus libri nostri deuterocanonici vocentur apocryphi, perspicuum est, quum Patres cuncti disertis verbis eos ab apocryphis distinguant[13]. Loquendi hic usus in Ecclesia usque ad S. Hieronymum vulgaris fuit, qui primus, communi relicto tramite, omnes V. T. libros, qui canone palaestinensi non continentur, apocryphos appellare coepit. At sibi ipse in apocryphi sensu definiendo consentaneus non fuit; quamvis enim plerumque cum reliquis Patribus libro apocrypho adulterati et haeretici notam inurat, interdum illum iam librum apocryphum vocat, qui, licet bonus et utilis sit, inter canonicos non est receptus[14]. Quia alii eiusdem aetatis Patres latini, Augustinus, Philastrius, Rufinus antiquum loquendi usum retinuerunt[15], nos quoque, S. Hieronymo hac in quaestione relicto, apocryphum vocamus librum illum, qui vel ob titulum, quem prae se fert, vel ob argumentum, quod tractat, divinus facile credi potest et ceu divinus ab aliquibus proponitur, quamquam divinitus inspiratus non est.

1. *S. Hier.* ad Laet. ep. 107, 12. (M. 22, 877.)

2. *Gratiani* Decr. I. Dist. 16. c. 1. Glossa. — *Petr. Comest.* Hist. schol. Praef. in Ios. (M. 198, 1240) etc.

3. *Hugo a S. Car.* In Prol. gal. Opp. I. 218. b (cfr *supra* 50. *n.* 1) etc.

4. *Hug* Einl. I. 119. Note; *Schürer* in Herz. P. R. E. Ed. 2. I. 484 etc.

5. Cfr *De Voisin* in Raym. Mart. Pugio fidei p. 107; *Buxtorf* Lex. chald. thalm. s. v. גנז.

6. *Mischna* ed. Surenhus. II. p. 150 (Tr. de Pasch. 4, 9. Nota R. Bartenorae).

7. *Movers* in Freib. Kirchenlex. Ed. 1. I. 326. Ed. 2. I. 1037; *Hævernik* etc.

8. *Suidae* Lex. s. v. Φερεκύδης; *Serv.* ad Aen. I. 398. II. 659 etc. cfr *Movers* l. c.

9. *Philo* De vita contempl. 3. Opp. Lips. 1828 V. p. 309.

10. *Fl. Ioseph.* Antiqu. VIII. 2, 5.; *Plinii* Hist. nat. XXX. 1 etc.; cfr *Movers* l. c.

11. 4 *Esdr.* 14, 46 sq.

12. *Clem. Alex.* Strom. III. 4 (M. 8, 1133); *S. Iren.* c. haer. I. 20 (M. 7, 655); *Orig.* Prol. in Cant. (M. 13, 83); *Tertull.* de anim. 2 (M. 2, 649) etc.

13. *S. Athanas.* ep. fest. 39 (M. 26, 1177); *S. Epiph.*; *Rufin.* aliique iam saepius laudati. Res tam clara est, ut ipsi protestantes fateri cogantur, vix semel in antiqua Ecclesia nomen *apocryphi* libris deuterocanonicis V. T. esse attributum ac solum Hieronymum in Prol. gal. ita loqui, ut deuterocanonici appellatione apocryphorum comprehendantur; inde tandem ab exorto protestantismo usum invaluisse, quem protestantes hodie sequantur (« In der alten Kirche und im Mittelalter ist die Bezeichnung apocryphisch *so gut wie nie* auf diejenigen Schriften angewendet worden, für welche dann in der protestantischen Kirche diese Bezeichnung üblich wurde, nämlich auf die dem hebr. Kanon fremden Stücke der griech. und latein. Bibeln. Nur Hieronymus äusfert sich einmal, im Prol. gal., in der Weise, dass allerdings diese Schriften unter die Kategorie der Apocryphen fallen. *Er steht aber damit in der alten Kirche ganz allein.* Auch im Mittelalter sind höchstens ganz vereinzelte Stimmen der Art nachzuweissen [sc. eorum, qui caeci Hieronymum ducem sequebantur]. Erst in der protestantischen Kirche ist diese Bezeichnung gebræuchlich geworden ». *Schürer* in Herzog P. R. E. Ed. 2. I. 485; cfr *Oehler* in Herzog P. R. E. Ed. 1. VII. 260.

14. Cfr *supra* 43 *n.* 13. 14.

15. *S. Aug.* c. Faust. XI. 2 (M. 42, 245) : apocryphi vocantur, « non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati de nescio quo secreto *nescio quorum praesumtione* prolati sunt ». Eodem sensu alibi dicit apocryphorum « occultam originem non claruisse Patribus » (de Civ. D. XV. 23. M. 41, 470); *S. Philastr.* haer. 88; 115 (M. 12, 1199. 1239); *Rufin.* Symb. fid. 38 (M. 21, 374).

Apocrypha alia ad Vetus, alia ad Novum Testamentum pertinent; omnia autem, fine in quem conscripta sunt attento, in duas classes distribuere licet. Inter V. T. enim apocrypha prima videntur fuisse illa, quae ad ethnicorum apocryphorum exemplar sub fictis Patriarcharum nominibus magicas artes propagare ac docere intenderunt; alia vero ad canonicos libros propius accedentia sub iisdem fictis Patriarcharum Prophetarumque nominibus aut historiam, ut lectores aedificent, plerumque piis sed haud raro simul etiam inanibus ridiculisque fabulis complere student, aut vaticiniis fictis populum consolari et exhortari volunt, ac simul miris suis terreni regni messianici descriptionibus erroneas messianicas ideas quam maxime fovent[16]. Simili modo inter N. T. apocrypha alia ab haereticis sunt composita, ut Apostolorum vel etiam interdum Patriarcharum nominibus errores suos condecorantes facilius fidelium animos perverterent, alia piae cuidam fraudi originem suam debent piaeque cuidam curiositati inservire volunt, quatenus nimirum fideles multo plura, quam in libris nostris canonicis sunt tradita, de vita gestisque Domini et Apostolorum scire desiderent.

Apocryphorum ingentem olim numerum fuisse tradunt SS. Patres [17]; vix una ex antiquis sectis nominari potest, quae fictis Evangeliis, Apocalypsibus aliisque eiusmodi libris suum canonem non auxerit. Haereticorum figmenta omnia perierunt, ita ut plurimorum ne tituli quidem ad nos pervenerint, paucorum pauca fragmenta, quae Patres allegarunt, sint conservata. At reliquorum quoque, quibus antiquitus catholici satis multi delectabantur quaeque interdum a Patribus nonnullis cum laude commemorantur, maior numerus non amplius exstat, quamobrem opus non est, ut fuse de illis agamus; pauca tantum de illis dicemus, quae maioris esse momenti videntur, quia aut a catholicis scriptoribus divinae originis sunt credita aut propter argumentum suum non plane sunt inutilia [18].

16. Apocrypha V. T. pleraque Iudaeos habent auctores; nonnulla tamen a Christianis sunt ficta vel retractata; inter N. T. quoque apocrypha, quae ab haereticis sunt composita, inveniuntur, quae catholici scriptores retractarunt et ab erroribus purgarunt.

17. *S. Iren.* c. haer. I. 20 (M. 7, 650) Marcosianos « innumerabilem multitudinem apocryphorum et spuriarum scripturarum » sibi finxisse testatur; idem de aliis Gnosticis testatur *S. Epiph.* haer. 26, 12 (M. 41, 349).

18. Apocrypha V. T. collegit Fabricius (Codex pseudepigraphus V. T. collectus, castigatus etc. Ed. 2. Hamburgi 1722-41 2 voll.); nonnulla ab eo omissa addidit *Gfroerer* (Prophetae veteres pseudepigraphi. Stutt. 1840). Nonnullorum editionem criticam curaverunt *Fritzsche* (in appendice ad « Libri apocryphi V. T. Graece. Accedunt libri V. T. pseudepigraphi selecti. Lips. 1871; ex quo opere huc spectant 3, 4 Mach., Psalmi Salomon., 3, 4, 5 Esdrae, Apoc. Baruch, Assumtio Moysi), *Dillmann* (Liber Henoch aethiopice Lips. 1851; Ascensio Isaiae aeth. et latine Lips. 1877; liber Iubilaeorum aethiop. Kiel 1859), *Hilgenfeld* (Messias Iudaeorum libris eorum paullo ante et paullo post Christum natum conscriptis illustratus. Lips. 1869). — Completam et criticam apocryphorum N. T. editionem inchoavit *Thilo*, sed non absolvit (Codex apocryphus N. T. Tom. I. Evangelia apocr. Lips. 1832); novam et satis completam editionem curavit *Tischendorf* (Evangelia apocr. Lips. 1853; Acta Apostolorum apocr. Lips. 1851; Apocalypses apocryphae Moysis Esdrae, Petri, Pauli, Ioannis et Dormitio Mariae Lips. 1866); cfr etiam *Hilgenfeld* Nov. Test. extra canonem receptum. Ed. 2. Lips. 1884, ex cuius ultima parte huc spectant Doctrina Apostolorum et Iudicium Petri. Omnia fere N. T. apocrypha gallice versa collegit *Migne* Encyclopédie t. 23 et 24.

§ 9. — *De Veteris Testamenti apocryphis.*

74. — Ab illis scripturis scripturarumque particulis, quae Vulgatae nostrae aliarumque versionum editionibus, Ecclesia permittemte, extra canonis ordinem adduntur, initium capiamus oportet.

I. Extra canonicorum librorum seriem in Vulgatae editionibus habentur libri 3 et 4 Esdrae et Oratio Manassae.

1.) Liber 3 Esdrae, vel *Esdras graecus*, integer fere canonicis Paralipomenon et duorum priorum Esdrae librorum partibus cônstat, ut duo sola capita (3,1-5,6) propria habeat[1]. In graecis Bibliorum codicibus plerisque duos nostros canonicos Esdrae libros in unum coniunctos praecedit, idemque olim in versionibus, quae ab alexandrina derivatae sunt, in vetere latina, aethiopica, armena obtinuit; ipsi Syri quoque librum istum eodem in loco videntur habuisse[2], et Iosephus, ubi historiam in canonico nostro 1 Esdr. contentam narrat, integrum 3 Esdr. sequitur[3]. Unde concludere aliquis possit, antiqua concilia et Patres, quotiescumque in suis catalogis duos Esdrae libros recensent, etiam hunc tertium approbasse et sub titulo 1 Esdr. canonicis Scripturis adnumerasse. Quae conclusio non parum confirmari ex eo videtur, quod multi Patres ex duobus illis capitibus, quae Esdras graecus propria habet, velut e canonica Scriptura argumenta desumserint; ut enim praecipuos dumtaxat enumeremus, inter Graecos pro divina auctoritate duo illa capita allegaverunt *Clemens Alex.*, *Origenes*, *Eusebius*, *SS. Athanasius*, *Basilius*, *Chrysostomus* etc.[4], inter Latinos *SS. Cyprianus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Prosper Aquit.*[5].

Quibus attentis testimoniis, quum in ecclesia graeca et latina usque ad 5. saec. Esdrae graeco divinam attributam esse auctoritatem negari vix possit, merito quaeritur, num canon noster V. T. revera sit completus, an potius addito 3. Esdrae libro complendus. Cui quaestioni ut ea, quae requiritur, cum diligentia respondeamus, ante omnia adnotemus oportet, *a.*) librum illum ab Ecclesia absolute reiectum non esse, quippe cuius usum permittat et additionem in fine editionum Vulgatae praescribat; neque defuisse, qui etiam post conc. tridentinum eum canonicum declararint[6]. Deinde *b.*) longe maiorem libri partem revera canonicam esse omnes concedere debent, quum ita cum canonicis 2 Paralip. et 1,2 Esdr. libris consentiat, ut non nisi liberior quaedam eiusdem textus hebraici interpretatio dicenda sit. Quod si verò Ecclesia postea hac versione, quae antiquior videtur esse, relicta iuniorem et accuratiorem praetulit, idem fecit, quod in Daniele eam fecisse scimus, cuius libri versionem septuagintaviralem, quae primis saeculis adhibita est, repudiavit, ut Theodotionis iuniorem versionem reciperet. Quare *c.*) tota quaestio eo reducitur, quidnam de auctoritate duorum capitum additorum censendum sit. Iam fatendum est, ex Patrum allegationibus haud dubie etiam huius partis divinam auctoritatem probari posse, nisi duo obstarent; etenim *α.*) etsi doctrina, quae ibi traditur, omnino sit probanda, narratio tamen quam plurimis difficultatibus laborat aliisque libri partibus ita contradicit, ut quomodo inter se concilientur, non appareat[7]; atque *β.*) certum est inde

a 5. saec. in ecclesia latina atque a 10., ut videtur, saeculo etiam in ecclesia graeca narrationem hanc non amplius auctoritate viguisse, quin etiam in primitiva ecclesia usum libri 3 Esdrae non communem et universalem fuisse. Quare merito Ecclesia librum nostrum non omnino reiicit, quia multa canonica continet, nec integrum approbat, quia partem apocrypham complectitur.

1. Haec est libri compositio :

3 Esdr. 1 = 2 Paral. 35. 36
3 Esdr. 2, 1-15 = 1 Esdr. 1.
3 Esdr. 2, 16-30 = 1 Esdr. 4, 7-24.
3 Esdr. 3, 1-5, 6 sunt propria.
3 Esdr. 5, 7-73 = 1 Esdr. 2,1-4,6.
3 Esdr. 6, 1-9, 36 = 1 Esdr. 5, 1-10, 44.
3 Esdr. 9, 37-55 = 2 Esdr. 7, 73-8, 13.

Narrationis, quae libro propria est, summa est haec. Tres custodes regis Darii inter se concertarunt, quis ingenio alios vinceret. Ideo suum quisque problema scripsit regique tradidit; primus autem fortitudinem vini, alter fortitudinem regis, tertius mulieris quidem fortitudinem celebravit, de omnibus autem veritatem victoriam reportare asseruit. Convocatis regni optimatibus singuli coram rege suas sententias defenderunt, atque tertio, qui veritatem omnia vincere asseruerat, palma est decreta conclamantibus omnibus : Magna est veritas. Interroganti regi, quodnam victoriae praemium desideraret, victor *Zorobabel* respondit, se illud unum petere, ut Darius voti pridem facti memor templum ierosolymitanum restitueret vasaque sacra a Cyro iam Ierosolyma referri iussa redderet populo. Annuit rex et Zorobabel multis cum donis regiis in Palaestinam missus est, ut opus ad felicem exitum perduceret.

2. Codices vatic., sinait., alex., omnium antiquissimi, 3 Esdr. primo in loco habent; in aethiopicis codicibus eundem locum occupat; armenum textum exhibet editio Veneta (1860 p. 415) eodem in loco; syriacam versionem iuniorem edidit Lagarde (Libri V. T. apocryphi syriace. Lips. 1861 p. 138).

3. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XI. 1-5; XI. 3 etiam narrationem additam refert.

4. *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8, 853); *Orig.* in Ios. hom. 9, 10; in Ioan. tom. VI. 1 (M. 12, 879; 14, 200); *Euseb.* in Ps. 76, 17 sq. (M. 23, 897); *S. Athan.* De sent. Dionysii 25; Apol. ad Const. 11; c. Arian. orat. 2, 8 (M. 25, 517. 609; 26, 189); *S. Basil.* c. Eunom. V. 4 (M. 29, 757); *S. Chrys.* Syn. S. S. (M. 56, 358); *Ps. Athan.* Synops. S. S. 20 (M. 28, 329); *S. Ioan. Damasc.* Sacr. Parallel. I. 19 (M. 94, 1204).

5. *S. Cyprian.* ad Pomp. ep. 74, 9 (M. 3, 1181); *S. Ambros.* ep. 37, 12 (M. 16, 1087); *S. August.* de Civ. D. XVIII. 36 (M. 41, 596); *Prosp. Aquit.* De promiss. et praedict. div. II. 38 (M. 51, 814) etc.

6. *Genebr.* Chronogr. ad a. m. 3730. p. 95 sq.

7. Cfr *Calmet* Dissert. in 3 Esdrae. (Comment. Ed. Ven. 1754 III. 159 sqq.).

2.) Liber 4 Esdrae minorem creat difficultatem. Usque ad saec. 18., quum primigenius textus graecus plane interisset, cognitus non fuit nisi latina eius versio, quam habemus in appendice Vulg.; hodie autem repertae sunt etiam arabica, aethiopica, syriaca et armena versiones, quae a vulgato nostro textu in eo differunt, quod duobus prioribus et duobus ultimis capitibus careant, intra 7, 35 et 7, 36 autem

longum fragmentum inserant[8]. Revera liber, quem in Vulgata habemus, ex duobus vel tribus diversis operibus conflatus est, atque duo priora et duo ultima capita ad genuinum opus non pertinent. Inter 7, 35 et 7, 36 autem fragmentum deesse, et contextus docet et *SS. Ambrosii Hieronymique* allegationes[9] non minus quam aliae libri versiones confirmant.

Primitivus liber (4 Esdr. 3,1 — 14, 47) septem constat visionibus, quibus propinquum esse iudicium ultimum praedicitur hominesque, ut se ad iudicium praeparent, monentur; a Iudaeo scriptus brevi post Ierosolymorum destructionem, sed a Christiano (forte ineunte saec. 3) retractatus esse haud immerito coniicitur[10]. Duobus primis capitibus latinis Ps. Esdras praedicit Deum populo Israel reiecto alterum populum esse substiturum, in quo promissiones divinae sint implendae; ultimis vero duobus divina vindicta mundo iniusto et peccatori annuntiatur. Non est dubium, quin Christiano haec capita debeantur; num vero unum, an duo distincta opera primitus constituerint, et quo tempore sint exarata non liquet[11].

Primus, qui inter christianos scriptores librum hunc adhibuerit, *S. Barnabas* fuisse dicitur[12]; incertum autem est, utrum S. Barnabas ex apocrypho, an potius apocryphi auctor ex Barnabae epistola verba illa hauserit. Exeunte deinde saec. 2. *Clemens Alex.* eum pro divina auctoritate allegavit[13]; sed apud reliquos graecos Patres frustra eius commemoratio quaeritur, nisi forte auctor Operis imperfecti in Matth. illo usus esse dicatur[14], atque Patres illi, qui Esdram Scripturarum deperditarum vel corruptarum restauratorem nominaverunt, sententiam hanc ex nostro libro hausisse putentur[15]. Inter Latinos *S. Ambrosius* nostrum librum videtur praedilexisse; saepius enim illum allegat eum in modum, ut dubium vix sit, quin inspiratum et canonicum illum habuerit[16]; latina quoque ecclesia nonnullos textus ex duobus prioribus capitibus in liturgiam suam recepit[17].

Nihilominus integrum opus esse apocryphum satis facile demonstratur. Pauca enim, quae attulimus, testimonia ad divinam libri originem demonstrandam nullo modo sufficiunt; in ecclesia graeca iam 3. saec. oblivioni dari coeptus est, atque excepto S. Ambrosio alter in latina non invenitur, qui illum in honore habuerit. Quod vero ex duobus prioribus capitibus, quae christianam suam originem produnt, nonnulla liturgico usui inserviant, id canonicitatis argumentum non esse per se patet. Accedit autem, quod erroribus dogmaticis non careat, praesertim circa animorum post mortem statum, quodque haud paucas contineat fabulas rabbinicas[18]. Quamobrem 3 Esdrae libro inferiorem locum tenet, quamvis non absolute ab Ecclesia sit reprobatus.

8. Cfr *Le Hir* Études bibliques. Paris, 1869 I. p. 139-250; *Langen* Das Judenthum in Palaestina. Freiburg 1866 p. 112-140. — Latinum textum exhibent editiones Vulg.; arabici textus versionem anglicam primus edidit *Whiston* (Primitive Christianity revived. London 1711 IV. 57); ipsum arabicum textum ediderunt *Ewald* (Das 4. Ezrabuch. Göttingen 1863) et *Gildemeister* (Esdrae liber quartus arabice. Bonnae 1877). Aethiopicam versionem aethiopice et latine edidit *Lawrence* (Primi Ezrae libri, qui apud Vulg. quartus appellatur, versio aethiopica. Oxon. 1820). Syriaci textus versionem latinam adornavit *Ceriani* (Liber 4 Esdrae ex syriaco translatus. Mediolani 1866), qui et ipsum textum edidit (Monumenta sacra et prof. V. 1. p. 41 sqq. Mediolani 1860). Armeniacam versionem exhibent Biblia armena (Venet. 1805). Omnes orientales textus latine redditos habes ab *A. Hilgenfeld* (Messias Iudaeorum. Lips. 1869).

9. *S. Ambros.* de bon. mort. 10-12 (M. 14, 561 sqq.); *S. Hier.* c. Vigil. 6 (M. 23, 344) : « Proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdrae a te et tui similibus legitur; ubi scriptum est, quod mortem nullus pro alio audeat deprecari; quem ego librum nunquam legi ». Verba haec ex fragmento, quod ab aliis versionibus inter 7, 36 et 37 exhibetur atque latine quoque iterum repertum est, desumta sunt.

10. Cfr *Le Hir* l. c. p. 173 sqq. Librum exeunte 1. saec. christiano scriptum censent *Gfrœrer* (Jahrh. des Heils Stuttg. 1830 I. 82 sqq.), *Dillmann* (Herzog. P. R. E. Ed. 1. XII 312), *Langen* (Judenthum in Paläst. p. 131 sqq.) etc. Pauci autorem iam ante Christum floruisse putant.

11. Cfr Le Hir. l. c. p. 230 sqq.

12. *S. Barn.* ep. 12 : « similiter rursus crucem definit in alio Propheta dicente : Et quomodo haec consummabuntur? Dicit Dominus : Quum lignum inclinatum et erectum fuerit, et quum de ligno sanguis stillaverit » cfr 4 Esdr. 4 33; 5, 5.

13. *Clem. Alex.* Strom. IV. 16 (M. 8, 1200): « Esdras Propheta ait » : 4 Esdr. 5, 35.

14. Op. imperf. in Matth. hom. 34 (M. 56, 822) cfr 4 Esdr. 5, 42. Alii tamen laudatum putant *Is.* 28, 5 et 62, 3. Ceterum homilias has, etsi inter opera S. Chrys. edi soleant, latinum auctorem eumque arianum habere constat; cfr *Montfauc.* Diatrib. ad Op. imperf. (M. 56, 605 sqq.).

15. Cfr *supra* 23. p. 53.

16. *S. Ambros.* De bono mortis 10-12; de Spir. S. II. 6; ad Horontian. ep. 34, 2 (M. 14, 560 sqq.; 16, 753, 1074) etc.; cfr in libr. de bono mortis admonitio M. 14, 534 sqq.

17. Introit. Miss. fer. 3. Pentec. cfr 4 Esdr. 2, 37; Offic. pasch. Martyr. cfr 4 Esdr. 2, 35; Comm. Apost. cfr 4 Esdr. 2, 45.

18. Cfr *Bonfrer.* Praeloqu. V. sect. 2 (M. Curs. Script. I. 29); *Calmet* Dissert. in 4 Esdr. (Comm. III. 162).

3.) Oratio Manassae regis Iuda, quum captus teneretur in Babylone. Manassen, Ezechiae filium, postquam ob peccata sua a Deo in captivitatem traditus est, poenitentiam egisse et orationem quandam composuisse constat ex 2 *Paral.* 33, 12, 18; haec vero num ea sit, quae in Vulgatae editionibus ad calcem reiicitur, admodum dubium est. Graece haud raro in V. T. codicibus, sed una cum canticis Psalterio additis invenitur, graecusque textus videtur primigenius esse; hebraicus enim ex graeco factus est[19]. Ab Armenis adhuc in liturgia adhi-

betur; nonnulli graeci quoque scriptores eam genuinam habuerunt[20].

19. Cfr *Wolf* Bibl. hebr. I. 778.

20. *Constitut. apostol.* II. 22 (M. I, 645) integrae orationi relatae addunt : « et audivit Dominus vocem illius, ac miseratus est eum, et orta est circa ipsum flamma ignis, et liquefacta sunt omnia vincula ferrea, quibus ligatus erat » etc. Similia retulisse Iulium African. testatur *S. Ioan. Damasc.* Parall. Lit. E. tit. 7 (M. 95, 1439). Reliquos minoris auctoritatis scriptores enumerat *Cotelerius* ad Const. Ap. II. 22 (M. 2, 647. Nota). Armeniacam versionem exhibet Editio Veneta 1860 p. 1215.

76. — II. Editionibus graecis Veteris Test. addita inveniuntur

1.) Psalmus 151, quo David suam de Goliath victoriam celebrat. Psalterio non tantum in optimis versionis alexandrinae codicibus[1], sed etiam a *S. Athanasio* aliisque graecis Patribus velut genuinus adnectitur[2]. Iunioris tamen illum esse originis ex eo colligimus, quod antiqua latina versio eum non receperit, iuniores vero versiones, quae ex alexandrina dependent, aethiopica, armena, syriaca, arabica eum contineant; in liturgiam quoque mozarabicam transiit[3]. Carmen venustum est; divinae vero eius originis idoneum argumentum nullum affertur.

1. Vatic., alex. etc. Inscribi solet : Οὗτος ὁ ψαλμὸς ἰδιόγραφος εἰς Δαυὶδ καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ, ὅτε ἐμονομάχησε τῷ Γολιάδ. In sixtina alexandrinae versionis editione inter libros apocryphos post Esdram graecum positus est.

2. *S. Athan.* ad Marcellin. 14 (M. 27, 28); *Ps. Athan.* Synops. S. S. 21 (quater Ps. 151. cum reliquis enumerat. M. 28, 332 sqq.); *Euthym.* Zigab. in Psalt. Prooem. (M. 128, 41) etc.

3. Cfr Liturg. mozarab. M. 86, 844. Armeniacam versionem habet Ed. Veneta 1860 p. 623.

2.) Psalmi octodecim Salomonis. In bonis nonnullis versionis alexandrinae codicibus, qui in usum liturgicum sunt conscripti, aut post integrum V. T. (uti in cod. alex.) aut medios inter V. T. libros (ut in cod. vienn. quodam inter Sap. et Eccli.) octodecim carmina adduntur, quae inscribuntur ψαλμοὶ καὶ ᾠδαὶ Σαλομῶντος. In Occidente non innotuerunt, nisi quum saec. 17. *P. de la Cerda* S. I. ex codice Constantinopoli in Germaniam allato ea edidisset[4]. Omnia in eo sunt, ut de populi misero statu conquerantur atque liberationem ab hostibus salutemque messianicam efflagitent. Hebraicum vel aramaicum fuisse textum primigenium consentiunt, de tempore autem, quo sint composita, dissentiunt viri eruditi. Primus psalmorum salomonicorum editor nihil obstare censet, quominus Salomon eorum auctor dicatur; addit autem : « id demum sentio cuiuscumque sint, indignos eos esse repulsa et contemtu; nam si Salomon rex eorum auctor non fuit,

compositi fuerunt a viro peritissimo in sacris literis, ut phrasis, allusio, consonantia, sententia et pietas similis ostendunt, eosque Salomonis nomine inscripsit, non quod vellet illum auctorem falso haberi, sed quia induceret illum psallentem et loquentem » etc.[5]. Salomonis eos non esse argumentum iam docet; verisimilior eorum est sententia, qui eos, postquam Pompeius Ierosolyma occupavit, a pio quodam Iudaeo esse compositos putant[6]. *Ps. Athanasius* et *Nicephorus* psalmos salomonicos inter V. T. libros, quibus contradicitur, enumerant[7]; ab aliis antiquis scriptoribus non commemorantur.

4. *De la Cerda* Adversaria sacra Lugd. 1626. Append. — Ex hoc opere una cum De la Cerdae notis eos recepit *Fabric.* Cod. pseudopigr. V. T. I. 914 sqq.; accuratiorem textum ediderunt *Fritzsche* Libri apocr. V. T. p. 569 sqq., *Hilgenfeld* Messias Iudaeorum p. 3 sqq. Commentarium quendam eorum edidit *Ed. Ephr. Geiger* (Der Psalter Salomons herausgeg. und exklärt. Augsburg 1871).

5. *Fabr.* l. c. p. 976.

6. *Movers* in Freib. K. L. Ed. I. p. 340. Ed. 2. 1061; *Langen* Judenthum in Pal. p. 66 sqq. — Tempore Antiochi Epiph. eos conscriptos putant *Ewald* (Gesch. d. Volk. Israel. Ed. 3. IV. 392) et *Dillmann* (Herz. P. R. E. Ed. 1. XII. 306).

7. *Ps. Athan.* Synops. S. S. 74 (M. 28, 432); *Niceph.* Stichom. (M. 100, 1056); *Zonaras* et *Balsamon* ad Laodic. can. 59. adnotant praeter 150 Psalmos davidicos inveniri quosdam Salomoni aliisque inscriptos, quos Patres privatos nuncupaverunt et a lectione publica excluserunt (Bevereg. Synod. etc. M. 137, 1421).

3.) Liber 3 Machabaeorum persecutionem quandam narrat, quam Iudaei alexandrini a Ptolemaeo IV. Philopatore exeunte 3. a. Chr. saeculo passi esse dicuntur, cuius vero alii scriptores antiqui memoriam non reliquerunt. Nomen suum traxit liber ex eo, quod in multis alexandrinae versionis codicibus duos priores Machab. libros sequatur; de Machabaeorum autem gestis nihil omnino tradit. Canonicis libris illum adnumerat *Can.* 85. *Apost.*, et in serie canonicorum librorum illum exhibent optimae notae codices (alex., sinait. etc.); pro auctoritate quoque illum adhibet *Theodoretus*[8]; *Ps. Athanasius* autem et *Nicephorus* illum inter τὰ ἀντιλεγόμενα referunt, *Philostorgius* illum procul reiicit[9], *Sixtus V.* in sua alexandrinae versionis editione illum ultimum inter apocryphos posuit. Ceterum in Occidente vix cognitus fuit; in latinis enim Bibliorum codicibus nunquam invenitur; maiorem autem auctoritatem in Oriente illum nactum esse, versiones syriaca et armena demonstrant[10]. De tempore, quo scriptus est, deque eius auctore disputant eruditi, sed quaestionibus his non immoramur, quum nullum sit dubium, quin inter inspiratos libros locus ei non competat.

8. *Bevereg.* Synod. etc. (M. 137, 211; cfr *supra* 42. *n.* 14); *Theodoret.* in Dan. 11, 7 (M. 81. 508).

9. *Ps. Athan.* Synops. S. S. 74 (M. 28, 432); *Niceph.* Stichom. (M. 100, 1056); *Philostorg.* H. E. I. 1 (M. 65, 461).

10. Versionem syr. edidit *Lagarde* (Libri apocr. V. T. syriace. Lips. 1861 p. 255 sqq.); armeniaca exstat in Bibliis arm. (Venet. 1860 p. 553 sqq.). Textum criticum graecum curaverunt *Tischendorf* (V. T. graece. Ed. 6. Lips. 1880 II. 375) et *Fritzsche* (Libri apocr. V. T. p. 328); latinum exhibent sixtina editio, *Calmet* (Comment. III. 689) etc.

4.) *Liber 4 Machabaeorum* est oratio vel homilia quaedam, in qua auctor, ut rationem motibus animae dominari debere demonstret, historiam Eleazari septemque fratrum, de qua 2 Mach. 6, 18 sqq., pro exemplo affert et fuse narrat. Multis in locis cum 2 Mach. libro ita consentit, ut eum pro fonte habuisse videatur. *Eusebius, S. Hieronymus, Philostorgius* orationem hanc Fl. Iosepho auctori attribuunt [11]; alii vero Patres eam vix non pro divina auctoritate adhibent; *S. Gregorius Naz.* enim in sua de Machabaeis homilia disertis verbis se « librum illum, qui rationem perturbationibus animi imperare docet », pro fonte adhibere asserit [12]; *S. Ambrosius* in suo opusculo « de Iacob et beata vita » quaedam ex ea ad verbum fere transtulit nullo tamen nomine indicato [13]; codex alex. quoque aliique eam in serie canonicorum exhibent; at *Ps. Athanasius* et *Nicephorus* illam quoque inter τὰ ἀντιλεγόμενα reiiciunt [14], et quum antiquitus pervulgata esset opinio, Iosephum librum hunc conscripsisse, satis elucet, primitivam Ecclesiam ei divinam auctoritatem non attribuisse. Ceterum auctor Stoicorum placitis deditus fuit nec ab aliis erroribus alienus [15].

11. *Euseb.* H. E. III. 10 (M. 20, 244); *Hier.* de vir. ill. 13 (M. 23, 631); *Philost.* H. E. I, 1. (M. 65, 461). Eusebius et Hieronymus librum inscribunt περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ; Philostorgius cum 4 Mach. librum appellat, quo titulo etiam in codicibus interdum invenitur. Graece et latine exstat inter Fl. Iosephi opera; textum graecum criticum edidit *Fritzsche* (Libri apocr. V. T. p. 351 sqq.); latinum habet *Calmet* (Comm. III. 703 sqq.); syriace exstat in codicibus quibusdam.

12. S. Gregor. Naz. Orat. 15, 2 (M. 35, 913).

13. *S. Ambros.* De vita beata (M. 14, 598 sqq.); cfr ex gr. *S. Ambr.* c. 2. et 4 Mach. 1, 20 sqq.

14. *Ps. Athan.* et *Niceph.* ll. cc.

15. Cfr *Calmet* Dissert. in 4 Mach. (Comment. III. 702 sqq.); *Freudenthal* Die Fl. Iosephus beigelegte Schrift Ueber die Herrschaft der Vernunft. Breslau 1869.

SCHOLION. De praefatiunculae Threnorum, prologi Ecclesiastici, additamenti graeci ad l. Iob auctoritate quid sentiendum sit, in *Introd. speciali* in Vet. Test. diximus cfr II. p. 410 *n.*; p. 259 sq.; p. 60 sq.

76. — III. Tertio loco illa apocrypha nominemus oportet, quae in Novi Testamenti libris adhibita dicuntur.

1.) LIBRUM HENOCH antiquitus quam maxime propagatum fuisse Pa-

trum testimonia docent. *Tertullianus* illi divinam originem attribuere non dubitat[1], *Origenes* eum absolute non reiicit, sed ambiguus videtur haerere[2], *Priscillianus* cum Tertulliano fere consentit; sed severius de libello *SS. Augustinus* et *Hieronymus*[3] iudicant atque *Ps. Athanasius* et *Nicephorus* eum inter apocryphos enumerant[4]. Hinc factum est, ut inde a saeculo 5. in latina et graeca ecclesia oblivioni fere sit datus nec cognitus fuerit nisi ex Patrum allegationibus, usque dum exeunte saec. praecedente aethiopica eius versio ac recentissime (1892) magnum eius fragmentum graecum in Europam sint allata[5]. Aethiopicus liber, qui ex variis apocryphis ita conflatus est, ut merito ambigatur, num idem ille sit, quem Patres cognoverunt, revelationibus constat, quibus angeli patriarcham Henoch omnia mysteria mundi visibilis et invisibilis docent, innumerisque absurdis ridiculisque narrationibus et explicationibus scatet.

Quare merito illum silentio premeremus, nisi *S. Iudas* in sua epistola ex illo testimonium desumsisse diceretur. Omnino id antiquitus asseruerunt *Tertullianus, Priscillianus, Augustinus, Hieronymus* aliique, asseruntque hodie non pauci interpretes; ex eo enim, quod ex libro aliquo verba quaedam assumantur, nondum integri libri approbationem posse colligi censent[6]. Quod quamvis recte dici non negemus, non parum tamen infirmari argumentum arbitramur, quod ex N. T. allegationibus ad integrorum V. T. librorum inspirationem concludit. Quare illis assentire malumus, qui S. Iudam librum Henoch laudasse negant, ex traditione autem orali verba illa hausisse tenent. Namque a) verba Apostoli (« prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch dicens : Ecce venit Dominus, etc.) nullo modo postulant, ut ab illo librum scriptum laudatum dicamus; etsi vero b.) similia verba in libro aethiopico legantur, nemo cum certitudine affirmare poterit, illa semper in apocrypho exstitisse[7], siquidem in libros apocryphos multa ex canonicis esse recepta scimus, quibus falsarii figmentis suis auctoritatem conciliare voluerunt. Iam vero idem in hoc apocrypho accidisse contextus probabile reddit; verba enim illa, quae in S. Iudae epistola cum praecedentibus et sequentibus intime connexa sunt, in libro aethiopico nexu apto carent[8]. Ceterum inter omnes constat, nostrum apocryphum satis diu post Christum in hodiernam formam esse redactum; utrum vero varia opuscula, ex quibus illud conflatum esse omnes consentiunt, paullo ante Christum sint exorta an aetate apostolica sint recentiora, in controversia est. Quicumque igitur S. Iudam apocryphum librum allegasse contendit, praeprimis argumentis certis demonstrare debebit, apostolica aetate librum hunc iam exstitisse et in honore fuisse. Quae vero hunc in finem ex S. Barnabae epistola af-

feruntur[9], ea tantum abest, ut solidum praebeant argumentum, ut vix ac ne vix quidem in considerationem venire possint.

1. *Tertull.* de idolol. 4: de cultu femin. I. 3. II. 10 (M. 1, 665. 1307 sq. 1328).

2. *Orig.* de princ. IV. 35; c. Cels. V. 54. 55; in Num. hom. 28, 2 (M. 11, 409. 1267; 12, 802); c. Cels. V. 54. : Celsus nescivisse videtur « libros Enoch in ecclesiis non omnino divinos iudicari » (ὅτι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐ πάνυ φέρεται ὡς θεῖα τὰ ἐπιγεγραμμένα τοῦ Ἐνὼς βιβλία); de princ. I. 3 (M. 11, 143), postquam ex libro Henoch testimonium attulit : « verumtamen usque ad praesens tempus nullum sermonem in *scriptis sanctis* invenire potuimus, per quem Spiritus S. factura esse vel creatura diceretur »; in Num. hom. 28, 2 : « *libelli* Henoch non videntur apud Hebraeos in honore haberi ».

3. *Priscilliani* quae supersunt ed. *G. Schepss.* Viennae 1889 p. 44. sq. — *S. Aug.* de Civ. D. XV. 23. XVIII. 38 (M. 41, 470. 598) : « scripsisse quidem nonnulla divina Henoch, septimum ab Adam, negare non possumus (?), quum hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in templo hebraei populi succedentium diligentia sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectae fidei iudicata sunt, nec utrum haec essent, quae ille scripsisset, poterat inveniri... Unde illa, quae sub eius nomine proferuntur et continent istas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus et aliorum Prophetarum, et recentiora sub nominibus Apostolorum ab haereticis proferuntur, quae omnia nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione sunt remota »; *S. Hier.* de vir. ill. 4 (M. 23, 615) : epistola Iudae, « quia de libro *Henoch, qui apocryphus est*, assumit testimonium, a plerisque reiicitur »; cfr etiam *Photii* Amphil. qu. 151 al. 183 (M. 101, 813).

4. *Ps. Athan.* et *Niceph.* ll. cc.

5. Anglus *Bruce* tres codices aethiopicos libri Henoch in Europam attulit, ex quibus *Silv. de Sacy* primus quaedam capita publici iuris fecit (Magasin encyclop. Paris 1800. I. 382); *Laurence* integrum librum anglice, *Gfrœrer* latine edidit (Prophetae pseudepigr. p. 169 sqq.); *Dillmann* textum aethiopicum criticum edidit (Lips. 1851) et novam versionem germanicam adornavit (Lips. 1853).

Anno 1887 iam repertus sed non nisi a. 1892 publici iuris factus est codex aegyptiacae originis, qui praeter fragmenta Evangelii et Apocalypsis Petri etiam satis magnam partem graeci textus libri Henoch exhibet (Mémoires publiés par les membres de la mission archéol. au Caire. IX. I. *U. Bouriant* Fragments du texte grec du livre d'Énoch et de quelques écrits attribués à S. Pierre. Paris 1892). Fragmentum triginta duo priora capita fere integra (desunt cc. 3. 4), i. e. quintam circiter partem, libri aethiopici continet; accuratiores huius editiones iam curaverunt *A. Dillmann* Ueber den neugefundenen griech. Text des Henochbuches (Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1892 p. 1039-1054 et 1079-1092; textus inde a p. 1079) et *A. Lods* Le livre d'Hénoch découvert à Akhmin (Haute Égypte) publié avec les variantes du texte éthiopien, traduit et annoté (Paris 1892).

6. *Tertull.* de cult. fem. I. 3 (M. 1, 1308) : « accedit, quod Henoch apud Iudam Apostolum testimonium possideat » (Iudae 14); *SS. Aug. et Hier.* ll. cc.; cfr etiam *S. Hier.* ad Tit. 1, 12 (M. 26, 573) : « qui autem putant totum librum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi et apocryphum Henochi, de quo Apostolus Iudas in epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesiae Scripturas

recipere, et multa alia, quae Apostolus Paulus de reconditis est locutus »; item in Ephes. 5, 14 (M. 26, 525).

7. Verba l. Henoch sunt haec : « Et ecce venit cum decem millibus Sanctorum, ut iudicium exerceat de iis et disiiciat improbos et exprobret omnibus carnalibus omnia, quae impii et peccatores egerunt et perpetrarunt adversus ipsum ». Iam illud « *de iis* » in textu aethiopico non habet, ad quid referatur in praecedentibus, et immediate transitur ad descriptionem eorum, quae *beati* videbunt.

8. Cfr *Scholz* Die Ehen der Gottessöhne etc. Würzburg 1864 p. 47 sqq.

9. *S. Barnab.* ep. 6, 13; 12, 1; 16, 5. 6.

2.) **Ascensio Moysis** (Ἀνάβασις vel ἀνάληψις Μωύσεως) quoque a S. Iuda Apostolo (ep. *v.* 7) adhibita esset dicenda, si *Origeni, Didymo, Oecumenio* crederemus[10]; at quo iure id asserant, non apparet. Eiusmodi enim traditiones, quae ab Apostolis, si genuina erant, adhiberi potuerunt, quod in libros apocryphos quoque transierint, non est mirum. Apocryphi huius, cuius etiam meminit *Clemens Alex.*, quodque *Ps. Athanasius* et *Nicephorus* in tertia librorum classe enumerant[11], hodie non exstant nisi fragmenta latina[12].

3.) Eiusdem generis est **Apocalypsis Moysis**, ex qua S. Paulum verba, quae *Gal.* 5, 6 et 6, 15 leguntur, desumsisse iuniores quidam graeci scriptores censuerunt[13]. Quam parum fundata haec sit sententia, non est quod dicamus; si enim in apocrypho illo, quod vix quisquam ex antiquis scriptoribus commemoravit, quodque hodie non amplius habetur[14], similia verba legebantur, ea potius falsarius ex apostolica epistola, quam Apostolus ex apocrypho desumsisse dicendus est.

10. *Orig.* de princ. III. 2 (M. 11, 303) : « in Ascensione Moysis, cuius libelli meminit in epistola sua Apostolus Iudas, Michael archangelus disputans de corpore Moysis ait a diabolo inspiratum serpentem causam exstitisse praevaricationis » etc.; *Didym. Alex.* in epist. Iud. 9 (M. 39, 1815); *Oecumen.* in ep. Iud.; *Phot.* Amphiloch. Quaest. 151 al. 183 (M. 101, 813).

11. *Clem. Alex.* Strom. VI. 15 (M. 9, 356); *Gelas. Cyzic.* Hist. Conc. II. 20 (M. 85, 1234); *Ps. Athan.* et *Niceph.* ll. cc.

12. Fragmenta « Assumtionis Moysis » primus edidit *Ceriani* (Monum. sacr. et prof. Mediolani 1861 I. 1 p. 55 sq.); accuratius eadem repetierunt *Fritzsche* (Libri apocr. V. T. p. 700 sqq.), *Hilgenfeld* (Messias Iudaeorum p. 437 sqq.).

13. *Phot.* Amphiloch. Quaest. 151 (M. 101, 813); *Gregor. Sync.* Chron. Edit. Bonnensis p. 48.

14. *Apocalypsis Moysis*, quae protoparentum lapsum et mortem enarrat, edita a *Tischendorf* (Apocal. apocr. p. 1 sqq.) et accuratius a *Ceriani* (Monumenta V. 1 p. 21 sqq.), diversum est opusculum ab illa Apoc., quam commemorant *Photius* et *Syncellus*; cfr *Fabric.* Codex pseudepigr. V. T. I. 838.

4.) **Ascensio Isaiae**, quae aethiopice adhuc exstat[15], ex duobus tribusve apocryphis videtur esse conflata; prius martyrium prophetae,

alterum (vel duo alia) visiones enarrat, quibus Isaiae in septimum coelum elevato regni messianici fata futura monstrantur; quas visiones christianae originis esse facile apparet. *Origenes* bis ad apocryphum Isaiae provocat, in quo Isaiae mors narrabatur[16], atque *S. Iustinus* iam Iudaeis obiecit, quod librum, in quo Isaiae martyrium referebatur, apocryphum reddidissent[17]; *Tertullianus* quoque eodem videtur esse usus[18]; quod vero S. Paulus, quando prophetas sectos esse dicit (*Hebr.* **11**, 37), ad idem apocryphum respexerit, id sine ullo fundamento asseritur. Teste *S. Epiphanio* sectae quaedam gnosticae apocrypho, cui titulus *Ascensio Isaiae*, errores suos stabilire conati sunt[19]; *S. Hieronymus* autem refert suo tempore aliquos erronee asseruisse, S. Paulum ex Ascensione Isaiae desumsisse ea, quae 1 *Cor.* 2, 9 de immensa gloria beatorum tradit[20].

5.) Eodem porro loco *S. Hieronymus* testatur, alios verba illa ex APOCALYPSI ELIAE derivasse, cuius sententiae fuit etiam *Origenes*[21]; ex eadem Eliae Apocalypsi *S. Epiphanius* desumta putat verba *Eph.* 5, 14[22], quae e contra

6.) ex APOCRYPHO IEREMIAE eodem *Photius* derivat[23], ex quo *Origenes* illa haberi suspicatur, quae *Matth.* 27, 9. sub nomine Ieremiae afferuntur; revera Ieremiae apocryphum, in quo verba illa legebantur, *S. Hieronymus* a Nazaraeis acceperat[24].

At opus non est, ut in his enumerandis diutius immoremur. Constat enim sacros N. T. scriptores testimonia V. T. plerumque liberiore modo afferre, non ad verba sed ad sensum attendentes, atque interdum quoque duos eiusdem libri vel etiam diversorum librorum textus in unum testimonium contrahere, neque raro, consulto insertis aut omissis vocabulis quibusdam, sensum clariorem reddere : qui vero ad hunc allegandi modum Apostolorum attenderit, non indiget, ut verba, quae afferunt, ex apocryphis explicet.

15. Ascensio Isaiae aeth. et lat. ed. *A. Dillmann*. Lips. 1877; eandem additis latina et anglica versionibus iam ediderat Lawrence (Oxford 1819); secundae partis veterem versionem latinam ediderunt *Gieseler* (Gottingae 1832) et *Gfroerer* (Prophetae pseudepigr. p. 56 sqq.).

16. *Orig.* ad Afric. 9; in Matth. tom. X. 18 (M. 11, 65; 12, 881).

17. *S. Iustin.* c. Tryph. 120 (M. 6, 756) : « doctores vestri eas (Scripturas) deleverunt (ἀφανῆ ἐπεποιήκεισαν i. e. invisibiles [apocryphas] reddiderunt), quae mortem Isaiae spectant, quem serra lignea dissecuistis ».

18. *Tertull.* De patient. 14 (M. 1, 1270) : « his patientiae viribus secatur Isaias et de Domino non tacet »; cfr Asc. Is. 5, 14. : « Isaias, dum secabatur, nec vociferatus est, nec flevit, sed os eius colloquebatur cum Spiritu Sancto ».

19. *S. Epiph.* haer. 40, 2 (Archontici); haer. 67, 3 (Hieracitae) (M. 41, 679; 42, 176).

20. *S. Hier.* in Is. 64, 4 (M. 24, 621) : « paraphrasin huius testimonii quasi Hebraeus ex Hebraeis assumit Apostolus Paulus de authenticis libris in epistola (1 *Cor.* 2, 9), non verbum e verbo reddens, quod facere omnino contemnit, sed sensus exprimens veritatem. Unde apocryphorum deliramenta conticeant, quae ex occasione huius testimonii ingeruntur ecclesiis Dei... *Ascensio* enim *Isaiae* et *Apocalypsis Eliae* hoc habent testimonium; et per hanc occasionem multaque huiusmodi Hispaniarum et maxime Lusitaniae deceptae sunt mulierculae » etc; cfr ad Pammach. ep. 57, 9 (M. 22, 576).

21. *Orig.* in Matth. Comment. 117 (M. 13, 769) : « Videat ne alicubi in *secretis Ieremiae* hoc prophetatur, sciens, quoniam et Apostolus scripturas quasdam secretorum profert, sicut dicit alicubi : quod oculus non vidit, nec auris audivit; in nullo enim regulari libro hoc positum invenitur, nisi in *secretis Eliae* prophetae »: cfr etiam *Phot.* Amphil. Quaest. 151 (M. 101, 813).

22. *S. Epiph.* haer. 42. Refut. Schol. 2 et 37 (M. 41, 808).

23. *Phot.* Amphil. Quaest. 151 (M. 101, 813).

24. *S. Hieron.* in Matth. 27, 9 (M. 26, 205) : « legi nuper in quodam hebraico volumine, quod nazarenae sectae mihi Hebraeus attulit, *Ieremiae apocryphum*, in quo haec ad verbum scripta reperi; sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumtum testimonium » etc.

77). — IV. Enumerandi demum forent alia V. T. apocrypha, quae a Patribus commemorata sunt, sed quum eiusmodi enumeratio ad scopum nostrum nihil conferat, merito eam omittemus. Vix enim ullum patriarchae nomen in V. T. invenitur, quo falsarii figmenta sua exornare non sint conati; non pauci libri *Adamo* iam adscribuntur, *Evae* quoque Evangelium habuerunt gnostici, *Abel* scripsisse credebatur de virtutibus planetarum etc., *Seth* de stella in ortu Messiae apparitura; *Henochi* librum supra commemoravimus; *Noe* eiusque uxor *Noria* scriptores fuerunt, *Sem* et *Cham* scripta reliquerunt, multos libros composuerunt *Abraham*, *Isaac*, *Iacob* etc. etc. Quas omnes insanias enumerare nec vacat nec iuvat. Constitutiones Apostolorum iam monent : « apud veteres nonnulli conscripserunt Moysis, Henoch, Adami, Isaaci, Davidis, Eliae et trium patriarcharum libros apocryphos, exitiales ac repugnantes veritati; consimiles libros nunc quoque ediderunt inauspicati homines, calumniantes creationem, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, Legem, Prophetas, adscribentes barbara quaedam nomina, scilicet, ut ipsi dicunt, angelorum, re vera autem daemonum, quorum afflatu loquuntur » [1].

Apocryphis *Ps. Athanasius* et *Nicephorus* adnumerant: « Henoch, Patriarchas, orationem Ioseph, testamentum Moysis, Abraham, Eldad et Modad, Eliae, Sophoniae, Zachariae, Baruch (Apocalypsin), Habacuc, Ezechiel et Daniel falso inscriptos libros [2] ». Longe maior eorum numerus iam diu interiit; immo in Occidente, quum plerique gnosticarum sectarum foetus essent, vix unquam cogniti erant; praeter eos, quos supra enumeravimus, hodie adhuc exstant :

1.) *Liber Iubilaeorum* vel *parva Genesis* (ἡ λεπτὴ γένεσις, ἡ μικρογένεσις), cuius auctor, qui paulo post Christum scripsit, totus in eo est, ut Iudaeos fidelitatem in lege rituali observanda doceat [3];

2.) *Testamenta duodecim patriarcharum*, in quibus (ut videtur exeunte saec. 1.) auctor iudaeochristianus duodecim filios Iacob introducit loquentes et posteros suos de vita, morte, resurrectione Messiae edocentes [4];

3.) *Apocalypsis Baruch* una cum epistola Baruch, quae probe a canonico libro Baruch distinguenda est [5];

4.) *Apocalypsis Esdrae*, quae imitatio quaedam est quarti libri Esdrae [6];

5.) *Historia Asseneth* uxoris Ioseph [7] etc.

1. *Constit. Apost.* VI. 16 (M. 1, 953).
2. *Ps. Athanas.* Syn. SS. 75 (M. 28, 432); *Niceph.* l. c.
3. Kufale s. liber Iubilaeorum aeth. edidit *Dillmann*. Kiel 1859. Latinae versionis fragmenta ed. *Ceriani* (Monumenta 1861 I. 1. p. 9); cfr *Roensch* Das Buch der Iubilæen Leipz. 1874. Frequenter a Patribus iam citatur; cfr *S. Epiphan.* haer. 39, 6 (M. 41, 672), *S. Hieron.* ad Fabiol. ep. 78. mans. 18, 24 (M. 22, 711, 713).
4. *Origen.* in Ios. hom. 15, 6 (M. 12, 904); cfr *Fabric.* Cod. pseudepigr. I. 496 sqq.; Migne, PP. Gr. 2, 1037. De tempore originis cfr *Langen* Iudenthum in Palæst. p. 145 sqq.
5. *Ceriani* Monum. sacr. et prof. I. 2 p. 73 sqq.; *Fritzsche* Libri apocr. p. 654 sqq.
6. *Tischendorf* Apocal. apocr. p. 24 sqq.; cfr *Fabric.* Cod. epigr. I. 1162.
7. *Fabric.* Cod. pseudepigr. I. 774 sqq. II. 85 sqq.

§ 10. — *De apocryphis Novi Testamenti.*

78. — I. Primo loco illa recensebimus scripta, quæ a boni nominis scriptoribus olim genuina ac divinae originis habita interdum inter canonica enumerata sunt.

1.) Epistola D. N. ad Abgarum regem Edessenum. Eusebius refert Abgarum regem, quum gravi morbo laboraret, auditis Christi miraculis, honorifica legatione eum invitasse, ut ad se veniret seque a morbo liberaret; Dominum vero abnuisse quidem, missa tamen epistola promisisse, se post mortem suam legaturum esse unum ex discipulis, qui ipsum sanaret. Epistolam hanc authenticam habuit *Eusebius*, qui ex archivis et annalibus Edessenorum se suam narrationem hausisse asserit epistolasque Abgari et Domini graece reddidit [1]; similia narrat *Moses Chorenensis*, scriptor armenus, qui medio sæc. 5. floruit; addit autem Dominum simul imaginem suam sudario impressam regi misisse [2]. Neque *S. Ephraem* de epistolarum authentia dubitat beatamque praedicat Edessam ob benedictionem illa in occasione a Domino acceptam [3]. *Gelasius* vero « epistolam Iesu ad Abgarum regem » et « epistolam Abgari ad Iesum » apocryphas pronuntiat [4]. Inter recentiores non defuerunt, qui authentiam epistolarum defendere conati sint [5], sed plerique eas spurias habent. *Baronius*, postquam antiquorum testimonia, quae minime spernenda sunt, attulit, in hunc modum concludit : « haec non sic a nobis sunt recitata, ut apocrypha

in hagiographa transferri velimus, sed ne ea quis omnino contemnenda existimet, quae maiores complures venerati esse noscuntur »[6].

Quibus addere possumus *epistolam B. Virginis ad S. Ignatium M.*, quam primus commemoravit *Dionysius Carth.*, iuniores aliqui authenticam habuerunt, sed merito iam reiecerunt *Bellarminus, Baronius* etc.; media aetate a Latino quodam conficta dicitur. Circumferuntur quoque epistolae B. V. ad Messanenses et Florentinos, quas spurias esse demonstratione non indiget[7].

1. *Euseb.* H. E. I. 13 (M. 20, 124).

2. *Mosis Choren.* Hist. arm. II. 30 sqq. (Des *Moses v. Chorene* Gesch. Gross-Armeniens übers. von Dr. Lauer. Regensb. 1869 p. 89 sqq.). Secundum eius relationem epistola non ab ipso Domino, uti habet Eusebius, sed nomine Domini ab Apostolo Thoma conscripta est.

3. *S. Ephraemi* Testamentum. Opp. gr. II. 235.

4. *Gelasii* Decret. de recip. et non recipiend. libr. (M. 59, 164).

5. Cfr praeprimis *Tillemont* Mémoires pour servir à l'hist. ecclés. Venise 1732. I. 362. 615; *Welte*, Tüb. Quartalschr. 1842 p. 335-365. — Adversarii eo praesertim nituntur argumento, quod SS. Patres plerique Dominum nihil scripsisse testentur (*S. Hier.* in Ezech. 44, 30. M. 25, 443; *S. Aug.* de cons. Evang. I. 7. M. 34, 1047 etc.).

6. *Baron.* Ann. Eccles. ad an. 31. LX.

7. Textum habes in *De Castro* Historia Deiparae c. 23 (Migne Summa aurea de laud. B. V. II. 694 et 696); priores epistolas etiam recepit *Funk* Patres apostolici II. p. 217; cfr de iis *Funk* l. c. I. p. LIV; II. p. XLI sqq.

2.) Liturgias SS. Petri, Iacobi, Matthaei, Marci nominibus insignitas immerito. Apostolis illis auctoribus tribui docent multa in illis contenta, quae apostolica aetate sunt recentiora. Si quid continent, quod ab Apostolis prodierit (id quod minime negamus), tot alia sunt admixta, ut apostolica discerni cum certitudine nequeant. Teste praeterea *S. Basilio*[8] preces, quae in consecratione eucharistiae recitantur, ad traditionem non scriptam referendae sunt; quare liturgiae illae certe ab Apostolis non sunt scriptae, neque quidquam proinde cum libris sacris habent commune.

3.) Doctrina duodecim Apostolorum, Duae viae vel Iudicium Petri, Constitutiones apostolorum, Canones apostolorum coniungi possunt, quia tria priora interno nexu inter se colligantur, et quartum non est nisi tertii appendix. Opera enim haec praecepta Apostolorum moralia et ecclesiastica tradere volunt et olim a nonnullis apostolicae originis credebantur.

Antiquitate sua inter illa *Doctrina duodecim Apostolorum* (διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων) eminere est dicenda, quae diu deperdita ultimo hoc tempore in codice quodam constantinopolitano (ierosolymitano) reperta et a Philotheo Bryennio edita est[9]. Sex prioribus capitibus

praecepta moralia tradit catechumenis, deinde de praeparatione ad baptismum agit praeceptaque nonnulla ecclesiastica et liturgica exhibet. Vix dubitari potest, quin opusculum hoc sit idem, quod nomine *Scripturae* a *Clemente Alex.* adhibetur; *Eusebius* autem τὰς λεγομένας διδαχὰς τῶν ἀποστόλων secundae classi librorum, quibus contradicitur, adnumerat (67), *S. Athanasius* τὴν διδαχὴν τὴν καλουμένην τῶν ἀποστόλων inter Scripturas recenset illas, quae canonicae quidem non sint, sed ex mandato Patrum catechumenis legantur (42), *Nicephorus* in sua stichometria inter apocrypha N. T. habet διδαχὴν τῶν ἀποστόλων, cui ducentos stichos adtribuit; in codice autem opusculum nostrum ducentas et tres lineas implet[10]. De eius origine adhuc sub iudice lis est; alii enim primis christianis lucubrationibus illud adnumerant, alii illud non nisi post Hermae Pastorem exeunte 2. aut ineunte 3. saec. scriptum censent. At nisi omnia nos fallunt, priores recte viderunt. Etenim auctor nullibi quidem se esse Apostolum indicat, immo ne verbulo quidem insinuat se apostolica praecepta tradere, sed apostolico tempore libellum esse compositum omnia suadent. Loquitur de Evangelio *scripto* (c. 8. et 15); ex multis autem verbis Domini, quae affert, pleraque cum primo nostro Evangelio consentiunt, pauca tantum (c. 1. et 16) Lucae librum in memoriam revocant, sed ex eo esse desumta cum certitudine dici nequeunt; ad quartum Evangelium nulla prorsus invenitur certa allusio, atque ex paulinis epistolis sola videtur adhibita ad Ephes. (6, 5; cfr c. 3.). Prioris partis argumentum atque interdum verba fere cum ultimis capitibus ep. Barnabae (18-21), cum Constit. Apost. (VII. 1 sqq.) et quibusdam mandatis Pastoris conveniunt; Constitutiones autem et Pastor certe a nostro opusculo dependent; Barnabas vero et auctor noster forte ex eodem fonte orali hauserunt, ex quo melius, quam ex mutua dependentia, eorum similitudo et dissimilitudo explicari videntur. Praeterea notandum, quod doctorum et prophetarum munus extraordinarium, de quo satis fuse agit (c. 11 sqq.), post apostolicam aetatem omnino disparet. Quare paullo post medium saec. 1. opusculum nostrum scriptum esse arbitramur a privato quodam homine, qui ea, quae ipse in catechesi didicerat, aliis quoque tradere voluit. Quod in eiusmodi elucubratione exquisitus subtilisque nexus interdum desideretur, non est mirum; mirum autem, quod nonnulli interpretes nihil antiquius habuerunt, quam hoc venerandum antiquitatis documentum in minutissimas partes discerpere, quas Barnabae, Hermae, auctori Constitutionum apost., ipsis quoque ebionitis et nescio quibus haereticis attribuerent, quamquam haereticae alicuius doctrinae, dummodo verba eius secundum sanae hermeneuticae regulas explicentur, nullum

invenitur vestigium, contra vero dogmatum nostrorum (de divinitate Christi, de *sacrificio* Eucharistiae c. 14, de baptismo per infusionem c. 7, de explicatione expressionis βαπτίζειν εἰς ὄνομα Κυρίου c. 10, etc.) praeclara exhibentur testimonia.

Eo in loco, in quo S. Athanasius ponit Doctrinam Apostolorum, *Rufinus,* qui eius catalogum fere transcripsit, « *duas vias vel iudicium Petri* » posuit (43), quod apocryphum etiam a *S. Hieronymo* commemoratur [11]. Recte, ni fallor, titulo hoc designatur illud opusculum, quod in codice viennensi inscribitur αἱ διαταγαὶ αἱ διὰ Κλήμεντος καὶ κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων; prior enim eius pars, quae integra fere ex Doctrina Apostolorum desumta est, duas vias vitae et interitus describit; quum vero in Apostolorum consessu, in quo praecepta haec statuuntur, Petro primae partes tribuantur, apte etiam *Petri iudicium* inscribi potuit. Nullum est dubium, quin opusculum hoc ex priore sit exortum [12].

Apud iuniores Patres commemoratas videmus *Constitutiones Apostolorum,* quae octo in libros distributae adhuc exstant et olim in Oriente satis magnam habuerunt auctoritatem. In priore saec. 5. parte exortae sed ex variis operibus compositae videntur; etenim l. VIII. est pontificale quoddam, si moderno hoc nomine uti licet, sacrosque ritus describit et orationes ecclesiasticas exhibet; l. VII. ex Doctrina Apostolorum exortus eiusdem quasi altera est recensio; sex priores autem libri retractatio quaedam et amplificatio videntur esse antiquioris operis ineunte saec. 3. exorti, quod *S. Epiphanius* sub titulo τῆς τῶν ἀποστόλων διατάξεως vel διδασκαλίας commemorat atque dubiae quidem fidei sed non improbandum dicit [13]. Constitutiones apostolicae a can. 85. Apostolorum inter divinos libros enumerantur atque ab ecclesia aethiopica etiam hodie pro canonico libro habentur (45. n. 8); at concilium trullanum, quum canones Apostolorum reciperet, Constitutiones utpote adulteratas legi vetuit (42. n. 24) [14]. In Occidente Constitutiones, uti etiam Didascalia, vix non erant ignotae.

Ad *Canones Apostolorum* demum quod attinet, quinquaginta priores *Dionysius Exig.* primus in Occidente vulgavit; *Gelasius* vel *Hormisdas* omnes apocryphos declaravit [15]; a conciliis trium priorum saeculorum probabiliter editi in Oriente adhuc auctoritate pollent, at apostolicae originis dici nequeunt, nedum divinae. Sed accuratius de operibus his in Patrologia et in Institut. iur. canon. est agendum.

8. Liturgias Iacobi, Marci, Petri exhibent Biblioth. max. Patr. II. 1 sqq. etc. — Cfr *S. Basil. M.* de Spir. S. 27 (M. 32, 187) : « invocationis verba, quum conficitur panis eucharisticus et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorant Apostolus et Evangelium,

sed alia quoque et antea et postea dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione non scripta accepimus ».

9. Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων... νῦν πρῶτον ἐκδιδομένη ὑπὸ Φιλοθέου Βρυεννίου. Constantinopoli 1883. Quam plurimae praeclari huius opusculi editiones in lucem prodierunt; hoc in loco eas nominasse sufficit, quas versione et adnotationibus auctas curaverunt in Germania *F. X. Funk* (Tubingae 1887), in Italia *R. Majocchi* (Modenae 1887), in Gallia *E. Iacquier* (Lyon 1891). Erudite de illo disseruit inter alios *C. München* S. I. (Innsbr. Zeitschrift für kath. Theol. 1886 p. 629 sqq.) et egregio commentario illud illustravit *I. Minasi*. S. I (La dottrina del Signore dei dodici Apostoli bandita alle genti. Versione, note e commentario. Roma 1891). München, Majocchi et Iacquier in libelli aetate definienda nobiscum consentiunt; Funk et Minasi saltem ante finem saec. I. illum prodiisse concedunt. Ceterum cfr *Funk* et *Iacquier*, qui varias sententias de libelli origine propositas diiudicant variasque eius editiones recensent.

10. *Clem. Alex.* Strom. I. 20 (M. 8, 817) cfr Doctr. Apost. 3, 5. — *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 269); *S. Athan.* Epist. fest. 9 (M. 26, 1177); *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 76 (M. 28, 432); *Nicephori* Stichometria 6.

11. *Rufin.* De Symb. Apost. 36 (M. 21, 374); *S. Hier.* de vir. ill. 1 (M. 23, 609).

12. Opusculum hoc primus edidit *I. W. Bickell* (Gesch. des Kirchenrechtes. Giessen 1843 I, p. 107 sqq.); alias editiones curarunt *A. P. de Lagarde* (Reliquiae iuris eccles. antiquissimae. Lips. 1856 p. 74 sqq.), Em. *Card. Pitra* (Iuris eccles. Graecorum hist. et monum. Romae 1864 I. p. 77 sqq.), *A. Hilgenfeld* (Nov. Testam. extra canon. recept. Ed. 2. IV. p. 111 sqq.), qui primus opusculum « Duas vias » etc. inscribendum esse suspicatus est. Ceterum cfr *Krawutzky* Ueber das altkirchl. Unterrichtsbuch (Tüb. Quartalschr. 1882 p. 359 sqq.).

13. *S. Epiph.* haer 70, 10; 45, 2; 80, 7 (M. 42, 356; 41, 856; 42, 865). — De Constitutionum apostolicarum origine et indole aeque copiose ac praeclare egit *Fr. X. Funk* (Die apostolischen Konstitutionen. Eine literar-historische Untersuchung. Rottenburg 1891), cuius sententiam fere secuti sumus; aliorum sententias ibidem refert p. 1-21. — Constitutionum apostolicarum, quae Venetiis 1563 a Turriano et accuratius a P. Cotelerio Parisiis 1672 et iuxta hanc editionem a Migne (PP. Gr. I. 509 sqq.) typis descriptae erant, meliores editiones curarunt *Lagarde* (Constit. Apost. graece Lipsiae 1862) et Em. *Card. Pitra* (Iuris ecclesiastici Graec. monumenta I. Romae 1864). Didascaliam syriace edidit *Lagarde* (Lipsiae 1854); versiones aethiopica (The ethiopic Didascalia ed. Th. Fell Platt. London 1834) et arabica, quae typis nondum est impressa, a Constitutionibus interpolatis potius quam a primitiva didascalia dependent.

14. Cfr *Balsam.* et *Zonar.* notas ad Can. Apost. 85 (M. 139, 213); *Photii* Bibl. cod. 123 (M. 103, 388).

15. *Gelas.* Decret. de recip. et non recip. libris (M. 59, 163); cfr *Thiel* Epist. Rom. Pontif. p. 937. — Canones Apostolorum a Turriano et Cotelerio iam editi in omnes fere Conciliorum editiones sunt recepti.

4.) Evangelium secundum Hebraeos vel Nazaraeorum vel duodecim Apostolorum a multis antiquioribus Patribus primo vel secundo nomine commemoratur, quia eo maxime sunt delectati Iudaeo-christiani; Nazaraei autem, qui illud solum admiserant, tertio usi sunt nomine, ut auctorum multitudine maiorem illi auctoritatem conciliarent. Tantam

habuit cum primo nostro Evangelio affinitatem, ut antiquitus aliqui illud nostri archetypum esse putarent, atque S. Hieronymus dignum illud iudicaret, quod graece et latine verteret. Accuratius de hoc apocrypho deque eius ad primum nostrum Evangelium relatione egimus in *Introd. spec.* in Novum Test. (p. 47 sqq.), quare hoc loco id unum adnotamus, probabiliter Iudaeo-christianos ad suum errorem confirmandum genuinum Matthaei opus mutilasse et interpolasse.

5.) S. PAULI EPISTOLA AD LAODICENSES in fragmento *muratoriano*, a *S. Hieronymo*, ét *Theodoreto* velut conficta commemoratur, a *Priscilliano* genuinum quidem Pauli opus esse creditur sed extra canonem esse conceditur, a *S. Philastrio* a nonnullis legi innuitur, licet genuina non sit aut sit corrupta, a *S. Gregorio M.*, ut videtur, genuina putatur sed non canonica [16]. Epistola hoc nomine inscripta in Vulgatae codicibus haud paucis et in nonnullis versionibus ex Vulg. olim adornatis legitur atque ab uno alterove mediae aetatis theologo pro canonica habebatur [17]. S. Paulum ad Laodicenses epistolam dedisse ex *Col.* 4,16 constare censemus, quamvis Graeci plerique versum alio modo interpretari conentur; at ea, quae sub hoc titulo circumferebatur, ex aliis Apostoli epistolis compilata est nec ullo modo potest haberi genuina.

6.) S. PAULI EPISTOLAM 3 AD CORINTHIOS una cum praecedente quadam Corinthiorum ep. ad Paulum Armeni in multis suorum Bibliorum codicibus aut post 2 Cor. ante ep. ad. Gal. aut ultimam inter paulinas habent; *S. Ephraem* in eandem epistolam, uti in alias paulinas, commentarium edidisse dicitur, qui armeniace translatus adhuc superstes sit; duae quoque eius versiones latinae nuperrime repertae sunt [18]. Dubium non est, quin S. Paulus praeter duas, quas canonicas habemus, aliam quandam Corinthiis scripserit, quamvis *S. Chrys.*, *Theodoret.* aliique graeci interpretes id negent [19]; at aeque certum est, eam quam Armeni hoc titulo exornatam in suis codicibus habent, non esse genuinum Pauli opus. Utrum primigenia huius epistolae apocryphae lingua sit syriaca an graeca, nondum satis constat; probabile autem est, eam syriace ad Bardesanis gnosticos errores refutandos esse confictam [20].

7.) S. PAULI EPISTOLA AD SENECAM et Senecae ad Paulum a *SS. Hièronymo* et *Augustino* commemorantur, qui eas videntur habuisse genuinas [21]. S. Paulum cum philosopho Seneca familiariter conversatum esse, antiqua est et probabilis opinio; epistolas vero illas tredecim mediocres et inanes, quae illorum nomine inscribuntur, spurias esse dicendas hodie omnes consentiunt [22].

16. *Frag. murat.* lin. 64 (*supra* 63); *S. Hier.* de vir. ill. 5 (M. 23, 619) : « legunt quidam et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur »; *Theodoret.* in Col. 4, 16 (M. 82, 625) : « quidam existimarunt eum etiam scripsisse ad Laodicenses; ideo

etiam fictam epistolam proferunt »; *Priscilliani* opera quae supersunt ed. *Schepss* Viennae 1889 p. 55; *S. Philastrii* haer. 89 (M. 12, 1201); *S. Greg.* M. Moral. XXV. 20, 35 (M. 76, 778). Fuse de hac epistola agit *Theod. Zahn* Gesch. des neutestam. Kanons II. 2 (1891) p. 566-586.

17. Cfr *supra* 70. *n.* 2. Epistola haec certo non eadem est atque illa, quam *fragm. murator.* ad haeresin Marcionis fictam esse dicit; Marcionem suam ad Laod. habuisse epistolam tradit *S. Epiph.* haer. 42, 9 (M. 41, 708).

18. Armeniace exstat in Bibliorum editionis venetae (1860) appendice p. 1219; *S. Ephraemi* commentarius, de cuius tamen authentia mihi nondum plane constat, habetur in veneta editione operum S. Ephraem armeniace superstitum (1836. III. p. 116 sqq.), germanicam eius versionem dederunt *P. Vetter* (Tübinger Quastalschr. 1890 p. 627 sqq.) et *Zahn* (Gesch. des neutest. Kanons II. 2. 1891 p. 595 sqq.); latinam epistolarum Corinthiorum ad Paulum et Pauli ad Corinthios ediderunt *A. Carrière* et *S. Berger* (La correspondance apocryphe de S. Paul et des Corinthiens, ancienne version latine et traduction du texte arménien. Paris 1891); alteram, ut videtur, versionis recensionem publici iuris fecit *Bratke* (Theol. Literaturzeitung von Schürer u. Harnack. 1892 p. 585 sqq.).

19. Cfr 1 *Cor.* 5, 9; 2 *Cor.* 10, 9. 10. — *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 16, 1 (M. 61, 129); *Theod.* in 1 Cor. 5, 9 (M. 82, 264).

20. Hanc sententiam proposuit ac defendit *P. Vetter* in Tüb. Quartalschrift 1890 p. 610 sqq. et in Literarische Rundschau. Freiburg 1892. Iuli p. 193 sqq. — Aliam sententiam tenet *Theod. Zahn* l. c. p. 607-611 et Theolog. Literaturblatt. Leipzig 1892 n. 16. et 17.

21. *S. Hieron.* de vir. ill. 12 (M 23, 629) : Senecam « non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illae epistolae provocarent, *quae leguntur a plurimis*, Pauli ad Senecam et Senecae ad Paulum »; *S. August.* ad Maced. ep. 153 (al. 54) 14 (M. 23, 659 : Seneca « temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quaedam ad Paulum leguntur epistolae ».

22. Pauli cum Seneca familiaritatem inscriptione nuper inventa comprobat *P. Garrucci* (Civiltà cattol. 1867. II. 221); epistolarum textum criticum exhibet *Kraus* (Tüb. Quartalschr. 1867 p. 609 sqq.): cfr etiam *Zahn* l. c. p. 612-621.

8.) Epistola S. Barnabae a *Clemente Alex.* saepius pro auctoritate adhibetur, ab *Origene* catholica epistola vocatur, *S. Hieronymo* apocrypha quidem sed ad aedificationem Ecclesiae scripta [23]; in codice sinaitico una cum Pastore Hermae immediate libros sacros sequitur. Utrum epistola haec revera Barnabam Apostolum auctorem habeat annon, controvertitur; Patrum auctoritas priori sententiae favet; altera vero ex parte tam severum iudicium de Vetere Lege epistolae auctor fert, ut vix eum Apostolum fuisse dixeris. Sed quidquid de auctore est, epistola in Occidente nunquam pro divina habita est, atque orientales quoque Patres, ubicumque eam adhibent, eam a canonicis Scripturis distinguunt, quare *Eusebius* eam inter τὰ ἀντιλεγόμενα secundae classis enumerat [24].

9.) Epistola S. Clementis I ad Corinthios teste Eusebio ab omnibus unanimi consensu recepta erat atque in plerisque ecclesiis et ipsius et

superiore tempore publice legebatur; nihilominus *Eusebius* eam illo in loco, in quo de N. T. canone agit, ne inter τὰ ἀντιλεγόμενα quidem refert, licet alibi una cum Iudae et reliquis catholicis epistolis eam inter ista recenseat[25]. Eam in ecclesia corinthiaca iam pridem publice lectitatam esse tradit *S. Dionysius Corinth.*[26], *S. Hieronymus* autem suo tempore eam in nonnullis locis publice legi[27]; *S. Athanasius* tamen et *Ps. Athanasius* eam in recensendis libris sacris silentio premunt[28], et *Nicephorus* in Stichometria eam apocryphis adnumerat; sed Canon 85. Apostolorum duas Clementis epistolas iterum inter canonicos libros recenset, atque codex alexandrinus easdem post Apocalypsin exhibet, quin etiam in codice quodam syriaco, qui a. 1170 in monasterio edesseno conscriptus est, immediate post epistolas catholicas ante reliquos libros canonicos reperiuntur[29]. Unde satis apparet in primitiva Ecclesia de eius auctoritate consensum nullum exstitisse; a saec. 5. autem in ecclesia occidentali eam oblivioni datam iam esse atque ante Photii aetatem etiam in ecclesia graeca publice non amplius esse lectam[30] certum est.

10.) Pastor Hermae olim a non paucis Hermae illi adscriptus est, quem S. Paulus (*Rom.* 16,14) salutat[31]; unde videtur esse factum, ut aliqui eum canonicis Scripturis adnumerarent[32]. At non tantum auctor fragmenti *muratoriani*, quomodocumque eius verba explicantur, Pastorem a divinarum Scripturarum numero excludit[33], sed *Origenes* quoque eum non ab omnibus divinae originis putari fatetur, Eusebius τοῖς ἀντιλεγομένοις secundae classis adiungit, *S. Athanasius* libris, qui catechumenis leguntur, adnumerat[34]; apud Latinos autem paene ignotus erat tempore Hieronymi et post eius aetatem omnino incognitus[35]. Gelasius eum apocryphum dicit atque in Oriente quoque inde a 5. saeculo oblivioni tradi coeptus est[36].

Animadvertatur oportet, quomodo tres hi libri, qui tribus primis saeculis in ecclesiis quibusdam magno in honore fuerunt, paullatim auctoritatem suam amiserint, contra vero parvae illae epistolae (2 Petri, Iudae, 2, 3 Ioan.), quae primis scriptoribus ecclesiasticis vix ac ne vix quidem cognitae fuerunt, procedente tempore ab omnibus ceu divinae sint receptae. Evidens, ni fallor, hoc est argumentum, non levibus ex rationibus sed post diligens accuratumque examen, cognitis ecclesiarum apostolicarum testimoniis, Ecclesiam canonem suum sacrorum N. T. librorum constituisse.

23. *Clem. Alex.* Strom. II. 6. 7. 15 etc. (M. 8, 965. 969. 1004); *Orig.* c. Cels. I. 63 (M. 11, 777) cfr de princip. III. 4 etc. (M. 11, 310); *S. Hieron.* de viris illustr. 6 (M. 23, 619).

24. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 269); *Tertullianum* (de pudic. 20. M. 2. 1021) epistolam ad Hebr. sub Barnabae nomine laudare monuimus. — Cfr de S. Barnabae

epistola *Fessler* Patrologia I. p. 181 sqq. (Ed. 2. curante *B. Iunqmann* 1890 I. p. 169 sqq.); *Funk* Patr. apostol. I. p. I. sqq.; *Braunsberger* Der Apostel Barnabas. Mainz 1876; *Nirschl* Patrologie I. p. 51. sqq. etc.

25. *Euseb.* Hist. eccles. III. 16 et 38; III. 25; VI. 13 et 14 (M. 20, 249. 293. 269. 548 sq.).

26. *Euseb.* H. E. IV. 23 (M. 20, 388). Sed quum Dionysius eodem modo Soteris epistolam in posterum lectum iri dicat, patet Corinthios Clementis epistolam non pro divina habuisse.

27. *S. Hier.* de vir. ill. 15 (M. 23, 633).

28. Item eam omittit *Can.* 60 *laodic.*, si quis cum genuinum putet.

29. Cfr *Funk* Patres apost. I. p. XXXI.

30. *Photii* Biblioth. cod. 113 (M. 103, 388). — Cfr *Fessler* Patrologia I. p. 158 sqq. (Ed. 2. p. 122 sqq.); *Funk* Patres apost. I. p. XVII sqq.; *Nirschl* Patrologie I. p. 66. sqq.

31. *Clem. Alex.* Strom. I. 29. II. 1, etc. (M. 8, 928. 933); *S. Iren.* c. haer. IV. 20 (M. 7. 1032) textum eius ceu ex Scriptura haustum laudat (cfr *Euseb.* H. E. V. 8); *Orig.* Comm. in ep. ad. Rom. 16, 14 (M. 14, 1282) : « puto tamen quod Hermas ille sit scriptor libelli illius, qui Pastor vocatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur et, *ut puto*, divinitus inspirata ». Multa alia eorum testimonia collecta habes a *Cotelerio* ante Hermae opus. M. 2. 821 sqq.

32. *Cod. sinait.* eum habet post reliquos libros canonicos.

33. Cfr *supra* 63. lin. 73 sqq.

34. *Orig.* in Num. hom. 8, 1 : « si cui tamen scriptura illa recipienda videtur »; idem in Ps. 37. hom. 1, 1 (M. 12, 622. 1372); *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 269); *S. Athan.* de Nic. decr. 18 « librum hunc laudant (Eusebiani), quamvis non sit de canone »; ep. fest. 39 (M. 25, 448; 26, 1177).

35. *S. Hier.* de vir. ill. 10 (M. 23, 625) : « revera utilis liber, multique de eo scriptorum veterum usurpavere testimonia; sed apud Latinos paene ignotus est ». Iuniores scriptores latini haec verba ita repetunt, ut illis plane incognitum fuisse librum appareat; cfr *Freculphi* Chron. II. 2, 4 (M. 106, 1149), *Ado Viennens.* de festiv. Apost. 6 Id. mai (M. 123, 189), et *supra* 48 *n.* 13.

36. *Gelas.* decr. de recip. et non recip. libr. (M. 59. 162); *Nicephor.* Stichom. quoque eum inter apocryphos habet. — Cfr de Pastore *Fessler* Patrologia I. p. 186 sqq. (Ed. 2. p. 178 sqq.); *Funk* Patres apostolici I. p. CIX sqq.; *Nirschl* Patrologie I. p. 80 sqq.

79. — II. Secundo loco veniunt apocrypha illa, quae quam primum innotuerunt ab orthodoxis Patribus reiecta sunt neque unquam auctoritatem in Ecclesia obtinuerunt. Ad N. T. librorum imitationem falsarii illi et evangelia et actus et epistolas et apocalypses conscripserunt; maiorem autem numerum evangeliorum et actuum, minorem apocalypseon, minimum epistolarum. Neque id mirum; etenim genuina nostra Evangelia de Domini N. infantia deque eius parentibus admodum pauca, nec multa de eius passione referunt, et in S. Lucae Actibus de solis Apostolorum principibus aliqua narrantur; unde facile intelligitur, quod Christianis curiosioribus atque ea quoque, quae Deus nobis per Evangelistas tradi noluerat, scire cupientibus scriptores

parum scrupulosi ex traditione non certa ea, quae Evangeliis deesse putarunt, supplere conati sint. Uti vero in fabulis enarrandis fieri fere solet, illa, quae ex incerta traditione hausta erant, fictis novis rebus novisque miraculis prodigiisque aucta sunt et exornata. Accedit quod haeretici in genuinis N. T. Scripturis ea, quae in rem suam facerent, non invenientes alia Domini Apostolorumque facta dictave finxerint, quibus suos errores probarent; quare inter omnes antiquos haereticos gnostici praeprimis diligentes fuerunt in apocryphis conscribendis[1]. Sed haeretica figmenta omnia fere interierunt, atque reliquorum quoque, quae piae quidem sed periculosae curiositati inservierunt, pauca tantum ad nostram usque aetatem perseverant. Circiter quinquaginta evangeliorum, duodeviginti actuum tituli ex Patrum operibus cogniti sunt; procul dubio idem liber interdum variis nominibus insignitus est, attamen non est dubitandum, quin longe maior eorum numerus iam dudum interierit. Illos, qui adhuc exstant, enumerabimus, ut aliqualis eorum notitia habeatur[2].

1. *S. Epiph.* haer. 26, 8. 12 (M. 41, 341. 349) « sexcenta (μυρία) apud eos (gnosticos) scripta audacter conficta sunt ».

2. Cfr *Thilo* Codex apocr. N. T. Lips. 1832. (Tom. I. et unicus sola evangelia continet); *Tischendorf* Evangelia apocrypha Lips. 1853; Acta Apostolorum apocrypha Lips. 1851; Apocalypses apocryphae Lips. 1866; *Hilgenfeld* Novum Test. extra canonem receptum. Ed. 2. Lips. 1884; *R. A. Lipsius* Die apocryphen Apostelgesch. und Apostellegenden. Braunschw. 1882 etc.

80. — A. EVANGELIA APOCRYPHA superstita a *Tischendorf* aliisque in tres classes dispertiuntur, prout aut de Domini parentibus eiusque nativitate, aut de eius infantia, aut de eius passione agant; verum quia primae classis ac secundae libri aegre secernuntur, duas tantum classes statuere malumus evangeliorum, quae Domini ortum infantiamque spectant, eorumque, quae eius passionem descensumque ad inferos narrant.

Priusquam autem ea enumeremus, de EVANGELIO SECUNDUM PETRUM, cuius magnum fragmentum nuper repertum est, quaedam videntur praemittenda[1]. Licet enim fragmentum repertum de passione et resurrectione Domini sola agat, ex *Origenis* tamen testimonio constat, apocryphum illud etiam de nativitate primisque annis Domini tractasse ac probabiliter canonicis nostris Evangeliis argumento suo vicinum fuisse. Primus de libro, qui *evangelium secundum Petrum dicitur* (περὶ τοῦ λεγομένου κατὰ Πέτρον εὐαγγελίου), *Serapion*, episcopus antiochenus (190-203) loquitur; in ecclesia rhossensi in Cilicia illud invenerat illiusque usum privatum permiserat, antequam illud perlegerat; Antiochiam autem reversus, quum Christianos illos, a quibus de illo libro interrogatus erat, haeresi infectos esse audisset, exemplar quoddam a docetis,

qui ipsi quoque eo utebantur, acceptum examini subiecit invenitque « multa quidem in illo Evangelio cum recta fide consentire, nonnulla vero a rectae fidei ratione aliena adiuncta esse », quae in sua epistola ad rhossensem ecclesiam singula enumerasse videtur. *Origenes* deinde illud una cum protevangelio Iacobi commemorat, *Eusebius* illud ultima in classe inter absurda et impia figmenta recenset, *S. Hieronymus* illud inter apocryphas scripturas repudiari asserit, ac similiter *S. Innocentius* I. et *Gelasius* velut apocryphum illud reiiciunt[2]. Fragmentum conservatum incipit a Christi condemnatione, in qua Herodi primas partes attribuit, totam passionem narrat, resurrectionem ipsam describit et in principio narrationis de apparitione Domini prope mare galilaicum facta abrumpitur. Quin auctor apocryphi quatuor nostra Evangelia canonica prae oculis habuerit non est dubium, quum ipsis in verbis haud infrequenter accurate cum iis consonet; saepius autem in verbis cum Ioanne quam cum synopticis congruit. Iuxta morem apocryphorum in nonnullis rebus minutis (uti in lotione manuum Pilati, in irrisione Domini, in tenebris etc.) depingendis delectatur, neque sententiis caret, quae docetismo favent, quamvis orthodoxam interpretationem non plane excludant. Plerique apocryphum nostrum iam ineunte saec. 2. exortum esse volunt; quae opinio si vera esset, egregium in evangelio hoc haberemus testimonium, quo quatuor canonicorum Evangeliorum authentiam defenderemus. Verumtamen quo haec opinio confirmetur, nihil affertur nisi coniectura, evangelium Petri adnumerandum esse Memorabilibus Apostolorum a S. Iustino adhibitis; sed hanc coniecturam esse erroneam *supra* (62 *n.* 6 p. 178 sq.) iam ostendimus; ac profecto qui ea omnia, quae S. Iustinus sive in Apologia sive in Dialogo contra Tryph. de passione Domini tradit, accurate comparaverit, haud pauca quidem inveniet, in quibus a fragmento nostro dissentit, nihil vero, quo eum nostro apocrypho usum esse probabile reddatur. Rectius illi sentire videntur, qui evangelium secundum Petrum circa a. 170 inter ethnicochristianos in Syria exortum esse censent[3].

Iam ad evangelia apocrypha illa transeamus, quae de ortu et infantia Domini agunt.

1.) Protevangelium Iacobi historiam parentum B. Virginis, eius nativitatem, infantiam, desponsationem enarrat, atque demum nativitatem Domini usque ad caedem bethlehemiticam. Primus, qui illud titulo suo laudaverit, est *Origenes*[4]; *S. Iustinum* illo usum esse demonstrari nequit, *Clemens Alex.* autem illud cognitum habuisse iure asseritur[5]; quum a iunioribus graecis frequenter nominetur[6] et in codicibus multis inveniatur, antiquitus illud pervulgatum fuisse concludendum est. Saec. 2. conscriptum iure creditur.

2.) Eadem fere aetate exortum etiam est Evangelium S. Thomae, cuius variae in codicibus exstant recensiones, ita ut tres in suam editionem recipiendas Tischendorf duxerit. Prima, quae inscribitur Θωμᾶ Ἰσραηλίτου φιλοσόφου ῥητὰ εἰς τὰ παιδικὰ τοῦ Κυρίου, undeviginti capitibus historiam pueri Iesu a 5. usque ad 12. aetatis annum narrat; altera, ipsa quoque graeca, quae nuncupatur σύγγραμμα τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ περὶ τῆς παιδικῆς τοῦ Κυρίου, undecim capitibus pueri vitam a 5. usque ad 8. aetatis annum refert; tertia demum latina, « Tractatus de pueritia Iesu secundum Thomam », quindecim capitibus vitam pueri inde a fuga in Aegyptum usque ad 8. aetatis annum describit. *Origenes* apocryphum hoc suo titulo citat, auctor *Philosophumenon* sectam naassenorum eo usam esse, *S. Irenaeus* nomine quidem auctoris tacito illud a marcosiis adhibitum testatur [7]; *Eusebius* quoque et *Cyrillus Ieros.* illud haereticis attribuunt; inter Latinos autem *SS. Ambrosius* et *Hieronymus* illud cognoverunt [8]. Non immerito Tischendorf coniicit, auctorem ex illa fuisse docetarum secta, qui simul gnosticis deliramentis inhaeserunt.

3.) Fabulae ab istis apocryphis traditae, quam primum Latinis innotuerunt, cum aliis similibus permixtae duobus evangeliis latinis ortum dederunt. Evangelium Ps. Matthaei vel *liber de ortu B. Virginis et de infantia Salvatoris* quadraginta duobus capitibus nativitatem, infantiam, desponsationem B. V. narrat, et historiam Domini ab eius infantia usque ad eius adolescentiam perducit; Evangelium de nativitate Mariae B. Virginis historiam usque ad Domini nativitatem enarrat. Priori apocrypho in multis codicibus praemittuntur duae epistolae, in quarum priore Chromatius et Heliodorus episcopi S. Hieronymum rogare finguntur, ut ipse, quum tot apocrypha de ortu Virginis et Domini infantia exstent, genuinum Evangelium Matthaei hebraicum, in quo Virginis et Domini historia sit descripta, latine vertere velit, in altera autem Ps. Hieronymus respondet, se arduum hoc opus in se suscepisse etc. A Iacobi protevangelio et Thomae apocrypho utrumque latinum dependet; num S. Hieronymus ad latinum Ps. Matthaei evangelium (c. 13) respexerit, ubi contra Helvidium perpetuam B. V. virginitatem defendit, an potius ad Ps. Iacobi protevangelium (c. 20), nemo facile dixerit [9]; *S. Innocentius I.* autem et *Gelasius* haud dubie latina haec apocrypha damnaverunt [10].

4.) Historia Iosephi fabri lignarii triginta duobus capitibus vitam S. Iosephi eiusque mortem enarrat. Scriptam eam esse in Aegypto ultima praesertim pars docet, in qua sat multae allusiones ad antiquorum Aegyptiorum placita de statu animae post mortem inveniuntur. Saec. 4. composita dicitur; hodie non habetur nisi arabice et coptice et Coptis schismaticis in festo S. Ioseph publicae lectioni adhuc inservit [11].

5.) Evangelium infantiae arabicum, quo valde delectantur nestoriani chaldaei et monophysitae copti, quinquaginta quinque capitibus pueritiam Domini N. ab eius nativitate ad decimum usque aetatis annum narrat. Prima novem capita ex Ps. Iacobi protevangelio compilata, ultima viginti ex Ps. Thomae evangelio desumta sunt, pars intermedia portentosissimis narra-

tionibus constat, quae orientalem mentis luxuriam produnt. Quum Muhammed in suo Korano quasdam ex istis fabulis commemoret, ante 7. saec. compositum esse apparet; probabiliter Syriae ortum suum debet, et quum integrum sit in B. Virginis bonitate et potentia celebrandis, olim forte lectioni publicae in festis B. V. inserviebat [12].

1. Mémoires publiés par les membres de la mission archéol. au Caire. IX. 1. *Ul. Bouriant* Fragments du texte grec du livre d'Énoch et de quelques écrits attribués à S. Pierre. Paris 1892 (cfr *supra* 76. *n.* 5). — Accuratiores editiones fragmentorum evangelii et apocalypseos Petri curarunt in Germania *A. Harnack* Bruchstücke des Evang. u. der Apoc. des Petrus (Ed. 2. Leipzig 1893), in Gallia *A. Lods* Evangelii secundum Petrum et Petri Apocalypseos quae supersunt cum latina versione et dissert. critica (Paris 1892), in Anglia *I. A. Robinson* and *M. Rh. Iames* The Gospel according to Peter and the Revelation of Peter. Two lectures together with the greek text (London 1892).

2. Cfr *Serapion* apud *Eus.* H. E. VI. 12 (M. 20, 545); *Orig.* in Matth. X. 17 (M. 13, 876 cfr *infra n.* 4); *Euseb.* Hist. Eccl. III. 3. 25 (M. 20, 217. 269); *S. Hieron.* De viris ill. 1. 41 (M. 23, 609. 657); *S. Innoc. I.* ad Exsup. Tolos. 7 (Mansi III. 1041); *Gelas.* decr. de libr. recip. et non recip. (M. 59, 162).

3. *Herb. Lucas* S. I. The new Apocrypha (The Month. January 1893 p. 1-15); *M. Maher* S. I. Recent evidence for the authenticity of the Gospels (London 1893 p. 81 sqq.); cfr etiam *Zahn* Gesch. des neutestam. Kanons (II. 2. 1892 p. 742 sqq.), qui tamen fragmentum recenter detectum nondum cognovit.

4. *Orig.* in Matth. t. X. 17 (M. 13, 876), ubi de eorum sententia loquitur, qui « fratres Iesu » Iosephi filios ex priore coniuge fuisse putaverunt, « ad id scilicet adducti traditione evangelii, quod *secundum Petrum* inscribitur, vel *libri Iacobi* ».

5. *S. Iustin.* c. Tryph. 78 (M. 6, 657) ea, quae de nativitate Domini narrat, ex traditione haurire potuit, sc. S. Iosephum cum sponsa sua in *specum quendam* vico Bethlehem proximum concessisse (cfr *Orig.* c. Cels. I. 51 M. 11, 756). Quae vero *Clemens Alex.* (Strom. VII. 16 M. 9, 529) de obstetrice tradit, utique ex protevangelio desumta esse est concedendum.

6. *S. Epiphan.* haer. 79, 5 (M. 42, 748); *S. Gregor. Nyss.* Or. in diem nat. Christ. (M. 46, 1137 sqq.) etc. — *Gelas.* de libr. recip. et non recip. (M. 59, 162).

7. *Orig.* in Luc. hom. 1 (M. 13, 1803); *Philosoph.* V. 7 (M. 16, 3131); *S. Iren.* c. haer. I. 20 (M. 7, 653).

8. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 269); *S. Cyrill. Ieros.* Catech. IV. 36 (M. 33, 500); *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 17); *S. Ambros.* in Luc. 1, 1 (M. 15, 1533). — *S. Innoc. I.* ad Exsup. Tolos. 7 (Mansi III. 1041); *Gelas.* de libr. recip. et non recip. (M. 59, 162) « evangelium nomine Thomae, quo utuntur manichaei, apocryphum ».

9. *S. Hier.* c. Helvid. 8 (M. 23, 191).

10. *S. Innocent.* ad Exsup. Tol. l. c.; *Gelas.* l. c. « liber de nativitate Salvatoris et de Maria et obstetrice apocryphus ». Ceterum in cod. lipsiensi adest alius « liber de nativitate Christi et de obstetricibus ab Iosepho adductis, item de infantia eius usque ad annum duodecimum » (*Feller,* Catalog. codicum bibl. paulinae in Acad. Lips. 1866. 161).

11. Historiam Iosephi fabri lignarii arabice et latine edidit *Thilo* Codex apocr. N. T. p. 3 aqq.; primigenius copticus textus exstat in codicibus vaticanis.

12. Evangelium Infantiae arabice et latine edidit *Thilo* l. c. I. 67 sqq. — Textus pri-

migenius syriacus fuisse recte dicitur; syrum enim auctorem prodit aera Alexandri adhibita.

Alteri Evangeliorum classi, quae passionem Domini eiusque descensum ad inferos narrant, adnumerantur :

6.) Evangelium Nicodemi, quo nomine duo libri distincti comprehenduntur, Gesta vel Acta Pilati et Descensus Christi ad inferos; antiquiores codices graeci priorem librum solum, latini autem iuniores, omissa prioris libri clausula, utrumque sub nomine evangelii Nicodemi continent. Prioris libri titulus completus est : ὑπομνήματα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πραχθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου (Memorabilia D. N. I. Chr. sub [vel coram] Pilato), ex quo erronea praepositionis lectione (ὑπὸ pro ἐπὶ) postea facta sunt « Gesta Pilati ». *S. Iustinus* et *Tertullianus* in suis Apologiis ad Pilati acta provocant : « haec ita gesta esse ex actis sub Pontio Pilato confectis (ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων) discere potestis », et « haec omnia super Christo Pilatus, et ipse iam pro sua conscientia christianus, Caesari tum Tiberio nuntiavit ». Quare multi recentiores putant, illos huius apocryphi priorem partem ante oculos habuisse; at immerito, quum verba ipsa et contextus doceant, utrumque ad publicum quoddam instrumentum provocasse; fieri autem nullo modo potuit, ut apocryphum hoc pro genuinis Pilati actis haberent [13]. Unde rectius dicemus apologetarum istorum verba falsario ansam dedisse, ut apocryphum suum componeret. Etenim Gesta Pilati evidenter eum in finem a Christiano conscripta sunt, ut Iudaeis « scandalum crucis » occultaret; totus enim in eo est, ut Dominum in ipsa sua passione multis miraculis a Deo Patre clarificatum ostendat, ideoque fuse narrat, quae coram Pilato acta sunt, quaeque post Domini resurrectionem sacerdotes egerunt, ut de resurrectione certiores fierent. Gesta vel Acta Pilati a *S. Epiphanio* primo nominantur, qui ex illis sectam quandam, quam quartadecimanis accenset, suam de die paschatis sententiam probare voluisse refert; quae vero ex *Eusebii* historia afferuntur, quum ex Tertulliani, quem citat, Apologetico desumta sint, minime demonstrant, Eusebio apocryphum nostrum iam cognitum fuisse [14]. A iunioribus scriptoribus saepius nominatur et media aetate una cum altera parte etiam versionibus germanica, gallica, celtica, anglosaxonica, suecica erat propagatum [15].

Altera pars continet relationem, quam duo filii Simeonis senis, Lucius et Carinus, qui una cum Christo resurgente e sepulcris suis exierint, iussu pontificum de Christi adventu in infernum conscripsisse finguntur, ita ut testimonium, quod prior pars de resurrectione Christi fert, confirmet et compleat.

Cum Nicodemi Evangelio magis minusve cohaerent

7.) scripturae quaedam, quae Pilati nomen gerunt :

a.) Epistola Pilati, qua imperatorem de morte et resurrectione Christi certiorem reddit;

b.) Epistola Pilati altera, qua sese defendit, quod innocentem Dominum condemnaverit, quibus addamus

c.) EPISTOLAS PILATI AD HERODEM ET HERODIS AD PILATUM, quae rationes, quibus ipsi ad christianam religionem conversi sint, exponunt [16].

d.) ANAPHORA PILATI, i. e. publica quaedam Pilati relatio de iudicio, morte, resurrectione Domini et de praecipuis eius miraculis. Ad supplendam forte genuinam Pilati relationem, ad quam Iustinus et Tertullianus provocant, ficta, aut fictitiis illis ACTIS PILATI opposita est, quae teste Eusebio Maximinus imperator, ut odium contra Christianos inflammaret, propaganda curavit [17].

e.) PARADOSIS PILATI enarrat, quomodo Pilatus ob iniustam suam sententiam ab imperatore capitis damnatus, sed poenitens factus una cum uxore Procla a Christo in coelum sit receptus.

f.) MORS PILATI, cum priore similis argumento, in eo tamen ab eo dissentit, quod Pilatum ad mortem damnatum se ipsum interemisse tradat.

8.) NARRATIO IOSEPHI AB ARIMATHAEA, quae ineunte medio aevo scripta censetur, passione narrata refert, quomodo Dominus post resurrectionem Nicodemo a Iudaeis in carcerem detruso apparuerit et latro poenitens in paradisum sit introductus.

9.) VINDICTA SALVATORIS, omni prorsus historia neglecta, narrat Titum miraculo quodam a morbo sanatum et cum Vespasiano ad Iudaeos propter mortem Christo illatam puniendos in Palaestinam profectum, Iudaeis devictis et Ierosolymis eversis, Pilatum in vincula coniecisse, S. Veronicam autem secum Romam adduxisse, ut imagine Domini N. Tiberium a lepra sanaret [18].

13. *S. Iustin.* Apol. I. 35 (M. 6. 384); *Tertull.* Apologet. 21 (M. 1, 403). Attende Iustinum nomine ἄκτων uti, quo apocryphum istud nunquam in codicibus inscribitur (cfr *supra* 62. *n.* 7).

14. *S. Epiph.* haer. 50, 1 (M. 41, 884) : « sunt inter eos (quartadecimanos) nonnulli, qui eandem semper diem observant eademque die ieiunant et mysteria celebrant; nam ex Actis Pilati accuratam se huius instituti rationem didicisse glorientur, in quibus scriptum est, 8. Kal. April. Salvatorem esse passum »; *Euseb.* H. E. II. 2 (M. 20, 140 sq.); quae autem I. 9 et IX. 5 (M. 20, 108. 805) commemorantur ὑπομνήματα Πιλάτου καὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, illa a Maximino imperatore conficta erant, nec quidquam cum nostris Gestis Pilati habent commune; Eusebius autem, si apocryphum nostrum cognovisset, eo in loco silentio illud non transisset.

15. *Oros.* Hist. VII. 4 (M. 31, 1076); *Gregor. Turon.* Hist. Franc. I. 20 sq. (M. 71, 191); *Vincent. Bellov.* (Spec. histor. VIII. 40) et *Iacob. de Vorag.* (Hist. Longob. 55), aeque ac alii medii aevi scriptores, altera parte praeprimis usi sunt. De versionibus cfr *Wackernagel* Gesch. d. deutsch. Literat. 125. 171 etc.

16. Prima epistola graece habetur in Actis Petri et Pauli (*Tischend.* Acta apocr. p. 16), latine in Descensu Christi (*Tischend.* Evang. apocr. p. 302); altera latine tantum habetur (*Tischend.* Evang. p. 411); tertia syriace inventa est et edita a *Wright* Contributions to the apocryphal literature of the N. T. London 1865 p. 12.

17. Cfr *Euseb.* II. E. I. 9 et IX. 5 (M. 20, 108. 805).

18. Duo ultima iunioris omnino sunt originis, sicut etiam pleraque, quae sub numero 7) enumeravimus; a Patribus non commemorantur neque nisi raro a paucis scriptoribus credulioribus sunt adhibita.

81. — B. ACTA APOCRYPHA magis quam evangelia ab haereticis ad errores suos spargendos apostolicaque auctoritate confirmandos ficta sunt. In *gelasiano* decreto praeter Itinerarium Petri Apostoli Actusque nominibus Andreae, Thomae, Petri, Philippi, Theclae et Pauli inscriptos « libri omnes, quos fecit Leucius (Lucius) discipulus diaboli » damnantur, atque *Innocentius I.* quoque iam ea « quae a quodam Leucio scripta sunt » damnaverat[1]; atqui Lucii istius Charini libri secundum Photium complectebantur « Acta Petri, Ioannis, Andreae, Thomae et Pauli » eaque omnimodis haeresibus et erroribus referta[2]. Celeberrima antiquitus fuit PRAEDICATIO PETRI (κήρυγμα Πέτρου), qua Valentini discipulus Heracleon primus usus est[3]; eam saepius pro autoritate laudat *Clemens Alex.*[4]; num genuina, an spuria, an mixta sit, *Origenes* in dubio relinquit[5]; *Eusebius vero, Hieronymus* aliique iuniores eam apocryphis accensent[6]. A praedicatione Petri ACTA PETRI distinguunt apocryphisque adnumerant iidem *Eusebius* et *Hieronymus*[7]. PAULI ACTA quoque cum dubitatione quadam ab *Origine* admittuntur, neque ab *Eusebio* plane reiiciuntur, sed secundae sectioni secundae classis inseruntur[8], a *Tertulliano* tamen per presbyterum asiaticum ficta dicuntur[9]. ACTUS ANDREAE porro vel ANDREAE ET IOANNIS vel *Andreae et Ioannis et aliorum Apostolorum* a variis sectis adhibiti sunt[10], ac similiter ACTA THOMAE apud encraticos et manichaeos[11] et TRADITIONES MATTHIAE apud gnosticas quasdam sectas in honore fuisse dicuntur[12]. Haeretica haec scripta paucis exceptis fragmentis interierunt; quae vero hodie adhuc in codicibus inveniuntur Acta, fere omnia iunioris sunt originis atque probabiliter ex haereticis illis retractatis et expurgatis composita. Omnia, quae supersunt, enumerare non vacat, quare ea sola nominabimus, quae *Tischendorf* in suam collectionem recepit, de quibusque fusius in Prolegomenis agit; indigna enim illa esse arbitramur, quibus multum temporis tribuatur.

1. *Gelas.* decret. de recip. libr. (M. 59, 102); *Innoc. I.* ad Exsuper. 7 (Mansi III, 1041).
2. *Photii* Biblioth. cod. 114 (M. 103, 390); cfr *S. August.* Acta cum Felice Manich. II. 6 (M. 42, 539).
3. *Orig.* in Ioan. tom. XIII. 17 (M. 14, 424).
4. *Clem. Alex.* Strom. VI. 5, 6, 15 (M. 9, 257. 269. 352).
5. *Orig.* l. c.
6. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 269); *S. Hier.* de vir. ill. 1 (M. 23, 609).
7. *Euseb.* et *Hieron.* ll. c.
8. *Orig.* de princ. I. 2. 3; in Ioan. tom. XX. 12 (M. 11, 132; 14, 600 « si cui placet admittere »); *Euseb.* H. E. III. 3. 25 (M. 20, 217. 269).
9. *Tertull.* De bapt. 17 (M. 1, 1219).
10. *S. Epiphan.* haer. 47, 1 (Encraticae); haer. 61, 1 (Apostolici); haer. 63, 2 (Origenistae) (M. 41, 852. 1040. 1064); *S. Philastr.* haer. 88 (Manichaei. M. 12, 1200).
11. *S. Epiphan.* haer. 47, 1 (M. 41, 852); *S. August.* c. Faust. XXII. 79 (M. 42, 452).
12. *Clem. Alex.* Strom. III. 4. VII. 17 (M. 8, 1132; 9. 552). Ipse Clemens opus hoc medium inter Platonis Timaeum et Evangelium secundum Hebraeos (Strom. II. 9. M. 8, 981) aut etiam solum adhibet (Strom. VI. 13. M. 9, 513); cfr etiam *Eus.* H. E. III. 29 (M. 20, 277).

1.) Acta Petri et Pauli alterum Pauli in Urbem adventum, disputationes principum Apostolorum cum Simone Mago eorumque martyrium referunt. Eiusdem fere argumenti sunt duo libri latini : *De mirificis rebus et actibus BB. Petri et Pauli et de magicis artibus Simonis Magi,* qui liber a S. Marcello, Petri discipulo, conscriptus fingitur, et *Commentarius de ultimis Petri et Pauli rebus,* quem S. Linus composuisse et ad ecclesias orientales misisse fertur [13].

2.) Acta Pauli et Theclae ex illis *Pauli Actis,* quae commemorat *Tertullianus,* fluxisse videntur, at non plane eadem sunt, quum saltem fabula leonis baptizati, quam in Περιόδοις Pauli et Theclae legi testatur *Hieronymus,* in apocrypho nostro desit [14]. Argumentum Actorum est conversio S. Theclae, virginis iconiensis, et miraculosa eius in duplici martyrio conservatio. Num ea omnia, quae antiqui Patres, *SS. Ambrosius, Methodius, Gregorii Nyss.* et *Naz.* aliique, de S. Theclae vita et martyrio tradunt, ex nostro apocrypho sint hausta, an potius Patrum relationes et apocryphum ex communi fonte fluxerint, non satis constat [15].

3.) Acta Barnabae auctore Marco (περίοδοι καὶ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Βαρνάβα ἀποστόλου), quae ante saec. 11. non commemorantur, narrant, quomodo Barnabas, postquam se a Paulo separavit, cum Marco in Cyprum profectus ibi martyrium passus sit [16].

4.) Acta Philippi (ἐκ τῶν περιόδων Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου) miram continent de martyrio Philippi narrationem; in Hierapoli Phrygiae una cum S. Bartholomaeo et sorore sua Mariamne a proconsule ad mortem damnatus, quum lento igne cremaretur, precatus est Deum, ut mortem suam vindicaret; atque statim terra proconsulem et populum deglutivit; apparens autem Dominus Philippum vituperat eique praedicit, eum non nisi quadraginta diebus post mortem in coelum intraturum, populum vero a terra deglutitum salvat; Bartholomaeus et Mariamne vinculis solvuntur, S. Philippus autem in martyrio vitam finit. Acta haec adhibita sunt in graecis Menologiis [17].

5.) Acta Philippi in Hellade (Πράξεις τοῦ ἁγίου Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου ὅτε εἰσῆλθεν εἰς τὴν Ἕλλαδα τὴν ἄνω), iuniora quaedam sunt priorum complementa; simile narrant miraculum, summum sc. Iudaeorum sacerdotem, qui in Christum credere recusavit, precante Philippo vivum a terra deglutitum atque hoc facto viso Athenienses ad fidem conversos esse.

6.) Acta Andreae, quae in variarum sectarum usu fuisse testantur Patres quaeque Leucio auctori adscribunt [18], haud dubie diversa erant ab Actis hoc titulo hodie adhuc insignitis, quae interdum alio titulo vocantur : *epistola encyclica presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio Andreae.* Epistolam hanc Baronius et Bellarminus genuinam habent, alii eam esse apocryphi retractationem censent [19].

7.) Acta Andreae et Matthiae in oppido anthropophagorum forte alterius partis operis leuciani sunt retractatio, atque cum iis cohaerent.

8.) Acta et martyrium Matthaei, quae eorum sunt continuatio quaedam, quum Matthiae et Matthaei nomina saepe inter se permutentur.

9.) Ad Leucii quoque opus pertinuisse videntur ACTA THOMAE, quae ab iisdem haereticis, a quibus Acta Andreae, in honore habebantur [20], et CONSUMMATIO THOMAE eodem ex fonte derivanda est.

10.) MARTYRIUM BARTHOLOMAEI eadem fere tradit, quae Ps. Abdias in sua Historia apostolici certaminis, ut incertum sit, num latinus auctor ex graeco, an graecus ex latino hauserit.

11.) ACTA THADDAEI. Eusebius refert Thaddaeum Apostolum a Domino post resurrectionem ad Abgarum edessenum regem missum esse, ut eum a morbo diuturno sanaret. Missionem hanc regisque et populi conversionem ad fidem narrant Acta Thaddaei [21].

12.) ACTA IOANNIS, quum ab antiquioribus Patribus commemorentur una cum Actis Andreae et Thomae [22], ex antiquissimis apocryphis sunt. In illis, quae adhuc exstant, miracula quaedam narrantur, quae Ioannes coram Domitiano patravit, et miraculosa eius e medio fratrum ablatio [23].

13. Similia referuntur in Ps. Abdiae Apostolici certaminis historia I. 6 sqq.; cfr etiam Acta SS. Iun. V. 424 sqq.

14. *S. Hier.* de vir. ill. 7 (M. 23, 619).

15. *S. Ambros.* de virg. II. 3; ad Vercell. eccl. ep. 63, 34 etc. (M. 16, 211. 1198); *S. August.* (vel potius Faustus Manich.) c. Faust. XXX. 4 (M. 42, 492); *S. Method.* Conviv. virg. or. XI. 2 (M. 18, 208 sq.); *S. Epiph.* haer. 78, 16 (M. 42, 725) etc.

16. Cfr *Acta Sanct.* Mens. Iun. II. 431.

17. *Acta Sanct.* Mens. Mai I. 12.

18. *Phot.* Biblioth. cod. 114 (M. 103, 390).

19. *Baron.* Annal. ad an. 68. n. 34; *Bellarm.* de script. ecclesiast. Romae 1613 p. 39 etc.; cfr M. PP. Gr. 2, 1187 sqq.

20. *S. Epiph.* haer. 47, 1; 61, 1 (M. 41, 852. 1040).

21. *Euseb.* H. E. I. 13 (M. 20, 120 sqq.).

22. *S. Epiph.* haer. 47, 1 (M. 41, 852); *Eus.* H. E. III. 25 (M. 20, 269).

23. Praeter additamenta ad Acta Andreae et Matthiae, Philippi, Thomae *Tischendorf* Apocalypsibus apocryphis adiunxit *Acta Petri et Andreae.*

82. — C. ESPISTOLAE ET APOCALYPSES APOCRYPHAE. Praeter epistolas ad Laodicenses et Corinthios apocryphas aliae non habentur nisi *epistola Petri ad Iacobum,* fratrem Domini et episcopum ierosolymitanum, qua ipsi librum praedicationum suarum commendat eumque non cum omnibus communicandum monet, *epistola Clementis ad Iacobum,* qua eum de S. Petri martyrio deque sua ipsius in cathedram romanam elevatione certiorem reddit [1], et epistola *Ioannis ad hydropicum,* si pauca ista verba, quibus scriptis hydropico salutem restituit, epistola dici possunt [2].

1. Praemittuntur Clementinis homiliis M. 2, 25. 31; cfr etiam *Clementis* de actibus Petri epitome ad Iacobum Ierosolymit. M. 2, 469 sqq.

2. *Ps. Prochori* historia Ioannis Apostoli 34 (Biblioth. max. Patrum II. 61); de Ps. Prochoro cfr *Bellarm.* de script. eccles. p. 31.

Inter Apocalypses celeberrima olim erat APOCALYPSIS PETRI, quam medio saec. 2. in ecclesia romana publice lectitari, quamvis non ab omnibus admittatur, testatur auctor fragmenti *muratoriani* [3]. Eodem tempore eam a

Theodoto haeretico adhibitam fuisse constat ex *Clementis* Alex. excerptis; *Eusebius* eam secundae sectioni τῶν ἀντιλεγομένων adscribit; *S. Hieronymus* eam « inter apocryphas scripturas repudiari » dicit; *Sozomenus* vero eam, quamvis velut adulterina a veteribus repudiata sit, suo adhuc tempore in nonnullis ecclesiis Palaestinae semel quotannis legi testatur [4]. Paucis tantum fragmentis nobis erat cognita, usque dum nuperrime una cum evangelii Petri etiam apocalypseos Petri satis magna pars reperta et publici iuris facta est; ex qua apparet eam potissimum de praemiis beatorum ac poenis damnatorum egisse, quae Petro aliisque Apostolis a Domino in visione exhiberi finguntur [5].

Antiquitus etiam habebatur APOCALYPSIS PAULI (ἀναβατικὸν Παύλου); dubitant multi an idem sit liber, quem *S. Epiphanius* a caianis confictum refert, atque ille, quo haereticos quosdam latinos usos esse testatur *S. Augustinus*, quemque certis anni diebus in aliquibus Palaestinae ecclesiis praelegi narrat *Sozomenus* [6]; certum est eius auctorem inenarrabilia illa enarrare voluisse, quae Apostolus gentium in raptu suo viderat. Idem autem argumentum illa Pauli Apocalypsis tractat, quam Tischendorf graece reperit ediditque; ex syriaco quodam codice anglice quoque translata est [7].

Canonica Ioannis Apocalypsi non contenti aliqui alteram IOANNIS APOCALYPSIN sibi adornaverunt, quae ante saec. 9. non commemoratur [8]. *Apocalypses Thomae* et *S. Stephani Protomart.* ex gelasiano decreto cognitae sunt; *Apocalypseos Bartholomaei* fragmentum, quod coptice habetur, gallice edidit Dulaurier [9].

3. *Fragm. murator.* lin. 71. 72.
4. *Clem. Alex.* Eclogae ex Script. proph. 48. 49 (M. 9, 720); *Euseb.* H. E. III. 25 cfr III. 3 (M. 20, 269. 217); *S. Hier.* de viris illustr. 1 (M. 23, 609); *Sozomen.* Hist. eccl. VII. 19 (M. 67, 1477).
5. Editiones praecipuas enumeravimus *supra* 80 *n.* 1 p. 235. — Fragmenta antea cognita recenset *Th. Zahn.* Gesch. des neutest. Kanons II. 2. (1892) p. 818 sq.
6. *S. Epiph.* haer. 38, 2 (M. 41, 656); *S. Aug.* in Ioan. tract. 98, 8 (M. 35, 1585); *Sozom.* H. E. VII. 19 (M. 67, 1480).
7. *Tischend.* Apoc. apocr. p. 34 sqq.; *Perkins* The Revel. of St. Paul in Cowper's Journal of Sacr. and Bibl. Records. 1865 p. 372 sqq.
8. Tischend. l. c. p. 70 sqq. cfr Proleg. p. XVIII.
9. *Dulaurier*, Fragment des révél. apocr. de St Barthélemy. Paris, 1835.

Plerique libri apocryphi, quamvis iure merito reiiciantur, non parvae tamen utilitatis sunt, dummodo ad S. Hieronymi monitum attendatur, magnae esse prudentiae aurum in luto quaerere [10]. Sua enim cuique manet utilitas, eaque et critica et exegetica. Etenim plerique apocryphi ita a canonicis libris dependent, ut egregium nobis canonicorum praebeant argumentum, quum falsarios illos continuo ad genuinos libros respexisse appareat; tanta autem simul inter utrosque est dissimilitudo, ut nemo non videat, canonicos digito Dei esse conscriptos, apocryphos autem effrenatae et luxuriantis mentis humanae

esse foetus. Praeterea apocryphi doctrinae iudaicae, qualis sub initiis aerae christianae erat, rationem nos docent, haeresium historiam dilucidant aliaque nobis exhibent, quae in exponendis Scripturis non levis sunt momenti [11].

10. *S. Hier.* ad Laet. ep. 107, 12 (M. 22, 877).
11. Cfr *Danko* Hist. Revel. III. 89; *Langen* Das Iudenthum in Palaestina. Einl. p. 8.

§ 11. — *De libris deperditis Utriusque Testamenti.*

83. — Num liber aliquis divinitus inspiratus decursu temporis interire ac perdi possit, quaestio est inter theologos etiam catholicos controversa. Negantium partes tenere iam videtur *S. Augustinus,* quamvis rem decidere non audeat [1]; at libros inspiratos interire posse et revera interisse affirmant *Origenes, Chrysostomus, Thomas Aq., Bellarminus, Serarius, Pineda, Bonfrerius* modernique vix non omnes [2].

Salmeron duplici ratione S. Augustini sententiam tueri conatur. Etenim Deus, inquit, quum per librum a se inspiratum homines docere et dirigere velit, pro sua providentia etiam illum conservabit; Ecclesia vero sive vetus sive nova, si librum suae diligentiae a Deo commissum negligentia sua interire sineret, fidelis custos depositi divini iam non esset totaque vis et ratio traditionis elideretur [3].

At altera haec ratio facile solvitur distinctione facta inter librum canonicum interque librum inspiratum, quamquam alii ipsos quoque libros canonicos interire posse censent. Quam alteram sententiam ita exponit Card. *Franzelin* [4] : « Ad munus Ecclesiae pertinet sub assistentia Spiritus S. custodia infallibilis, sicut verbi Dei generatim, ita etiam verbi scripti. Quod quidem non ita intelligendum est, ac si assistentia Spiritus S. promissa esset, ne unquam aut textus aliquis, aut pars libri divini, aut etiam liber integer excidat. Quamvis enim specialis providentia Dei circa conservationem librorum sacrorum tam Veteris quam Novi Testamenti tempore agnosci debeat, promissa tamen assistentia Spiritus S. et inde pendens infallibilitas Ecclesiae in custodia depositi fidei per se non includit indefectibilem conservationem omnium librorum eorumque partium, qui sunt divinitus inspirati atque adeo continent verbum Dei scriptum. Ratio est, quia *libri inspirati non sunt unicum nec absolute necessarium instrumentum ad conservandam revelationem,* unde potest Spiritus S. per Ecclesiam conservare integritatem revelatae veritatis, licet permitteret libri aut partis libri inspirati iacturam ».

Sed quidquid est de hac sententia, illud saltem negari non potest, librum divinitus inspiratum, antequam Ecclesiae custodiae traditus, i. e. antequam canoni insertus sit, interire posse. Neque enim quidquam obstat, quominus Deus in inspirando aliquo scripto particularem aliquem habeat finem, quo cessante, ut liber pereat, antequam ab Ecclesia receptus sit, permittere potest.

Porro multos libros, qui in S. Scriptura commemorantur, interisse con-

stat; atqui dubium vix est, quin sin minus omnes, saltem aliqui ex illis fuerint inspirati. Egregie enim *Bonfrerius* : « Quae ratio dubitandi de canticis et proverbiis Salomonis? Si enim illorum pars, quae ad nos pervenit, a Spiritu S. est, quidni et reliqua, quae exciderunt? Rursum qua ratione dubitari potest de tot prophetarum scriptis, quae referuntur in libris Paralipomenon, quum haec ipsa interdum citentur sub nomine visionis? » etc.[5]. Libros igitur inspiratos interire potuisse, probabilior est sententia.

1. *S. August.* in Num. qu. 42; de Civ. D. XVIII. 38 (M. 34, 738; 41, 598).
2. *Orig.* in Cant. Prol. c. fin. (M. 13, 84); *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 7, 3 (M. 61, 58); *S. Thom.* Comm. in ep. S. Paul. ad 1 Cor. 5, 4 et Col. 4, 16; *Bellarm.* de verbo Dei IV. 4; *Serar.* Proleg. c. VIII. qu. 14. 15; *Pineda* Salom. praev. I. 1; *Bonfrer.* Praeloq. VI. 2, etc.
3. *Salmer.* Prolegom. IV. can. 4.
4. *Card. Franzelin* De Deo Trino. Ed. 2. Romae 1874 p. 42.
5. *Bonfrer.* l. c.; cfr etiam *Serar.* l. c.

84. — At num revera libri divinitus inspirati interierunt?

1.) In Veteris Test. libris haec commemorantur scripta : *a.*) Liber Bellorum Domini (*Num.* 21, 14); *b.*) Liber Iustorum (*Ios.* 10, 13); *c.*) Liber verborum dierum Salomonis (2 *Reg.* 11, 41); *d.*) Liber verborum dierum regum Iuda (3 *Reg.* 14, 19 etc.); *e.*) Liber verborum dierum regum Israel (3 *Reg.* 14, 20 etc.); *f.*) Liber Samuelis Videntis (1 *Paral.* 29, 29); *g.*) Verba Nathan Prophetae (l. c.); *h.*) Liber Gad Videntis (l. c.); *i.*) Libri Ahiae Silonitis (2 *Paral.* 9, 29); *k.*) Visio Addo Videntis (l. c.); *l.*) Liber Semeiae Prophetae (2 *Paral.* 12, 15); *m.*) Liber Iebu filii Hanani (2 *Paral.* 20, 34) : *n.*) Sermones Hozai (2 *Paral.* 33, 19); *o.*) Res gestae Oziae per Isaiam (2 *Paral.* 26, 22); *p.*) Tria millia Parabolarum Salomonis (3 *Reg.* 4, 22); *r.*) Salomonis cantica mille quinque (l. c.); *s.*) Salomonis de rebus naturalibus (l. c.); *t.*) Ieremiae descriptiones (2 *Mach.* 2, 1); *u.*) Liber dierum Ioannis Hyrcani (1 *Mach.* 16, 24); *x.*) Liber Iasonis Cyrenaei (2 *Mach.* 2, 24).

Per se patet ex eo, quod liber aliquis ab auctore inspirato nominetur vel laudetur vel etiam pro fonte adhibeatur, non statim concludi posse, librum istum ipsum quoque esse inspiratum [1]. Neque minus certum est, ex eo, quod vir aliquis in uno scribendo libro inspiratus fuerit, non iam sequi, eundem in omnibus suis scriptis fuisse inspiratum [2]. Quare tantum abest, ut omnium scripturarum nominatarum inspirationem asseramus, ut potius aliquas, immo forte plerasque, non fuisse inspiratas libentissimi concedamus. At altera ex parte etiam cum certitudine affirmare possumus, aliquos non sine influxu et assistentia Spiritus S. scriptos esse; id enim aliquorum tituli evidenter ostendunt; ad quid enim Scriptura auctores eorum diserte Prophetas, Videntes appellavit, nisi maiorem eis hac appellatione auctoritatem conciliare voluerit? Fatemur autem accurate definiri non posse, qui inspiratis adnumerari debeant.

2.) Novi Testamenti tempore aliquos libros ab Apostolis conscriptos interisse omnes hodie concedunt; sensus enim obvius verborum, quae 1 *Cor.*

5, 9 et *Col.* 4, 16 leguntur, docet S. Paulum duas alias epistolas, quae non amplius habentur, scripsisse. « Ex quibus verbis, inquit *S. Thomas* ad *Col.* 4, 16, patet, quod scripsit S. Paulus alias epistolas, sc. istam de qua fit mentio hic (ad Laodicenses) et unam aliam ad Corinthios. Sed ratio est duplex, quare non sunt in canone; quia non constabat de earum auctoritate et forte erant depravatae et perierant in ecclesiis, vel quia non continebant aliud, quam canonicae ». Iam vero vix videtur esse dubium, quin S. Paulus, qui epistolam ad Philemonem ex instinctu et cum assistentia Spiritus S. scripsit, in scribendis his quoque epistolis, quas ad integras ecclesias dedit quarumque alteram in aliis quoque ecclesiis praelegi voluit, inspiratus fuerit.

Atque haec de canonis historia hactenus.

1. *S. Aug.* in Num. qu. 42 (M. 34, 738) : « licet divinae auctoritati unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium desumere; sed non ideo omnia, quae ibi scripta sunt, accipienda confirmat ».

2. *S. Aug.* de Civ. D. XVIII. 38 (M. 41, 598) : « existimo etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, S. Spiritus utique revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse ».

DISSERTATIO ALTERA.

DE TEXTUUM PRIMIGENIORUM ET ANTIQUARUM VERSIONUM HISTORIA ET AUCTORITATE.

85. — De fine et partitione huius tractatus. — Canonis historia absoluta cognitaque librorum collectione, quos Ecclesia sacros divinosque semper habuit hodieque habet, inquirendum iam est, undenam genuinum eorum textum hauriamus. Etenim iuxta doctrinam catholicam libri inspirati Deum ipsum primarium habent auctorem, ita ut non tantum Dei verbum contineant, sed ipsi quoad omnes suas partes verbum Dei sint; unde sua sponte consequitur, Deum permittere non potuisse, ut homines, quibus in illis conscribendis velut instrumentis uti dignatus est, errorem qualemcumque sive ex voluntate sive ex ignorantia sive ex negligentia illis insererent; sanctorum auctorum igitur autographa ab omnibus prorsus mendis immunia fuisse fateamur oportet, nisi ipsum Deum, utpote primarium integrorum librorum auctorem, erroris alicuius accusare impii velimus. At in conservandis libris sacris aliter se res habet; secundario, si ita loqui fas est, loco contentus Deus, licet singulari providentia invigilet, ne libri illi, quos in salutem generis humani conscribendos curavit, gravibus circa fidem et mores erroribus depravati in eius perniciem vertantur, primarias partes hominibus concedit eorumque curae sollicitudinique relinquit, ut minores et accidentales errores, qui salutem nostram periculo non exponunt, praecaveantur. Unde factum est, ut libri sacri eidem, cui profani, fato subiecti, quamdiu solis exemplis scriptis conservari et propagari potuerunt, vel corrigendi libidine « praesumtorum imperitorum », ut verbis *S. Hieronymi* utar, vel « librariorum dormitantium » socordia multis mendis minoribus foedati illum textum, qui ab inspirati auctoris manu exaratus est, purum integrumque non amplius exhibeant. Omnes nostrae Bibliorum editiones innumeris variis lectionibus inter se dissentiunt, atque non

paucis in locis dubii haeremus, nec quisnam genuinus sit textus, discernere valemus.

Atqui quis est, quin librorum divinitus nobis datorum purum sincerumque textum cognoscere desideret? Quamquam enim certi sumus, ea, quae Deus de fide et moribus libris scriptis nos docere voluit, in textu, quem possidemus, integra et incorrupta permansisse, ita ut perniciosus error non irrepserit, alia tamen, quae scitu non necessaria quidem sed utilia sunt, magna illa variarum lectionum multitudine magis minusve incerta sunt reddita, quin etiam satis multa mendis ita sunt defigurata, ut inter se dissideant pugnentque. Quae quum viderent, Patres magna cum sollicitudine iam antiquitus laboraverunt, ut ad sincerum textum pervenirent: quid in corrigendo textu sacro maximi patristicae aetatis interpretes, Origenem dico et Hieronymum, praestiterint, quot labores eundem in finem et medio aevo et ultimis saeculis eruditissimi viri susceperint, nemo ignorat. In errorum enim istorum fontes investigarunt, adiumenta, quae ad eos cognoscendos et corrigendos inservirent, undequaque collegerunt, regulas, quarum ope tollerentur vel saltem minuerentur, stabiliverunt. Idem igitur nobis quoque faciendum est, si ad genuinum sacrorum auctorum textum pertingere cupimus. Errorum autem fontes ex ipsorum primigeniorum textuum historia cognoscemus; adiumenta praecipua nobis sunt antiquae versiones, quippe quae, qualis eo tempore, quo adornate sunt, textus fuerit, ostendant; quare earum originem et fata investigemus oportet, ut earum perspecta auctoritate rite iis ad genuinum autographorum deperditorum textum, quantum eius fieri potest, restituendum utamur.

Itaque totus noster tractatus in duas sectiones dividitur, quarum prior enarrata textuum primigeniorum historia, quis sit eorum status praesens, demonstrat, altera de antiquis versionibus praecipuis ita agit, ut quantam illis in corrigendo textu fidem tribuere possimus, quantamque auctoritatem possideant, appareat. Illud autem demonstrabimus, hebraicum Veteris et graecum Novi Testamenti textus, quos hodie possidemus, nequaquam hominum malitia esse corruptos, menda autem, quae in illis inveniuntur, non obstare, quominus eos aeque atque praecipuas versiones, praesertim alexandrinam Veteris et vulgatam Utriusque Testamenti authenticas dicamus, id est, sacrorum scriptorum autographis ita conformes, ut tuti illos seu genuinos revelationis fontes adhibeamus.

SECTIO PRIOR.

De Utriusque Testamenti textibus primigeniis.

CAPUT I.

DE TEXTU HEBRAICO VETERIS TESTAMENTI.

§ 1. — *De lingua hebraica hebraicarumque literarum notis.*

86. — Omnes V. T. libri protocanonici, paucis Danielis et Esdrae capitibus aramaicis exceptis, et deuterocanonici plerique hebraica lingua conscripti sunt[1]. Linguam autem hebraicam illam vocamus, quae Hebraeis, i. e. Abrahami ex eius nepote Iacobo posteris, usque ad eorum reditum ex babylonico exsilio fuit vernacula. At Hebraeorum nomine ab exteris tantum populis vocabantur; sese ipsi enim Israelitas seu filios vel domum Israel (poetice filios vel domum Iacob) nuncuparunt; quare Hebraeorum nomen in Vetere Test. non adhibetur, nisi quando alienigenae loquentes inducuntur, vel Israelitae de se ipsis ad alienigenas loquuntur, vel aliis populis opponuntur[2]. Neque lingua, quam nos hebraicam vocamus, usquam in Vetere Test. nomine hoc designatur, nisi in solo Ecclesiastici prologo[3], sed aut « sermo Chanaan » audit in oppositione ad linguam aegyptiacam, aut post regni septemtrionalis destructionem « sermo iudaicus » in oppositione ad linguam aramaicam[4]. In Novo autem Test. hebraica lingua dialectus illa vocatur, quae Christi tempore in Palaestina usitata.palaestinensis vel syrochaldaica hodie dicitur[5].

Est autem lingua hebraica una ex illis, quibus, quia gentes a Sem procreatae pleraeque illis sunt usae, semiticarum nomen inditum est[6]. Ab Assyriae finibus ad mare mediterraneum et ab Asia minore usque ad mare indicum ita diffusa, ut aliquas etiam Africae partes occuparet, magna haec linguarum familia in tres praecipuos ramos sese diviserat. Partes enim septemtrionales sibi vindicavit aramaicus, arabicus partes meridionales, ac medius inter illos hebraicus totam Palaestinam tenuit; assyriaca vero lingua, quae ultimis his annis innotescere

coepit, propius ad hebraicum ramum videtur accedere[7]. Quemadmodum autem loco, ita natura quoque et indole lingua hebraica inter reliquas semiticas quasi media est. Vocabulorum grammaticarumque formarum copia superatur ab arabica et superat aramaicam; durior rudiorque est aramaica pronunciatio, suavior arabica, hebraica autem vocalium multitudine pauperior est quam arabica, ditior quam aramaica, et varietate vocalium omnes superat[8]. At accuratam linguarum illarum affinitatisque, quae inter eas intercedit, descriptionem, quum ad finem nostrum non faciat, philologis relinquimus; nobis adnotasse sufficit, tam arctam quum in grammaticis formis tum in vocabulis eorumque radicibus adesse inter eas propinquitatem, ut tantum non unius linguae dialecti vocari possint, atque haud raro aliarum linguarum semiticarum proprietates ad hebraicas formas vel vocabulorum significationes explicandas magno sint usui.

1. *Aramaice* conscripti sunt *Dan.* 2, 4-7, 28; 1 *Esdr.* 4, 8-6, 18; 7, 12-26. Ex libris deuterocanonicis hebraice conscripti erant Ecclesiasticus, Baruch, Tobias, Iudith, 1 Mach., atque fragmenta ll. Daniel et Esther deuterocanonica, at primigenii eorum textus perierunt. Graecus est primigenius textus librorum Sapient. et 2 Mach.

2. עִבְרִי (aram. עִבְרָאי emph. עִבְרָאָה unde graec. Ἑβραῖος Hebraeus) non ab עֵבֶר Heber, qui unus erat ex maioribus Abraham (Gen. 10, 21, seq.; 11, 15 sqq.) derivatur, sed, ab עבר « terra trans flumen sita », ita ut Abraham primus hoc nomine sit appellatus utpote « advena ex terra trans flumen sita » (*Gen.* 14, 13, ubi Alexandrini verterunt ὁ περάτης) (*a*). De usu huius nominis cfr *Gen.* 39, 14. 17; 41, 12; *Exod.* 1, 16; 2, 6 etc., ubi exteri Israelitas Hebraeos vocant, dein *Gen.* 40, 15; *Exod.* 1, 19; 2, 7 etc., ubi cum alienigenis colloquentes Israelitae se ipsi hoc nomine appellant, demum *Gen.* 43, 32; *Exod.* 1, 15; 2, 11. 13 etc., ubi aliis populis opponuntur. Exceptionem videntur facere 1 *Reg.* 13, 3. 7; 14, 21; at notandum, Alexandrinos in primo et tertio loco legisse עבדים (pro עברים), et in secundo aliis vocalibus עֹבְרִים; quae lectiones omnino praeferendae videntur. — In Novo Test. *Hebraeus* designat aut Iudaeo-Christianos ex Palaestina oriundos in oppositione ad Iudaeo-Christianos hellenistas (*Act.* 6, 1), aut Iudaeos in oppositione ad ethnicos (2 *Cor.* 11, 22, etc.).

3. *Eccli. Prol.* : οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς ἑβραϊστὶ λεγόμενα καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν.

4. *Is.* 19, 18. « In illa die erunt in terra Aegypti quinque civitates loquentes lingua *Chanaan.* » — 4 *Reg.* 18, 26 legati Ezechiae precantur legatos Assyriorum,

---

(*a*) Evidens est nullo modo etymologiam defendi posse, quam saepius proponit *S. August.*, *Hebraeos* pro *Abrahaeis* esse dictos (cfr Quaest. in Heptat. I. 24; de Civ. D. XXI. 3; Retract. II. 16. M. 34,552; 41,481; 32,636). Recte *Theodoret.* (in Gen. qu. 61. M. 80,165) : « Quidam dicunt ab Heber hebraicam linguam esse appellatam; illum enim solum in pristina lingua permansisse indeque Hebraeos esse dictos. Ego vero puto appellatos esse Hebraeos ex eo, quod Abraham patriarcha, quum e regione Chaldaeorum veniret in Palaestinam, fluvium Euphratem pertransiit. *Hebra* enim Syrorum lingua dicitur *traiiciens fretum*. Quod si Hebraei denominati essent ab Heber, non solos illos oportebat sic appellatos esse; permultae enim nationes ab Heber originem ducunt » etc. cfr etiam *Orig.* in Num. hom. 19,4; in Matth. tom. XI. 5 (M. 12,725; 13,913, etc.) : « Hebraei transeuntes interpretantur ».

ut secum loquantur *syriace* (i. e. aramaice) et non *iudaice*. — 2 *Esdr*. 13, 24 liberi ex matrimoniis mixtis exorti « loquebantur azotice (dialecto quadam aramaica) et nesciebant loqui *iudaice* ».

5. *Ioan*. 5, 2; 19, 13. 17 aramaica (syro-chaldaica) vocabula dicuntur *hebraica*; *Act*. 21, 40; 22, 2 Paulus loquitur ad populum *hebraice*, i. e. ea dialecto, qua tunc temporis utebantur Palaestinenses; at *Apoc*. 9, 11 antiqua lingua hoc nomine vocatur.

6. *Semiticae* inde ab exeunte saec. 18. linguae illae vocari coeptae sunt; atque nomen illud est satis aptum, si a maiore et potiore parte appellatio desumta dicitur. Num vero omnes gentes a Sem procreatae una ex affinibus linguis usae sint, non constat (Elamitae, Lydii?); altera autem ex parte certum est, non solis Semitis illas vernaculas fuisse; Chanaanitae enim, qui a Cham descendunt (*Gen*. 10, 15-18), omnes semiticis dialectis locutae sunt. Antiquitus linguae illae « orientalium » nomine designabantur; at multo latius hodie hoc nomen patet.

7. *Aramaicus* ramus linguas vel dialectos complectitur *chaldaicam* (i. e. *aramaicam* stricto sensu) *syriacam*, *samaritanam*, *nasoraeam*, *palmyrenam*; ad *arabicum* ramum pertinent linguae *himjaritica* et *aethiopica*; ad *hebraicum* praeter *phoeniciam punicamque* linguas etiam variae dialecti in Chanaan a *Moabitis* etc. usurpatae; *assyriaca* lingua ex solis inscriptionibus cuneiformibus nobis est cognita. Praeter hebraicam linguam hic maiore attentione digna est dialectus illa, quae ab antiquioribus *chaldaica*, a recentioribus *aramaica* (stricto sensu) appellatur. In Mesopotamia primitus usurpata, sed inde a saec. 8. a. Chr. in tota fere Asia occidentali quasi vulgaris facta, a sacris quoque scriptoribus invenitur adhibita (*Dan*. 2, 4 sqq.; 1 *Esdr*. 4, 8 sqq. cfr *n*. 1); in Scripturis vocatur *aramaica* (4 *Reg*. 18, 26; *Is*. 36, 11; *Dan*. 2, 4; 2 *Esdr*. 4, 7). Iudaei eam haud diu post Esdrae aetatem pro vulgari adoptaverunt in eamque etiam Scripturas sacras transtulerunt (cfr *infra* 150); iunior tamen haec dialectus ab antiquiore, qua nonnullae textus sacri pericopae conscriptae sunt, aliquantulum differt.

8. In lingua arabica habentur c. 6.000 radicum et 60.000 vocabulorum, ex hebraica autem vix 2.000 radicum et 6.000 vocabulorum cognita sunt; at pauci admodum hebraici libri ad nos pervenerunt, ita ut eius opulentiam ex vocabulis conservatis diiudicare non liceat. Ad unam eandemque ideam exprimendam Arabes quam plurimis uti possunt vocabulis, quae pleraque sunt epitheta poetica (gladius mille diversis modis arabice exprimi dicitur, leo quingentis, serpens ducentis etc.), at hebraice quoque frangendi actio duodeviginti, quaerendi decem, moriendi novem verbis exprimitur; praesertim ad ideas religiosas describendas aptissima est lingua hebraica; observantia Legis viginti quinque, confidentia in Deum quatuordecim, remissio peccatorum novem diversis modis in Scriptura exprimitur. Arabica lingua multo plures coniugationes habet quam hebraica; hebraica plures habet quam aramaica. Aramaica non habet nisi unum futurum, hebraica etiam fut. apocop. et paragog., arabica vero praeter fut. apoc. et duo paragog. habet futur. antithet.; hebraici nominis raro adhibetur dualis, cuius aramaica non nisi vestigia retinuit, dum arabica eum non tantum in nomine sed etiam in adiectivo, pronomine, verbo adhibet etc.

87. — Quando et ubinam exorta sit lingua hebraica, ignoramus. Olim plerique tenuerunt, illam protoparentibus nostris a Deo immediate esse datam atque post diluvium, quando linguae hominum confusae sunt, a posteris Sem vel rectius a maioribus Abraham esse conservatam; quae sententia, quamvis hodie quoque suos patronos habeat [1], nobis non probatur.

Abraham enim, quum ex Mesopotamia, qua in terra lingua aramaica vulgaris fuit, in Palaestinam immigrasset, a Chanaanitis, inter quos tentorium suum fixit, linguam hebraicam addidicisse posterisque suis transmisisse dicendus est. Namque reliquos eius parentes, qui in Mesopotamia remanserant, aramaicam adhibuisse constat[2]; Chanaanitas autem non tantum illos, quos ab Abraham et Lot descendere Scriptura tradit (Moabitas, Ammonitas, Idumaeos), sed illos quoque, quos patriarcha in Chanaan invenerat, omnes hebraicam linguam vernaculam habuisse certum est[3]. Utrum vero Chanaanitae, qui a Cham descendunt, illam Palaestina occupata ab antiquioribus incolis semiticis acceperint, an ante suam in Palaestinam immigrationem possederint, cum certitudine definiri nequit. Dialectis variis varios istos populos usos esse facile concipitur, at unam omnium fuisse Chanaanitarum linguam documenta adhuc superstita docent[4].

Quamprimum lingua hebraica ad libros conscribendos adhibita est, culta apparet atque perfecta; cum omni enim puritate et splendore legitur in Pentateucho, et non tantum carmina Pentateucho inserta, sed etiam carmen Deborae (*Iudic.* 5), quod ipsi moderni critici ante regum aetatem compositum esse concedunt, sublimitate et pulchritudine aeque atque linguae et dictionis puritate aequant immo superant eiusdem generis cantica iunioribus libris inserta. Usque ad exsilium babylonicum eadem fere puritate floruit lingua hebraica; illi autem prophetae et sacri scriptores, qui immediate post exsilium floruerunt, Aggaeus, Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, eadem antiqua lingua utuntur, quamvis in iunioribus libris aramaismi frequentiores esse soleant.

1. Cfr *S. August.* de Civ. D. XVI. 11; XVIII. 39 (M. 41, 490-598) « Quia ergo in eius (Heber) familia remansit haec lingua divisis per alias linguas ceteris gentibus, quae lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps hebraica est nuncupata » etc.; *S. Hier.* ad Dam. ep. 18, 6; in Sophon. 3, 18 (M. 22, 365; 25, 1384) : « Initium oris et communis eloquii et hoc omne, quod loquimur, hebraeam linguam esse, qua Vetus Testamentum scriptum est, universa antiquitas tradidit »; *S. Chrys.* in Gen. hom. 30, 4 (M. 53, 279) : « Heber ipse mansit idem servans idioma, quod et antea habebat, ut manifestum huius divisionis signum esset ». Eiusdem sententiae sunt interpretes iudaici, atque Thargum ierusschalmi iam asserit « in lingua sancta creatum esse mundum ab initio »; cfr citationes aliorum in *Frassen* Disquis. bibl. I. p. 59 sq. Magni quoque interpretes saec. 16. 17. eandem omnino tenuerunt, cfr *Caiet.* in Gen. 11, 1; *Salmer.* Proleg. 14; *Perer.* in Gen. l. XVI. disp. 8; *Bonfrer.* in Gen. 11, 1 etc. Inter modernos pauci ei adhaerent : *Danko* Hist. revel. Vindob. 1862. I. p. 42 etc. Praecipuum, vel potius unicum huius sententiae argumentum constituunt nomina propria antiqua, quae etymologiam hebraicam supponunt. Quod argumentum, licet non omni probandi vi careat, rem tamen minime evincit; eodem enim *Theodoret.* (in Gen. qu. 60. 61. M. 88, 165) syriacam linguam esse primaevam demonstrare conatus est, atque revera etymologice nomina pleraque ex omnibus linguis semiticis explicari possunt. Nihil quoque obstat, quominus dicamus antiqua nomina primitus personis vel rebus indita, quae appellativam significationem habuerunt, in hebraicam linguam esse translata.

2. *Genes.* 31, 47.

3. Nomina propria Moabitarum, Ammonitarum, Idumaeorum omnia, quae cognovimus, hebraica sunt; anno 1868 reperta est longa inscriptio, qua nono a. Chr. saec. Moabitarum rex Mesa (4 *Reg.* 3, 4) deo suo Chamos ob victoriam de rege Israel reportatam gratias agit (cfr *Clermont-Ganneau* La stèle de Mésa, roi de Moab. Lettre à M. le comte de Vogüé. Paris 1870; *eiusdem* dissertationes in Revue archéolog. Paris 1870 XXI. p. 184 sqq.; *Himpel* Inschrift Mesa's. Tüb. Quartalschr. 1870 p. 584 sqq. etc.); atqui inscriptionis huius lingua ab hebraica vix dissentit. Reliquorum Chanaanitarum linguam hebraicam fuisse nomina propria Abrahae immigratione antiquiora et Phoenicum Poenorumque inscriptiones testantur. Quam vicina Poenorum lingua sit hebraicae, iam viderunt Patres; cfr *S. Hier.* Quaest. hebr. in Gen. 36, 24; in Is. 7, 14; in Ier. 25, 21 (M. 23, 994; 24, 108. 837), *S. Aug.* Quaest. in Heptat. VII. 16; in Ioan. tr. 16, 27; Serm. 113, 2; c. lit. Petil. II. 104 (M. 34, 797; 35, 1520; 38, 648; 43, 341) : « hunc Hebraei dicunt Messiam, quod verbum punicae linguae consonum est, *sicut et alia hebraea permulta et paene omnia* ». Inscriptiones Phoenicum et Poenorum, quas superstites habemus, quum 4. a. Chr. saeculo non sint antiquiores, aliquantulum ab antiqua lingua hebraica, quam in V. T. libris habemus, differre non est mirandum.

4. Dialecticae differentiae primum vestigium habemus *Iudic.* 12, 6; Ephraimitae enim ס pro שׁ pronunciabant; etiam Christi tempore Galilaeorum dialectum ab ierosolymitana diversam fuisse docet *Matth.* 26, 73. Minime sane negari potest, in hebraica lingua, uti in omnibus aliis, dialectos varias adfuisse, quum semper decursu temporis linguae vario modo variis in provinciis corrumpi soleant; at num hodie in libris nostris sacris eiusmodi dialecticae differentiae inveniri queant, quaestio est, quam singulorum librorum interpretibus relinquimus solvendam.

Ambigendum non est, mille istis annis, qui Moysen inter et Esdram fere interiacent, et quorum decursu libri nostri sacri conscripti sunt, linguam hebraicam sat multas et magnas mutationes subisse; at non omnes mutationes, quas sermo vulgaris usu quotidiano patitur, etiam in libris scriptis apparere solent. Ultimis his decenniis maxima cum diligentia investigatum est, ut ex libris ipsis sacris mutationes, quas temporis decursu passa est lingua hebraica, accurate cognoscerentur; vocabula in singulis libris adhibita vocabulorumque significationes aeque atque formae constructionesque grammaticae collectae et inter se comparatae sunt [5], neque defuerunt, qui huic fundamento historiam linguae hebraicae superstruentes tres quatuorve eius epochas distinguere vellent : aliam enim Moysis aetate, aliam Davidis, aliam demum exsilii tempore linguam fuisse censent. At num iure eiusmodi periodi distinguantur, dubitamus; namque

1.) paucae admodum hebraicae scripturae ad nos pervenerunt, quae, si in tres istas epochas distribuantur, nullo modo sufficiunt, ut ex illis integram sive vocabulorum sive formarum constructionumque grammaticarum copiam, quae eo tempore in usu fuerunt, cognoscamus. Accedit autem, quod, quo tempore multi libri sint conscripti, cum certitudine definiri non possit, quodque alii ex illis prosaico, alii poetico sermone sint exarati. Quare solidum distinctionis fundamentum videtur deesse.

2.) Praeterea non constat, nos libros istos ea in forma habere, qua ex scriptorum manibus prodierunt. Quamdiu lingua aliqua in quotidiano usu

est, librorum, qui frequenter leguntur, textus orthographiae grammaticaeque singularum aetatum accommodari et adaptari solet, vocabula obsoleta autem usitatioribus locum cedunt. Lutheri versio germanica Bibliorum, qua hodie protestantes utuntur, et orthographice et grammatice et lexicographice non parum ab ea differt, quam ipse edidit; gallica S. Francisci Salesii aliorumque eiusdem aetatis scriptorum opera et modernae orthographiae et moderno dicendi modo in multis sunt adaptata; idem in antiquioribus italicis, anglicis libris fieri videmus, atque aliquid simile in libris nostris sacris obtinuisse non tantum iure supponitur, sed exemplis etiam demonstratur [6].

3.) Mutationes quoque, si quae factae sunt, proxime vocales attigerunt, quippe quae magis fluctuent faciliusque mutentur; iam vero, quum omnium librorum sacrorum textui eodem tempore, diu postquam mortua est lingua, vocalium signa adscripta sint, uniformitas quaedam exorta est, quae investigationem in linguae historiam reddit difficillimam.

4.) Demum illud quoque consideratione dignum censemus, quod iam supra innuimus, non omnes mutationes, quae in lingua vulgari fiunt, in scripta apparere, idque eo minus, quo magis ad unum literarum genus libri omnes pertinent. Quemadmodum adhuc post duodecim saecula Alkoranus omnes literas arabicas ita regit et coercet, ut eo perfectiores censeantur, quo propius ad eius stylum dictionemque accedant, ita etiam Pentateuchus literarum hebraicarum exemplar factus est, cuius dictionem scriptores iuniores magis minusve imitari studuerunt.

Quibus omnibus perpensis fieri non posse putamus, ut ex libris sacris historiam linguae hebraicae cognoscamus variasque eius epochas cum certitudine distinguamus. Multo magis vero arbitrarios, ne dicam inanes, habemus modernorum rationalistarum conatus, qui in ipsis libris sacris partes iuniores ab antiquioribus, atque interdum in uno eodemque versu vocabula quaedam a iuniore scriptore inserta, discernere volunt. Illud quidem concedimus, inde a 7. ante Chr. saec. aramaismis frequentioribus linguam hebraicam depravari coeptam esse; at vehementer erraret, qui ex sola aramaismorum maiore minoreve frequentia libri alicuius aetatem determinare se posse putaret; quum enim iam in antiquioribus libris non omnino desint, iure concludimus in lingua vulgari eos frequentiores fuisse; quare etiam in libris, qui stylo magis populari scripti sunt, frequentes iam Salomonis aetate inveniri possunt [7]. At de hac quaestione alibi accuratius erit tractandum.

5. Cfr ex. gr. *Gesenius*, Gesch. der hebr. Sprache u. Schrift Leipz. 1815 p. 28 sqq.; *Hævernick* Einl. I. 1 p. 188-247; *Keil* Einl. Ed. 2. p. 32-50 etc. — Similiter etiam *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1890 p. 55 sq.

6. *Ps.* 17 (18) recensio, quae legitur 2 *Reg.* 22, quam plurimis in locis ab ea, quae habetur in Psalterio, dissentit; idem quoque in textibus parallelis librorum Regum et Paralip. obtinet.

7. Quam parum ex aramaismis ad librorum aetatem concludi possit, vaticinia Aggaei, Zachariae, Malachiae ostendunt, quae etsi post exsilium sint conscripta, vix ullum aramaismum contineant (cfr *Bleek* Einl. ins A. T. Ed. 2. p. 92 sq.); quam

parum vero lingua ad singulorum librorum aetatem definiendam iuvet, ex eo satis apparet, quod moderni « critici » libros, qui olim antiquissimi habebantur ac haberi debent, recentissimos esse dicant; quin etiam ultimis his annis non defuit, qui cunctos Veteris Test. libros eodem fere tempore, scilicet post exsilium babylonicum a 4. usque ad 2. saec., in Palaestina a scribis confictos esse diceret (*Maurice Vernes* Les résultats de l'exégèse biblique. Paris 1890 p. 135 sqq.; *eiusdem* Essais bibliques. Paris 1891 p. 141 sqq.).

In exsilio babylonico Iudaei linguam aramaicam paullatim in usum quotidianum videntur recepisse, ita tamen, ut ideo hebraicam non omnino relinquerent; Nehemiam enim obiurgare contribules suos videmus, qui altera lingua uti voluerunt [8]. Sequentibus autem saeculis quum ex continuo cum Aramaeis commercio, tum ex commixtione ceterorum Iudaeorum, qui diversis temporibus ex Chaldaea sunt reversi, maxima invaluit antiquae linguae corruptio, ut nova quasi exorta sit dialectus syro-chaldaica, quae usque ad Ierosolymorum ultimum excidium permansit vulgaris; vocabula illa, quae in N. T. citantur, syro-chaldaica sunt [9]. A 4. igitur vel 3. ante Chr. saeculo lingua hebraica mortua est; quum vero singulis sabbathis librorum sacrorum textus primigenius in synagogis praelegeretur et aramaice explicaretur, non integra periit, sed rabbini eam multis aramaismis permixtam in antiquiore Thalmudis parte etiam post Chr. adhibuerunt.

8. 2 *Esdr.* 13, 24; cfr 8, 8. — Thalmudistae (Gem. Megilla 3 a.; Nedarim 37 b.) iam tempore exsilii Iudaeos usum linguae hebraicae prorsus reliquisse tradunt, eosque sequuntur grammatici iudaici et aliqui christiani theologi. Ut sententia haec teneri posset, expressio « iudaice loqui » (2 Esdr. 13. 24) de lingua aramaica intelligenda esset, id quod fieri nequit.

9. *Matth.* 27, 46 ἠλὶ ἠλὶ λεμὰ σαβαχθανί אֵלִי אֵלִי לָמָה שְׁבַקְתַּנִי; *Marc.* 5, 41 ταλιθὰ κοῦμι טְלִיתָא קוּמִי; *Marc.* 7, 34 ἐφφαθᾶ אֶתְפְּתָא; *Ioan.* 5, 2 Βηθεσθᾶ בֵּית חֶסְדָא; Γολγοθᾶ, Γαββαθᾶ גָּלְגָּלְתָּא, גַּבְעָתָא vel גַּבְּתָא; Ἀκελδαμά חֲקַל דְּמָא; nomina composita cum Bar = filius etc. De lingua Christi tempore in Palaestina usitata cfr *B. de Rossi*. Della lingua propria di Cristo e degli Ebrei nazionali della Palestina. Parma 1772; *Card. Wiseman* Horae syriacae. Roma 1828 p. 69 sqq. etc.

88. — De literarum notis, quibus Iudaei libros suos olim conscripserunt, pauca dicamus oportet, quia praecepta quaedam critica et hermeneutica ab illis dependent. Originem literarum non est quod indagemus, nam « quando coeperint esse, inquit *S. Augustinus*, nescio utrum valeat indagari; nonnullis enim videtur a primis hominibus eas coepisse et perductas esse ad Noe atque inde ad parentes Abrahae et inde ad populum Israel : sed unde hoc probari possit, ignoro » [1]. Olim contra mosaicam Pentateuchi originem inter alias ea quoque proferri solebat obiectio, tempore Moysis literas scripturamque incognitas fuisse [2]; at hodie iam nemo eam movere audet, siquidem moderni in eo fere consentiunt, quod ad initia generis humani earum inventio ascendat, quodque Hebraei quoque non a Moyse,

id quod aliqui ex Patribus opinati sunt[3], literas suas acceperint, sed diu ante eius aetatem possederint[4].

1. *S. Aug.* in Exod. qu. 69; cfr de Civ. D. XVIII. 39 (M. 34, 620, 41, 598).
2. *Hartmann* Histor. krit. Forschungen über die Bildung etc. der fünf Bücher Moses. Rostok 1831 p. 586; *v. Bohlen* Die Genes. histor. krit. erläutert. Königsb. 1835 p. XL; *Vater* Commentar über den Pentateuch. Halle 1805 III. p. 516 sqq. etc.
3. *Clem. Alex.* Strom. I. 23 (M. 8, 900); *Euseb.* Praep. Evang. IX. 26 (M. 21, 728); *S. Cyrill. Alex.* c. Iulian. VII (M. 76, 853) etc.
4. Cfr *Reinke* Ueber die Schreibekunst bei den Hebraeren. Beiträge zur Erkl. d. A. T. Münster 1863 V. p. 203 sqq., et opera ibidem p. 205 citata; *Hengstenberg* Beiträge zur Einl. ins A. T. Berlin 1836 II. p. 415 sqq.; *Ed. König* Einl. ins A. T. (1893) p. 178 etc.

Scripturam hebraicam, quae hodie in codicibus et literis hebraicis adhibetur, Thalmudistae forma eius attenta quadratam (כְּתָב מְרֻבָּע) appellant, assyriacam autem (כְּתָב אַשּׁוּרִית) ob originem, quam illi attribuunt; Esdram enim illam ex Babylonia attulisse in eamque libros sacros transcripsisse tradunt[5]; cui traditioni quid veri subsit, paucis dicemus. Antiquitus Israelitae eandem literarum formam habuerunt, atque reliqui populi semitici, quae ex Aegyptiorum hieroglyphica, vel si mavis hieratica, scriptura derivata esse recte dicitur. Cuius alphabeti antiquissimam formam inscriptio Mesa, regis Moabitarum, saeculo 9. a. Chr. exarata (cfr *supra* 87. *n.* 3) nos docet; recentiora eiusdem alphabeti specimina in gemmis, nummis, inscriptionibus, papyris etc. in Assyria, Mesopotamia, Syria, Cilicia, Palaestina, Aegypto repertis nobis sunt conservata, ita ut mutationes, quas literarum formae inde a 9. saec. subierunt, satis accurate nobis sint cognitae. Iamvero duplici potissimum modo decursu temporis alphabetum mutatum est; in Oriente enim apud Aramaeos paullatim in scripturam quadratam transiit variasque eius formas cognovimus ex papyris aramaeis, partim in Aegypto repertis, ex nummis quibusdam persicis ciliciisque, inscriptionibus palmyrenis etc.; in Occidente autem, i. e. in Palaestina et Phoenicia, antiquior forma diutius retenta mater facta est scripturae samaritanae; cuius mutationis documenta nobis praesertim sunt nummi inscriptionesque Phoenicum ac nummi hasmonaei[6]. Porro Iudaei, quando post suum reditum ex Babylonia aramaica lingua uti assueverunt, simul illum literarum quoque ductum aramaicum, qui paullatim in quadratam scripturam transiit, adoptaverunt et ad libros sacros transcribendos adhibuerunt, quamvis formam literarum olim in Palaestina et in Phoenicia usitatam in vita quotidiana aut saltem in nummis retinerent[7]. Post Esdrae igitur aetatem scriptura

quadrata exorta est; nihil tamen obstat, quominus dicamus, iam Esdrae tempore Iudaeos aramaicam scripturam adoptasse, quae ad quadratam inclinare inceperat.

5. *Tr. Schab.* fol. 103 b.; tr. *Sanhedr.* II. f. 21 b. : « principio data est Lex Israelitis scriptura hebraea et lingua sancta, iterum vero illis data est diebus Esdrae scriptura assyriaca et lingua aramaea [sc. paraphrasi aramaica, quam immerito Esdrae aetati attribuunt]; elegerunt autem sibi Israelitae scripturam assyriacam, et linguam sanctam, et reliquerunt idiotis scripturam hebraeam et linguam aramaeam. Quinam idiotae? Dicit R. Chasda : Samaritani...; licet non data sit Lex per manum Esdrae, mutata tamen per eius manum est scriptura, quum vocetur nomen eius assyriaca, quia ascendit cum iis ex Assyria ». — Secundum aliquos rabbinos nomen אשׁורית datum est scripturae, quia מְאֻשֶּׁרֶת « beatificata » i. e. sanctificata est, quatenus per eam libri sacri sint conscripti. Moderni quidam nominis significationem putant esse « firmum », « erectum », at nulla est ratio, cur traditam significationem relinquamus.

6. Cfr in Appendice *tab.* I. et II; in tab. I. prior sectio mutationem hieroglyphorum in scripturam hieraticam et deinde in primitivam semiticam exhibet; tab. II. duplicem mutationem primitivi alphabeti semitici in quadratam et in samaritanam ostendit; altera vero tab. I. sectio complementi gratia originem alphabeti graeci ac latini ex scriptura semitica illustrat.

7. Accurate de scripturae semiticae mutationibus agit *C. de Vogüé* L'alphabet araméen et l'alphabet hébraïque. Mélanges d'Archéologie orientale. Paris 1868 p. 105-196; cfr *Fr. Lenormant* Essai sur la propagation de l'alphabet phénicien. Paris 1872; *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterthums Bielefeld 1881 p. 1416 sqq. etc.

Certum igitur est, id quod etiam Patres tradiderunt[8], libros sacros alio literarum genere a suis auctoribus exaratos, alio postea descriptos esse. Quo quidem tempore scriptura quadrata ad Scripturas transcribendas adhiberi sit coepta, ignoramus. Primis christianis saeculis eam iam in usu fuisse constat[9] atque ex eo, quod Dominus *iota* esse minimam inter literas Legis indicare videatur(*Matth.* 5,18), iure concluditur, Legem illo tempore quadratis literis iam fuisse vulgatam; in antiquiore enim alphabeto *iota* ex minimis literis non est. Altera ex parte quadratae scripturae vestigia prima saeculo 3. non sunt antiquiora atque alexandrinos interpretes exemplari antiquioribus literis conscripto usos esse probabile est. Quare ineunte saec. 1. a. Chr. quadratam scripturam in Scripturis adhiberi coeptam esse cum aliqua probabilitate asserere licet; ad hanc enim aetatem etiam inscriptiones quaedam ierosolymitanae pertinent, quae similem literarum formam exhibent (cfr *Tab.* II.).

Haec, quae de duplici scribendi genere diximus, mendorum quorundam, quae in textu hebraico adsunt, origini explicandae non parum inserviunt. In omnibus enim omnium linguarum codicibus magnus variarum lectionum numerus ex multarum literarum inter se

similitudine exortus est, ob quam librarii illas confuderunt et inter se permutaverunt; in scriptura quadrata ב et כ, ר et ד aliaeque permultae tantam habent inter se similitudinem, ut facillime confundantur; aliae vero ita sunt dissimiles, ut earum permutatio admitti non posse videatur; quis enim שׁ et י, ה et י, ם et ן, ו et ת etc. permutabit? Atqui non desunt differentiae inter varios libros sacros atque inter textum primigenium interque versionem alexandrinam, quae harum literarum permutationi originem debent. Oppidum quod 1 *Paral.* 6,44 (59) nomen habet עָשָׁן (V. Asan; Al. Ἀσάν), *Ios.* 21,16 vocatur עַיִן (V. Ain; Al. Ἀσά); 1 *Par.* 11,33 הַשֵּׁם sed 2 *Sam.* 23,22 יָשֵׁן; pro תְּנוּ יָד לַיהוָֹה (date *manum* Domino) Alexandrini legerunt: תְּנוּ הוֹד לַיהוָה δότε δόξαν κυρίῳ (2 *Par.* 30,8); *Gen.* 46,16 pro אֶצְבּוֹן Al. תצבן θασοβάν; *Exod.* 14,2 הַחִירֹת Al. הַחֲצֵרוֹת ἔπαυλις, etc. [10]. In antiqua nimirum scriptura literae illae, quae dissimiles sunt in quadrata, magnam inter se habent similitudinem; quare permutationes illae nobis argumento sunt, Alexandrinos versionem suam e codicibus adornasse, qui nondum quadrata literarum forma, sed antiquiore et ad phoeniciam propius accedente exarati erant.

8. *S. Hier.* Prol. gal.: « certum est Esdram scribam post captam Ierosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc utimur, quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint »; cfr in Ezech. 9, 4 (M. 25, 88); *Orig.* Sel. in Ps. 2; in Ezech. 9, 4 (M. 12, 1104; 13, 802). Quae rabbini de scripturae mutatione tradunt, collecta sunt a *De Voisin* (Raym. Mart. Pugio fidei p. 105 sq.) et a *Buxtorf* (Lex. chald. s. v. אשורית)

9. *S. Hier.* saepius literarum ד et ר, י et ו aliarumque similitudinem commemorat, quae in alphabeto quadrato tantum similes sunt; cfr ad Sunn. et Fret. ep. 106, 78; in Is. 21, 11; in Zach. 12, 10 etc. (M. 22, 865; 24, 193; 25, 1014); eandem similitudinem commemorant Thalmudistae Tr. Schab. f. 103, b; 104. a. In antiquiore Thalmudis parte scriptura quadrata iam assyriaca vocatur (*Mischna* ed. Surenhus. II. 390 sqq.; VI. 490).

10. Alia exempla affert *Reinke* Beiträge etc. 1866 VII. p. 11 sqq.; menda, quae exorta sunt ex permutatione literarum scripturae quadratae *ibid.* p. 60 sqq. Cfr etiam *Capelli* Critica sacra Paris. 1650. L. I. c. 7.

89. — Ex Psalmis canticisque alphabeticis luculenter apparet, antiquum alphabetum duos et viginti characteres continuisse (id quod etiam Patres testantur), ita ut duplex literae שׂ sonus diacritico signo nondum distingueretur [1]. Sicuti autem alii Semitae, ita etiam Hebraei vocalibus neglectis solas consonantes scripserunt, nec nisi rarissime literas אוי ad vocales designandas adhibuerunt; puncta igitur vocalia, quae hodiernis in editionibus usitantur, antiquis Hebraeis prorsus incognita iunioris sunt inventionis. Ex iudaicis quidem medii aevi interpretibus alii Moysi, plerique Esdrae eorum inventionem attribuerunt [2];

at opinionem hanc eodem tempore iam impugnarunt christiani interpretes[3]; ineunte autem saec. 16. *Elias Levita*, iudaicus grammaticus, suorum opinione reiecta, demonstravit Thalmude iuniorem esse punctorum inventionem eamque deberi doctoribus, qui Tiberiade saec. 6. et 7. floruerunt. Quae sententia, quia textus hebraici auctoritatem minuere videbatur, maxima cum obstinatione olim reiecta est a multis interpretibus protestanticis; immo reformati Helveti doctrinam de punctorum vocalium antiquitate et divina inspiratione inter sua dogmata receperunt neque hodie inter lutheranos desunt, qui aliquo saltem modo inspirationem vocalium defendere conentur[4]. Vix tamen non omnes hodie consentiunt, iudaicum vocalium systema a Massorethis saec. 6. et 7. excogitatum atque insequentibus saeculis expolitum esse. Neque id mirum; namque S. Hieronymum et Originem aeque ac Thalmudistas textus vocalium punctis distinctos prae oculis non habuisse eorum loquendi modus evidentissime demonstrat, quamvis ea iam aetate nonnullis vocabulis signa quaedam ad pronunciationem pertinentia apposita esse videantur[5]; item antiquas versiones ex textu vocalibus carente adornatas esse hodie extra controversiam est[6].

Ex qua recenti punctorum ad textum additione efficitur, ut in eo exponendo punctis illis non eandem, quam consonantibus, auctoritatem debeamus. Etsi enim Massorethae nec arbitrario modo illa adscripserint nec novum *pronunciationis* systema invexerint, sed illam, quam a maioribus acceperant, fixam stabilemque reddere voluerint, dubium tamen non est, quin traditio de textus hebraici pronunciatione per tot saecula magis minusve sit corrupta, atque differentiae illae, quae inter textum massorethicum vocalibus instructum et inter antiquas versiones adsunt, luce clarius demonstrant, pronunciationem atque explicationem quoque, in quantum ab illa pendet, pro locorum et temporum ratione variasse[7]. Pro certis et indubitatis igitur Massoretharum puncta admitti non possunt, « puncta, inquit *Bellarminus*, extrinsecus addita sunt, nec textum mutant; *itaque possumus, si volumus, puncta detrahere et aliter legere* »[8].

1. *Orig.* in Ps. 1 (M. 12, 1084); *S. Hier.* Prol. gal. etc.; in Hab. 3, 4 (M. 25, 1312) : « Verbum שם pro qualitate loci et *posuit* (שָׂם) intelligitur et *ibi* (שָׁם) ».

2. Cfr *De Voisin* in Raym. Mart. Pugio fid. p. 111; *Morin* Exercit. bibl. p. 393.

3. *Raym. Mart.* Pugio fid. p. 393 sqq.; *Lyran.* in Os. 9,17 : « puncta non sunt de substantia literae, nec a principio Scripturae fuerunt (unde et rotuli, qui in synagogis eorum leguntur, sunt sine punctis), sed per magnum tempus postea inventa sunt ad facilius legendum » etc.

4. *Formula Consensus* an. 1676 can. 2 et 3. cfr *Niemeyer* Confess. Reform. p. 731. — De modernis quibusdam lutheranis inspirationem vocalium admittentibus loquitur *Ed. König* Einl. ins A. T. 1893 p. 45.

5. *S. Hieron.* ad Dam. ep. 36, 13; ad Evagr. ep. 73, 8; in Is. 9, 8; in Ierem. 9, 22, etc. (M. 22, 458. 680; 24, 129. 745) : « verbum hebraicum דבר, quod tribus literis scribitur, Daleth, Beth, Res — vocales enim in medio non habet — pro consequentia et legentis arbitrio, si legatur *dabar* sermonem significat, si *deber* mortem, si *daber* loquere ». — *Elias Levita* (Massoreth hammassoreth. Praef. 3) thalmudica testimonia attulit, quibus puncta vocalia eo tempore adhuc ignota fuisse elucet; ex Christianis eandem sententiam thalmudisticis testimoniis praecipue propugnaverunt *Lud. Cappellus* (Arcanum punctationis revelatum. Lugd. Bat. 1624; Vindiciae arcani punct. revel. Amstelod. 1689 in Appendice Commentariorum eius) et *Ioan. Morinus* (Exercit. bibl. p. 393 sqq.); frustra contra Eliam *Ioan. Buxtorf sen.* (Tiberias s. commentarius massorethicus. Basil. 1620), eiusque filius *I. Buxtorf iun.* (De punctorum vocalium et accentuum in libris V. T. origine et auctoritate. Basil. 1648) contra Cappellum antiquam Iudaeorum fabulam defendere conati sunt.

6. Ex. gr. *Gen.* 49, 10 שילוה vel potius שֶׁלֹּה Alex. et Onk. שֶׁלֹּה = אֲשֶׁר לוֹ ᾧ ἀποκεῖται; *Ps.* 21 (22), 1 אֵלִי אֵלִי Alex. אֵלִי אֵלִי ὁ θεός μου πρόσχες μοι; *Ps.* 109 (110), 3. עַמְּךָ A. עִמְּךָ μετά σου; יַלְדֻתֶךָ A. יְלִדְתִּיךָ ἐγέννησά σε; et ita in innumeris locis. Cfr *Cappell.* Crit. sacr. p. 15 sqq.; *Reinke* Beitræge VII. p. 14 sqq.

7. Totam pronunciandi rationem eo tempore, quo alexandrina versio facta est, diversam fuisse a massorethica demonstrant nomina propria; ad alexandrinam propius quam ad massorethicam accessit pronunciatio Origenis et Hieronymi; cfr *Montfaucon* Praelimin. ad Hexapha Orig. II. 4, 5 (M. 15, 46 sqq.); *Field* Hexapla. Prolegom. VIII. 1. p. LXXI sqq.; *Lelong-Masch* Bibliotheca sacra. Halae 1778. II. 2. Praef. p. 35 sqq.

8. *Bellarm.* De verbo Dei II. 2; cfr *Cappelli* Critic. sacr. p. 391 sqq., etc.

90. — Graecos Latinosque olim serie continua sine ulla phrasium vel vocabulorum distinctione scribere consuevisse docent pleraeque antiquae inscriptiones codicesque antiqui. Scriptura autem quadrata Hebraeorum vocabula semper distinxit; in Thalmude enim accurate, quantum spatii inter vocabula relinquendum sit, praescribitur, et literae finales, quae a SS. Hieronymo et Epiphanio iam commemorantur[1], vocabulorum distinctionem produnt. Nihilominus iudaica quaedam traditio tenet, Moysem Legem « tamquam unum vocabulum » tradidisse, i. e. nec phrases nec vocabula in Lege distinxisse[2]; quam traditionem veram esse suadent inscriptiones Phoenicum aliorumque Semitarum, quae pleraeque omnibus eiusmodi distinctionibus carent, quamvis interdum (uti in inscriptione Mesa saepius) vocabula puncto separentur. Alexandrinos quoque interpretes textum prae manibus habuisse, qui aut ipse serie continua exaratus aut ex tali descriptus erat, multis exemplis demonstratur, quum eorum versio haud raro aliam vocabulorum distinctionem supponat[3]. Quare nobis quoque hac in re massorethicum textum iustas ob causas relinquere uniusque vocabuli literas quasdam cum praecedente vel consequente coniungere licet.

1. *S. Epiph.* de pond. et mens. 4 (M. 43, 244); *S. Hier.* Prol. gal. etc.

2. Cfr *Morini* Exercit. bibl. p. 105 sq.

3. Ex. gr. *Ps.* 4, 3 כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה Al. βαρυκάρδιοι ἵνατι i. e. כְּבֵדֵי לֵב לָמָּה (simul ב et כ permutatis); *Ps.* 43 (44), 5. אֱלֹהִים צַוֵּה Al. ὁ θεός μου ὁ ἐντελλόμενος i. e. אֱלֹהַי מְצַוֶּה; *Os.* 6, 5 וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא Al. τὸ κρίμα μου ὡς φῶς ἐξελεύσεται = וּמִשְׁפָּטִי כָּאוֹר יֵצֵא (quod exemplum simul docet literas finales in codice alexandrino non adfuisse) etc. Alia exempla tradit *Reinke* Beiträge VII. p. 22 sqq.

Nummis antiquis docemur Hebraeos interdum compendiis scripturae in vocabulis frequentioribus usos esse, atque in codicibus quoque vocabula quaedam, quae saepius occurrunt, abbreviari solent; penes mediae vero aetatis grammaticos iudaicos compendiorum istorum et notarum tanta habetur frequentia, ut eorum opera difficillima reddat intellectu. Quare in antiquissimis quoque codicibus ea adhibita esse atque variarum quarundam lectionum causam in iis esse quaerendam[4], non immerito coniicimus.

Quibus compendiis adnumerandus est etiam usus literarum ad numeros exprimendos. Etenim in nummis suis Hebraeos numeros aut literis aut adiectivis numeralibus expressisse exploratum est[5]; neque minus certum est, multas differentias, quas sive loci paralleli sive versiones Scripturarum exhibent, facile explicari, si in codicibus numeros literis indicatos, literas autem similes inter se permutatas esse admittimus[6].

4. *Ion.* 1, 9 pro עִבְרִי (permutato ר et ד) Alex. עֶבֶד יְהוָֹה δοῦλος κυρίου, ita ut literam י pro compendio nominis divini interpres sumsisse videatur. E contra *Ier.* 6, 11 הֲמַת יְהוָֹה Al. θυμός μου הֲמָתִי; *Is.* 53, 8 לָמוֹ (eum) Al. לְמָוֶת εἰς θάνατον etc. cfr *Reinke* Beiträge VII. p. 194 sqq.

5. *Eckhel* de doctr. numm. vet. III. 468. In nummis hasmonaeis annos interdum literis (א ב ג, etc.), interdum numeralibus indicari docent exempla allata a *Cavedoni* Numismatica bibl. Modena 1850 p. 19 sqq.

6. Quam plurimas numerorum differentias permutatione literarum explicare conatur *Reinke* Beiträge 1851 I. 10 sqq.

§ 2. — *Textus hebraici historia.*

91. Quum Deus, uti supra diximus, speciali sua providentia perniciosos errores semper praecavens, librorum sacrorum conservationem et transmissionem hominum curae et diligentiae commiserit, prohiberi non potuit, quin decursu temporis textus sacer multis minoribus mendis foedaretur. Ea enim est humana fragilitas, ut librarii, etsi omnes eruditi et attenti fuissent, omnes errores in transcribendis libris evitare non potuissent; nam literas vocesque similes etiam attentissimi haud raro confundunt, et vetustate obliteratas etiam eruditis-

simi interdum male interpretantur. Accedit autem, quod non omnes librarii attenti eruditique fuerint, ideoque multi illi errorum fontes, ex quibus in omnes omnino veteres libros menda quam plurima emanarunt, turbatas suas aquas in sacros quoque libros effuderint. Etenim non tantum « dormitantes » librarii pro sua negligentia literas vocesque forma aut sono similes permutarunt, literas vocesque transposuerunt, phrases phrasiumque partes homoeoteleutas et homoeopropheras omiserunt, aliaque sexcenta id generis admiserunt, quae si commodum sensum praebere videbantur, nec detegi nec corrigi facile potuerunt, sed « scioli » quoque librarii audaciores illa, quae minus bene scripta arbitrati sunt, proprio marte secundum suum iudicium corrigere praesumserunt vocabulis obsoletis usitata substituentes, formas grammaticas suo loquendi modo adaptantes, textus quosdam parallelis conformantes etc. [1]. At altera ex parte non defuerunt viri eruditi, qui omni cum cura et sollertia errores illos, quos in textum sacrum irrepsisse viderunt, removere novosque praecavere studuerunt; quem in finem aut praeceptis suis, quomodo scribendi vel legendi sint textus quidam, monuerunt, aut accurata exemplaria ceu archetypa, quae omnes sequi tenerentur, statuerunt etc. Quae si enarraverimus, clarius apparebit, quomodo hodiernus textus sit formatus et quae eius auctoritas.

Quinque autem huius historiae periodi apte distinguuntur, quarum prima a singulorum librorum conscriptione usque ad canonis palaestinensis collectionem, altera dein usque ad Thalmudistarum tempus sese extendit, tertia Thalmudistarum et quarta Massoretharum aetates complectuntur, quinta demum a completa massora ad nostra usque tempora decurrit.

1. Fontes errorum omnes errorcsque in V. T. libris ex illis fontibus exortos enarrant *L. Cappellus* Critica sacr. I. 4 sqq.; *Reinke* Beiträge VII. § 18-36; *Herbst-Welte* Einl. I. 85; cfr *infra* 111.

92. — I. A primis iam statim librariis, qui ex sacrorum scriptorum autographis libros nostros transcripserunt, errores quosdam esse commissos nemo negabit, qui ad humanam fragilitatem attenderit. Verum quominus errores isti substantiam textus attingerent, non tantum specialis prohibuit providentia, quae libris his in salutem generis humani datis invigilasse censenda est, sed specialis quoque illa diligentia atque sollicitudo, qua homines ipsi libros suos sacros tractare atque conservare solent. Quodsi in longiore illo tempore, quod a canonis collectione usque ad nos effluxit, substantialis librorum integritas, uti infra ostendemus, illaesa permansit, multo minus substan-

tialis error anteriore illo tempore irrepsit, quo libri sacri describebantur rarius, errores a librariis utpote lingua vernacula utentibus evitabantur facilius, admissi deprehendebantur citius tutiusque corrigebantur. Accedit, quod Pentateuchus Moysis ipsius manu exaratus (uti forte alii quoque libri sacri) prope arcam foederis depositus et conservatus[1] tamquam certa norma in promptu erat, ad quam exemplaria corrigerentur. Etsi vero substantialem errorem eo tempore in textum irrepsisse negemus, ab accidentalibus eum non prorsus immunem mansisse videtur esse certum.

Namque in multis libris haud pauci occurrunt textus paralleli, qui inter se ita discrepant, ut alterutrum corruptum dicamus oporteat. Immerito quidem a « criticis » hodiernis, qui libros sacros, antequam in canonem coniuncti sint, arbitrario prorsus modo a librariis tractatos esse dicunt[2], hisce parallelis locis etiam duplices illae eiusdem facti relationes adnumerantur, quae ex iisdem quidem fontibus sed a diversis scriptoribus haustae sunt[3]; neque maiore cum iure illis adduntur Psalmi illi, quorum duplex in ipso Psalterio exstat recensio[4]. Nam differentiae, quae in illis inveniuntur, ipsis auctoribus sacris attribuendae sunt, qui iure suo sunt usi, si eorum, quae in fontibus suis invenerunt, verbis non attentis sensum fideliter expresserunt, aut si carmen aliquod ab alio iam compositum certas ob causas retractarunt. Alii autem sunt loci paralleli, quorum differentias solis librariis attribuere debemus. Quicumque enim illam *Ps.* 17. (18.) recensionem, quae 2 *Reg.* 22 legitur, cum illa, quam in Psalterio habemus, comparaverit, fateri cogetur, alterutrius vel etiam utriusque textum sive negligentia sive corrigendi libidine librariorum esse corruptum vel potius mutatum; in *Ps.* 144 (145), qui alphabeticus est, versus a litera נ incipiens per negligentiam librariorum sine ullo dubio excidit, quum Alexandrini eum suo in loco habeant; nomina, quibus eadem persona vel idem locus designatur, et numeri bis commemorati saepe ita discrepant, ut differentia iterum soli librario attribui possit etc. Iam vero multas ex his differentiis, quum non in solo textu hebraico, sed in omnibus quoque versionibus occurrant, ante collectionem canonis esse exortas haud inepte concludimus, idque eo magis, quia Pentateuchus samaritanus iam a palaestinensi discrepat.

1. *Deut.* 31. 24 sqq. cfr *supra* 20 *n.* 2. 5.

2. Ex. gr. iuxta *De Wette Schrader* (Einl. p. 202) textus hebraicus quam plurimas gravissimasque iniurias passus est, antequam Veteris Test. libri collecti et agniti essent; librarios scripturas illas, quae pleraeque anonymae essent, velut suas tractasse et pro lubitu lectiones mutasse, aliena inseruisse etc. (Die ungünstigsten Schicksale hat der hebr. Text erlitten,... ehe die Sammlung des A. T. zur Anerken-

nung und Sanction gelangt war. Die Abschreiber erlaubten sich mit den oft namenlosen Schriften wie mit eigenen umzugehen und die Lesarten nach Gefallen zu ändern. Bearbeiter und Sammler schalteten willkürlich mit den Werken früherer Schriftsteller und trugen oft ganz Fremdartiges hinein). Similiter *Reuss* Gesch. des A. T p. 717, *Wellhausen*, *Kuenen* aliique loquuntur, quibus praeterea persuasum est, pleraque opera hodiernae nostrae Scripturae satis recenti tempore ex variis operibus antiquioribus esse compilata et conglutinata, redactoresque varios, qui in illis conflandis operam suam posuerunt, haud pauca ex suis inseruisse ac tradita mutasse. Hac de re in *Introd. spec.* accuratius erit agendum.

3. Huc pertinent *Is.* 37. 38 et 4 *Reg.* 18. 19; *Ierem.* 52 et 4 *Reg.* 24; dein paralleli textus in libris Regum et Paralip. — Textus parallelos enumerat *Reinke* Beitr. VII. p. 29 sqq. Multas quidem discrepantias librariis deberi non negamus, sed sat multas etiam auctoribus ipsis attribuendas esse censemus; quid in singulis casibus alterutri adscribendum sit, interpretis est indagare.

4. *Ps.* 13 (14) = *Ps.* 52 (53); *Ps.* 39 (40), 14-18 = *Ps.* 69 (70); *Ps.* 56 (57), 8-12 + 59 (60), 7-14 = *Ps.* 107 (108). In duobus prioribus casibus praecipua differentia in eo est, quod nomina divina variant, de cuius variationis causa alibi diximus cfr *Introd. special.* in V. T. II. p. 80 sq. 112 sqq.

93. — Pentateuchi Samaritani, cuius testimonium invocamus, nomine non samaritanam versionem intelligimus, sed ipsum hebraicum textum samaritanis literis exaratum, quo adhuc Samaritanorum reliquiae utuntur. Quum ab Esdrae Nehemiaeque saltem tempore usque ad hodiernum diem maximae sint Iudaeos inter et Samaritanos inimicitiae, neutros aliorum correctiones in sua exemplaria recepisse facile intelligitur; quare si demonstratur, iam ante Esdrae aetatem Samaritanos Pentateuchum possedisse, ex illo etiam, si cum massorethico comparatur, diiudicare possumus, quaenam textus ratio fuerit, antequam Esdras canonem palaestinensem collegerit.

Quamquam Patres eius exsistentiam noverunt, nec infrequenter eius lectiones ab Origene et S. Hieronymo laudantur[1], iunioribus tamen interpretibus incognitus mansit, usque dum Petrus della Valle an. 1616 exemplar in Europam attulit, quod una cum versione samaritana ab Ioan. Morino in polyglottis parisiensibus atque paullo post a Br. Walton in londinensibus publici iuris factum est. Quum vero textus samaritanus in multis locis a massorethico discreparet, vehemens exorta est controversia de eius antiquitate et auctoritate.

Ad eius *antiquitatem* quod attinet, in tres sententias abeunt viri eruditi. Atque alii quidem Pentateuchum samaritanum ab illis derivari censent exemplaribus, quae post duorum regnorum Iuda et Israel scissionem incolae regni septemtrionalis secum retinuerint. Etsi enim, inquiunt, rex Ieroboam, sacerdotibus aaroniticis levitisque expulsis, subditos suos ad idololatriam seduxit, integram tamen regni Israel defectionem a Lege mosaica non fuisse tota eius historia demonstrat, atque vaticinia prophetarum illorum produnt, qui ad regni septemtrionalis incolas missi frequentissime ad Pentateuchum provocant[2]; semper igitur eius exemplaria apud decem tribus remanserunt. Alii vero post regni Israel interitum Samaritanos Pentateu-

chum recepisse arbitrantur. Postquam enim in locum Israelitarum, quos captivos abduxerant, reges assyrii ex interioribus Asiae partibus, « de Babylone et de Cutha et de Avah et de Emath et de Sepharvaim », colonos miserunt, qui possiderent Samariam et habitarent in urbibus eius, novi advenae, quum Iahve « deum terrae » ignorassent eiusque cultum neglexissent, a leonibus infestati sunt, donec unus ex sacerdotibus israeliticis captivis a rege missus adveniret eosque cultum Iahve doceret[3]. Cultus Iahve autem Legi mosaicae innititur, quare alterius sententiae patroni a sacerdote illo Pentateuchum Samaritanis allatum esse putant. Alii demum non nisi Alexandri M. aetate, quum Manasses, sacerdos quidam ierosolymitanus a suis ob Legis transgressionem fugatus, ad Samaritanos transiisset eorumque templum in monte Garizim exstruxisset[4], Pentateuchum ad Samaritanos pervenisse asserunt. Tertia haec sententia non tantum rationalisticis adversariis authentiae Pentateuchi, sed aliis quoque protestanticis interpretibus plerisque arridet, qui quidquid massorethici textus auctoritatem videtur minuere quam maxime aversantur[5].

At longe veri similior est eorum sententia, qui Samaritanos iam ante Esdrae aetatem Pentateuchum possedisse contendunt, sive Israelitae illi, qui fuga se exsilio subtraxerunt et in terra sua remanserunt, antiqua illius exemplaria retinuisse, sive advenae cuthaei illum a sacerdote israelitico accepisse dicuntur. Namque

1.) negare non licet, etiam regno Israel destructo incolas istius regionis, etsi idololatriae simul dediti essent, verum Deum adorasse et coluisse legesque mosaicas observasse; quin etiam quum Iudaei ex babylonico exsilio reduces ad templum reaedificandum sese pararent, Samaritani ab illis petierunt, ut sibi cum illis templum exstruere liceret, quia eundem Deum colerent[6]; atqui cultus Iahve et observatio Legis necessario Pentateuchum cognitum supponunt.

2.) Postquam eorum petitio a Zorobabel reiecta est, tantum exarsit eorum in Iudaeos odium, ut non intelligatur, quomodo postea inimicorum suorum Legem et libros sacros accipere potuerint. Si vero quis eos odio hoc spreto Pentateuchum recepisse asseruerit, explicet necesse est, cur reliquos libros, quos Alexandri M. tempore Iudaei, omnibus fatentibus, iam pro sacris habuerunt, respuerint; namque Samaritanorum canon Pentateucho solo et libro Iosue corrupto constat.

3.) Neque illud est omittendum, Alexandri M. tempore Iudaeos iam eo literarum typo, qui postea quadratus evasit, libros sacros conscripsisse, Samaritanos autem hodie adhuc antiquioribus characteribus semiticis uti. Vix autem quisquam dixerit, eos non obstante suo odio Pentateuchum quidem recepisse, sed propter odium suum antiquioribus literis eum conscribere incepisse.

4.) Adversariorum nostrorum opinio demum nulli innititur fundamento. Fl. Iosephus enim, ad quem provocant, Manassen quidem ad Samaritanos transiisse eorumque templum in monte Garizim aedificasse testatur, sed de allato Pentateucho silet[7]. Quod autem ante Manassis adventum non inte-

gram Legem observarant idololatriaeque dediti erant, id non magis probat eos Pentateuchum nondum habuisse, quam Iudaeorum ipsorum frequentes Legis transgressiones et continuata idololatria eos nec Pentateuchum nec prophetarum libros habuisse demonstrant[8].

1. *Orig.* in Hexaplis haud raro samaritanas lectiones affert cfr *Montfauc.* Proleg. ad Hexapl. I. 8 (M. 15, 38) et *Field* Hexapla Proleg. 8, 3. I. p. LXXXII. — *S. Hier.* Prol. galeat : « Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem (sc. viginti duabus) literis scriptitant figuris tantum et apicibus discrepantes »; cfr Quaest. in Gen. 4, 8; 5, 25; in Gal. 3, 10, etc. (M. 23, 945. 947; 26, 357).

2. *Os.* 4, 6 sqq.; 8, 12; 9, 3 etc.; *Am.* 2, 4; 4, 5 sqq.; 4,21 sqq. etc. Praeterea ea, quae in libris Regum de Elia et Eliseo narrantur, Legem in regno Israel cognitam supponunt. Accuratius hanc quaestionem in *Introd. spec.* in Vet. Test. I. p. 49 sqq. tractavimus.

3. 4 *Reg.* 17, 24 sqq.; quae confirmantur ipsorum regum assyriorum inscriptionibus; cfr *Schrader* Keilinschr. u. d. Alte Test. Ed. 2. Giessen 1883 p. 276 sq.

4. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 8, 2 sqq. Erronee autem, ut videtur, Iosephus hunc Manassen censet illum sacerdotem fuisse, quem Nehemias (2 *Esdr.* 13, 28) se fugasse testatur.

5. Primus hanc opinionem proposuit *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. I. 10 (Rotterdam 1685 p. 65); eam adoptaverunt *Gesenius* De Pentat. Samarit. origine, indole, auctoritate. Halae 1815 p. 9 sq.; *Hupfeld* Studien u. Krit. 1830 p. 280; *De Wette Schrader* Einl. p. 204. — *Bleek* (Einl. Ed. 2. p. 339. 756) Samaritanos post exsilium quidem babylonicum, sed a Iudaeis aegyptiacis Pentateuchum accepisse censet. — Cum rationalistis fere hac in re consentiunt *Hengstenberg* Authentie des Pentat. I. p. 28 sqq.; *Keil* Einl. p, 589; *E. König* Einl. (1893) p. 95 sq.; ad Bleekii opinionem accedit *Haevernick* Einl. I. p. 328.

6. 4. *Reg.* 17, 28; 1 *Esdr.* 4, 1 sqq.

7. Cogitari quoque vix potest Manassen, qui ob spretam et violatam Legem a Iudaeis expulsus erat, eandem Legem Samaritanis attulisse (cfr *n.* 4).

8. Post *Ioan. Morinum*, primum Pentateuchi samaritani editorem, omnes fere catholici interpretes tenent Samaritanos Pentateuchum iam ante Esdrae aetatem possedisse. Inter recentiores cfr *Herbst-Welte* Einl. I. 92 sqq.; *Danko* De Script. Sacr. p. 146 sq.; *Kaulen* Einl. p. 64 Ed. 3. p. 76 sq.; *Vigouroux* Manuel lib. I. p. 281 sq. etc.

94. — Non magis de *auctoritate*, quam de antiquitate, Pentateuchi samaritani una est interpretum sententia. Multis in locis, uti diximus, a massorethico textu discrepat et cum alexandrino consentit[1]; hinc iam statim, postquam innotuit, acerrima de eius auctoritate exorta est controversia. *Ioan. Morinus* « infinitis modis » eum textum massorethicum superare proclamavit; contra vero *Sim. de Muis* nullius prorsus valoris eum esse dixit; mediam autem viam secutus *Rich. Simon* nec omnibus in locis, ubi a massorethico dissentit, approbandum nec reprobandum eum censuit[2]. Eaedem tres sententiae hodie quoque suos patronos habent; ne unam quidem lectionem samaritanam quidquam critice valere contendunt *Haevernick* et *Keil*; *Dillmann* vero praeiudiciis iudaicis abreptum putat eum, qui sat magno numero lectionum samaritanarum auctoritatem neget; *Kaulen* samaritano

textui, licet multis in locis eum corruptum esse concedat, maiorem, quam ipsi massorethico, auctoritatem attribuit; *Danko* utrumque unius eiusdemque libri apographa esse pronuntiat, quae, quum suas quodque perfectiones suaque vitia habeant, mutuam sibi opem ferre possint et debeant[3].

Quam tertiam sententiam nobis praeplacere non diffitemur, at huius loci non est in auctoritatem textus samaritani accuratius investigare, quum id solum nobis propositum sit, ut ex eo, quis status textus hebraici ante Esdram fuerit, cognoscamus. Iam vero inter innumeras illas differentias, quae massorethicum inter et samaritanum adsunt, ne unam quidem esse, quae fidem aut mores attingat, omnes concedunt; longe maior earum numerus orthographiam grammaticamque spectat, paucae etiam diversum fundunt sensum in rebus accidentalibus[4]. Quanti hoc sit momenti ad demonstrandum, ante collectionem canonis non arbitrario modo et pro lubitu librariorum sacrum textum tractatum esse, nemo non videt. A bis mille enim et quingentis saltem annis Samaritani non coutuntur Iudaeis, ita ut nec Iudaei ab Samaritanis nec Samaritani a Iudaeis quidquam accipere voluerint; si igitur nihilominus samaritanus codex in rerum summa cum hebraico congruit, atque adeo, ut loquitur *S. Hieronymus,* idem est cum eo totidem (vel fere totidem) literis, figuris tantum et apicibus discrepans, utrosque dicamus oportet fideles fuisse in libris suis sacris conservandis.

Accuratius autem rem inspicientes et utrumque textum comparantes animadvertimus :

1.) Samaritanos haud raro vocabulorum orthographiam grammaticasque formas suae linguae, quae dialectus aramaica est, adaptasse atque etiam locos parallelos aliquoties inter se conformasse[5]; iam vero nihil impedit, quominus Iudaeos eodem modo textum ante collectionem canonis tractasse dicamus; id enim in omnibus fere libris, qui frequenter leguntur, fieri solere supra iam monuimus (87);

2.) Samaritanos interdum ea, quae Deo videbantur indigna, removere studuisse; neque enim tantum singularem posuerunt, ubi in textu hebraico אלהים cum verbi plurali constructum invenitur, sed anthropomorphismos quoque expunxerunt[6]; eiusmodi mutationes in massorethico quidem textu non deprehendimus; iuniores autem interpretes tantum non omnes (alexandrinos, chaldaeos, syrum, latinum) simili modo egisse infra videbimus;

3.) Samaritanos haud paucas lectiones habere, quibuscum consentiunt alexandrina, syra aliaeque veteres versiones[7]; ex his autem merito concludimus, massorethicum textum sive ante Esdrae aetatem sive post illam librariorum incuria esse corruptum.

1. Omnium etiam minimarum utriusque textus differentiarum enumerationem ex Castellii, Lightfotii et Waltonii collatione exhibent *Polygl. londin.* VI. Animadvers. Samarit. p. 19 sqq.; cfr etiam *Petermann* Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes 1872 V. p. 219 sqq.; in certas classes omnes varias lectiones distribuit *Gesenius* de Pentat. Samarit. origine etc. p. 24 sqq.

2. *Ioan. Morinus* Exercit. eccles. in utrumque Samar. Pentat. Paris 1631; *Sim. de Muis* Censura in aliquot capita Exercitationum eccles. Opera Paris 1639 II.

p. 133 sqq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. I. 11. 12. p. 68 sqq. Alios, qui ex catholicis et ex protestantibus uni ex hisce sententiis adhaeserunt, enumerat *Wolf* Bibliotheca hebr. II. p. 427 sqq.; cfr etiam *De Rossi* Variae lectiones V. T. Parmae 1784 I. Proleg. p. XXVII, sqq.

3. *Haevernick* Einl. I. 328; *Keil* Einl. p. 590; — *Dillmann* in Herzog P. R. E. Ed. 1. II. p. 147; *Kaulen* Einl. p. 65 Ed. 3. p. 77; — *Danko* de S. Script. p. 149.

4. Ob dogmaticam quandam rationem, sc. ut templi sui in monte Garizim aedificati auctoritatem contra Iudaeos defenderent (cfr *Ioan.* 4, 20), Samaritanos *Deut.* 27, 4 pro בְּהַר עֵיבָל posuisse בְּהַר גְּרִזִּים, suspicantur plerique; at si conferuntur *Deut.* 11, 29 et 27, 12, fatendum est, fieri etiam potuisse, ut ob odium Samaritanorum Iudaei textum mutarent. Ceterum cfr *de Rossi* Variae lectiones II. p. 58, qui rectissime monet « optime interpolationem hanc, salva publica fide nationis, a privato antiquo critico sive samaritano sive israelita fieri potuisse, qui ex coniectura locum mutavit; aptius enim electioni congruere Garizim, montem benedictionis, quam Hebal ». Addit autem eruditissimus vir : « Pleraeque mutationes codicum samaritanorum non a Samaritanis, sed ab Israelitis eorumque codicibus sunt repetendae, multaque accusantur a Samaritanis addita et interpolata, quae iudaicorum codicum adhuc superstitum confirmat auctoritas ».

5. Ubi Massorethae. legunt הִוא et נַעַר pro feminino, Samar. semper habet היא et נערה (*Gen.* 3, 12. 20; 4, 22, etc. *Gen.* 24, 14. 16. 28, etc.); gutturales (אהחע), quas Samaritani non pronunciant, saepe inter se permutantur; matres lectionis (אוי) ad vocales indicandas frequentius, quam in textu mas., usurpantur. — *Gen.* 42, 16 ex 44, 22; *Exod.* 6, 9 ex 14, 12; 26, 35 ex 30, 1-11 etc., aut pauca verba aut singuli versus aut multi interdum adduntur.

6. *Gen.* 20, 13; 31, 53, etc. — *Num.* 22, 20; 23, 5. 16 etc., ubi aliquid Domino attribuitur, *Sam.* illud « angelo Domini » attribuit; *Deut.* 29, 19, pro יֶעְשַׁן אַף־יְהוָֹה (fumavit nasus Domini, metaph. = exarsit furor Domini) *Sam.* metaphora omissa יִחַר אַף־יְהוָֹה etc.

7. *Gen.* 2, 2 *Mass.* « septimo die » Deus complevit opus creationis, at *Sam.* cum *Alex.*, *Syr.* : « sexto » die (in iuniore textu hebr. numeralia ו = 6 et ז = 7 videntur permutata); *Gen.* 2, 24 *Mass.* : « et erunt in carnem unam » at *Sam.* cum *Alex.*, *Syr.*, *Chald.*, *Vulg.* : « *duo* in carnem unam »; *Gen.* 4, 8 *Mass.* : « et locutus est Cain ad Abel fratrem suum et factum est, quum essent in agro » etc.; *Sam.* cum *Alex.*, *Syr.*, *Chald.*, *Vulg.* : « et dixit Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur in agrum; et factum est, quum essent in agro » etc. etc.

95. — II. Altera PERIODUS, quam SCRIBARUM vel *Numeratorum* (סופרים) nominare possumus, a canonis collectione ad Thalmudistarum aetatem, i. e. a 5. saec. a. Chr. usque ad finem saec. 2. p. Chr. se extendit. Antiquitus satis vulgata fuit opinio, divinos libros omnes, Ierosolymis a Nabuchodonosor eversis, periisse omnesque Scripturarum codices in templi incendio esse consumtos, Esdram vero divinitus inspiratum eos restituisse. Quae opinio quum unius Ps. Esdrae testimonio innitatur, canonicis libris aperte contradicentibus[1], merito a recentioribus interpretibus omnibus repudiatur. Illud tamen veri illi subesse arbitramur, quod Esdras eiusque in restituendo cultu adiutores, quos viros magnae synagogae appellant rabbini, non tantum libros sacros colle-

gerint apteque in canone disposuerint, sed simul etiam codices, quantum eius fieri potuit, a mendis apertis purgaverint. Esdram enim « scribam peritum in Lege » cum collegis suis « coronam in veterem nitorem restituisse », i. e. libros sacros a mendis, quibus exsilii babylonici praesertim tempore foedati erant, repurgasse vetus est Iudaeorum traditio[2], cui consentiunt testimonia plerorumque Patrum[3]. Qua in emendatione eos nec arbitrarie nec incaute egisse ostendunt non paucae illae differentiae in textibus parallelis, quas non mutatas reliquerunt, quia earum auferendarum certum fundamentum non habuerunt.

Secundum Iudaeorum traditionem opus a viris magnae synagogae susceptum continuaverunt scribae vel numeratores, qui nomen suum ideo accepisse dicuntur, quia vocabula literasque librorum sacrorum, ut textum sacrum immutabilem redderent, numerassent[4]. Quidnam scribae in libris sacris emendandis eorumque textu ab omnibus mendis immuni conservando praestiterint, certis testimoniis definire non possumus. *Philo* quidem et *Fl. Iosephus* asserunt, neminem unquam libris sacris quidquam addere aut ab illis quidquam demere aut illos quoquo modo immutare esse ausum[5]; dubium tamen non est (id quod ex contextu patet), quin eorum verba de eiusmodi mutationibus sint intelligenda, quae ipsam librorum vel potius legum substantiam attingant, neque omnes vel levissimas textus, qui eo tempore fixus stabilisque nondum fuit, correctiones excludant.

Thalmudistae et Massorethae scribis praeter vocabulorum literarumque numerationem notas quasdam criticas attribuunt, quae עטור סופרים (*ablationis scribarum*), תקון סופרים (*correctionis scribarum*), נקודות (*punctatorum* i. e. literarum punctis notatarum) nominibus designantur[6]. Quibus nominibus seducti aliqui interpretes scribas textum sacrum arbitrarie mutasse opinati sunt[7]; at *Bellarminus* de textus corruptione non agi iam monuit, quum plerasque lectiones, quas scribae his notis praeferendas indicarunt, alexandrinus quoque, syrus, vulgatusque interpretes exhibeant[8]. *Ablationes* quinque tantum enumerantur atque solam particulam copulativam, quae illis in locis abundare videbatur, spectant[9]. *Correctiones* ab aliis duodecim, ab aliis quindecim vel duodeviginti indicantur, nec ab omnibus eaedem, ita ut tres et viginti esse videantur; non sunt nisi variae lectiones, quae pleraeque antiquis versionibus confirmantur[10]. *Puncta extraordinaria* demum quindecim in locis inveniuntur; quidnam significent, certo quidem non constat, probabilior autem sententia tenet, punctis illis literas, quibus superponuntur, delendas indicari[11].

1. 4 *Esdr.* 14, 19 sqq. — *Dan.* 9, 11; 13, 2; 2 *Mach.* 2, 2; 1 *Esdr.* 6, 88; 2 *Esdr.* 8, 1; cfr *Ioseph.* Ant. XI. 1, 2.

2. Rabbinorum testimonia exhibet *Buxtorf* Tiberias p. 97 sqq.

3. Cfr *supra* 23 *n*. 1. 2. 3.

4. *Tr. Kidusch.* fol. 30. a : « Idcirco prisci vocati sunt *sopherim*, quia numerarunt omnes literas legis dicentes : litera ו vocabuli גָּחוֹן (*Lev.* 11, 42) est media litera Legis, דָּרֹשׁ דָּרַשׁ (*Lev.* 10, 16) media vox Legis, וְהִתְגַּלָּח (*Lev.* 13, 33) medius versus Legis, et media litera in Psalmis est ע in מִיַּעַר *Ps.* 80, 14 hebr.) et וְהוּא רַחוּם יְכַפֵּר עָוֹן (*Ps.* 78, 38 hebr.) est medius versus in Psalmis. Interrogavit R. Ioseph : Vav vocabuli גָּחוֹן pertinetne ad hanc, an ad illam partem? Respondit : Afferamus librum Legis et numerabo illas. Dixit Rabban Bar Channa eos (priscos) non recessisse inde, donec numerassent illas » etc. cfr *Strack* Proleg. crit. in V. T. hebr. Leipz. 1873 p. 10 sqq.

5. *Fl. Ioseph.* c. Appion. I. 8; *Philo* apud Euseb. Praep. Evang. VIII. 6 (M. 21, 600) : « virum illum (Moysen), quisquis demum fuerit, usque adeo venerati sunt, ut quidquid ipsi visum est probarint universi : atque ita, sive hanc reipublicae formam suo ipse sensu arbitrioque descripserit sive divinitus illam acceperit, eam certe non alteri, quam Deo, acceptam tulerint et tot annorum spatio (certum quidem numerum definire non possum, sed tamen amplius bis mille) *ne vocem quidem unam in iis, quae scripta reliquit, immutarint* milliesque potius mori, quam legibus aliis moribusque aliis vivere malint ».

6. *Welte* Zur Gesch. d. hebr. Bibeltextes. Tüb. Quartalschr. 1848 p. 600 sqq., accuratissime de scribarum curis criticis egit; cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. Exerc. 22, 2. p. 574 sqq.

7. *Raym. Mart.* Pugio fidei II. 3, 9. p. 277 : « de sacra Scriptura, suis testantibus scripturis, multa reperiuntur (Iudaei) nobis fecisse furta valde sacrilega et valde criminosa contra praeceptum Dei » idque dein probat ex « correctionibus scribarum », quibus enumeratis addit (p. 278) : « Per ista quidem satis patet Iudaeos esse falsigraphos, fures atque mendaces ».

8. *Bellarm.* De verbo Dei II. 2; cfr *Morin* l. c. p. 578 sqq.

9. *Gen.* 18, 5; 24, 55; Num. 31, 2; Ps. 68, 26; 36, 7. In quatuor prioribus locis ante particulam אַחַר, quae ipsa iam coniungit, ו delendum praecipitur; in quinto autem loco secundus stichus asynthete priori adnectendus est.

10. *Gen.* 18. 22; *Exod.* 15, 7; *Num.* 11, 15; 12, 13; 1 *Sam.* 3, 13; 2 *Sam.* 16, 12 : 20, 1; 1 *Reg.* 12, 16; Ier. 2, 11; *Ezech.* 8, 17; *Os.* 4, 7; *Hab*, 1, 12; *Zach.* 2, 12; *Mal.* 1, 13; *Iob.* 7, 20; 32, 3; *Ps.* 22, 17; 74, 23; 83, 3; 106, 20 (hebr.); *Thren.* 3, 20. 2 *Par.* 10, 16. Unum alterumve exemplum demonstrabit criticam scribarum curam : *Gen.* 18, 22 legebatur : « *Dominus* adhuc stabat coram *Abraham* », corrigunt scribae : « *Abraham* adhuc stabat coram *Domino* »; et ita etiam recte legunt *Alex. Samar., Syr., Vulg.*; — *Exod.* 15, 7 legebatur : « et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios *nostros* »; corrigunt scribae : « adversarios *tuos* », uti iterum legunt *Samar., Syr., Vulg.*; sed *Alex.* nullo expresso pronomine : τοὺς ἐναντίους, *Chald.* « adversarios populi tui »; — *Num.* 11, 15 legebatur : « ne videam afflictionem *eorum* »; corrigunt scribae : « ne videam afflictionem *meam* » consentientibus *Samar.* et antiquis versionibus. Difficultas tantum est in *Ps.* 22 (21) 17, quo in loco correctione sua scribae contra antiquas versiones hodiernam lectionem massorethicam, quae certo falsa est, sanciunt.

11. Secundum *Welte* l. c. p. 631 puncta in plerisque quidem Pentateuchi locis, quippe in quibus Thalmude antiquiora sint, literas delendas designant; non satis autem constare censet, quid in aliis significent, quum in illis apposita esse vi-

deantur, postquam genuina earum significatio et potestas incognita iam evaserit; Thalmudistis ipsis iam ignota fuit; ad allegoricas enim explicationes illis abutuntur (Tract. Nasir. f. 23. a.; Sanhedr. f. 43. a.), atque hoc sensu etiam a *S. Hier.* semel commemorantur (Quaest. in Gen. 19, 35. M. 23, 966).

96. — At immerito quis putaret, toto scribarum tempore nihil aliud nisi paucas illas, quas commemoravimus, varias lectiones determinatas esse; ex eo enim, quod illis vocabulorum et literarum numeratio adscribi solet, consequens est, multo latius eorum auctoritatem sese extendisse. Revera inde a 3. saec. a. Chr. usque ad finem saec. 2. p. Chr. efformatus est ille textus, quem hodie in editionibus massorethicis possidemus. Quum enim codices illi, quibus alexandrini interpretes usi sunt, quam plurimis in locis ab hodierna lectione hebraica discrepant, versiones syriaca, graecae Aquilae, Symmachi et Theodotionis multo propius ad illam accedunt eoque propius, quo iuniores sunt[1]. Non nisi post Ierosolymorum destructionem, quum rabbinicarum scholarum invaluisset auctoritas, textum hodiernum formatum esse aliqui hodie arbitrantur[2]; at cui argumento haec sententia innitatur, non videmus; nullum enim habemus documentum, quo, quis ultimo saeculo ante urbis eversionem fuerit textus, cognoscatur.

Haud pauci hodie codicum uniformitatem ex eo derivandam censent, quod omnes ab uno archetypo dependeant, qui haud diu ante vel haud diu post nativitatem Domini sit conscriptus[3]: sed neque haec coniectura idoneis argumentis confirmatur. Afferunt quidem recentiorem quandam narrationem arabice conscriptam, iuxta quam Traiani tempore post Pseudomessiae Barkochebae cladem posteri Davidis ex oppido Bethar occupato librum Legis servaverint et in Bagdad attulerint, ex eoque iuniores codices omnes esse descriptos volunt. At praeprimis narrationi illi maior, quam aliis narratiunculis rabbinicis, auctoritas non competit; deinde neque in illa narratione asseritur neque probabile est, illud exemplar, quod servatum dicitur, tunc temporis non tantum in Bethar sed inter omnes Iudaeos in Oriente dispersos unicum superstes fuisse; porro narratio de solo libro Legis loquitur, ad prophetarum ergo et hagiographorum uniformitatem explicandam non iuvat; neque dicere licet, librum illum Legis reliquas Scripturas continuisse, nam ipsa Thalmudistarum aetate reliquos libros cum Lege uno volumine comprehendere nondum licuit; demum addatur, archetypi illius suppositi memoriam apud Thalmudistas plane interire non potuisse, nullam autem eius fieri mentionem in Thalmude. Secundo in loco pro sententiae suae argumento ipsam codicum uniformitatem afferunt, quae tanta sit, ut nisi unus omnium archetypus admittatur explicari nequeat; varias enim lectiones in consonantium textu deesse atque eadem menda aperta easdemque scriptionis singularitates omnibus in codicibus reperiri monent. At non tantum uniformitas haec exaggeratur, siquidem variae lectiones non plane desunt (ex. gr. *Ps.* 22,18 et *Ps.* 110,3 hebr. etc.) et Thalmudistae quoque de sat multis lectionibus in consonantium textu litigant, sed etiam ad uniformitatem hodiernam codicum explicandam ea

plane sufficiunt, quae statim de Massoretharum laboribus et auctoritate dicemus; quare nova illa sententia ad eam explicandam nequaquam est necessaria [4]. Ceterum multo minus eorum opinio nobis probatur, qui duas olim exstitisse putant hebraici textus recensiones, quarum altera emendatiore esdrina usi sint Iudaei palaestinenses, altera corruptiore Iudaei extra Palaestinam degentes; priorem hodie haberi in textu massorethico, alteram in versionibus [5]. Nullo enim modo hac opinione explicatur, cur iuniores versiones minus a textu recepto dissentiant, quam antiquiores.

Censemus igitur textum continuo scribarum labore paullatim efformatum esse, neque tamen diffitemur scholarum rabbinicarum auctoritatem non parum contulisse, ut in omnes codices reciperetur. Non pro arbitrio scribas elegisse lectiones aut illa emendasse, quae minus recta videbantur, ipse textus demonstrat; etenim non tantum in locis parallelis discrepantias non mutatas reliquerunt, sed etiam multos archaismos, idiotismos, aliaque id generis retinuerunt. Quare supponendum est, id quod etiam Iturim, Thikunim, punctaque extraordinaria suadent, eos ex collatione codicum antiquorum textum suum constituisse, quamvis forte magis ad numerum, quam ad maiorem minoremve praestantiam auctoritatemque eorum attenderint [6].

1. Accuratius de codicum auctoritate, ex quibus versiones dependent, *infra* erit dicendum (cfr 99. 188).

2. *Dillmann* in Herzog P. R. E. Ed. 2. II. 387.

3. Cfr J. *Olshausen* Commentar der Psalmen. Leipzig 1853 p. 17 sq.; *eiusdem* Lehrbuch der hebr. Sprache 1861 § 31; *Paul de Lagarde* Anmerkungen zur griech. Uebersetzung der Prov. Leipzig 1863 p. 1 sqq.; *eiusdem* Materialien zur Gesch. u. Kritik des Pentateuchs. 1867 I. p. XII. 231; *eiusdem* Mittheilungen I. 25; *Wellhausen* in Bleek Einl. Ed. 4. Berlin 1878 p. 621.; *Bickell* in Innsbrucker Zeitschrift für kath. Theol. 1886 p. 346 sq.; *Cornill* Einl. ins A. T. Freiburg 1891 p. 288 sq. etc.

4. Cfr etiam quae contra hanc novam sententiam disserit *Ed. Koenig* Einl. ins A. T. Bonn 1893 p. 88 sq.

5. *Rossi* Variae lectiones V. T. I. Prolog. p. IX; *Keil* Einl. p. 588.

6. Cfr *Welte*. l. c. Tüb. Quartalschr. 1848 p. 620. — *Thalm. hier.* Tr. Taanith. fol. 68 a. : « Tres libros invenerunt in atrio, librum » מעוני, librum זעטוטי et librum היא; in uno invenerunt scriptum מעין (*Deut.* 33, 27), in duobus מעונה, et approbantes duos reiecerunt unum. In uno invenerunt scriptum זעטוטי (*Ex.* 24, 5), in duobus נערי, et approbantes duos reiecerunt unum. In uno invenerunt scriptum undecies היא, in duobus undecies היא, et approbantes duos reiecerunt unum ». Cfr Tr. Sopherim 6, 4. — *König* Einl. p. 92.

97. — III. **Thalmudicorum doctorum aetas** tria circiter saecula complectitur ab ineunte saec. 3. usque ad inchoatum saec. 6. p. Chr. — Utraque Thalmudis pars, Mischna et Gemara, textum quendam communi consensu receptum supponit, qui ex rabbinorum opinione mutationem in consonantibus non amplius admisit; atque critici quum mischnaistarum tum gemaristarum labores eo tendebant, ut praeceptis quam minutissimis eum quasi immutabilem redderent.

Quare literas, quae confundi inter se facile possent, indicabant[1], item illas, quae certas ob rationes maiusculae, minusculae, suspensae, inversae pingendae coronulisve notandae essent[2]; spatium, quod inter vocabula relinquendum esset, determinabant[3]; paraschas, quae a nova linea vel media in linea incipiendae essent, enumerabant[4] aliaque id generis. Tam parum textum ipsum, « id quod scriptum est » כתיב, mutare ausi sunt, ut si quo in loco aliam lectionem praeferendam ducebant, eam in margine tantum tamquam « legendam » קרי adnotarent[5], atque illius, ut ita dicam, fixationem sanctionemque ipsi Moysi adscribere non dubitarent[6]. Minus autem fixa et stabilis, quam textus, qui solis consonantibus constat, eius pronuntiatio tempore thalmudico fuit, neque a vero aberrare nobis videmur, si tribus his saeculis eam paullatim fixatam esse dicimus. Origenis enim pronuntiatio, quae ex Hexaplorum reliquiis cognosci potest, longius a massorethica distat, quam ea, quam Onkelosi et Ionathani paraphrases, quae ante saec. 4. hodierna sua forma scriptae non sunt, Hieronymique versio sequuntur.

1. Tr. Schabb. f. 103 b : « Ita autem vobis scribendum est, ut sit scriptura perfecta, ne scribatur א pro ע et vice versa, ב pro כ et v. v., ג pro צ et v. v., ד pro ר et v. v..., incurvae literae pro directis, מ pro ס et v. v., clausae literae (ם) pro apertis (מ), ne sectio aperta fiat sectio clausa et v. v. »

2. Ex praescripto tr. Sopherim aliquae literae in textu aliis maiores, aliae aliis minores esse debent, earum autem numerus Thalmude terminato videtur esse auctus; eas enumeratas habes in *Buxt.* Tiber. c. 14. 15. p. 152 sqq.; cfr de illis *Morin.* Exercit. bibl. p. 544 sqq. Quatuor literae suspensae, i. e. ita scriptae ut inferiorem lineam non attingant, superiorem superent, commemorantur Baba bathr. 109 b, Sanhedr. 103 b. etc.; cfr de illis *Buxt.* Tib. c. 16 p. 171 et *Morin.* Exercit. p. 549 sqq. Demum נ aliquoties inversa (נ) invenitur (cfr *Buxt.* et *Morin.* ll. cc.); hodie censent interpretes, inversas illas literas olim inservisse pro parenthesi, qua versus non suo loco insertus designaretur ex. gr. *Num.* 10, 35-11, 1. De maiusculis etc. cfr etiam *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 524 sq.

3. *Tr. Menach.* f. 30. a.

4. *Tr. Schabb.* f. 103 b. *Tr. Menach.* f. 30 b.

5. Tres classes τῶν קרין distinguuntur : קְרִי וְלֹא כְתִיב (lectum et non scriptum), כְּתִיב וּלֹא קְרִי (scriptum et non lectum) קְרִי וּכְתִיב (lectum et scriptum); omnes tres classes Thalmudistis deberi videntur, quum in tr. Nedar. f. 37 b. iam commemorentur; at de singularum classium numero non constat. In nostris editionibus *tredecim* in locis spatio alicui vacuo relicto vocales quaedam inscribuntur, in margine autem consonantes, quae vocalibus istis moveri debent adduntur (cfr *Cappell.* Crit. sacr. p. 73), at in Thalmude (l. c.) Kerjan vlo chthiban sex tantum enumerantur. In editionibus nostris quinque in locis vocabulum, cuius consonantes in textu scriptae sunt, vocalibus caret, atque iidem Chtiban vlo Kerjan a Thalmude recensentur (cfr *Buxt.* Tib. p. 41 et *Cappell.* l. c. 75). De tertiae vero classis numero omnino non constat; nec Thalmud cum editionibus, nec editiones inter se consentiunt; sunt nimirum illi editionum nostrarum loci, in quibus vocales consonantibus quibusdam in textu scriptis additae pronunciandae sunt cum consonantibus in margine adnota-

tis. Secundum *Cappell.* l. c. p. 70 sq. editio plantiniana eorum habet 793, editio Ariae Montani 983, editio bombergiana 1171; at pauciores in Thalmude commemorantur, ita ut multi decursu temporis additi esse videantur. Inter illos pauci sunt, qui *Kerjan euphemistici* appellari possunt, quia vocabulis, quae obscoeniora esse videbantur, alia substituunt; ex. gr. pro שָׁגַל (concubuit) Keri semper legendum praecipit שָׁכַב (cubuit; cfr *Deut.* 28, 3; Is. 13, 16; *Ierem.* 3, 2; *Zach.* 14, 2); illos enumerat *Capell.* l. c. 6. p. 83. Sine ullo dubio Thalmudicis debentur, qui « omnes voces, quae in Lege in turpitudinem scriptae sunt, in laudem legi » iubent (Tr. Megill. 25 a). Alii vocabulis difficilioribus vel formis minus usitatis usitatiora substituunt; ex. gr. pro עפלים semper legi volunt טחוֹרים tumores (*Deut.* 28, 27; 1 *Sam.* 5, 6. 9; 6, 4, 5, etc.). Demum aliæ sunt variae lectiones, quae ex antiquioribus codicibus probabiliter sunt haustae. *Cappellus*, qui fuse de Kerjan tractat (Crit. sacr. III. 1-16 p. 68-186) omnes in quatuor classes praecipuas redegit : *a.*) vocabula coniunctim scribuntur, sed divisim leguntur, aut divisim scribuntur, sed coniunctim leguntur (l. c. 4. 5); *b.*) vocabula per metathesin literae alicuius alia fiunt (ex. gr. יחבר pro יבחר *Eccle.* 9. 4. — l. c. 7); *c.*) litera aliqua radicalis vocabulo additur vel demitur vel permutatur (l. c. 8); *d.*) literae serviles, praesertim אהוי, adduntur vel omittuntur vel permutantur (l. c. 9-12). Quin multi ex hac ultima classe Thalmudicis debeantur, vix potest esse dubium.

In genere quidem ex Iudaeorum opinione omnes Kerjan lectionibus, quae in textu expressae sunt, praeferendi sunt; at hanc opinionem erroneam esse relate ad Kerjan euphemisticos illosque, qui usitatiora vocabula formasque faciliores difficilioribus substituunt, nemo non videt; illi demum qui variam lectionem exhibent, secundum sacrae criticae praecepta examinandi et diiudicandi sunt. Ceterum cfr de illis omnibus praeter *Cappelli* Crit. sacr. etiam *Morin.* Exercit bibl. II. 22 p. 553 sqq., *Walton* Proleg. (Migne Curs. compl. S. S. I. 282 sqq.) et recentiorum Introductiones in V. T.

6. *Tr. Nedarim* 37 b : « Dixit R. Isaac : Lectio scribarum, ablatio scribarum, lecta et non scripta, scripta et non lecta sunt traditiones Moysis de monte Sinai ». Quae verba mitigare studens *Buxtorf* (Tiber. p. 43) monet « id dextre intelligendum; sensus simpliciter est, fundamentum diversae lectionis et scriptionis omnium vocum firmum et certum esse, perinde ac si ab ipso Moyse in monte Sinai iactum sit ». Num vero haec genuinum rabbinorum sensum exprimant dubito.

Etsi autem praecipuus huius aetatis labor fuerit, ut pronunciationem stabiliret et textum receptum praeceptis calligraphicis immutabilem redderet, tamen aliquid etiam relate ad textus ipsius correctionem factum esse docent et *Kerjan* et variae *lectiones Orientalium et Occidentalium.* Eodem enim tempore, quo scholae rabbinicae in Palaestina, aliae in Babylonia antiquorum traditionibus colligendis operam suam impenderunt; unde uti duplicem antiquioris Thalmudis partis (Mischnae) explicationem habemus in Gemara ierosolymitana et in Gemara babylonica, ita etiam duplicem habemus librorum sacrorum recensionem, ierosolymitanam vel occidentalem et babylonicam vel orientalem. Illa, quae scholae palaestinenses in conservando et corrigendo textu sacro praestiterunt, hodie exstant in Kerjan massorethici nostri textus; orientalium autem scholarum pauca nobis supersunt, inter quae primum locum tenent variae lectiones, in quibus orien-

tales ab occidentalibus dissentiunt. An. 1548 R. Iacob ben Chaiim in ultimo volumine Bibliorum rabbinicorum catalogum 216 lectionum publici iuris fecit, quas scholae orientales praetulerant[7]. Quum omnes, duabus, quae He mappic. respiciunt, exceptis, circa consonantes versantur, merito illi aetati adscribuntur, in qua vocales textui nondum erant adscriptae. Quamvis per se minimi momenti sit varietas, quae adnotatur[8], suo tamen valore non caret catalogus hic, quia argumento nobis est, quanta eo iam tempore facta sit textus hebraici uniformitas et stabilitas, qui, id quod ex antiquioribus versionibus patet, usque ad saec. 4. p. Chr. satis varius et inconstans fuerat. Unde non parum confirmatur assertio nostra (96.), textum hodiernum hebraicum praecipue attribuendum esse scribis, qui ante thalmudicam aetatem floruerunt.

7. *Bibl. rabbin.* ed Bomberg. Ed. 2. Venetiis 1545-1548. IV. Append. penult. — Etiam impressae sunt in *Polygl. Londin.* VI. Variae lect. text. hebr. p. 14 sq. — Cfr de iis *Cappell.* Crit. sacr. III, 17 p. 187-195; *Morin.* Exerc. bibl. p. 409, etc. — Ex Pentateucho nulla diversitas adnotatur, « non quod putem utrorumque codices ita per omnia consentire, ut nullum sit inter eos vel levissimum discrimen, sed potius, uti arbitror, quod indiculi illius auctor id voluerit omnibus esse persuasum » (*Cappell.* l. c. p. 188). Revera in Pentateucho differentias exstitisse ex babylonicis codicibus constat; cfr *Strack* Prolegom. crit. in V. T. hebr. Lipsiae 1873, p. 38 sqq.

8. Teste *Cappell.* (l. c. p. 195) « pauca admodum loca sunt, in quibus altera lectio sit altera paulo melior atque commodior ».

98. — IV. MASSORETHARUM AETAS a finito Thalmude ad 9. vel 10. usque saec. decurrit. Rabbini scholarum babylonensium et palæstinensium, postquam in Thalmude traditiones, quas de Legis explicatione a maioribus accepisse se gloriabantur, accurate literis consignaverunt mirisque Scripturae explicationibus confirmaverunt, operam suam integram librorum sacrorum textui impendere coeperunt[1]. Observationes omnes criticas, grammaticas, exegeticas, quae eo usque orali traditione propagatae erant, collegerunt, digesserunt, literis mandarunt, sed simul etiam novis auxerunt. Duplicis igitur generis fuerunt eorum labores, scopus autem ille, ut textus biblici scriptionem et pronunciationem ex maiorum traditione determinarent, unde nomen suum *Massoretharum* (בַּעֲלֵי הַמָּסוֹרֶת) traxerunt; מָסוֹרָה enim (vel מָסוֹרֶת) secundum probabiliorem etymologiam (a rad. מסר ore tradere) significat *traditionem*[2].

1.) Primo loco Massorethae quidquid praedecessores eorum de scriptione textus sacri tradiderant collegerunt et literis consignarunt. Multo accuratius, quam Thalmudici, enarrant Itturim Sopherim, Thikkunim, Nakudot, Kerjan, literas maiusculas, minusculas, suspensas, inversas; item indicant parascharum et haphthararum aeque ac singulorum librorum versuum

numerum nominantque versus, qui medium locum in libris occupant; adnotant quoque versuum singularitates, quot ab eadem litera incipiant, quot voces ex. gr. a litera מ incipientes vel litera ם finali terminatas aliqui versus contineant, quoties certae phrases vel vocabulorum compositiones occurrant etc. Illa igitur, quae de consonantibus scribendis a maioribus tradita erant, etiam auxerunt, et quamvis in genere aetati scribarum fixatio textus adscribenda sit, ultimam tamen manum ei apposuisse Massorethae recte dicuntur. Etenim iam monuimus, numerum *Kerjan vlo chthiban*, qui a Thalmudistis commemorantur, multo minorem illo esse, quem in Massora invenimus; praeterea aliud genus invexerunt, nimirum סְבִירִין (*putata*), i. e. coniecturas, quibus ea, quae grammaticis regulis repugnare videbantur, corrigenda docuerunt[3].

2.) Praecipuum tamen Massoretharum meritum est, quod textus sacri pronuntiationem interpunctionemque eodem modo stabilem reddiderunt, quo Thalmudistae calligraphicis suis praeceptis eius scriptionem immutabilem reddere conati erant. Usque ad illorum enim aetatem, quum consonantes solae scriberentur, quomodo vocabula pronuncianda essent, ex traditione addiscebatur; unde et pronunciationis ipsius et, quae ex ea dependet, explicationis necessario maior minorve incertitudo et fluctuatio. Cui malo ut mederentur, Massorethae exemplo probabiliter Syrorum, qui circa idem tempus signis vocalibus uti coeperunt, permoti integrum signorum systema excogitarunt, quibus literarum, syllabarum, vocumque in certo contextu positarum pronunciationem quam accuratissime definirent. Hinc signa illa, quae consonantium ipsarum variam prolationem determinant (Dagesch, Raphe, Mappik, punctum diacriticum שׁ et שׂ), puncta vocalia et accentus. Sine ullo dubio systemate hoc immutabilis reddita est pronunciatio illa, quae mille circiter annis, postquam lingua hebraica in vita quotidiana adhiberi cessavit, in usu synagogarum et scholarum fuit; illam vero eandem atque antiquam esse nemo facile crediderit. Neque illud quoque cum certitudine definiri potest, num ubique sensui genuino a scriptoribus intento correspondeat. Etsi enim in genere traditionalem explicationem repraesentet, eam tamen decursu temporis variasse demonstrant antiquae versiones et differentiae illae, quae in punctatione inter scholas palaestinenses et babylonenses intercedunt. Duplici enim classi variarum lectionum consonantium, occidentali et orientali, correspondent duo punctationis systemata, palaestinense et babylonicum, quae in plerisque consentientia, ita ut illa eidem traditioni inniti certum sit, in multis tamen differunt[4].

Quibus expositis, quo sensu vera sit Massorae definitio, quam tradit *Buxtorf*, satis elucet : « Massora est doctrina critica a priscis Hebraeorum sapientibus circa textum S. Scripturae ingeniose inventa, qua versus, voces et literae eius numeratae omnisque earum varietas notata et suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est; ut sic constans et genuina eius lectio conservetur et ab omni mutatione aut corruptione in aeternum praeservetur et valide praemuniatur »[5]. De punctis vocalibus Buxtorf non loquitur, quia ea iam ab auctoribus addita esse erronee putavit.

1. *Abenesra*, teste *Morino* (Exercit. bibl. II. 12, 7 p. 411), quinque classes sapientium distinguit, qui ab exsilio usque ad suam aetatem (i. e. ad an. 1150) Legem excoluerunt, illustrarunt, conservarunt posterisque tradiderunt : 1.) viros magnae synagogae, quibus adiungit scribas usque ad urbis destructionem, 2.) mischnaistas, 3.) gemaristas, 4.) massorethas, 5.) grammaticos, inter quos se ipse enumerat.

2. Alii tamen vocabulum derivant a rad. אסר, ita ut מסרת = מאסרת (vinculum *Ezech*. 20, 37) sit id, quo textus ligatur i. e. immutabilis fit iuxta illud rabbinorum dictum « Lex circumdanda est sepe » (*Pirke Abboth* 1); cfr *Morin*. Exercit. bibl. II, 12, 1. p. 384; *Buxt*. Tib. 1. p. 3 sq. etc.

3. « De materia Massorae » tractat *Buxtorf* Tib. c. 12-18 p. 131-192; cfr *Cappell*. Crit. sacr. III. 15 p. 170 sqq; V. 12 p. 372 sqq.; *Morin*. Exercit., II. 12, 1-9 p. 383 sqq.; *Walton* Proleg. 4 (M. Curs. compl. 1. 265 sqq.) etc. Ex recentioribus praeter Introduct. in V. T. conferri possunt *Welte* in Freib. Kirch. Lex. Ed. 1. s. h. v., *Arnold* in Herzog P. R. E. Ed. 1. et *Strack* in Ed. 2. s. h. v. — De *Sebiran* cfr *Buxt*. Tib. p. 145 et 271; ex gr. quia שמש (sol) cum feminino verbi coniungi solet, *Gen*. 19, 23 autem cum masculino coniungitur (השמש יצא), ad hunc locum adnotarunt Massorethae : ג׳סבירין יצאה i. e. tria putant verbum poni debere forma femin.

4. Cfr Catalogum 864 differentiarum, quae relate ad vocales collectae sunt ex codicibus *Ben Nephthali* et *Ben Ascher*, editum a R. Iacob ben Chajim in Bibl. rabb. Bomberg. Venet. 1548 IV. Append. 3. et in Polygl. Londin. VI. p. 8 sqq.; prior originis est babylonicae, alter palaestinensis. De differentiis his agit *Cappell*. Crit. s. III. 18 p. 195 sqq. Systema babylonicum, quod hodie ex codicibus quoque babylonicis innotuit, minus excultum, quam palaestinense, etiam forma punctorum differebat. Cfr *Pinsker*, Einl. in das babyl. hebr. Punctationssystem. Wien 1863; *Strack* Prophetarum posteriorum codex babylonicus. Petropoli 1876. Praef. p. VII. (Specimen punctationis babylonicae habes *infra* in *Append*. Tab. III., quae facsimile exhibet codicis babylonici; cfr 99 *n*. 2. p. 281).

5. *Buxtorf* Tiber. p. 6.

Ad exteriorem Massorae formam quod attinet, omnes notae primitus in schedis ac libris separatis conscriptae sunt, prout usus illas reddidit necessarias; postea tamen maioris commodi gratia libris sacris ipsis sunt additae, vel breviter in margine laterali, vel fusius in marginibus superiore et inferiore; unde duplex Massora distinguitur, parva et magna; utraque autem marginalis vel textualis appellatur in oppositione ad finalem, quae notas plerasque ordine alphabetico dispositas Bibliorum fini addit. « Massora *parva*, inquit *Buxtorf*, ea est, quae literis numeralibus, vocibus decurtatis et symbolicis ad latus textus breviter et succincte describitur »; *magna* « totam criticam comprehendit cum plena locorum Scripturae enumeratione, quam quaeque nota critica suo numero designat »; « Massora *finalis* ordine alphabetico procedit, propositis vocibus, prout a duabus primis in radice sua literis incipiunt; prius tamen in unaquaque litera generalia et communia quaedam proponuntur, quae dumtaxat ad istam literam eiusque affectiones communes spectant; dein progressus fit ad voces ipsas, quae ab ea litera incipiunt » etc. [6]. Parva praeter Kerjan praecipue indicat, quoties vox vel forma rarior in Bibliis occurrat; in magna dein enumerantur ver-

sus, in quibus vox vel forma illa invenitur, atque reliqua, quae supra indicavimus, ex ordine ponuntur.

6. *Buxt.* Tiber. p. 199 sqq. Singulorum librorum fini Massora magna addit numerum versuum, vocabulorum, paraschaxum etc. Qui numeri cum iis, qui in Thalmude inveniuntur, non semper consentiunt.

Finis Massoretharum is erat, ut omnem in posterum textus depravationem vel mutationem impedirent, et quamvis laude dignus sit hic finis, eorum labor tamen varie a variis diiudicatus est. Iudaei fere omnes, quibus etiam Christiani non pauci adstipulati sunt, maximis eum laudibus extollunt, aliis contra asserentibus Massorethas operam oleumque perdidisse eorumque opus vanum esse et inutile hominum otiosorum inventum[7]. Rectius illi iudicare videntur, qui mediam viam tenentes Massoram magna sua utilitate non carere, at multa quoque inutilia et superflua continere censent. Utilia esse puncta vocalia ab iis inventa negari nequit, etsi forte simpliciore systemate idem finis obtineri potuerit; utiles quoque accentus, in quantum ad traditam interpunctionem conservandam inserviunt; utilia ea, quae de irregularibus formis, de variantibus lectionibus tradunt, brevi omnia ea, quae ad traditum textum accuratius cognoscendum et explicandum iuvant. At superflua versuum vocabulorumque numeratio, indicatio versuum vocabulorumque, quae medium librorum locum occupant, inutiles accentus, qui solam recitationem synagogalem regunt, inutilia et superflua ea omnia, quae, ut ait *Walton*, iudaicam superstitionem olent.

7. Cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. I. 24 p. 131 sqq., qui mediam Buxtorfios inter et Cappellum Morinumque viam ingreditur.

99. — V. *Ultima in periodo,* quae a Massoretharum aetate ad nostra tempora sese extendit, integrum Iudaeorum studium, quod textum hebraicum spectat, in eo positum fuit, ut traditus conservaretur. Quare omnes suos codices ad Massorae placitum conformare studuerunt, atque hinc « ratio probabilis, inquit *Walton,* reddi potest, cur non habeamus codices hebraeos ita antiquos, ut graecos quosdam V. et N. T., quia sc. post Massoretharum criticam et punctationem ab omnibus receptam Iudaeorum magistri omnes codices his non conformes tamquam profanos et illegitimos damnaverunt; unde post pauca saecula omnibus iuxta Massoretharum exemplaria descriptis reliqui reiecti sunt et aboliti »[1]. Revera codices hebraicos saec. 10. antiquiores non habemus[2], dum graeci et latini ad. 5. immo ad 4. saec. adscendant.

Hebraici codices, quorum ingens est numerus, duplicis sunt generis : alii enim ad liturgicum usum in synagogis destinati ex veteri more in membranis vel pellibus, voluminis in formam, absque punctis vocalibus, accentibus, notis massorethicis exarati sunt; alii privato usui inservientes sive

quadratis sive rabbinicis literis in membranis vel chartis conscripti plerique vocalibus, accentibus et maiori minorive notarum massorethicarum numero sunt instructi. Priores omnes aut solum Pentateuchum aut Prophetarum haphtharas aut quinque Megilloth (18 *n*. 4. 8. 9.) continent, at pauci quoque sunt alterius generis, qui omnes libros complectuntur. Priores maiore quidem cum cura et diligentia sunt conscripti, sed quia omnes eundem textum a Massorethis traditum exhibent, critico usui vix ac ne vix quidem inserviunt[3]. Alteri, quamvis negligentius sint exarati, haud raro lectiones a Massora discrepantes praebent easque forte antiquiores, quae, si cum antiquis versionibus consentiant, minime sunt spernendae. Massorae enim auctoritas, etsi summa sit apud Iudaeos, impedire non potuit, quominus in privatos codices lectiones ab ea reprobatae admitterentur, neque iuniorum grammaticorum auctoritas ea fuit, ut codicum illorum quos ceu exemplaria proposuerunt, lectiones omnes reciperentur aut eorum praecepta observarentur[4].

1. *Walton* Proleg. I (M. Curs. Compl. 1, 249). — Codices, qui ob menda, quae continebant, adhiberi nequiverunt, « abscondebantur », immo defodiebantur et terra obruebantur (Tr. *Sopher*. 5, 14; cfr *de Rossi* Lect. variae I. Prolog. p. XVI).

2. Codicum aetas vix alio modo, quam ex anno adscripto cognoscitur. Antiquissimi habentur codex Prophetarum *babylonicus* a. 916., cuius specimen in Appendicis Tab. III. subiicimus, et integer Bibliorum codex an. 1009 conscripti, qui *Petropoli* asservantur; cfr *Harkavy* u. *Strack* Katalog der hebr. Bibelhandschr. d. kais. öffentl. Biblioth. in S. Petersburg; *Himpel* in Tüb. Quartalschr. 1876 p. 528; *Strack* Prophet. poster. cod. Babyl. Petrop. 1876. Praef.; *Ed. König* Einl. 1893 p. 16 sqq. etc. — *Kenikott, de Rossi* aliique antiquiores critici aetatem codicum suorum exaggerare haud immerito dicuntur.

3. *Tr. Sopherim* de modo, quo codices liturgico usui inservientes conscribi debeant, minutissima tradit praecepta; cfr *De Voisin* (in Raym. Mart. Pugio fid. p. 104-111) qui ex Maimonide viginti conditiones recenset necessarias, ut codex publice praelegi queat.

4. Cfr *de Rossi* Lect. var. I. Proleg. p. XXIII. sq.; *Kennikott* Dissert. gener. § 20 sqq. Quamplurimos codices enumeratos habes apud *de Rossi* l. c. LIX-CLIV; cfr quoque *eiusdem* MSS. codices hebraici Biblioth. I. B. de Rossi accurate descripti. Parmae 1803.

Ars typographica inventa mox ad biblia hebraica edenda adhibebatur; postquam opera pauca rabbinica typis iam edita sunt an. 1475 et 1476, primum prodiit an. 1477 Psalterium cum commentario R. Dav. Kimchi; secuti sunt an. 1482 Bononiae Pentateuchus cum chald. Onkelosii paraphrasi et commentario R. Sam. Iarchi, an. 1485 Soncini Prophetae priores, an. 1487 Neapoli iterum Psalterium cum commentario kimchiano et reliqua Hagiographa variis commentariis instructa, ac demum an. 1488 Soncini *Biblia integra* cum punctis et accentibus[5]. Principis editionis huius textum, quum ex antiquioribus codicibus haustus sit, « infinitam variarum lectionum segetem suppeditare » testantur *Kennikott* et *de Rossi*, inter quas « non paucae gravissimae, rariores, unicae » reperiantur[6]. Ex innumeris, quae

secutae sunt, editionibus notatu prae ceteris dignae sunt illae, quae insequentium factae sunt fundamenta et fontes, quatenus ex illis derivatus est reliquarum textus. Sunt autem 1.) *Polyglotta complutensia* (1514-1517), quorum textus hebraicus, utpote ex privatis codicibus hispanicis desumtus, multis in locis ab hodierno differt; 2.) *Bibliorum rabbinicorum Bombergi editio secunda* (Venetiis 1525), quorum textum editor R. Iacob ben Chajim Massorae potius quam codicibus accommodavit; 3.) *Buxtorfii Biblia rabbinica* (Basileae 1618 sq.), quae ipsa quoque Massoram sequuntur; 4.) *Athiae Biblia* (Amstelodami 1661 et 1667), quae Buxtorfii textum e duobus bonis codicibus emendatum exhibent. Modernae editiones fere omnes ab illa amstelodamensi dependent, quam an. 1705 Vander Hooght curavit Athiae textum secutus [7].

Quum vero Iudaei Massoretharum textu contenti eum describere non cessarunt, christiani interpretes criticis suis investigationibus ad antiquiorem et magis genuinum pervenire studuerunt; itaque quia editiones omnes ex paucis tantum codicibus adornatae erant, aliqui viri eruditi reliquos quoque conferendos apparatumque criticum textus hebraici edendum curaverunt. Primus qui laborem hunc in se suscepit, est *Benjamin Kenikott,* Anglus natione; typis enim oxoniensibus an 1766-1780 « Vetus Testamentum hebraicum cum variis lectionibus » edidit, in quo Pentateuchi samaritani, 615 codicum, 52 editionum impressarum, Thalmudisque ierosolymitani et babylonici variae lectiones collectae sunt. Quod opus, licet immensis curis et sumtibus absolutum, publicae exspectationi non omni ex parte satisfecit; mirati enim sunt multi, quod pleraeque lectiones non essent nisi aperta librariorum menda, et paucae tantum emendando textui inservire possent; alii vero non sine ratione vituperarunt, quod nonnulli ex sociis, quos Kenikott in conferendis codicibus colligendisque lectionibus cooperatores adhibuerat, debita diligentia caruissent [8]. Eius vestigia secutus *I. B. de Rossi,* sacerdos parmensis, opus kennikottianum retractavit auxitque; collationem 731 codicum hebraicorum et fere 300 editionum impressarum adiunxit, ita ut in eius opere varias lectiones ex 1700 circiter libris collectas habeamus; antiquas praeterea versiones et rabbinorum commentarios contulit recentiorumque interpretum de locis dubiis iudicia expendit. Illud quidem in eo vituperatur, quod non omnes codices integros perlustraverit, sed solos dubios versus contulerit, at num ingenti labori, si omnia ista volumina integra accurate conferre voluisset, fructus respondisset, iure merito dubitatur.

5. Cfr *De Rossi* Annales hebraeo-typographici saec. 15. Parmae 1795 p. 14. 22. 40. 48. 52. 54.

6. *De Rossi* l. c. p. 56 et *eiusdem* Variae lectiones etc. I. Proleg. p. CXXXIX, ubi monet, editionem hanc mendis (typographicis) scatere; cfr etiam *Masch* Biblioth. sacra post Le Long et Boerneri iteratas curas ordine disposita. Halae 1778 I. p. 5 sq.

7. De editionibus polyglottis et rabbinicis *infra* (191. 229) recurret sermo; de *Athiae* editionibus cfr *Masch* l. c. I. p. 41 sqq.; quamvis Athiae vocari soleant, is tamen non erat nisi typographus, editiones curavit *Ioan. Leusden*, in acad. ultraiect.

linguae hebr. professor. De *van der Hooghtiana* editione cfr *Masch.* l. c. p. 50 sq. : « textus hebraicus non ad codices manuscriptos, sed, uti in titulo indicatur, ad editionem Athiae secundam aliosque codices (impressos) optimos est recognitus, quorum in numero sunt Athiae duplex, Bombergi, Plantini aliorumque editiones, quarum ratione punctorum diversitates ad calcem foliis viginti duobus exponuntur ». Inter modernas meliores dicuntur stereotypae, quas ediderunt *Hahn* (Lipsiae 1839) et *Theile* (Lips. 1849).

8. Cfr *Masch* l. c. p. 61 sqq.

9. Operis titulus est : « Variae lectiones V. T. ex immensa MSS. editorumque codicum numero haustae et ad samarit. textum, ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes ac leges examinatae opera et studio *I. B. de Rossi* S. Th. D. Parmae 1784-88. 4 voll. Supplementum Parmae 1798. — Haud inutile ex kenikottiano et rossiano operibus excerptum habes in *Samuel Davidson* The hebrew text of the Old Testament from critical sources. London 1855, cuius ope melior, quam quem in editionibus hodiernis habemus, textus facile restitui potest. — Ad Massorae praescripta textum revocare studet *S. Baer* (Liber Psalm. Lips. 1861 et addita latina versione S. Hieronymi 1874; Genesis 1869; Isaias 1872; Prophetae minores 1878; Esdras et Nehemias 1882 etc.), accuratissime praesertim ad accentuum systema attendens.

§ 3. — *De textus massorethici auctoritate dogmatica et critica.*

100. Acerrima exorta est saec. 17. et 18. controversia de hodierni textus hebraici puritate. Ut versionum alexandrinae et vulgatae latinae auctoritatem facilius impugnarent convellerentque, protestantes quam plurimi textum massorethicum incorruptum proclamarunt textuique, quem sua manu sacri scriptores exaraverant, prorsus conformem. Vix unus alterve interpres catholicus inventus est, qui illis assentiret; plerique autem disputationis ardore, ut videtur, abrepti hodiernum textum hebraicum Iudaeorum malitia, aut culpabili saltem negligentia, ita depravatum dixerunt, ut vix alicuius sit auctoritatis eique longe praeferendae sint antiquae versiones. Non est dubium, quin utraque haec sententia a vero recedat; errores enim naevosque, qui operis ipsius substantiam non attingunt, ex humana infirmitate, librariorum sc. indiligentia, socordia, ignorantia, temeraria corrigendi libidine, irrepsisse fatendum est, at data opera et certo consilio, ut dogmata revelata auferrentur vel doctrinae erroneae ingererentur, Iudaeorum malitia textum esse corruptum immerito asseritur. Quare etsi in eo menda adesse non tantum concedamus sed asseramus, *eum tamen authenticum revelationis fontem esse contendimus.*

Authenticum enim cum iurisconsultis illud instrumentum dicimus, quod per se indubitatam et legitimam auctoritatem facit nec alterius probatione indiget. Strictissimo hoc sensu sola quidem auctorum sacrorum autographa,

si adhuc haberentur, authentica essent dicenda, quia eorum testimonio refragari nemini liceret; latiore tamen sensu authentica etiam sunt apographa omnia, de quorum cum autographis concordia constat. Quae quum duplici modo innotescat, duplex etiam distinguitur authentia, publica et privata, prout nimirum apographorum cum autographis concordia aut publicae autoritatis declaratione aut critico privatorum examine cognoscitur. Alteram hanc authentiam nos textui hebraico vindicare patet. Ut autem apographum authenticum sit, i. e. fidem per se mereatur, perfectissima et absoluta in omnibus conformitas cum autographo necessaria non est, sed illa sola requiritur et sufficit, quae instrumenti substantiam respicit; atqui ad substantiam libri alicuius sacri proxime et directe pertinent ea, ob quae hic liber a Deo nobis datus est, i. e. omnia, quae directe fidem morumque doctrinam attingunt; remote vero et indirecte ea quoque omnia, quae efficiunt, ut secundum ordinariam et prudentem hominum existimationem idem opus cum autographo dicatur. Apographum ergo hebraicum authenticum dicendum est, si easdem doctrinas dogmaticas et morales, quae in autographo traditae erant, continet atque in reliquis quoque, etsi in aliquibus minoris momenti dissentiat, in genere tamen ita concordat, ut nemo prudens dubitet quin idem liber sit. Sin vero probari posset (id quod olim multi asseruerunt), Iudaeos fraude et malitia, ut aut sensum falsum et impium introducerent aut doctrinam fidei revelatam auferrent, libros hebraicos corrupisse, illis omnem authentiam auctoritatemque negandam esse nemo non videt.

Inter Patres iam non defuisse, qui Iudaeis crimen Scripturae hebraicae malitiose corruptae impingerent, certum est; *Iustinus M.*, *Irenaeus*, *Origenes*, *Chrysostomus*, *Ps. Athanasius*, *Tertullianus*, *Hieronymus* aliique inter Iudaeorum accusatores referri solent [1]; quos mediae aetatis theologi secuti sunt cum multis aliis *Raymundus Martini*, *Lyranus*, *Paulus Burgensis*, et recentiore aetate *Salmeron*, *Canus*, *Morinus* aliique quos enumerat Morinus [2]. Ab hac vero accusatione Iudaeos vindicarunt ipse *S. Hieronymus*, ac praesertim *S. Augustinus*, inter recentiores theologos *Sixtus Senensis*, *Bellarminus*, *Sim. de Muis*, *Genebrardus*, *Ioan. Mariana*, *Rich. Simon* etc., qui cum hodiernis interpretibus omnibus errores librariorum negligentia in textum sacrum irrepsisse concedunt, sed malitiosam textus hebraici corruptionem negant [3].

1. *S. Iustin.* c. Tryph. 71 72. etc. (M. 6, 644); *S. Iren.* c. haer. III. 21; IV. 12 (M. 7, 946. 1004); *Origen.* Ep. ad Afric. 9; in Ierem. hom. 16, 10 (M. 12, 65 sqq.; 13, 449 sqq.); *S. Chrys.* in Matth. hom. 5, 2 (M. 57, 57); *Ps. Athan.* Synops. SS. 78 (in textu latino tantum; M. 28, 438); *Tertull.* de cultu fem. I. 3 (M. 1, 1308); *S. Hier.* in Gal. 3, 10 (M. 26, 357).

2. *Raym. Mart.* Pug. fid. II. 3, p. 277; *Lyran.* et *Paulus Burg.* in Os. 9; *Salmer.* Proleg. 4; *Cani* Loci theol. II. 13; *Morin.* Exercit. bibl. I. 1, 2 p. 7 sqq. eorum et aliorum multorum testimonia recitat.

3. *S. Hier.* in Is. 6, 9 (M. 24, 99); *S. Aug.* de Civ. D. XV. 13 (M. 41, 452); *Bellarm.* de verbo Dei II. 2; *Sim. de Muis* Triplex assertio pro veritate hebraica. Opp. II.

p. 131 sqq.; *Genebrard.* in Ps. 21, 19; *Sixt. Sen.* Biblioth. s. VIII. haer. 13; *Ioan. Mariana* Pro Vulgata c. 7; *Rich. Sim.* Hist. crit. du V. T. III. 18; *Marchini* De divin. et canonic. libr. sacr. I. 6; *Lamy* Introd. in SS. I. p. 83 sqq.; *Reinke* Beiträge VII. p. 292 sqq. etc. etc.

101. — Difficile non est demonstratu *immerito Iudaeos corruptae Scripturae accusari textumque hebraicum ea puritate non carere, qua authenticus revelationis fons constituitur.* Namque

1.) *Ante adventum Domini* eos textum suum non corrupisse *S. Hieronymus* argumento ex *Origenis* operibus mutuato ostendit monens, « quod nunquam Dominus et Apostoli, qui cetera crimina arguunt in scribis et pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent » [1]. Revera quomodo Dominus ad Scripturas provocasset et Iudaeos, ut eas scrutarentur, invitasset [2], si illas ab iisdem ita depravatas habuisset, ut genuinus revelationis fons non amplius essent?

Praeterea, si illas corrumpere voluissent, ea haud dubie praeprimis erasissent, quae patribus suis sibique ipsis probro essent; atqui haec omnia leguntur. Nulla porro suspicio est, eos vaticinia messianica depravasse, de quorum corruptione maxime accusantur, quia eo tempore Messiam nondum reiecerant nec ullam rationem habuerunt, ut illa ex libris suis auferrent, quae maximae ipsis erant consolationi et gloriae.

Haec tam clara et aperta sunt, ut *Fl. Iosephi* et *Philonis* testimoniis non indigeamus de magna veneratione, qua Iudaei libros suos sacros prosecuti ne voculam quidem in illis mutare nec quidquam illis addere vel ab illis auferre unquam sint ausi [3].

2.) « Si quis dixerit, inquit *S. Hieronymus, post adventum Domini* et Apostolorum praedicationem libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, quum Salvator et Apostoli et Evangelistae testimonia protulerint, uti Iudaei postea falsaturi erant » [4]. Simile argumentum ex hodierni textus hebraici cum versionibus concordia exhibet *Bellarminus :* « si Iudaei falsare voluissent Scripturas in odium Christianorum, certe praecipua vaticinia sustulissent; id autem minime fecerunt..; immo saepe codices hebraei magis Iudaeos vexant, quam graeci et latini » [5].

Alterum argumentum ex impossibilitate affert *S. Augustinus :* « Absit ut prudens quispiam vel Iudaeos cuiuslibet perversitatis ac malitiae tantum potuisse credat in codicibus tam multis et tam longe lateque dissitis » [6]. Profecto, licet tempore Christi Iudaei extra Palaestinam degentes plerique alexandrina versione sint usi, non defuerunt tamen, qui patria sua lingua eas legere praeferrent, neque recte hodie a nonnullis negatur, hebraicum textum eo tempore in imperio romano esse propagatum (96 p. 273); iam vero omnes istos codices simul po-

tuisse corrumpi, ne ille quidem sibi persuadebit, qui rabbinorum auctoritatem supra quam fieri possit extollere voluerit.

Tertium argumentum cum *S. Iustino M.* ex divina providentia desumimus. « Quod hi libri, inquit, qui religioni nostrae proprii sunt, apud Iudaeos asservantur, id divinae providentiae nobis consulentis opus est. Nam ne ex ecclesia eos proferentes locum suspicandae fraudis praebeamus hominibus nobis obtrectandi cupidis, ex Iudaeorum synagogis eos proferri postulamus, ut ex ipsis libris, qui adhuc apud eos asservantur, clare et aperte nostras pateat esse leges, quae a sanctis viris ad doctrinam scriptae sunt » [7]. Iustinum quidem ad graecam V. T. versionem respicere non negamus, sed recte *Bellarminus* idem argumentum ad hebraicum textum hoc modo applicat: « Ultimum argumentum a providentia divina ducitur, qua Deus ecclesiae suae semper prospicit. Non enim verisimile est, Deum id passurum fuisse, ut verba tot illustrium prophetarum generaliter falsarentur, praesertim quum ad hunc finem Iudaeos disperserit per totum orbem et circumferre eos voluerit libros Legis et Prophetarum, ut inimici nostri christianae veritati testimonium perhiberent. Observavit id *S. Augustinus* et ex *Ps.* 58. manifeste deducitur: Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei, disperge eos in virtute tua etc. Ideo enim dispersi sunt Iudaei libros sacros circumferentes, ut quum pagani non credant ea, quae dicimus, de Christo esse praedicta, sed a nobis eiusmodi vaticinia conficta, mittamus eos ad inimicos nostros Iudaeos, qui vaticinia secum ferunt » [8].

3.) Demum Scripturae falsificatae crimen aut ante aetatem S. Hieronymi aut post eam commisissent; atqui neutrum dici potest. Si quis enim ante S. Hieronymi tempus eam corruptam diceret, is etiam longe maiorem vulgatae nostrae latinae partem corruptam dicere deberet, quippe quae a S. Hieronymo ex codicibus eo tempore exsistentibus adornata sit. Sin vero post Hieronymum textum corruptum esse assereret, ante omnia interrogaremus cum *S. Augustino,* num « credibile sit, Iudaeos codicibus suis eripere voluisse veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem » [9]; deinde ab eo peteremus, ut nobis ostendat, quaenam substantialis textum hebraicum inter et latinum sit differentia, quum multo propius vulgatus ad massorethicum quam ad alexandrinum accedat; porro rogaremus, ut explicet, quomodo Iudaei, qui inde a S. Hieronymi fere aetate in duas sectas rabbanitarum vel thalmudistarum et karaitarum divisi implacabili odio inter se concertant, in tantum crimen conspiraverint [10]. Massorethae praesertim ab interpretibus christianis criminis huius arguuntur, sed massorethicum textum non admittunt Karaitae, ergo nulla inter eos conspirationis suspicio; attamen

tota inter utramque sectam controversia, si ad libros sacros respicis, de minutiis tantum est, quae substantiam librorum sacrorum ne a longinquo quidem attingunt. Explicare demum etiam illud deberet, quomodo factum sit, ut homines, qui superstitiosa cum anxietate libros suos sacros conservare volentes eo usque progressi sunt, ut vocabula literasque traditas numerarint, nihilominus sacrilega manu textum traditum mutaverint et mutilaverint.

Quae plane sufficiunt, ut Iudaei a depravationis malitiosae suspicione liberentur; eadem autem pleraque demonstrant textum hebraicum hodiernum substantialiter esse integrum ac proin authenticum, quum iuxta prudentem existimationem idem sit cum sacrorum scriptorum autographo.

1. *S. Hier.* in Is. 6, 9 (M. 24, 99).
2. *Ioan.* 5, 39; *Luc.* 24, 27; *Act.* 17, 2. 11 etc.
3. *Fl. Ioseph.* c. Apion. I, 8; *Philo* apud Euseb. Praep. evang. VIII. 6 (M. 21-600 sq.) *supra* 95 *n*. 5.
4. *S. Hier.* l. c.
5. *Bellàrm.* de verbo Dei II. 2.
6. *S. August.* de Civ. Dei XV. 13 (M. 41, 452). Eodem in loco de Mathusalem annis loquens, quorum numerum alium textus hebr., alium alex. et ital. indicabant, hebraicum textum praefert : « Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut quum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad finem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, *ei linguae potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio* ».
7. *S. Iustin.* Cohort. ad Graec. 13 (M. 6, 268).
8. *Bellarm.* de verbo Dei II. 2 Arg. 5. cfr *S. Aug.* de Civ. D. XVIII. 46 (M. 41 608 sq.).
9. *S. August.* de Civ. D. XV. 13 (M. 41, 452).
10. De Karaitarum schismate cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 7. p. 505 sqq.; Karaitae traditionibus omnibus thalmudicis repudiatis solam Scripturam se sequi protestantur.

Attamen illa, quam defendimus, textus massorethici cum autographo conformitas non excludit menda quaecumque; satis multis enim foedatum esse textum massorethicum probant omnia, quae supra de eius fatis retulimus, innumeraeque variae lectiones, inter quas, quaenam singulis in locis sit praeferenda, plerumque, si soli codices hebraici adhibentur, definiri non potest. Immo Thalmudicos et Massorethas, etsi ex odio christiani nominis libros suos non corruperint, uno tamen alterove in loco inter varias lectiones, quas in codicibus antiquioribus invenerunt, illam praetulisse et in sacrum textum recepisse, quae Christianis minus favebat, sententia est non improbabilis.

Ita eos egisse in celeberrimo vaticinio iacobaeo (*Gen.* 49,10) aliqui censent, at immerito, ni fallor; massorethica enim lectio שִׁילֹה tantum abest, ut messianicam loci interpretationem excludat, ut ab omnibus antiquis inter-

pretibus iudaicis de rege Messia explicetur[11]; quamquam igitur pro nostra parte lectionem שִׁלֹה, quam Alex., Symmachus, Syrus sequuntur et Onkelos agnovit, praeferendam ducimus, nulla tamen iusta adest ratio, ob quam Massorethas de lectione recepta vituperemus. Aliter autem se res videtur habere in *Ps.* 21 (22), 17, quo in loco כָּאֲרִי (sicut leo) legunt pro כָּאֲרוּ vel כָּרוּ (foderunt), quam lectionem pauci codd. iudaici retinent, antiquae autem versiones exprimunt et contextus ipseque textus postulant. Non negamus, lectionem massorethicam כארי aut punctis vocalibus mutatis aut iisdem retentis in eundem sensum cum violentia quadam trahi posse; nec ignoramus Massoram nota quadam explicationem vulgarem Iudaeorum excludere[12]: nihilominus cum *de Rossi, Welte, Thalhofer* gravissimam suspicionem adesse putamus « dissimulatae lectionis Christianis faventis »[13]. — Simile quid in *Ps.* 109 (110), 6 videtur obtinuisse, sed res minus in aperto est, quum versus hic non tantum in textu hebraico, sed etiam in plerisque versionibus corruptus sit, ut nihil certi statuere liceat.

11. Cfr *Reinke* Die Weissagung Iacobs, Münster 1849 p. 158 sqq.; *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IX. c. 4, 1. Venetiis 1765 p. 432.

12. Sunt qui legere volunt כּאֲרֵי vel כָּאֲרֵי atque statum hunc constr. plur. part. explicant aut « foedantes » (a rad. chald. כאר = כער; ita Aq. ᾔσχυναν) aut « fodientes » (part. כאר a rad. כור cfr *Gesen.* Hebr. Gramm. Ed. 21. § 72. Anm. I. 1). Alii כָּאֲרִי pro forma irregulari plur. abs. habent = כָּאֲרִים (cfr *Gesen.* l. c. § 87. 1. b.). Massora ad *Is.* 38, 13 adnotat, bis in V. T. formam כָּאֲרִי legi, sed non eodem sensu in utroque loco; iam vero in loco isaiano vocabulum alium sensum, quam « sicut leo » habere non potest; ergo secundum Massoram in Psalmo hic sensus reiicitur.

13. *Ioan. Mariana*, Pro Vulgata c. 8; *De Rossi* Variae lectiones etc. IV. p. 19; *Welte* Tüb. Quartalschr. 1848 p. 615; *Thalhofer* Erklärug. d. Psalmen. Ed. 4. Regensburg 1880 p. 155.

102. — Restat ut quid de Patrum testimoniis, quae nostrae sententiae opponuntur, sentiendum sit, paucis explicemus. Nonnulli enim, contradicentibus utique aliis, ita interdum loquuntur, ut Iudaeos suos codices corrupisse videantur asserere; at

1.) notandum est plerosque ex illis nequaquam *hebraici* textus corruptionem, quippe quem plane ignorarent, vituperasse, sed novas et perversas hebraici textus versiones graecas, quibus Iudaei argumenta a Christianis ex alexandrina versione desumta illudere conabantur; interdum quoque eos, quum vaticinia quaedam vel verba in N. T. citata in versione sua non invenirent, suspicatos esse, Iudaeorum negligentia vel etiam malitia aliquos libros sacros plane interisse. Quod evidenter ex ipsis Patrum testimoniis apparet; de vaticinio *Isaiae* (7,14) disputans *S. Chrysostomus :* « Quod si nobis, inquit, *alios interpretes* obiiciant dicentes : hi non dixerunt *virginem* sed *puellam,* primo quidem respondemus, LXX interpretes aliis iure digniores haberi. Nam hi postremi (Aquila sc., Symm., Theodot.) post Christi adventum *interpretati sunt Iudaei manentes,* et merito in suspicionem veniunt, utpote qui ex inimicitia potius sic dixerint ac vaticinia de industria *obscura-*

verint »; et iterum relate ad alterum vaticinium, quod Nazaraeus vocandus sit Christus : « Ecquis propheta hoc dixit? Ne curiosius inquiras vel scruteris. Multi enim prophetici libri perierunt, id quod ex Paralipomenon libris videre est. Nam segnes quum essent Iudaei et frequenter deciderent in impietatem, alios incuria perdiderunt, alios et ipsi combusserunt vel lacerarunt. Horum alterum *Ieremias* (36,23) testatur, alterum is, qui 4 Regum librum edidit, quum ait post multum temporis vix tandem Deuteronomium effossum fuisse antea perditum (4 *Reg.* 22,8). Si porro nullo instante barbaro sic libros prodiderunt, multo magis postquam barbari irruperunt »[1]. Etiam *S. Iustinus,* qui omnium vehementissimus Iudaeos corruptae Scripturae accusat, non de hebraico textu loquitur, sed de alexandrina versione comparata cum novis iudaicis versionibus, quae tunc temporis spargi coeptae sunt[2]; atque huc quoque spectant, quae ex *Tertulliano* et *Ps. Athanasio* afferuntur[3]. Ad *S. Irenaeum* autem quod attinet, ille *Legem* quidem mosaicam novis pharisaicis praeceptis corruptam asserit, at tantum abest, ut Iudaeos *Scripturas* depravasse vel interemisse censeat, ut contrarium disertis verbis doceat[4].

2.) Adnotemus oportet, aliquos Patres ab errore excusari non posse, ubi exemplis allatis iudaicam Scripturarum corruptionem demonstrare volunt. Nullus inter Patres invenitur, qui frequentius ardentiusque, quam *S. Hieronymus,* textum hebraicum defenderit, quem innumeris in locis « hebraicam veritatem » appellat et alexandrinae versioni praefert. Mirum igitur, quod is, qui, ut « eorum, qui de libris hebraicis varia suspicantur, errores refelleret », accuratam hebraici textus et versionis tum receptae comparationem instituere proposuerat[5], aliquando ad accusandos Iudaeos abripi se siverit; magis autem mirum, quod ibi adesse corruptionem suspicatus sit, ubi nulla prorsus adest. *Deut.* 27,26 a S. Paulo (*Gal.* 3,10) quidem secundum alexandrinam versionem adhibetur, at eo in loco Alexandrini cum textu hebraico et nostro vulgato quoad sensum plane consentiunt[6]. Neque magis Iudaei *Deut.* 21,23 (« maledictus *a Deo* est, qui pendet in ligno ») corruperunt, nec ullo modo verba « a deo » cum S. Hieronymo a Iudaeis, « ut Christianis infamiam inurerent » addita possunt dici[7]. S. Paulus utique (*Gal.* 3,13) ea omittit, at cum hebraico textu omnes versiones illa exhibent; « cur vero S. Paulus, inquit Estius, ea omiserit, incertum est, quum sic potuerit Christum dicere *maledictum a Deo,* quomodo eum dicit factum esse a Deo peccatum ». In Deuteronomio additum hoc a contextu ita postulatur, ut si scriptum non esset, necessario esset subintelligendum, et S. Paulus e memoria textum laudans verba ista probabiliter ideo tantum omisit, quia per se essent supplenda. Alia praeter enumerata S. Hieronymus in textu hebraico non vituperat, sed e contra ubique eum sequitur.

S. Iustinus quoque exempla infelici manu elegit. Si ei crederemus, Iudaei ex *Ps.* 95,10 « Dicite gentibus, quia Dominus regnavit » sustulissent ultima verba : « a ligno ». Negari nequit, ab haud paucis latinis Patribus (*Tert., Ambr., Aug., Leone M., Greg. M.* etc.) verba haec addi et in nonnullis antiquis Psalteriis legi; at non tantum ab hebraico textu, sed etiam ab

antiquis versionibus omnibus ipsaque nostra vulgata omittuntur; quare a christiano lectore in margine adnotata in aliquos codices errore librarii potius indebite sunt recepta, quam Iudaeorum malitia ex textu fraudulenter deleta[8]; utique *Salmeron* monet : « adverte Iudaeos non tantum corrupisse textum hebraicum, sed etiam suis clamoribus, cachinnis et contentionibus obtinuisse, ut nos quoque de graecis latinisque codicibus eraderemus verba illa »[9], at μηδὲν ἄγαν! — Praeterea S. Iustinus post 1 *Esdr.* 6,21 versum aliquem a Iudaeis erasum esse contendit et ex Ieremia duos versus esse demtos[10]. Ex quibus duobus ultimis unus in textu massorethico adest (*Ier.* 11,19); alter etiam bis a S. Irenaeo citatus, sed semel Isaiae, semel Ieremiae adscriptus[11], nec in codicibus hebraicis nec in versionibus invenitur, nec reliquis Patribus cognitus erat; quare iterum eum potius pro glossemate, quam pro genuino textu habeamus oportet. Idem valet de versu esdrino, quem praeter Iustinum et Lactantium omnes veteres ignorant[12].

Operae pretium non est, ut omnes textus examinemus, quos theologi saec. 16. et 17. ad fraudem Iudaeorum demonstrandam congesserunt ; *Salmeron* duodecim affert, *Bonfrerius* sex tantum, « praeter quos, inquit, nescio an locus sit alius alicuius momenti, in quo Iudaeorum perfidia perspicue notari possit », *Canus* unum solum, *Goldhagen* iterum novem etc.[13]. Verum omnes eorum obiectiones erroneis textus hebraici interpretationibus innituntur; ex. gr. si Salmeron et Bonfrerius corruptum censent *Ps.* 18,5 קַוָּם (funis eorum) pro קוֹלָם (sonus eorum cfr *Rom.* 10,18), nam קַו (funiculus), uti graecum τόνος (funis) chordam cytharae et metonymice sonum designare potest; aut si Canus *Gen.* 8,7 corruptum dicit, nam « ubi nos legimus : corvus egrediebatur et *non* revertebatur, Iudaei legunt : corvus egrediebatur et revertebatur »; sed hebr. ויצא יצוא ושוב (exiit exeundo et revertendo) « non significat, inquit *Bellarminus*, corvum rediisse in arcam, sed volitasse circa arcam eundo et redeundo, ut aves solent »[14].

1. *S. Chrys.* in Matth. hom. 5, 2; 9, 4 (M. 57, 57. 181). De priore textu ex *Is.* 7, 14 saepe conqueruntur Patres, quia vocem עַלְמָה, quam Alexandrini παρθένος reddiderant, iuniores interpretes iudaici νεᾶνις interpretari voluerunt; cfr *S. Iustin.* c. Tryph. 71. 83 (M. 6, 644, 673), *S. Iren.* c. haer. III. 21, 5 (M. 7, 952), *S. Cyr. Ieros.* Cat. XII. 21 (M. 33, 753) etc.

2. *S. Iustin.* c. Tryph. 71 (M. 6, 641) : « Neque illud vos ignorare velim permultas Scripturas (πολλὰς γραφάς)... omnino ab eis (Iudaeis) *ex illa interpretatione, quam senes apud Ptolemaeum adornarunt*, esse deletas »; cfr *Rich. Sim.* Hist. crit. du V. T. I. 19.

3. *Tertull.* de cultu femin. I. 3 (M. 1, 1308), ut librum Enoch canonicum defendat, quem a S. Iuda Apostolo laudatum putat : « a Iudaeis, inquit, potest iam videri propterea reiecta, sicut et cetera fere, quae Christum sonant; nec utique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem et ipsum coram loquentem non erant recepturi ». — *Ps. Athan.* Synops. S. S. 78 (M. 28, 438) enumeratis libris, qui in V. T. nominantur, addit : « itaque haec omnia per impiorum Iudaeorum amentiam et incuriam interiisse manifestum est ». Verba haec tamen in sola latina versione leguntur, a graecis autem codicibus exsulant.

4. *S. Iren.* c. haer. IV. 12 (M. 7, 1004) : « Non solum autem per praevaricationem frustrati sunt legem Dei,... sed et suam legem e contrario statuerunt, quae usque adhuc pharisaica vocatur. In qua quaedam quidem addunt, quaedam vero auferunt, quaedam autem, quemadmodum volunt, interpretantur » etc.; c. haer. III. 21 (M. 7, 946) Iudaei « si cognovissent nos futuros et usuros his testimoniis, quae sunt ex Scripturis, nunquam dubitassent ipsi suas comburere Scripturas, quae et reliquas omnes gentes manifestant participare vitae »; dein enarrata alexandrinae versionis origine ostendit eas non iam amplius corrumpi posse, quas eo usque non esse corruptas iam ostenderat.

5. *S. Hieron.* Quaest. hebr. in Gen. Praef. (M. 23, 936).

6. *S. Hier.* in ep. ad Gal. 3, 10 (M. 26, 357). *Deut.* 27, 26. *Alex.* et *S. Paul.* : Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ ἄνθρωπος, ὅστις οὐκ ἐμμενεῖ ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου; *vulg.* cum *hebr.* : « Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius ». Duplex πᾶς in *vulg.* et *hebr.* ex contextu supplendum est.

7. *S. Hier.* in ep. ad Gal. 3, 13 (M. 26, 360).

8. *S. Iustin.* c. Tryph. 73 (M. 6, 645); cfr de *Ps.* 95 (96) 10 *de Rossi* Variae lect. IV. p. 64 sq.; *Reinke* Beiträge VII. p. 315.

9. *Salmer.* Proleg. 4. Opp. I p. 33.

10. *S. Iustin.* c. Tryph. 72 (M. 6, 644 sq.) ex Ieremia demta dicit verba : « ego ut agnus, qui portatur ad immolandum. Super me cogitaverunt cogitationem dicentes : Venite, mittamus lignum in panem eius et tollamus eum e terra viventium et nomen eius non memoretur amplius »; et « recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierunt in terra aggeris et descendit ad eos, ut evangelizaret eis salutare suum »; porro ex Esdra : « et dixit Esdras populo : Hoc pascha Salvator noster est et perfugium nostrum. Ac si intellexeritis et ascenderit in cor vestrum : Quia futurum est, ut eum humiliemus in signo : si saltem postea speremus in eum, non desolabitur locus iste in omne tempus, dicit Deus virtutum. Sin autem non credideritis ei neque audieritis praedicationem eius, ludibrium eritis gentibus ».

11. *S. Iren.* c. haer. III. 20, 4; IV. 21, 4 (M. 7, 745. 1046).

12. *Lactant.* Instit. IV. 18 (M. 6, 507).

13. *Salmer.* Proleg. 4. Opp. I. p. 31 affert 1.) *Gen.* 49, 10 (שִׁילֹה pro שֶׁלֹּה) 2.) *Deut.* 32, 43 (deesse putat versum, qui citatur *Hebr.* 1, 6; sed S. Paulus allegat *Ps.* 96, 7); 3.) *Ps.* 18, 5 (קַיָּם pro קוֹלָם) 4.) *Ps.* 21, 17 (כָּאֲרִי pro כָּארוּ); 5.) *Ps.* 96, 10 (omisssum « a ligno ») 6.) *Is.* 28, 11 (1 *Cor.* 14, 21 ad sensum tantum laudatur); 7.) *Is.* 40, 5 (desunt : « et videbit omnis caro salutare Dei » cfr. *Luc.* 3, 6; in *sensu* nulla differentia in hebr.); 8.) et 9.) Duos versus secundum Iustinum ex Ierem. demtos; 10.) *Am.* 2, 6 (צֶדֶק pro צַדִּיק; at lectio haec est in textu massor.); 11.) *Deut.* 21, 23. « Maledictus *a Deo* »; 12.) *Zach.* 12, 10 (« Aspicient *ad me*, quem confixerunt »; verba « ad me », quae omissa conqueritur, adsunt in textu hebr., sed omittuntur a *Ioan.* 19, 37, quia ibi inutilia). — *Bonfrer.* Praeloq. c. 13, s. 4. (M. Curs. compl. I. 145 sqq.) adducit 1.) *Gen.* 49, 10; 2.) *Ps.* 18, 5; 3.) *Ps.* 21, 17; 4.) *Is.* 9, 6 (וַיִּקְרָא *et vocabit* pro וַיִּקָּרֵא *et vocabitur*; sed sensus idem, quia pron. 3 pers. sing. adhiberi potest indeterminate); 5.) *Is.* 53, 8 (לָמוֹ pro לוֹ; sed לָמוֹ etiam de singulari numero adhibetur); 6.) *Zach.* 9, 9 (נוֹשָׁע *salvatus* pro מוֹשִׁיעַ *salvator*; sed Part. Niph. etiam « vincens » *Ps.* 32 (33), 16). — *Can.* Loc. theol. II. 13 affert tantum *Gen.* 8, 7. — *Goldhagen* Introd. I. 267 sqq. : 1.) *Gen.* 49, 10; 2.) *Deut.* 21, 23; 27, 26; 3.) *Ps.* 18, 5; 4.) *Ps.* 21, 17; 5.) *Ps.* 109, 4 (עַמְּךָ pro עִמְּךָ « populus tuus »

pro « tecum »; totus quidem versus mendis in hebr. et plerisque verss. laborat, sed ex vocalium mutatione non potest demonstrari corruptio textus); 6.) (*Ps.* 144, 14 (deest versus a נ incipiens, sed sensus versus ab alexandrino suppleti adest 144, 17); 7.) *Is.* 9, 6; 8.) *Is.* 53, 8; 9.) *Zach.* 9, 9.

14.) *Bellarm.* De verb. Dei II. 2. Ceterum boni codices Vulgatae, et quidem antiquissimi fere omnes, omittunt negationem atque a correctoribus romanis diu dubitatum est, utrum sit addenda an omittenda; cfr *Vercellone* Variae lectiones Vulgatae. Romae 1860 I. p. 28 sq. et opera ibi laudata.

103. — Textui igitur massorethico sua manet auctoritas; data enim opera eum in odium christiani nominis a Iudaeis corruptum esse immerito asseritur; errores vero et naevi, quos adesse non diffitemur, « non sunt tanti momenti, inquit *Bellarminus*, ut in iis, quae ad fidem et mores pertinent, Scripturae sacrae integritas desideretur; plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quae sensum aut parum aut nihil mutant; errores autem, qui ex punctorum additione acciderunt, nihil omnino veritati officiunt; puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant : itaque possumus, si volumus, puncta detrahere et aliter legere »[1]. Atque *Salmeron*, quamvis multis argumentis massorethici textus corruptionem demonstrare conetur, hoc tamen de eius usu statuit praeceptum : « si quando contingit, ut aliud legamus in vulgata, aliud in hebraicis aut graecis codicibus, si non sibi contradicunt, sed tantum sunt diversa, utraque lectio est recipienda et catholico sensu explicanda. Si vero contradicunt sibi invicem, sicut affirmatio et negatio, adhibenda est diligentia et omnis opera ponenda, si qua ratione possimus ostendere, illa specie tantum et non re ipsa sibi adversari. Ubi vero nulla potest iniri concordia, illi lectioni magis est standum, quae magis cum praecedentibus et consequentibus cohaeret, aut magis convenit cum apostolicis et evangelicis literis, aut quae antiquiora et probatiora exemplaria pro se habet, aut quae a pluribus Patribus agnita et probata est, *sive sit hebraea, sive graeca, sive latina* »[2]. Quo praecepto integritatem substantialem textus massorethici eiusque auctoritatem supponi evidens est; secus enim omnibus in textibus, in quibus vulgatum inter et hebraicum invenitur differentia, praesumtio staret contra veritatem hebraicam. Nulli igitur dubitamus textum massorethicum authenticum revelationis fontem dicere [3].

1. *Bellarm.* De verbo Dei II. 2.
2. *Salmer.* Prolegom. 3. Opp. I. p. 25.
3. *Marchini* De divinit. et canonic. SS. Bibl. Taurini 1777 p. 105 : « Si olim primigenii codices eius erant dignitatis, ut certa illis fides haberetur ad illosque omnes referri posset quaestio, nemo iure sacros istos libros dignitate spoliabit, nisi prius *evidenter* ostenderit pristinam integritatem illos non retinere. Quod quum efficere hucusque non potuerint, qui minus aequi in hebraicos et graecos fontes videntur, intelligant tandem se nobis iniuria repugnare ». Bene quoque *Ludov. de Tena* (Isagoga in totam S. Scripturam. Barcinone 1620 p. 26), quamvis Vulgatae auctoritatem exaggerare soleat, disputationem de textus hebraici corruptione in hunc modum terminat : « Merito ergo *Nicolaus Sanderus*, natione Anglus, vir doctissimus et de

christiana religione bene meritus in disputatione pro hebraeorum codicum veritate ait, hebraicos codices incorruptos esse neque discordare a nostra latina vulgata, etiam in illis locis, in quibus accusantur vitii; immo non posse eos repudiari incolumi manente auctoritate vulgatae latinae. Quod magis ex professo doctissimus in lingua hebraica et eius primarius professor olim in Academia complutensi, ***Petrus de Palentia***, Dominicanus et S. Inquisitionis censor, ex proprietate linguae hebraicae luculenter ostendit, examinatis non minus quam septem millibus locis, etsi ante eius tempora tercenti tantum essent in controversia... Praeterea notandum est primo, quod sicut in nostris codicibus latinis reperitur varietas lectionum, non contrarietas vel corruptio, ita et in hebraeis... Secundo notandum est, aliud esse, textum hebraicum esse corruptum, aliud vero, quod servato textu illius intelligentia et sensus depravetur ab Iudaeis. Quod primum non fuit ab illis factum, quum nefas putant, immo et scelus maximum, aliquid addere vel diminuere textui sacro : secundum tamen fit passim ab illis detorquendo Scripturam in suos pravos sensus : et de hoc potius, quam de primo, conqueruntur Patres ».

CAPUT II.

DE TEXTU GRÆCO NOVI TESTAMENTI.

§ 4. — *De lingua, qua N. T. libri conscripti sunt.*

104. — Divina providentia, quae omnia suaviter sapienterque disponit atque ad finem dirigit, sapientissime imprimis et suavissime Evangelio eiusque praedicatoribus viam praeparaverat. Quid factum esset, si septingentis annis prius Dominus N. in hunc mundum intrasset salutaremque suam doctrinam praedicasset? Num fieri potuisset, ut brevi temporis spatio in omnes terras sonus eius exiret? Illa enim aetate Occidens in tot fere regna, quot exstiterunt civitates, erat discerptus, atque pleraque moribus, legibus, institutis, linguis inter se divisa continuis bellis agitabantur; in Oriente autem Palaestina media inter Aegyptum et inter regna illa asiatica, quae mox ab Assyriis, mox a Chaldaeis aut Persis nomen trahebant, sita omnium hostium incursibus erat agitata. Ubi inter tot bella, civitatum commutationes, rerum omnium perturbationes regnum pacis locum invenisset? quomodo in tanta regnorum varietate tantaque linguarum diversitate Apostoli in universum mundum exissent, ut gentes omnes docerent? Absit ut Deum splendidissimo miraculo omnia haec impedimenta subito removere potuisse negemus, at pro sua sapientia aliam viam, ut ad finem suum perveniret, eligere maluit, atque magna cum suavitate omnia ita disposuit, ut discipuli Domini integrum orbem terrarum quieti percurrere possent, ad omnes gentes accessum haberent, ab omnibus intelligerentur.

In Oriente, in quo generis humani incunabula posita erant, postquam per multa saecula variae nationes se invicem impugnaverunt variaque regna fundarunt ac deleverunt, tandem immediate post exsilium babylonicum per Cyrum, eiusque successores regnum fundatum est, quod a Nilo usque ad Indiae montes et a mari indico usque ad Pontum Euxinum sese extendens centum viginti suis provinciis omnes nationes orientales complectebatur. A quo regno quum omnino separatus esset Occidens, Deus Alexandrum M. elegit instrumentum, quo Orientis Occidentisque unio praepararetur; regnum macedonicum mox quidem discissum est, sed ut facilius Oriens et Occidens coniungerentur et unirentur. Eodem enim tempore, quo Persarum reges regna orientalia subiugarunt, Romani postquam Italiam univerunt, gentes occidentales omnes suo imperio adiungere coeperant, atque eo usque eorum excrevit potestas, ut etiam divisa Orientis regna suo sceptro subdere possent. Quando igitur Dominus N. Apostolos suos in universum mundum exire

iussit, a finibus Indiae usque ad mare atlanticum et a desertis Africae usque ad maria septemtrionalia omnes terrae romano imperio subiectae illis patebant.

At simul Deus dispersione Iudaeorum providerat, ut ubique terrarum Apostoli ad omnes gentes facilem haberent accessum. Tota quidem legislatio mosaica populum agri culturae deditum supponit; ac revera antiqui Israelitae omnes fuerunt agricolae, qui parvam aliquam terram a reliquis regnis fere separatam habitarunt. Quum vero ob peccata sua ex terrae promissae finibus eiecti partim in Babyloniam essent abducti, partim in Aegyptum aliasque regiones finitimas fugissent, necessitate quadam coacti mercaturae vacare inceperunt, utque eam exercerent, in omnes terras sese disperserunt. Persarum iam tempore in omnibus viginti et centum regni provinciis inveniebantur Iudaei [1], atque apostolica aetate vix reperta est imperii romani civitas, quae inter suos incolas non numeraret Iudaeos [2], quorum ope etiam veri Dei cultus inter ethnicos propagatus est. Etenim quoniam polytheismus senuerat, non pauci ethnici sacrorum suorum crudelium ridicularumque suarum fabularum pertaesi Iudaeis se adiungere malebant, et quamvis integram eorum Legem non susciperent, tamen tamquam « proselyti portae » [3] coetibus religiosis eorum interesse poterant. Quocumque igitur Apostoli advenerunt, contribules invenerunt, quibus Messiae adventum annuntiarent, proselytosque ethnicos, quorum ope ad reliquos quoque ethnicos facilior eis erat accessus [4].

Quanam vero lingua tot diversas nationes docere poterant, ut ab omnibus intelligerentur? Sunt quidem, qui donum linguarum, de quo in N. T. saepius sermo est, eum in finem a Deo concessum censeant, ut Apostoli omnibus gentibus Evangelium praedicarent; at non tantum id probari nequit [5], sed etiam in hunc finem illo non indigebant, quum providentia divina faciliorem viam elegisset. Etenim regnum macedonicum, praeterquam quod Orientem cum Occidente coniunxerat, etiam linguam disciplinasque graecas Orienti intulerat. Postquam Ptolemaei in Aegypto, Seleucidae in Syria et Mesopotamia per tria saecula regnum tenuerant, innumerae in omnibus illis terrae partibus inveniebantur civitates graecae, et quamquam, uti per se patet, linguae vernaculae non perierant, lingua graeca, qua dominatores utebantur, quodammodo a Tigride usque ad Nilum vulgaris facta erat. « Quid volunt, exclamat *Seneca*, civitates graecae in terris barbaris et inter Indos et Persas lingua macedonica » [6]? Quam frequenter in Palaestina et in ipsa sancta civitate lingua graeca adhibita sit, admiratio ostendit Iudaeorum, quum Paulum hebraea lingua se alloquentem audirent [7]. Quemadmodum autem in Orientem, ita etiam in Italiam aliasque terras occidentales lingua graeca invecta erat; Romani quidem fortitudine Graeciam subiugaverant, at victi Graeci victoribus suis linguam suam disciplinasque imposuerant : in senatu et in foro romano graece haud raro loquebantur imperatores et magistratus, atque non tantum in Graecia ipsa, Aegypto, Asia, sed etiam in quibusdam terris occidentalibus lingua graeca illa erat, qua sola proconsules et propraetores in gubernandis administrandisque provinciis utebantur [8]. Quam

maxime autem inter mercatores vulgata erat, ideoque Iudaei quoque extra Palaestinam degentes omnes eam pro vulgari usurpaverant; in omnibus suis synagogis graecam librorum sacrorum versionem legebant, lingua graeca uti illis licebat in libellis repudii scribendis[9] etc. Quare dubium non est, quin praeter linguam graecam alia Apostoli non indiguerint, ut in imperio romano, i. e. in illa orbis terrarum parte, quae sola fere tum temporis cognita erat, Evangelium spargerent; in apostolicis igitur suis expeditionibus illa uti potuerunt lingua, quae una cum syrochaldaica in usu Iudaeorum fuit. Hinc etiam factum est, ut omnes libri N. T., excepto S. Matthaei Evangelio, cuius textus primigenius iam mox interiit, lingua graeca scripti sint; alia enim lingua in docendo, alia in scribendo usos esse Apostolos, quis sibi persuaserit?

1. *Esth.* 3, 8.
2. *Act.* 2, 8; 13, 5; 14, 1, etc., 16, 3. 12 etc.
3. Proselyti (προσήλυτοι Matth. 23, 15; Act. 2, 11; 6, 5; 13, 43), i. e. illi qui a religione pagana ad veri Dei cultum transierunt, secundum rabbinos duplicis erant generis. Alii enim, quos « proselytos iustitiae » (גֵרֵי הַצֶּדֶק) appellarunt, circumcisione et baptismo quodam universae Legi mosaicae observandae sese adstrinxerunt, alii vero, « proselyti portae » (גֵרֵי הַשַּׁעַר) vel « proselyti inquilini » (גֵרֵי תּוֹשָׁב) appellati, quibusdam tantum ritibus praeceptisque, quae noachica nuncupantur, observandis adstricti verum Deum coluerunt coetibusque religiosis interfuerunt. Prioris generis proselytos multos fuisse, vix credi potest; maior numerus alteri classi videtur adscribendus, atque hi sunt, qui in Actibus « colentes » (σεβόμενοι sc. τὸν Κύριον) appellantur (*Act.* 13, 43. 50; 16, 14; 17, 4. 17; 18, 7).
4. Per proselytas maxime Apostolos ad ethnicos accedere potuisse patet ex iis, quae S. Lucas de Pauli expeditionibus sacris narrat.
5. Donum linguarum, de quo in N. T. sermo est, non ad docendum sed ad precandum Deum datum esse, facile apparet, si *Act.* 2, 4 sqq. cum *Act.* 10, 46; 19, 6 et praesertim 1 *Cor.* 14, 2 sqq. comparaveris. Minime in animo est negare Apostolis Evangeliique praedicatoribus, si quando necessitas id postulavit, illud etiam ad docendum concedi potuisse aut concessum esse; at id factum esse ex N. T. demonstrari nequit; cfr *meum* Comment. in 1 Cor. (Parisiis 1890 p. 410 sqq.).
6. *Senec.* Consol. ad Helvid. 6.
7. *Act.* 21, 40; 22, 2.
8. Cfr *Hug* Einleitung II. p. 31-54, qui fuse et docte antiquorum scriptorum testimoniis demonstrat in Oriente et in Occidentis maiore parte linguam graecam pervulgatam fuisse tempore apostolico.
9. *Mischna* Tr. Gittin 9, 8 (Surenhus. III. 357).

105. — Ineunte saec. 17. inter protestanticos interpretes quaestio agitata est, num idioma illud, quo sacri Novi Test. scriptores usi sunt, pura sit illa et classica scriptorum profanorum lingua, annon. Ne divinam inspirationem periculo exponerent, affirmative responderunt non pauci; at *puristae*, qui ita senserunt, nihil aliud omnibus suis doctis elucubrationibus demonstrarunt, nisi parum aptos se esse linguae graecae existimatores, divinae autem inspirationis inscios rudesque, siquidem cum Celso[1] existimasse videntur,

fieri non potuisse, ut liber a Spiritu S. inspiratus humili stylo linguaque inculta conscriberetur. Longe aliter olim senserunt Patres, qui frequenter Scripturae stylum parum elegantem incomtamque orationem exaggerant, ut efficacius divinae nostrae religionis argumentum deducant. Unus audiatur *S. Isidorus Pelusiota* : « Non animadvertunt Graeci, inquit, se per ea quae afferunt, semet ipsos evertere. Nam pro nihilo habendam aiunt divinam Scripturam, utpote barbaris vocibus constantem et peregrinis nominum fictionibus compositam, et necessariis coniunctionibus ac veluti vinculis orationis destitutam, et superfluorum inculcatione sensum dictorum perturbantem. Sed ab his vim discant virtutemque veritatis. Qui enim factum est, ut rustica illa scriptura extorserit et eloquentiae assensum? Dicant sapientes, quomodo illa tot tantisque barbarismis et soloecismis laborans vincere potuerit errorem attica ornatum eloquentia? Qui factum est, ut Plato ille, ethnicorum philosophorum facile princeps, ne unum quidem vincere et in suas partes trahere potuerit tyrannum, haec autem terras et maria sibi adiunxerit »[2]? Quare multo rectius puristarum adversarii, *hebraistae* nuncupati, puram classicamque linguam in libris sacris inveniri negaverunt; satis longe enim Novi Test. idioma ab attica Platonis lingua distat[3].

1. Cfr *Orig.* c. Cels. VI. 1. 2 (M. 11, 1289).

2. *Isid. Pelus.* Epist. IV. 28 (M. 78, 1080); cfr *S. Athan.* de incarn. Verbi 50 (M. 25, 185), *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 3, 4 (M. 61, 27 sq.) etc.

3. Cfr *Rich. Simon.* Hist. crit. du texte du N. T. p. 303-315. — De puristarum et hebraistarum controversia agunt *Beelen* Grammat. Graecit. N. T. Lovanii 1857 p. 8 sqq. et fusius *Winer* Grammat. d. neutestam. Sprachidioms. Ed. 7. Leipz. 1867 p. 12 sqq.

106. — Novi Testamenti, uti etiam alexandrinae Veteris Test. versionis, idioma in genere cum illo graeco sermone convenit, qui inde ab Alexandri M. aetate per omnes fere ingentis imperii macedonici provincias vulgaris factus est. Duplex autem eo tempore graecae linguae mutatio invaluit. Scriptores enim post Aristotelem, qui eorum agmen primus ducit, etsi atticam dialectum retinere studerent, satis multa tamen ex aliis dialectis immiscentes novam illam efformarunt, quae κοινή, i. e. omnibus communis, appellatur. Gravior autem erat mutatio, quam lingua vulgaris et quotidiana passa est; variae enim Graecorum tribus, quae eousque magis minusve separatae vixerant, inter se misceri inceperunt, earumque dialecti quoque ita permixtae sunt, ut dorica, quae Macedonum erat propria, praevaleret. Hic igitur sermo graecus vulgaris, qui permixtis dialectis per imperium macedonicum, pro variis provinciis ob singulares ex nativis linguis admissos barbarismos aliquantulum diversus, in quotidianae vitae usu fuit, fundamentum quasi est idiomatis versionis alexandrinae et Novi Test.; iudaici enim interpretes et sacri scriptores ex usu potius quotidiano,

quam ex librorum lectione, graecam linguam addidicerun mirum est, quod eorum sermo ad vulgarem magis, qua quae ab illius aetatis scriptoribus profanis in libris adhib lectum accedat.

Idiomatis huius vulgaris proprietates aliae ad vocabula i eorum formas grammaticas pertinent. *Lexicales* hae a gramma rari exemplisque illustrari solent[1] : 1.) vocabula ex omnibus d muntur; 2.) illis autem, quae in usu iam fuerunt, novae s attribuuntur; 3.) rariora et poetica quotidiani fiunt usus, 4.) u forma mutatur, quum formae productiores praeplaceant; 5.) vocabula praesertim composita finguntur, vel 6.) ex aliis lin aegyptiaca, semitica, latina, adsciscuntur[2]. Proprietates *g* praesertim in nominum verborumque flexuris aut plane novi ex aliis dialectis, in rariore dualis usu, in novis verborum con aliisque eiusmodi singularitatibus[3] cernuntur, de quibus fus tractant grammatici.

1. Cfr *Beelen* Grammat. Graecit. N. T. p. 16-22; *Winer* Gramm. p.

2. Illustrationis gratia exempla pauca ex grammaticis indicatis 1.) *Vocabula desumta ex attica dialecto :* ὕαλος (*Apoc.* 21. 18 pro ὕελος); 12, 18 pro τὸ σκότος); ἀετός (*Matth.* 24, 28 etc. pro αἰετός); φιάλη (*A* ἀλήθειν (*Matth.* 24, 41; *Luc.* 17, 35) etc.; ex *dorica* πιάζω (*Act.* 3, 7 pr νος (*Matth.* 6, 30 pro κρίβανος); ἡ λιμός (*Luc.* 4, 25 etc. pro ὁ λιμός); πoία (pro πόα), etc.; ex *ionica :* γογγύζω (*Ioan.* 7, 32 etc. pro att. τονθρύζω), 22 etc. pro ῥήγνυμι); πρηνής (*Act.* 1, 18 pro πρανής); βαθμός (1 *Tim.* 9, μός) etc. *Macedonica* esse dicunt grammatici : παρεμβολή (castra *Heb* ῥύμη (platea *Matth.* 6, 2 etc.). — 2.) *Novae significationes :* παρακαλεῖν r castigare, εὐχαριστεῖν gratias agere, ἀνακλίνειν, ἀναπίπτειν, ἀνακεῖσθαι bere, ἀποκριθῆναι respondere, δαιμών, δαιμόνιον malus spiritus etc. — *poetica vocabula* frequentius adhibita : αὐθεντεῖν dominari, μεσονύκτι ἀλέκτωρ gallus gallinaceus, βρέχειν irrigare etc. — 4.) *Formae vocabulo productae* ἀνάθεμα (ἀνάθημα), γενέσια (γενέθλια), ἔκπαλαι (πάλαι), ἐχθέ (αἴτησις), βασίλισσα (βασίλεια), ἐκχύνειν (ἐκχέειν), πετάομαι (πέτομαι), ῥαντίζ — 5.) *Nova vocabula :* ἀλλοτριοεπίσκοπος, ἀνθρωπάρεσκος, μονόφθαλμος, αἱματεκχυσία, δικαιοκρισία etc. — 6.) *Vocabula persica :* ἄγγαρος (*Matt* παράδεισος etc.; *aegyptiaca :* βάϊον (*Ioan.* 12, 13), ἄχει (*Gen.* 41, 2), κό etc.; *semitica :* ζιζάνιον (*Matth.* 13, 25), ἀρραβών (2 *Cor.* 1, 22), βύσσος etc. (census *Matth.* 22, 17), κουστωδία (*Matth.* 27, 65), λεγεών (*Matth.* 26, 5 (*Marc.* 6. 27), κεντυρίων (*Marc.* 15, 39), σικάριος (*Act.* 21. 38), μάκελλον (1 C

3. Plane *novae formae* ex. gr. sunt νοΐ (Dat. νοῦς *Rom.* 7, 25; 14 (Imper. καθῆσθαι *Matth.* 22, 44 etc.), ἔγνωκαν (pro ἐγνώκασιν *Ioan.* 17 (*Rom.* 3, 13), ἡμάρτησα pro ἥμαρτον, αὔξω pro αὐξάνω, ἦξα pro ἥκω etc. *cae :* ἤσθω pro ἔσθω, ἀφέωνται pro ἀφεῖνται; *ionicae :* εἶπα (pro εἶπον), γ γήρας), σπείρης (pro σπείρας a σπεῖρα) etc. Novae constructiones : γεύεσ gen.), προσκυνεῖν c. dat., ὅταν cum indic. praet., ἵνα c. indicat. praes. e

Veteris autem Test. interpretes et Novi scriptores, quum Hebraei essent, mirum non est, quod graecae suae dialecto characterem semiticum impresserint; rarissime enim fit ut aliquis scriptor, qui aliena lingua utitur, de sua nihil addat. Revera in alexandrina versione et in Novi Test. libris innumeros invenimus hebraismos et aramaismos; praeterea quum hebraica lingua periodos ignoret, monotonia illa, quae phrasibus sine ullo nexu grammaticali iuxta positis exoriri solet, etiam in graecos libros sacros, maxime, id quod facile intelligitur, in alexandrinam versionem transiit. Unde factum est, ut librorum sacrorum idioma ab ipsa quoque lingua illa hellenica, quae in imperio macedonico vulgaris fuit, et nomine et re distinguatur; *hellenistica* enim vulgo nuncupari solet suasque et lexicales et grammaticales proprietates habet.

Ad *lexicales* quod attinet, alexandrini interpretes et Novi Test. scriptores 1.) magnum numerum nominum theologicorum vel etiam technicorum sola terminatione plerumque mutata ex hebraica lingua desumserunt; 2.) sensus derivatos, quos vocabulum aliquod hebraicum admittit etiam graeco illi vocabulo attribuerunt, quo vocis hebraicae primarium sensum verterunt; 3.) metaphoras aliosque tropos ex hebraica lingua in graecam transtulerunt; 4.) phrases quasdam usitatissimas ad verbum graece expresserunt; 5.) nova vocabula derivarunt vel composuerunt, ut hebraicas voces exprimerent [4].

Grammaticales proprietates pauciores in graecismo biblico inveniri non est mirum; praecepta enim grammatica, quae in sermone vulgari non admodum multa sunt, facilius addiscere potuerunt Iudaei, quam copiam illam vocabulorum, qua graeca lingua vix non omnes alias superat; nam ut linguisticis studiis vacarent et ex antiquis classicis genuinas vocabulorum significationes conquirerent, tempus defuit Apostolis et voluntas, quum « non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis » esset eorum praedicatio. Unde factum est, ut syntaxis quoque idiomatis biblici aliquando hebraizet vel aramaizet. Quo pertinent 1.) usus praepositionum ad eas relationes exprimendas, quas sola casus flexione indicant Graeci; 2.) imitatio constructionum Graecis incognitarum; 3.) repetitio eiusdem vocabuli ad distributionem indicandam; 4.) usus genetivi substantivorum pro adiectivis; 5.) frequens infinitivi cum praepositione coniuncti usus in narratione [5] aliaque eiusmodi. Quamquam autem in genere grammaticae regulae observantur, graecus tamen color in graecis Scripturis deest plerumque idque ideo, quia scriptores plerique graecis periodorum constructionibus artificiosisque verborum circuitibus aut ignoratis aut neglectis phrases suas simplici καί vel οὖν coniungunt. Minime tamen omittendum, in linguae graecae puritate libros sacros multum inter se differre; longe enim puriore lingua scripti sunt libri Sap. et 2 Mach. et omnes N. T. libri quam versio alexandrina; inter N. T. autem libros eminent

S. Lucae scripturae et epistola ad Hebr., atque longius ab epistola ad Hebr. distat Apocalypsis, quam Apocalypsis ipsa a versione alexandrina.

4. Illustrationis gratia singularum proprietatum exempla pauca addidisse iuvabit: 1.) *Nomina theologica et technica :* Μεσσίας, σατανᾶς, γέεννα, σάββατον, πάσχα, σαββαώθ, σίκερα (*Luc.* 1, 14 שכר), βάτος (*Luc.* 16, 6 בת), κόρος (*Luc.* 16, 17 כר etc. — 2.) *Sensus derivati :* שאל interrogare et rogare, hinc ἐρωτᾶν utroque sensu; דבר verbum et res, hinc ῥῆμα u. s.; זרע semen et proles, σπέρμα u. s.; כלה sponsa et nurus, νύμφη u. s.; אחד unus et primus, εἷς μία u. s. etc. — 3.) *Sensus tropici :* כוס poculum, trop. sors, ποτήριον u. s.; γλῶσσα = לשון lingua, tr. natio; χεῖλος = שפה labium, tr. lingua (sermo); χεῖλος τῆς θαλάσσης = שפת הים litus maris; τὰ σπλάγχνα = רחמים viscera, tr. caritas, misericordia, unde novum verbum σπλαγχνίζεσθαι = רחם misereri; ὁδός = דרך via, tr. religio vel secta; latissimo hic usus patet. — 4.) *Phrases usitatae :* πρόσωπον λαμβάνειν = נשא פנים; ἄρτον φαγεῖν = אכל לחם coenare; αἷμα ἐκχέειν = שפך דם occidere; ζητεῖν ψυχήν = בקש נפש insidiari et mortem moliri; ἀνιστάναι σπέρμα τινί = הקים זרע ל׳ loco fratris demortui filium procreare; σάρξ = בשר corpus mortale, πᾶσα σάρξ = כל־בשר omnis homo, σὰρξ καὶ αἷμα = בשר ודם homo debilis vel naturalis etc. — 5.) *Nova vocabula :* ὁλοκαύτωμα = עלה, σκάνδαλον et σκανδαλίζειν = מכשול et הכשיל, ἀναθηματίζειν ab ἀνάθημα = חרם et החרים, ἐγκαινίζω ab ἐγκαίνια = חנך et חנכה etc.

5. Exempla pauca : 1.) *Usus praepositionum* ἀποκρύπτειν τι ἀπό τινος = העלים מן ἐσθίειν ἀπό τινος = אכל מן; εἶναι εἰς... = היה ל fieri, εὐδοκεῖν ἔν τινι = חפץ ב etc.; — 2.) *constructiones hebraicae :* βλέπειν ἀπό τινος sibi cavere = נשמר מן, προσέθετο πέμψαι = ויוסף שלח iterum misit, εἰ = אם in iuramentis negativis etc.; — 3.) *repetitio eiusdem vocabuli in distributione :* δύο δύο = שנים שנים, συμπόσια συμπόσια, πρασιαὶ πρασιαί (*Marc.* 6, 39. 40) etc. — 4.) *Genet. subst. pro adiectivis :* ὁ οἰκόνομος τῆς ἀδικίας = ὁ ἄδικος οἰκόνομος, υἱὸς τῆς ἀγάπης (*Col.* 1, 13), κριτὴς τῆς ἀδικίας (*Luc.* 18, 6), πάθη ἀτιμίας (*Rom.* 1, 26), ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου (*Apoc.* 13, 3), τὸ ῥῆμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ (*Hebr.* 1,3) etc. — 5.) *Usus infinit. c. praep.* ἐν τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους (*Matth.* 13, 25), μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με (*Matth.* 26, 32), διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς (*Phil.* 1, 7), πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι (*Luc.* 2, 21) etc. Graeci quidem similibus constructionibus etiam utuntur, at in N. T. multo frequentiores sunt.

Demum illud non est omittendum, sacros scriptores novas ideas attulisse Graecis plane inauditas, quibus exprimendis graeca classicorum lingua par non fuit. Ethnica lingua iudaica reddi debuit, ut interpretes alexandrini fideliter antiquam revelationem exprimere possent, et christiana, ut Apostoli novam, quam Christus attulerat, legem praedicarent. Unde multae voces novae antiquarumque vocum novae significationes, quas sine ullo dubio Graeci non intellexissent, nisi simul novis ideis christianis initiati essent [6]. Ob quam novarum vocum formationem non vituperium sed laudem mereri alexandrinos interpretes et Apostolos monet iam *S. Hieronymus :* « Verbum ἀποκαλύψεως, inquit, i. e. *revelationis*, proprie Scripturarum est et a nullo sapientum saeculi apud Graecos usurpatum. Unde mihi vi-

dentur, quemadmodum in aliis verbis, quae de hebraeo in graecum septuaginta interpretes transtulerunt, ita et in hoc magnopere esse conatos, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent *nova novis rebus verba fingentes*... Si itaque hi, qui disertos saeculi legere consueverunt, coeperint nobis de novitate et vilitate sermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quaestionibus philosophiae praenotantur et videant, quanta ibi necessitate compulsus sit, tanta verborum portenta proferre, quae nunquam latini hominis auris audivit, et hoc quum de graeco, quae lingua vicina est, transferret in nostrum. Quid patiuntur illi, qui de hebraeis difficultatibus proprietates exprimere conantur? et tamen multo pauciora sunt in tantis voluminibus Scripturarum, quae novitatem sonent, quam ea, quae ille (Cicero) in parvo opere congessit » [7].

6. Ut N. T. pauca tantum exempla demus cfr Λόγος, χριστός, πίστις, πιστεύειν εἰς χριστόν, χάρις, δικαιοσύνη, δικαιοῦσθαι, κλᾶν τὸν ἄρτον, πνεῦμα, πνευματικός, σαρκικός, ψυχικός, εὐαγγέλιον, εὐαγγελίστης, ἀπόστολος, ἐκκλησία, οἱ ἅγιοι, μυστήριον etc. etc.

7. *S. Hier.* in Gal. 1, 12 (M. 26, 323). Pauciora nova vocabula novaeque vocum significationes num in alexandrina versione et in Novi Test. libris, quam in Quaestionibus Tusculanis, inveniantur dubitamus.

§ 5. — *Externae N. T. librorum formae historia.*

107. — Raro admodum antiquitus auctores sua manu libros exararunt; mos enim fuit, ut amanuenses (ταχυγράφοι quos *notarios* Latini appellant) dictantis verba signis abbreviatis (notis) exciperent, quas notas librarii (βιβλιογράφοι vel καλλιγράφοι) ordinariis literis transcripserunt, transcriptas autem emendatores (διορθῶται) cum autographo contulerunt et correxerunt [1]. Eundem morem tenuisse sacros Novi Test. scriptores non sine ratione suspicamur; S. Paulum saltem epistolas suas dictasse suaque manu solam salutationem addidisse constat, « ne aliqua suppositae epistolae suspicio nasceretur » [2]; reliquos autem eodem modo egisse eo magis censendum est, quia Apostoli, qui linguam graecam usu quotidiano didicerant, in ea scribenda haud dubie parum erant exercitati.

1. *Eus.* H. E. VI, 23 (M. 20. 576 cfr *Phot.* Bibl. cod. 121. M. 103, 404) narrat Origenem septem habuisse notarios, qui per vices sibi succedentes dictanti aderant, totidemque librarios et puellas elegantius scribere assuetas.

2. *Rom.* 16, 22; 1 *Cor.* 16, 21; 2 *Thess.* 3, 17 cfr 2. 1; *Col.* 4, 18 cfr *S. Chrys.* in Gal. 6, 11 (M. 61, 678) qui epistolam ad Gal. a Paulo ipso exaratam, reliquas dictatas censet, et *S. Hier.* in Gal. 6, 11 (M. 26, 433 sq.), qui etiam epistolam ad Gal. dictatam esse recte asserit.

108. — Domini N. tempore materia, quae libris conscribendis praesertim inservivit, charta fuit ex papyro aegyptiaca confecta (χάρτης 2 *Ioan.* 12) aut membrana (2 *Tim.* 4,13). Quum prior satis tenuis sit detrituque facilis, non est mirum, quod Bibliorum codicum in ea conscriptorum parva tantum fragmenta ad nos pervenerint, quodque ad libros sacros describendos iam

mox sola membrana adhibita sit[1]. Cuius in locum saec. 10. charta ex gossypio (charta bombycina) et saec. 13. charta ex lino confecta substitui coepta est[2], illique fere soli codices, qui publico ecclesiarum usui inservierunt, in membranis scribi consueverunt. Plerumque papyri et membranae, in quarum altera tantum parte fere scribebatur, ad cylindri similitudinem convolvebantur (*volumina*), ideoque textus per columnas ita erat dispositus, ut evolventi volumen una post alteram appareret. Quae columnae retentae sunt, quum pro voluminibus codicum forma usurpari et in foliorum utraque pagina scribi esset coeptum[3]. Instrumentum, quo antiqui scribebant, erat calamus eorumque atramentum nigri coloris; pro reverentia tamen, qua libros sacros prosequebantur, non deerant, qui eos in membrana purpurea aureo vel argenteo colore depingendos curarent[4]. Literarum forma ea erat, quae *uncialis* hodie appellatur; solae *maiusculae*, rectae, fere quadratae vel rotundae sine ullis ligaturis in usu erant. Omnes librorum sacrorum codices saec. 9. antiquiores hanc literarum formam exhibent; ineunte autem saec. 9. etiam *minusculae*, quae diu iam in usu fuerant, ad sacros codices scribendos adhibitae sunt et post saec. 10. maiusculae omnino disparent[5].

1. Vix uno saeculo elapso libri a B. Pamphilo M. in papyro descripti, quia ex parte erant corrupti, in membranis transcribi debuerunt (*S. Hier.* ad Marcel. ep. 36, 1. M. 22, 448). Si hodie superstites habemus papyros multis ante Christum saeculis scriptas, id ex eo provenit, quod in sepulcris erant absconditae nec unquam manibus sunt tritae.

2. *Wattenbach* Das Schriftwesen in Mittelalter. Ed. 2. p. 114 sqq.

3. Cod. sinaiticus in singulis paginis quatuor, vaticanus tres, plerique duas columnas habent; Ephr. rescr. unam (a).

4. *S. Hier.* Praef. in Iob. « Habeant, qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, literis onera magis exarata quam codices, dummodo mihi meisque permittant... habere non tam pulchros codices, quam emendatos ». Inter biblicos codices purpurei non admodum rari sunt; eminet inter illos, qui gothicam versionem in membrana purpurea literas habet argenteis (unde cod. argenteus nominatur), initia tamen Evangeliorum, nomina Evangelistarum et singula capitum initia aureo colore distinguuntur; Upsalae hodie asservatur. Inter vaticanae bibliothecae cimelia Evangelistarium invenitur aureis literis in membrana alba depictum; fragmentum alterius item aureis literis sed in membrana nigra depicti in bibliotheca viennensi habetur.

5. Ex codicibus graecis, quos adhuc habemus, primus minusculis scriptus est an. 845, ultimus maiusculis an. 995; cfr *Aberle-Schanz* Einl. in das Neue Testam. p. 297 *n.* 4.

(a) Ob magnum membranae pretium interdum prior codicis alicuius scriptura spongia abstergebatur, ut folia iterum adhiberi possent; eiusmodi codices palimpsesti vocabantur (cfr *Cic.* Famil. VII. 18). Medio aevo etiam librorum sacrorum codices quidam hac ratione tractati sunt; mediis autem chimicis hodie prior scriptura restitui potest. Celeberrimus inter palimpsestos biblicos est ille, qui Ephraem rescriptus vocatur, quia deleta librorum sacrorum scriptura membranae ad opera quaedam graeca S. Ephraemi transcribenda adhibitae erant.

109. — Supra iam monuimus Graecos Latinosque usque ad 9. saec. fere continua serie sine ulla phrasium vocumque distinctione scripsisse. Quum ne ad finem quidem vocabulorum attentione ulla facta literae continuarentur, usque dum lineae essent repletae, lectores et librarii maximo errandi periculo erant expositi, nec raro invenimus alio modo, quam quo nunc legimus, aliquos Patres vocabula distinxisse [1]. Eo maius autem fuit errandi periculum, quo rarius accentuum spirituumque signa aliaque lectionis adiumenta erant appicta. Accentuum signa ab Aristophane Byzantino 2. a. Chr. saec. inventa et exinde in grammaticorum scholis usurpata in codicibus sacris admodum raro adhibentur; *S. Epiphanius* quidem refert, aliquos alexandrinam versionem accentuum signis distinxisse (κατὰ προσῳδίαν ἔστιξαν) et *Euthalius* quoque stichometricae suae Actuum et epistolarum catholicarum editioni accentus addidisse dicitur [2], at ex codicibus, qui hodie supersunt, teste Tischendorf, nullus, qui saec. 8. antiquior est, accentus signa habet, et non nisi inde a saec. 10. frequentiores sunt codices illis instructi [3]. Signa spirituum et apostrophae paulo frequentius et maturius occurrunt, at in antiquioribus codicibus signa haec a iuniorum correctorum manu addita sunt [4]. Unicum fere signum, quod in antiquis codicibus apparet, est lineola, quae vocabula abbreviata indicat. Illud quoque addamus oportet, iota subscriptum, quod in antiquis inscriptionibus plerumque literae adscribitur (ΤΥΧΗΙ pro τυχῃ), in primis Bibliorum codicibus plane non inveniri, unde ex solo contextu diiudicandum est, num αὕτη, an αὐτῇ an αὐτή legi debeat [5].

1. *S. Chrys.* in Phil. hom. 1 (M. 62, 183) legit συνεπισκόποις (coepiscopis) pro σὺν ἐπισκόποις (cum episcopis); *S. Aug.* et *S. Hil.* cum multis Italae codicibus *Marc.* 10, 40 (clr *Matth.* 20, 23) habent « aliis », legerunt ergo ἄλλοις pro ἀλλ' οἷς; Vulg. 1 *Cor.* 6, 20 legit ἄρατε (portate) pro ἄρα τε; *Gal.* 1, 9. pro προειρήκαμεν aliqui legere malunt προείρηκα μέν etc. etc.

2. *S. Epiph.* de pond. et mens. 2 (M. 43, 237).

3. *Tischendorf.* Testamentum Nov. gr. Ed. 7. maior. Lips. 1859. I. Proleg. p. LXI; CXXXI. Accentus, quos vaticanus aliique codices habent, postea additi dicuntur.

4. *Tischendorf* l. c. Cod. sinaiticus apostrophen nominibus hebraicis, quae casuum flexionem non admittunt, in fine addit.

5. Speciminis gratia, ut errandi periculum facilius agnoscatur, ex antiquissimis codicibus versus aliquot transcribimus, addita transcriptione ordinaria :

Cod. vat. — *Marc.* 1, 1. 2.

ΑΡΧΗΤΟΥΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ	Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου
ΙΥΧΥΥΙΟΥΘΥΚΑΘΩϹΓΕ	Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Θεοῦ. Καθὼς γέ-
ΓΡΑΠΤΑΙΕΝΤΩΗϹΑΙΑΤΩ	γραπται ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ τῷ
ΠΡΟΦΗΤΗΙΔΟΥΑΠΟϹΤΕΛ	προφήτῃ· Ἰδοὺ ἀποστέλ-
ΛΩΤΟΝΑΓΓΕΛΟΝΜΟΥ	λω τὸν ἄγγελόν μου
ΠΡΟΠΡΟϹΩΠΟΥϹΟΥΟϹ	πρὸ προσώπου σου, ὃς
ΚΑΤΑϹΚΕΥΑϹΕΙΤΗΝΟΔΟ̄	κατασκευάσει τὴν ὁδόν
ϹΟΥΦΩΝΗΒΟΩΝΤΟϹ κτλ.	σου· φώνη βοῶντος κτλ.

Cod. sinait. — *Hebr.* 13, 1-3.

ΗΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑΜΕ	Ἡ φιλαλδελφία με-
ΝΕΤΩΤΗΝΦΙΛΟ	νέτω· τὴν φιλο-
ΞΕΝΙΑΝΜΗΕΠΙΛΑΝ	ξενίαν μὴ ἐπιλαν-
ΘΑΝΕϹΘΕΔΙΑΤΑΥ	θάνεσθε· διὰ ταυ-
ΤΗϹΓΑΡΕΛΑΘΟΝΤΙ	τῆς γὰρ ἔλαθόν τι-
ΝΕϹΞΕΝΙϹΑΝΤΕϹ	νες ξενίσαντες
ΑΓΓΕΛΟΥϹ	ἀγγέλους.
ΜΙΜΝΗϹΚΕϹΘΑΙΤΩ̅	Μιμνήσκεσθε (*a*) τῶν
ΔΕϹΜΙΩΝΩϹϹΥ̅	δεσμίων, ὡς συν-
ΔΕΔΕΜΕΝΟΙΤΩΝ	δεδεμένοι, τῶν
ΚΑΚΟΥΧΟΥΜΕΝΩΝ	κακουχουμένων,
ΩϹΚΑΙΑΥΤΟΙΟΝ	ὡς καὶ αὐτοὶ ὄν-
ΤΕϹΕΝϹΩΜΑΤΙ.	τες ἐν σώματι.

Cod. alex. — *Luc.* 12, 38 sq.

ΕΛΘΗΕΝΤΗΔΕΥΤΕΡΑΦΥΛΑΚΗ'	(καὶ ἐὰν) ἔλθῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ φυλακῇ.
ΚΑΙΕΝΤΗΤΡΙΤΗΦΥΛΑΚΗ	καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ
ΕΛΘΩΝΕΥΡΗΟΥΤΩϹ'ΜΑΚΑΡΙ	ἐλθὼν εὕρῃ οὕτως, μακάρι-
ΟΙΕΙϹΙΝΟΙΔΟΥΛΟΙΕΚΕΙΝΟΙ·	οί εἰσιν οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι.
ΤΟΥΤΟΔΕΓΕΙΝΩϹΚΕΤΕΟΤΙΗ	Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ
ΕΙΔΙϹΟΟΙΚΟΔΕϹΠΟΤΗϹΠΟΙΑ κτλ.	ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ κτλ.

Interpunctionis quoque signa eo rariora sunt, quo antiquiores sunt codices. Vaticanus parvo spatio relicto interdum phrases distinguit, sinaiticus interdum punctum mediae lineae inserit, at tam raro, ut integrae columnae, immo integra folia iis careant. Quare non est mirandum, quod Patres in textu interpungendo haud raro dissentiant[6]. Ut legendi difficultatem, quae ex interpunctionis defectu exoriebatur, tolleret, Origenes in suis hexaplis Vetus Testamentum ita describendum curaverat, ut singulae lineae phrasin continerent, quae uno spiritu pronuncianda erat, atque eodem modo S. Hieronymus suam propheticorum V. T. librorum versionem scripserat[7]. Medio saec. 5. Euthalius, diaconus alexandrinus, hac stichometrica scribendi ratione ad Novum Test. applicata primum epistolas paulinas, dein Actus et epistolas catholicas, demum Evangelia stichometrica edidit, stichorum numero in fine singulorum librorum adnotato[8]. Qui scribendi modus, quum valde commodus lectoribus esset, in sat multos codices transiit[9], attamen, quum nimium spatii absumeret, iterum serie continua scribi coeptum

---

(*a*) μιμνήσκεσθαι, uti saepe, pro μιμνήσκεσθε. Diphthongi enim facile cum vocalibus simplicibus sono similibus confunduntur; qua in permutatione admittenda haud raro ad itacismum animus advertendus est : ι pro ει et vice versa, υ pro ι et vice versa; η pro ει et vice versa etc. cfr duos ultimos stichos exempli ex cod. alex. allati.

est ita, ut punctis vel signis similibus textui insertis stichorum distinctio indicaretur [10].

A saec. 7. tria interpunctionis signa inveniuntur; punctum in superiore linea positum nostro puncto correspondet, in media linea minorem, et in inferiore linea minimam distinctionem indicat, ita ut nostro commati cum puncto vel nostro commati aequiparentur [11]; sunt tamen codices, in quibus inverso ordine punctum in inferiore linea maximam et in summa linea minimam distinctionem significet. Frequentioris usus signa haec esse coeperunt post saec. 10; certa autem regula observata non est, donec saec. 16. post inventam typographiam hodierna interpungendi ratio ad libros sacros adhibita sit.

6. *Ioan.* 1, 3. *S. Chrys.* cum Vulg. legit : χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν κτλ; *S. Iren.* vero, *Clem. Alex.*, *Orig.*, *S. Athan.* : χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδέ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν κτλ; *S. Epiph.* : χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ. Ζωὴ ἦν κτλ. *S. Aug.*, qui in integra phrasi interpungenda secundam sententiam sequitur, inquirit, utrum legendum sit : « quod factum est, in illo vita erat » an : « quod factum est in illo, vita erat » (in Ioan. tract. 1, 16. M. 35, 1387). Iam saec. 2. de interpungendo 2 *Cor.* 4, 4 Catholicos inter et Gnosticos disputabatur cfr *S. Iren.* c. haer. III. 7 (M. 7, 864), *Tertull.* c. Marc. V. 11 (M. 2, 499) etc.

7. *Euseb.* H. E. VI. 16 (M. 20, 556); *S. Hier.* Praef. in Is. : « nemo, quum Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebraeos ligari...; sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt, nos quoque *utilitati legentium providentes* interpretationem novam novo scribendi genere distinximus »; cfr *Hesych. Ieros.* Epitome duodecim Prophet. (M. 83, 1310).

8. *Euthal. diac.* Prolog. Act. Apost.; Prol. Epist. cath. (M. 85, 633. 668; cfr etiam *Gallandi* Notitiam Euthalii operibus praefixam. M. 85, 623).

9. Praecipui, qui stichometrice scripti adhuc exstant, sunt cantabrigiensis (D. Evang. et Act.), claromontanus (D. Paul.), sangermanensis (E. Paul.), coislinianus (H. Paul.). Ex quo ultimo speciminis gratia addimus *Tit.* 2, 2-3.

ΠΡΕϹΒΥΤΑϹΝΗΦΑΛΙΟΥϹΕΙΝΑΙ	πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι,
ϹΕΜΝΟΥϹ	σεμνούς,
ϹΩΦΡΟΝΑϹ	σώφρονας,
ΥΓΙΑΙΝΟΝΤΑϹΤΗΠΙϹΤΕΙ	ὑγιαίνοντας τῇ πίστει,
ΤΗΑΓΑΠΗ	τῇ ἀγάπῃ,
ΤΗΥΠΟΜΟΝΗ	τῇ ὑπομονῇ·
ΠΡΕϹΒΥΤΙΔΑϹΩϹΑΥΤΩϹ	πρεσβυτίδας ὡσαύτως,
ΕΝΚΑΤΑϹΧΗΜΑΤΙΙΕΡΟΠΡΕΠΕΙ	ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖ (ς),
ΜΗΔΙΑΒΟLΟΥϹ	μὴ διαβόλους,
ΜΗΟΙΝΩΠΟΛΛΩΔΕΔΟΥΛΩΜΕΝΑϹ	μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας,
ΚΑΛΟΔΙΔΑϹΚΑΛΟΥϹ κτλ.	καλοδιδασκάλους κτλ.

10. Hac ratione scriptus est cod. cyprius (K Evang.), cuius specimen addimus *Matth.* 2, 21 sq. :

ΟΔΕΕΓΕΡΘΕΙϹ. ΠΑΡΕΛΑΒΕΤΟΠΑΙΔΙΟΝ. ΚΑΙΤΗΝΜ̅Ρ̅ΑΑΥΤΟΥ.

ΚΑΙΗΛΘΕΝΕΙCΓΗΝΙΗΛ.ΑΚΟΥCΑCΔΕ.ΟΤΙΑΡΧΕΛΑΟCΒΑCΙΛΕΥΕΙ ΕΠΙΤΗCΙΟΥΔΑΙΑC. ΑΝΤΙΗΡΩΔΟΥΠΡCΑΥΤΟΥ.ΕΦΟΒΗΘΗΕΚΕΙΑΠ ΕΛΘΕΙΝ, κτλ. ὁ δὲ ἐγερθεὶς. παρελάβετο τὸ παιδίον. καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ. καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Ἰσραήλ. Ἀκούσας δέ. ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπι τῆς Ἰουδαίας. ἀντι Ἡρώδου πατρὸς αὐτοῦ. ἐφοβήθη ἐκει ἀπελθεῖν κτλ.

11. *S. Isidor. Hisp.* Etymol. I. 20 (M. 82, 95) : « Positura est figura ad distinguendos sensus per cola et commata et periodos, quae dum ordine suo apponitur, sensum nobis lectionis ostendit. Dictae autem positurae (sunt), vel quia positis punctis adnotantur, vel quia ibi vox pro intervallo distinctionis deponitur. Has Graeci θέσεις vocant, Latini posituras. Prima positura subdistinctio dicitur, eadem et κόμμα; media distinctio sequens est, ipsa et κῶλον; ultima distinctio, quae totam sententiam claudit, ipsa est periodus, cuius, ut diximus, partes sunt κῶλον et κόμμα, quarum diversitas punctis diverso loco positis demonstratur. Ubi in initio pronuntiationis necdum plena pars sensus est, et tamen respirare oportet, fit comma, id est... punctus ad imam literam ponitur... Ubi autem in sequentibus iam sententia sensum praestat, sed adhuc aliquid superest de sententiae plenitudine, fit colon mediamque literarum puncto notamus... Ubi vero iam per gradus pronuntiando plenam sententiae clausulam facimus, fit periodus, punctumque ad caput literae ponimus » etc.

Ne quid in exterioris codicum formae descriptione deesse videatur, pauca de librorum titulis addenda sunt. Titulos, quibus hodie libri sacri inscribuntur, non ab ipsis auctoribus esse additos per se patet. Evangelistas opera sua iam titulo Evangelii praenotasse, recte censet Chrysostomus, nomina eorum autem addita esse, quum in unum volumen coniuncta sint [12]. Epistolae vero inscriptionem pro titulo habuerunt; reliqua videntur addita, quando ab aliis ecclesiis, quibus non erant scriptae, in usu liturgico adhiberi coeptae sunt [13]. Quamdiu libri voluminum forma scribi consueverunt, titulus in principio et in fine additus est, ut evolventi statim occurreret; qui mos retentus est, postquam pro voluminibus codicum forma invaluit. Sola autem brevis tituli repetitione non contenti decurrente tempore librarii eum notis quibusdam de loco et tempore, quo liber scriptus censebatur, auxerunt; eoque longiores solent esse subscriptiones illae, quo iuniores sunt codices [14].

12. *S. Chrys.* in Rom. hom. 1, 1 (M. 60, 395) : « Moyses quinque libris a se scriptis nusquam nomen suum apposuit, neque illi qui post illum res gestas scripserunt, sed neque Matthaeus, nec Ioannes, nec Marcus, nec Lucas; beatus Paulus autem semper epistolis suum nomen proponit ». In Matth. hom. 1, 2 (M. 57, 15) « Evangelium opus suum iure inscripsit » (Matthaeus); cfr *Tertull.* c. Marc. IV. 2. 5 M. 2, 363) etc.

13. Inscriptiones Ἐπιστολαὶ Παύλου, Ἐπιστολαὶ καθολικαί etc. collectionem supponere per se patet. In fragmento muratoriano iam leguntur tituli « Actus omnium Apostolorum » (Πράξεις [τῶν] Ἀποστόλων) et « Apocalypsis Ioannis »; nec quidquam obstat, quominus hos ab ipsis auctoribus additos dicamus.

14. Ex. gr. in fine Evangelii Matthaei sinait. nihil omnino habet, vatic. κατὰ Μαθθαῖον; alex. εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον; cantabr. εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον ἐτελέσθη, ἄρχεται εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην; cypr. τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐξεδόθη ὑπ' αὐτοῦ ἐν

ἱεροσολύμοις μετά χρόνους ή τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως. Ex minusculis praeterea aliqui addunt : τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, ὕστερον δὲ παρὰ Βαρθολομαίου τοῦ πανευφήμου ἀποστόλου ἑρμηνευθὲν τῇ ἑλληνίδι διαλέκτῳ, ὡς δέ τινές φασιν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, οἷ καὶ ἀληθῶς εἰρήκασιν. Alii alio modo. Eadem diversitas subscriptionum in epistolis; ex. gr. saec. 4. et 5. ad Rom. *vat. sin. alex.* etc. πρὸς Ῥωμαίους, *Porphyr. palimps.* saec. 9 : Παύλου ἐπιστολὴ πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου; *angelic.* saec. 9 : Τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Παύλου ἐπιστολὴ πρὸς Ῥωμαίους. ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου, quibus dein minusculi quidam addunt τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας.

Ex iis, quae de externa librorum N. T. forma diximus, sequitur quidem, nos non absolute teneri sive vocabulorum sive phrasium distinctione, quippe quae recentioris sit inventionis; gravissimo autem errandi periculo sese exponeret, qui eam plane arbitrariam esse ratus in coniungendis aut disiungendis vocabulis phrasibusque ingenio suo indulgere vellet. In locis enim ambiguis rectus legendi modus sine ulla vocabulorum distinctione aut accentuum et interpunctionis signis sola orali traditione in ecclesiis conservatus est, atque pleraque, quae postea signis variis sunt indicata, orali hac traditione ad ipsam usque apostolicam aetatem ascendunt. Quam ob causam antiquiores iam Patres acriter interdum haereticorum audaciam carpunt, qui novo legendi modo traditum Scripturarum sensum pervertere conati sunt. « Ii sunt, inquit *Clemens Al.,* qui inter legendum tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluntates et quorumdam accentuum et punctorum mutatione (καί τινων προσῳδιῶν καὶ στιγμῶν μεταθέσει) ea quae sapienter et utiliter praecepta sunt, ad suas delicias trahunt » [15].

15. *Clem. Alex.* Strom. III. 4 (M. 8, 1144); cfr etiam *Iren.* et *Tertull.* locos *supra* (*n.* 6) laudatos; *S. Chrys.* in Ioan. hom. 5, 1 (M. 59, 53) etc.

§ 6. — *Historia textus librorum N. T.*

110. — Sacrorum N. T. librorum autographa post apostolicam aetatem non diu in ecclesiis esse conservata satis certum est. Exeunte quidem saec. 2. *Tertullianus* ad ea dicitur provocare; *S. Petrus Alex.* suo adhuc tempore, i. e. ineunte 4. saec., quartum Evangelium ipsius S. Ioannis manu conscriptum Ephesi a fidelibus coli asserit; item Evangelium S. Matthaei manu S. Barnabae conscriptum Constantinopoli et Evangelii S. Marci fragmentum ab ipso conscriptum Venetiis conservata esse olim dicebantur [1]. At Tertulliani testimonium, quum alteram explicationem eamque meliorem admittat, pro argumento admitti non potest; S. Petri Alex. verba nobis a iuniore scriptore, cuius auctoritas magna non est, sunt relata; illa autem, quae a S. Barnaba et S. Marco scripta dicebantur, fragmenta non esse genuina, hodie inter omnes constat. Profecto antiquioribus Patribus, si ad eorum agendi et loquendi

modum attendimus, Apostolorum autographa incognita fuisse apparet. *S. Irenaeus*, ut lectionem aliquam genuinam esse demonstret, non autographi, sed accuratiorum antigraphorum auctoritatem invocat; Tertullianus Marcionem, librorum sacrorum corruptorem, nunquam ad autographa remittit; neque ullus ex Patribus, quamvis multi haereticos falsificatae Scripturae accusent, contra eos autographorum testimonium affert[2]. Quod argumentum, etsi e solo Patrum silentio desumatur, in re tanti momenti positivo aequiparari perspicuum est. Neque quisquam miretur, quod primi Christiani Apostolorum autographa maiore cum cura non custodierint et conservarint. Supra enim monuimus non sua manu sacros scriptores opera sua exarasse, sed ex antiquorum more illa dictasse; autographa igitur illa non satis recte hoc nomine appellantur, et primi Christiani illa non maiore in veneratione, quam accurata antigrapha, habuerunt. Quum vero charta ex papyro confecta brevi usu deteratur, libri illi primi, qui tam frequenter lectitabantur, diu conservari non potuerunt.

1. *Tertull.* de Praescr. 36 (M. 2, 49) : « percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas *ipsae authenticae literae eorum* recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxime tibi est Achaia? habes Corinthum » etc. Negari quidem nequit, in hoc contextu *authenticas literas* apostolica autographa designari *posse;* attamen a Tertulliano alibi (de monog. 11. M. 2, 946) *authenticus graecus* textus opponitur versioni, atque etiam in nostro loco vocabula addita *sonantes vocem* primigenium textum in oppositione ad translatum designare arbitramur, idque eo magis, quia Tertullianus contra Marcionem librorum sacrorum corruptorem nullam facit autographorum mentionem. — Textus *S. Petri Alex.* (de Pasch. VII. M. 18, 517. 520) nobis conservatus est in *Chron. Pasch.* (M. 92, 77). — De Evangelio Matthaei in S. Barnabae sepulcro reperto cfr *Assem.* Biblioth. orient. II. p. 81 sqq., *Baron.* Annal. ad an. 485. — Fragm. Evang. S. Marci, quod olim eius manu scriptum putabatur, est fragm. codicis foroiuliensis Vulgatae (cfr *infra* 169).

2. *S. Iren.* c. haer. V. 30 (M. 7, 1203); cfr *Euseb.* H. E. V. 8 (M. 20, 449).

Statim autem primis iam temporibus ex apostolicis autographis quam plurima sive ad publicum ecclesiarum, sive ad privatum fidelium usum descripta sunt exemplaria, ita ut brevi post Apostolorum mortem magnus eorum numerus per totum imperium romanum fuerit dispersus (57). Quo saepius autem libri sunt descripti, eo maiori expositi erant periculo, ne librariorum foedarentur erroribus. Neque illud est praetermittendum, quod primi Christiani, quum modernam illam aliquorum theologorum de singulorum verborum inspiratione sententiam prorsus ignorarent, non superstitiosa quadam veneratione singulas literas apicesque cunctos sacri textus prosequebantur, sed ad inspiratum sensum attendebant magis quam ad verba; id enim evi-

denter quum ex apostolicorum tum ex iuniorum Patrum allegationibus elucet. Quamobrem iam primis temporibus magna lectionum varietas est exorta. Si verba ab apostolicis Patribus allegata cum hodierno textu comparamus, haud raro nobis occurrunt lectiones, quae, quum etiam in codicibus adhuc superstitibus inveniantur, nobis ostendunt, ea aetate iam varietatem quandam adfuisse[3]. Exeunte saec. 2. *S. Irenaeus*, ut lectionem aliquam defendat, ad « antiqua et accurata antigrapha » provocat; adfuerunt igitur minus accurata, quae variantes lectiones exhibuerunt[4]; eodemque tempore *Clemens Alex.* eiusmodi lectiones varias adducit[5]. Paullo postea Clementis discipulus *Origenes* de sacri textus corruptione conqueritur : « nunc, inquit, sive propter librariorum quorundam indiligentiam, sive propter temerariam aliquorum Scripturas emendantium audaciam, sive propter eos quoque, qui, dum emendant, pro arbitrio addunt vel detrahunt, magna exemplarium facta est diversitas »[6]. Post eius aetatem non in melius sed in peius mutatum esse hunc rerum statum testatur *S. Hieronymus,* qui non solum latinae versionis tot esse exemplaria quot codices asserit, sed graecorum quoque librorum innuit discrepantiam[7]. Luculentissimum demum testimonium nobis praebent codices graeci ipsi, quos inde ab ineunte saec. 4. non paucos habemus, antiquae versiones, quae lectionum varietatem multis in locis supponunt, Patrum commentarii, in quibus frequenter de variis lectionibus occurrit sermo. Sine ulla exaggeratione asserere licet, in toto N. T. ne unum quidem versum legi, ad quem ex codicibus, versionibus, Patrum operibus complures variae lectiones afferri nequeant. Circiter triginta millia ineunte saeculo praecedente collegit *Millius,* quibus ex codicibus Patrumque operibus postea repertis vel accuratius examinatis multo plures hodie addi possunt[8].

Non obstante autem ingenti hac variarum lectionum silva existimandum non est, sacrum textum prorsus incertum esse; etenim si omnes lectiones omittimus, quae utpote aperti lapsus calami aut nunquam in textum aliquem receptae sunt aut hodie saltem ab omnibus viris criticis respuuntur, illasque, quae solam orthographiam, verborum ordinem, articulum ante nomina propria positum vel omissum aliasque eiusdem generis minutias spectant nec sensum mutant, vix millesima totius Novi Test. pars incerta est dicenda[9]. Atque inter has ipsas lectiones, quae sensum mutant, paucae admodum dogma aliquod attingunt.

3. Quum antiquiores Patres et scriptores ex memoria fere Scripturas allegare soleant, non nisi probabile argumentum ex eorum citationibus desumi potest. At si ex. gr. *S. Polycarpus* (ad Philip. 1) citans *Act.* 2, 24 (λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου)

cum latina versione consentit contra omnes fere codices Patresque graecos et reliquas versiones (τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου), non sine fundamento asserere nobis videmur, Polycarpi aetate duplicem illam lectionem iam adfuisse. Cfr etiam longiorem citationem in Ptolemaei, haeretici Polycarpo coaevi, epistola ad Floram (*S. Epiph.* haer. 33, 4, M. 41, 561).

4. *S. Iren.* c. haer. V. 30 (M. 7, 1203).

5. *Clem. Alex.* Strom. IV. 6 (M. 8. 1252).

6. *Orig.* in Matth. tom. XV. 4 (M. 13, 1293).

7. *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.

8. Iuxta *Scrivener* (Introd. to the criticism of the New. Test. Ed. 3. London 1883 p. 3) lectionum variarum numerus inde a Millii tempore saltem quadruplicatus est, ita ut hodie plus 120000 sint cognita (« If the number of the variations was rightly computed at thirty thousand in Mill's time, a century and a half ago, they must at present amount to at least fourfold that quantity »).

9. *Westc ott* et *Hort* The New Testam. in the original Greek. Cambridge 1882. Introd. p. 2.

111. — Interroganti, undenam exorta sit variarum lectionum multitudo illa, praeprimis respondemus, cavendum esse, ne eas haereticorum malitiae adscribamus. Dubium quidem non est, quin antiqui haeretici ab adulterando sacro textu manus non abstinuerint; non semel enim huius criminis a Patribus accusantur, accusationemque hanc veritati inniti, etsi non omnia, pleraque tamen exempla allata demonstrant [1]. Divinae autem providentiae, quae quominus Scripturae in rebus fidei et morum falsificarentur prohibuit, constantique Patrum vigilantiae grati debemus, quod exemplaria ab haereticis adulterata semper sint reiecta, nec ulla hodie lectio in codicibus superstitibus inveniatur, quae cum certitudine haereticae originis dici queat. Paucae utique lectiones textus dogmaticos attingunt, sed illae quoque ita sunt comparatae, ut non errorem nobis obtrudant, sed dubium tantum reddant unum alterumve argumentum alicuius dogmatis, quod aliis multis certis textibus demonstrari potest [2].

1. *S. Iren.* c. haer. IV, 6 (M. 7, 987) Valentinianos obiurgat, quod « Apostolis peritiores » inverso ordine apud *Matth.* 11, 27 legere velint : « Nemo cognovit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater et cui voluerit Filius revelare »; at eodem modo ipse *S. Iren* (c. haer. I. 20. II. 6. M. 7, 657. 724), *S. Iustin.* (Apol. I. 63. M. 6, 424), *Tertull.* (c. Marc. IV. 25. M. 2, 423), *S. Epiph.* (Ancor. 11. 19. M. 43, 36. 52) aliique legerunt, nec satis quaenam utriusque lectionis differentia dogmatica sit apparet. Immerito eosdem *Tertull.* (de carne Christi 19. 24 M. 2, 784. 791) increpat, quod *Ioan.* 1, 13 legere velint « nati sunt » pro « natus est », nam pluralem codices omnes et versiones et Patres tantum non omnes tuentur (*a*). Iure autem Marcion accusatur a *S. Irenaeo* (c. haer. I. 27. M. 7, 638. qui « cum *solum manifeste* ausum esse circum-

(*a*) Unde factum est, ut aliqui tertullianeorum operum editores textum ita mutaverint, ut Tertullianus de plurali in singularem mutato conqueratur; at omnia, quae sequuntur, docent Tertullianum erroneam lectionem (« natus est ») pro genuina habuisse. Genuinum Tertulliani textum exhibent Pamelii et Rhenani editiones. Revera in Veteri Latino hanc erroneam lectionem (« natus est ») adfuisse apparet ex Irenaei interprete (c. haer. III. 16, 2; 19, 2. M. 7, 921. 940), eademque alicubi penes Ambrosium et Augustinum invenitur.

cidere Scripturas » dicit), *Tertulliano* (c. Marc. V. passim), *S. Epiphanio* (haer. 42, 9 sqq. M. 41, 708). Iam ante Irenaeum *S. Dionysius Cor.* dixerat, mirum non esse, quod sua scripta ab haereticis sint falsificata, quum « diaboli apostoli » etiam scripta dominica adulterare audeant (*Eus.* H. E. IV. 23, M. 20, 388 sq.), atque antiquioris quoque scriptoris testimonium de Artemінonitis audacibus Scripturarum falsificatoribus affert *Euseb.* (H. E. V. 28. M. 20, 516).

2. Etsi ex. gr. dubiae dicantur lectiones *Marc.* 1, 1 υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *Act.* 20, 28 τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ (τοῦ Κυρίου), ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου, 1 *Tim.* 3, 16 Θεὸς (ὅς) ἐφανερώθη ἐν σαρκί etc. nihilominus Christi divinitatem quam plurimis certis argumentis ex N. T. desumtis demonstrabimus.

Omissa igitur haereticorum malitia fontem omnium variarum lectionum in modo quaeramus oportet, quo solo antiquitus libri propagati sunt; quanto autem corruptionis periculo expositi essent, quum librariorum diligentiae et fidelitati eorum propagatio committeretur, optime viderunt Patres. Sollemnem hanc adiurationem *S. Irenaeus* iam uni ex suis libris addendam putavit : « adiuro te, quicumque transcripseris hunc librum, per D. N. Iesum Christum et gloriosum eius adventum, in quo iudicaturus est vivos et mortuos, ut conferas quod transcripseris, et diligenter emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti, atque adiurationem istam similiter transcribas et codici tuo inseras » [3]; *S. Hieronymus* quoque conqueritur, quod in suis libris describendis ea, quae ad marginem adnotaverat, in textum ipsum inseruerint librarii [4]; *Origenes* autem loco supra allegato triplicem errorum omnium causam indicat :

1.) *librariorum negligentiam,* qui sc. aut *fallente oculo* literas forma similes permutarunt, syllabas, vocabula, phrasesque integras omiserunt, aut *fallente aure* literas vocesque sono similes confuderunt, aut *fallente memoria* vocabulorum ordinem inverterunt, synonyma permutarunt, in longioribus enumerationibus membra omiserunt etc. [5];

2.) *audaciam emendatorum,* qui sc. aut barbarismos auferre, aut soloecismos corrigere, aut obscuriora clarioribus verbis exprimere, aut etiam, ut difficultatem aliquam tollerent vel errorem praecaverent, aliquid mutare, vel omittere, vel addere non dubitarunt [6];

3.) *correctorum arbitrium,* qui pro libitu interdum addiderunt vel abstulerunt, quae illis deesse aut abundare visa sunt, id quod praesertim in locis parallelis conformandis, glossis ex margine in textum recipiendis, in traditionibus quibusdam addendis factum est [7].

3. *Euseb.* H. E. V. 20 (M. 20, 484).

4. *S. Hieron.* ad Sunn. ep. 106, 46 (M. 22, 853).

5. Quum antiquitus solae maiusculae adhiberentur, facilius oculus librarii falli potuit; quamobrem non mirum, quod ΟΤΑΝΑΡΘΗ et ΟΤΑΝΑΠΑΡΘΗ (*Matth.* 9, 15), ΜΝΕΙΑΙϹ et ΧΡΕΙΑΙϹ (*Rom.* 12, 13), ΑΝΗΓΓΕΙΛΑΝ et ΑΠΗΓΓΕΙΛΑΝ (*Marc.* 5, 14) confundantur, quod ὁ Ἰησοῦς omittatur in phrasi : ΛΕΓΕΙΑΥΤΟΙϹΟΙϹΠΙϹΤΕΥΕΤΕ (*Matth.* 9, 28) vel syllaba δι in : ΚΑΙΔΙΕΛΟΓΙΖΟΝΤΟ (*Marc.* 11, 31), pronomen ὑμᾶς in ΠΑϹΟΑΠΟΚΤΕΙΝΑϹΥΜΑϹΔΟΞΗ (*Ioan.*

16, 2) et alia permulta. Propter Homoioteleuton, ut videtur, in plerisque graecis codicibus deest vaticinium *Matth.* 27, 35, item in multis codd. et textu recepto 1 *Ioan.* 2, 23 alterum membrum ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει, quia ultima verba etiam in praecedenti membro leguntur; item in quibusdam codd. alterum membrum *Matth.* 5, 19, quod aeque ac praecedens terminatur verbis ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν etc.

Ad lectiones varias, quae fallente aure exortae sunt, cognoscendas imprimis etiam itacismi ratio est habenda; cui deberi videntur lectiones κένῳ et καίνῳ (*Matth.* 27, 60), ἴδε et εἰ δὲ (*Rom.* 2, 17), Χριστός et χρηστός (1 *Petr.* 2, 3), ἀπέχεσθαι et ἀπέχεσθε (1 *Petr.* 2, 11) etc., ac praesertim frequens permutatio pronominum ὑμεῖς et ἡμεῖς eorumque derivatorum.

Fallenti memoriae debemus multas varietates in *Matth.* 15, 30; *Rom.* 1, 29; *Gal.* 5, 19 sqq. et aliis enumerationibus; huc quoque spectat frequens permutatio nominum : ὁ κύριος et ὁ Θεός; κύριος, Ἰησοῦς Χριστός; εἶπεν, ἔφη, λέγει; ῥῆμα, λόγος; πύλη, θύρα etc.

6. *Eus.* H. E. IV. 29 (M. 20, 401) : « aiunt nonnulli, Tatianum ausum esse dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere, ut compositionem verborum eius corrigeret ». At alios plures idem ausos esse variae lectiones docent. Ubicumque ὅταν, ἵνα etc. cum indicativo coniunguntur, scioli quidam librarii vel correctores coniunctivum in suis codicibus posuerunt; ubicumque augmentum verborum omissum videbatur vel forma insolentior adhibita, multi codices consuetas formationes exhibent (ὁμοιώθημεν et ὡμοιώθημεν, ἐποικοδόμησεν et ἐπῳκοδόμησεν, ἀναπαήσονται et ἀναπαύσονται; ubi constructio irregularis est, aliqui codices eam corrigunt : τὴν γυναῖκα... ἡ λέγουσα in τὴν γυναῖκα... τὴν λέγουσαν (*Apoc.* 2, 20); ἐγένετο κατακεῖσθαι αὐτόν in ἐγένετο ἐν τῷ κατακεῖσθαι αὐτόν vel ἐγένετο κατακειμένων αὐτῶν (*Marc.* 2, 15); ἐπηρώτων αὐτὸν... τὴν παραβολήν in περὶ τῆς παραβολῆς etc.

Ut difficultatem aliquam removerent, correxerunt aliqui κοιναῖς in ἀνίπτοις (*Marc.* 7, 5), δικαιοσύνην in ἐλεημοσύνην (*Matth.* 6, 1) etc.; quibus zeugma displicuit in *Luc.* 1, 14 : ἀνεῴχθη τὸ στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ suppleverunt ἐλύθη vel διηρθρώθη; quibus nimium videbatur, quod πᾶν ῥῆμα ἀργόν in iudicium vocandum esset, scripserunt πονηρόν (*Matth.* 12, 36). Quia vaticinium *Matth.* 27, 9 laudatum apud Ieremiam non invenerunt, pro Ieremia posuerunt aliqui Zachariam; ut facilius Iudaeorum verba cum Domini aetate conciliarent, pro πεντήκοντα legere maluerunt τεσσαράκοντα (*Ioan.* 8, 57); quia membrum in genealogia Domini omissum credebant, illud suppleverunt : Iosias genuit Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniam (*Matth.* 1, 11) etc.

Ad praecavendum errorem timidi quidam omiserunt *Matth.* 1, 18 πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς et 1, 25 πρωτότοκον, item *Marc.* 18, 22 οὐδὲ ὁ υἱός; mutaverunt *Luc.* 2, 33 ὁ πατὴρ αὐτοῦ in Ἰωσήφ, *Luc.* 3, 41 οἱ γονεῖς αὐτοῦ in Μαρίαμ καὶ Ἰωσήφ etc. Huc etiam videtur pertinere omissio pericoparum de adultera (*Ioan.* 7, 53-8, 11) et de sudore sanguineo (*Luc.* 22, 43. 44).

7. De locis parallelis conformatis conqueritur iam *S. Hier.* (ad Dam. Praef. in Evang.) : « magnus in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re Evangelista alius plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt; vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos; unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei, rursus in Matthaeo plura Ioannis et Marci, et in ceteris reliquorum quae aliis propria sunt inveniantur »; ex. gr. post. *Matth.* 8, 13 multi addunt *Luc.* 7. 10; post *Luc.* 11, 15 aliqui

Marc. 3, 23; post *Matth.* 27, 29 transfixionem lateris Domini ex *Ioan.* 19, 34 et ita porro. De glossis quoque in textum per librarios receptis conqueritur *S. Hier.* (ad Sunn. ep. 106, 46) : « et miror, quomodo e latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus... Unde si quid pro studio e latere additum est, non debet poni in corpore, ne priorem translationem pro scribentium voluntate conturbent ». Inter glossas indebite in textum receptas haud dubie multae ex lectionibus supra commemoratis sunt numerandae, quae difficilioribus vel insolentioribus vocibus et formis faciliores et usitatiores substituunt; item illas, quae duas varias lectiones in unam coniungunt; ex. gr. *Luc.* 24, 53 optimi codices legunt : « et erant semper in templo εὐλογοῦντες τὸν Θεόν »; vocabulum hoc explicans aliquis e latere adnotavit αἰνοῦντες, quam explicationem aliqui omissa priore in textum receperunt, alii autem utramque coniungentes legere maluerunt « αἰνοῦντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν Θεόν ».

Additionum ex traditione receptarum exemplum habes ex *Clem. Alex.* (Strom. IV. 6. M. 8, 1252 sq.), quo teste aliqui ad *Matth.* 5, 11 addiderunt : μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκα ἐμοῦ ὅτι ἕξουσιν τόπον ὅπου οὐ διωχθήσονται.

Ex liturgico usu in codices graecos videtur irrepsisse doxologia *Matth.* 6, 13.

112. — Ne tamen in infinitum lectionum illarum numerus excresceret omnemque certitudinem destrueret, inde ab exeunte iam saec. 3. viri eruditi recensionem, ut dicunt, quandam textus sacri adornare coeperunt, i. e. melioribus, quos habebant, codicibus inter se comparatis lectionibusque, quas optimas iudicarunt, selectis editionem praepararunt, ad quam reliqua exemplaria corrigerentur. *Hesychius,* episcopus quidam aegyptiacus, et *Lucianus,* presbyter antiochenae ecclesiae, qui uterque in Diocletiani persecutionibus martyrio coronati sunt, postquam Origenis exemplum secuti alexandrinam versionem emendaverunt, Novi Test. quoque textui emendando manum admoverunt. At Catholicis eorum labores parum probabantur; severum enim de illis iudicium tulit *S. Hieronymus,* et *Gelasius* « Evangelia, quae falsavit Hesychius », et « Evangelia, quae falsavit Lucianus », inter libros apocryphos recensuit, quia ex incerta traditione, ut videtur, additiones quasdam admiserant[1]. Utrum *Origenes* quoque Novi Test. textum correctioni subiecerit recensionemque quandam ediderit, necne, incertum est. S. Hieronymus quidem « exemplaria Adamantii et Pierii » magni fecit eorumque lectiones secutus est[2]; atque syriaca quoque versio philoxeniana in N. T. eadem signa critica habet, quibus Origenes in suo hexaplari V. T. textu usus est. At altera ex parte Origenes ipse in exemplaribus N. T. illud, quod in Veteri fecerat, sine periculo se facere non potuisse asserit[3], atque in operibus suis eundem Novi Test. locum saepe diversis modis allegat; Eusebius quoque, qui integro fere Historiae suae libro VI. fuse de Origenis laboribus disserit, de N. T. ab eo correcto prorsus silet. Quare rectius dicemus, accuratioribus quidem, quos invenire potuit, Originem codicibus usum

esse, eundemque forte unum alterumve locum correxisse, ita ut eius exemplaria magni facere S. Hieronymus iure potuerit, sed recensionem proprie dictam non adornasse[4].

1. *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang. : « praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos *paucorum hominum asserit perversa contentio*, quibus utique nec in toto veteri Instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse, quum multarum gentium linguis Scriptura antea translata doceat *falsa esse*, *quae addita sunt* ». — *Gelas.* Decret. de recipiend. et non recip. libris (M. 59, 162). — De Hesychio et Luciano alexandrinae versionis emendatoribus cfr *S. Hier.* Praef. in Paralip. et *infra* 132 p. 363 sq.

2. *S. Hier.* in Matth. 24, 36; in Gal. 3, 1 (M. 26, 181. 348). *Pierius*, unus ex Origenis successoribus in schola alexandrina regenda, « Origenes iunior » vocari meritus est (*S. Hier.* de vir. ill. 76. M. 23, 685), sed eum N. T. textum recensuisse, nec *S. Hier.* l. c. nec *Eusebius* (H. E. VII. 32. M. 20, 733) tradunt.

3. *Orig.* in Matth. tom. XV. 14 (M. 13, 1293) : « et in exemplaribus quidem V. T., quaecumque fuerunt inconsonantia, Deo praestante, coaptare potuimus utentes iudicio ceterarum versionum... In exemplaribus autem N. T. hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi; tantum suspiciones exponere me debere et rationes causasque suspicionum, non esse irrationabile existimavi ». Haec quidem in veteri latina commentarii interpretatione; ultima autem verba, quae de N. T. agunt, in graeco textu desiderantur. Quum vero a contextu omnino requiri videantur, illa pro genuinis habemus.

4. Origenem recensionem N. T. edidisse censet *Hug* Einl. I. p. 199 sq. cum aliis paucis, longe pluribus contradicentibus; cfr *Danko* De S. Scriptura p. 105 sq.

Quidquid vero de his recensionibus est, ad varias lectiones minuendas procul dubio parum contulerunt; nihilominus ab ineunte 4. saec. stabilitas quaedam textus videtur esse exorta. Etenim si codices, quos inde ab illa aetate superstites habemus, versiones illa aetate iuniores, locosque a Patribus allegatos accurate comparamus, maximo variarum lectionum numero non obstante tanta inter multos cernitur similitudo et affinitas, ut ad certas quasdam classes vel familias, quae totidem sunt textus recensiones, reduci possint. Neque mirum; in unaquaque enim ecclesia iidem fere codices librariis inservierunt, atque maiore cum cura inde a saec. 4., postquam Ecclesiae pax reddita est, episcopi invigilare potuerunt, ne in emendandis vel potius mutandis libris sacris librarii vel correctores ingenio suo indulgerent[5]. Accedit quod antiquiorum codicum magnus numerus in ultimis, quae Ecclesiae pacem praecesserunt, persecutionibus perierat; decreto enim suo Diocletianus etiam libros sacros destrui iusserat[6]. Constantinus autem, postquam Constantinopoli sedem regni statuit, « ecclesiis Dei provida semper mente consulens » novis etiam conscribendis codicibus sacris animum intendit Eusebioque mandavit, « ut quinquaginta codices divinarum Scripturarum in membranis probe praeparatis a calligra-

phis, qui artem suam bene tenerent, describendos curaret », quos dein ecclesiis a se fundatis dono daret[7]. Ubinam et quomodo codices isti conscripti, quibusque ecclesiis attributi sint, Eusebius non refert; facile autem intelligitur illos, quum eodem tempore eiusdemque viri cura omnes adornati sint, textum eundem vel saltem similem exhibuisse; quare nescio an non hoc factum maxime contulerit ad uniformitatem illam creandam, quae in admodum magno numero codicum iuniorum regni byzantini tanta adest, ut omnes viri critici, quotquot ad codicum inter se nexum et affinitatem animum adverterunt, byzantinam quandam familiam agnoscant. Quot vero praeter illam agnoscendae sint familiae, difficile est dictu.

5. Cfr singulare factum, quod narrat *Sozomenus* (H. E. I. 11. M. 67, 889) sc. S. Spiridionem, episcopum Trimythuntis in Cypro insula, in congregatione quadam episcoporum publice alterum reprehendisse, qui in allegando *Ioan.* 5, 8 « Ἆρόν σου τὸν κράββατον » mutato vocabulo, quod Atticis non probatur, pro κράββατος adhibuerat σκιμπούς.

6. *Euseb.* H. E. VIII. 2 (M. 20, 745).

7. *Euseb.* Vita Constantini IV. 34. 36. 37 (M. 20, 1181 sqq.).

Quamprimum scilicet antiqui, qui nobis conservati sunt, codices accuratius examinari et inter se comparari coepti sunt, aliquos ex illis inter se ita consentire deprehensi sunt, ut illos e communi fonte manasse manifestum esset. Quo examine diligentius continuato paucae tandem familiae quaedam constitutae sunt, inter quas omnes codices distribuuntur. *I. A. Bengel* († 1752), theologus lutheranus tubingensis, quum ob variarum lectionum multitudinem de textu genuino et de ipsa sua fide dubitare coepisset, ad dubia sua solvenda codicibus accuratius examinatis primus omnes in duas familias, asiaticam et africanam, distinguendas censuit; altero hoc nomine codicem alexandrinum (A.) illosque designavit, ex quibus versiones aethiopica, coptica, latina adornatae sunt; priori autem classi plerosque alios, utpote minoris auctoritatis, adnumeravit. Quem secutus *I. S. Semler*, rationalismi moderni pater († 1791), primum quidem duas familias vel recensiones (novo hoc nomine introducto) posuit, orientalem, quam Luciano M., et occidentalem vel aegypto-palaestinensem, quam Origeni potissimum deberi arbitratus est; sed sibi non consentaneus tres postea fecit divisiones, alexandrinam, qua usi sint scriptores aegyptiaci et a qua versiones aethiopica, coptica, syriacà dependeant, orientalem, quae in patriarchatibus antiocheno et constantinopolitano adhibita sit, occidentalem, quae cum antiqua latina versione conveniat. Paullo post *I. I. Griesbach* († 1812), Semleri discipulus, etiam tres classes distinxit, alexandrinam, ex qua versiones aeth., armena, coptica fluxerint, et quam antiquiores maxime Patres graeci adhibuerint, occidentalem, quae cum latina antiqua versione conveniat, et constantinopolitanam recentiorem ex duabus aliis compilatam; priores duas iam medio saec. 2., tertiam autem saec. 4. exortam esse

putavit. Cum Griesbachio magis minusve consenserunt *I. G. Eichhorn* († 1826) et ex catholicis *Leonh. Hug* († 1846); alter vero criticus catholicus *I. M. A. Scholz* († 1852) iterum ad duas familias codices omnes revocavit, alexandrinam, quae Griesbachii classes alexandrinam et occidentalem complectitur, et byzantinam; ab omnibus autem praedecessoribus suis in eo quam maxime dissensit, quod byzantinam illam quasi immediate ab Apostolorum autographis derivari ideoque aliis praeferendam duxit.

Quos omnes « textus historiam ex ingenio potius quam ex documentis historicis confecisse » ratus *C. Tischendorf* († 1874), diligentissimus codicum investigator, novum systema invexit, quod auctoris ipsius verbis describam. « A ratione, inquit, documentorum omnium, quae ad nos pervenere, si proficiscimur, dubium non est quasdam horum testium classes distinguendas esse, in Evangeliis quidem maxime, multo minus in Apocalypsi quam in reliquis libris, magis etiam in Epistolis Paulinis et in Actibus quam in Catholicis Epistolis, conspiciendas illas quidem eo, quod plures testes quum indole universa tum lectionibus singulis plurimis prae reliquis omnibus consentiant. Quas si alexandrinae et latinae, asiaticae et byzantinae nominibus insignire placet, ut non tam quatuor singulas quam duo paria ponamus, multa possunt ex testibus peti et iam sunt petita, quae quam id recte fiat ostendant, etsi nec deerunt, quibus inventae rationes impediantur... Debebimus autem alexandrinam dicere, quae inter Iudaeochristianos Orientis celebrabatur, quorum ut ipsorum Apostolorum sermo graecus maxime pendebat a septuaginta interpretum versione; latinam, quae a Latinis adhibebatur, sive latina sive graeca potissimum lingua utebantur; asiaticam, quae potissimum Graecis sive per Asiam sive in ipsa patria degebant probabatur; byzantinam denique, quae ab ecclesia per byzantinum regnum diffusa legebatur sensimque... ad publicam quandam unitatem perducebatur ». Postquam dein ostendit ad codicum familias constituendas nequaquam urgendam esse solam diversitatem terrarum per quas textus propagabatur, quum ex una terra in alteram multi codices sint translati, sed « cum diversitate regionum coniuncta poni debere certa textum emendandi studia, etsi quorum fuerint, nunquam satis definiri possit », concludit « exercentibus rem criticam summa opus esse cautione in adhibenda classium sive recensionum distinctione atque temerarium et frustra esse eam velut summam normam aut fundamentum ponere ». Simili fere modo *I. S. Tregelles* († 1875) familias *accurate* definitas distingui posse negat, etsi in duas fere classes, alexandrinam et constantinopolitanam, illas distribui non vetet.

Ultimis his annis *B. F. Westcott* et *F. I. A. Hort*, postquam triginta fere annorum studium diligentissimum in variis lectionibus excutiendis et examinandis posuerunt, haec de codicum familiis tradiderunt. Quatuor quidem familias ipsi quoque distinguunt, sed alio modo eas definiunt. Primo loco demonstrare conantur recensionem aliquam saec. 3 vel ineunte 4. Antiochiae factam esse, quam ideo *syriacam* appellant; eadem fere est atque illa, quam eorum praedecessores constantinopolitanam vel byzantinam ap-

pellaverunt, quaeque inde a medio 4. saec. in ecclesia graeca fere sola erat propagata, ita ut receptum quendam vel *vulgatum* textum constitueret. Cui syriacae recensioni opponitur textus *antesyriacus* (the presyrian text), cuius tres formas dignoscendas esse censent, *occidentalem, alexandrinam,* et tertiam, quam *neutralem* (the neutral text) vocant, quia singularitatibus omnibus illis prorsus caret, quibus reliquae formae distinguuntur. Occidentalis enim textus, qui non in solo Occidente, sed in Aegypto quoque et in Asia adhibebatur, cuius vero originem in Asia Minori quaerendam esse suspicantur, paraphrases amat, amplificationes et interpolationes. Alexandrinus occidentali purior grammaticis praesertim correctionibus dignoscitur; neutralis demum, qui etiam Alexandriae et in Aegypto primis maxime saeculis adhibitus est, omnibus aliis familiis praestat, utpote autographorum textui proximus et audacium correctorum emendationibus minus vexatus; ad illum igitur in seligendis lectionibus praeprimis attendatur necesse est[8].

8. De codicum familiis fuse agunt *Tischendorf* N. T. graece. Ed. 7. Proleg. I. p. LXIII-LXXI; Ed. 8. III. edid. *C. R. Gregory* Lipsiae 1884 p. 185-222; *Westcott* et *Hort* The New Test. Introd. p. 179-186; *F. H. A. Scrivener* A plain introduct. to the criticism of the N. T. Ed. 3. Cambridge 1883. p. 458 sqq. — Cfr *Bengel* Apparat. critic. ed. Burk (Tubing. 1763); *Wetstenii* libelli ad crisin N. T. spectant. ed. *I. S. Semler* (Halae 1766); *Griesbachii* N. T. Ed. 2. Prolegom. sect. 3. (Halae 1796); *Hug* Einl. I. p. 203-237; *Scholz* N. T. Prolegom. (Lips. 1830-1836); *Tischend.* N. T. Ed. 7. Proleg. p. LXVI sq.; *Westcott* et *Hort* Introd. p. 119-135 et passim.

113. — Quum omnium frequentissimi inde ab eorum origine libri sacri N. T. sint descripti, facile concipitur, ingentem graecorum codicum numerum adhuc reperiri, ex quibus, quis a saec. 4. usque ad saec. 16. status textus fuerit, nobis licet cognoscere. Plus bis mille hodie cogniti quidem, licet nondum omnes iam examinati sunt, quorum pauci tamen omnes libros complectuntur; aliorum enim non supersunt nisi minuta vel minutissima fragmenta, alii sola Evangelia, aut Actus vel Actus cum Epist. Catholicis, aut Paulinas, aut Apocalypsin, alii solas Evangeliorum vel Epistolarum pericopas in ecclesiis legi solitas continent[1]. Ex illis circiter centum uncialibus conscripti saeculo 10. sunt antiquiores, inter quos unus solus integrum N. T. exhibet; reliqui, inter quos fere triginta omnes libros integros habent, minusculis scripti recentioris sunt originis, immo aliqui editionibus quibusdam impressis iuniores. Maiusculi vulgo a loco, in quo reperti sunt vel asservantur, aut a persona, ad quem pertinuerunt, nomen suum habent, et in apparatu critico maiusculis literis alphabeti latini et graeci (A., B., C. etc.; Α, Β, Γ, etc.; unus solus hebraico א) designantur; minusculi numeros arabicos habent (1., 2., 3., etc.), ita tamen ut in quatuor N. T. partibus (Evang., Act. et Cath. epp., Paul., Apoc.) eadem signa recur-

rant et interdum idem codex alio numero laudetur in Evangeliis, alio in Actibus etc.[2].

Ad eorum aetatem definiendam, quum rarissime editionis annum adscriptum habeant vel alio modo prodant, inserviunt criteria palaeographica, inter quae praecipua sunt materia, in qua conscripti sunt, literarum forma, accentuum interpunctionisque usus, abbreviationes adhibitae[3]. Quae omnia, etsi plenam perfectamque certitudinem dare nequeant, tamen sufficiunt, ut saeculum, cui adscribendus est, satis accurate definiatur. Codices, qui ante Constantini aetatem scripti sunt, ad nos non pervenerunt; Diocletiani enim decreto, uti diximus, haud dubie factum est, ut quam plurimi interierint. Ex uncialibus, qui supersunt, duo ineunti vel medio saec. 4 attribuuntur, decem saeculo 5., viginti duo saec. 6., novem saec. 7., octo saec. 8., triginta unus saec. 9., sex saec. 10[4].

1. Quis sit accuratus numerus nemo facile dixerit. Secundum *Reuss* (Gesch. d. N. T. Ed. 5. 1874 II. p. 120) omissis minutis fragmentis numerantur codices Evangeliorum unciales 26, minusculi 480 et 180 Evangelistaria, Actuum et Epist. cath. 8 unciales, 190 minusculi; Paulinarum 9 unciales, 250 minusculi et c. 60 Lectionaria, Apocalypseos 5 unciales, 90 minusculi. Quum vero multi codices in quatuor illis ordinibus bis terve recenseantur, integrum numerum mille non excedere putat. *Westcott et Hort* (l. c. p. 75) fere integra Evangelia conservata dicunt in 19, Actus in 9, Epistolas cath. in 7, Paulinas in 9, Apocalypsin in 5 uncialibus; fatentur autem ne hunc quidem numerum accuratum dici posse, quum fragmenta quaedam hisce numeris contineantur. *Scrivener* demum (Introd. to the critic. of the N. T. Ed. 3. p. 75) fere mille censet esse codices, qui Evangelia vel evangelicas pericopas continent, atque mille quoque qui reliquos libros simul sumtos exhibent; unciales numerat 57 Evangeliorum, si parva simul fragmenta in considerationem veniunt, Actuum 14, Epistolarum cath. 6, Paulinarum 15, Apocalypseos 5. In praefatione addit post terminatum opus iterum multos novos codices innotuisse, ita ut minusculi nunc sint numerandi 1997, inter quos 737 Evang., 261 Act. et Ep. Cath., 336 Paulin., 122 Apoc., 414 Evangelistaria, 127 Lectionaria (p. XXX). Demum in vol. 3. editionis 8. Tischendorfianae a C. R. Gregory (Lipsiae 1884-1890) in lucem emisso recensentur 102 unciales, 1512 minusculi, 968 lectionaria, universim igitur 2582 codices codicumque fragmenta; quibus nonnulli his ultimis annis reperti accedunt.

2. Ex. gr. B est vaticanus 1209, saec. 4. scriptus, in Evang., Act., Paul., at B (Apoc.) est vaticanus 2066, saec. 8. conscriptus; H (Evang.) est hamburgensis (vel Seidelii), H (Act.) est mutinensis, H (Paul) est coislinianus (Paris. 202). Codex minusculus regius (Paris. 47) designatur numero 18 in Evang., 113 in Act., 132 in Paul., 51 in Apoc. — Omnes codices usque ad an. 1859. cognitos suis signis et numeris distinctos enumerat *Tischendorf* N. T. Ed. 7. Proleg. p. CXXXI-CCXXVII; quibus adde, quae de uncialibus habet in Ed. 8. an. 1869-1872. I. p. IX-XIV. et II. p. III. sq. Accuratiorem catalogum minusculorum tradunt *Scrivener* l. c. p. 178-307 et XIX-XXX ac praesertim *Gregory* in altera Parte Prolegom. ad Tischend. Ed. 8. p. 372 sqq.

3. Cfr *supra* 108 sq. — *Montfaucon* Palaeographia graeca Paris 1708; Facsimilia

praecipuorum codicum uncialium in *Tischendorf* Codex sinait. Lips. 1862 I. tab. 20.21 et in *Scrivener* Introd. Plate I-XIV.

4. *Gregory* in *Tischendorf* N. T. Ed. 8. Prol. p. 339; attamen omissis minutis fragmentis *Westcott* et *Hort* (l. c. p. 75) duos adscribunt saec. 4, quatuor saec. 5, novem (septem) saec. 6, pauca fragmenta saec. 7, quatuor saec. 8, reliquos omnes saec. 9 et 10, ita ut horum duorum saeculorum codices numero aequent omnes praecedentes.

Inter omnes codices unciales eminent quatuor illi, qui saec. 4. et 5. conscripti olim omnes V. et N. T. libros atque praeterea aliqua opuscula Patrum apostolicorum complexi sunt. Inter quos

1.) *Vaticanus* 1209 (B) merito primum locum obtinet. A longe plerisque viris criticis saec. 4. ineunti vel medio attribuitur; in membrana tenuissima pulcherrime descriptus est literis ita comparatis, ut singulae figura quadrangula aequilatera possint circumscribi; nullae habentur literae maiores ne in initiis quidem librorum, sed quae praefiguntur librorum quorundam exordiis, eae deleta prima scriptura a iuniore manu additae sunt. Nulla quoque interpunctionis vel accentuum signa prima manus addidit; interdum tamen spatiolum vacuum finem alicuius narrationis vel phraseos indicat. Dolendum quam maxime est, quod integer ad nos non pervenerit, initio enim et fine caret et quaedam folia in medio exciderunt, ita ut, quum olim integrum V. et N. T. et probabiliter aliquas scripturas non canonicas continuerit, hodie desiderentur Gen. 1,1-46,27; Ps. 105,27-137,6; uterque liber Machabaeorum, Hebr. 9,14 usque ad finem, 1, 2 Tim., Tit., Philem., Apocal.; Paulinas enim post Catholicas Epistolas habuit et inter Paulinas ep. ad Hebr. illis adiunxit, quae ad ecclesias scriptae sunt. Textum, quem exhibet, Westcott et Hort proxime ad illum accedere aiunt, quem neutralem vocant, ita ut non tantum iunioribus antiochenis lectionibus fere omnino careat, sed etiam occidentalibus et alexandrinis [5]. Saepius collatus et editus est; splendidissimam editionem a Card. Mai praeparatam Pii IX. auspiciis curaverunt C. Vercellone et I. Cozza [6].

2.) *Sinaiticus* (א) antiquitate et bonitate proximus est vaticano. Anno 1859 a Tischendorf in monasterio S. Catharinae sinaitico repertus et in Europam allatus hodie Petropoli asservatur. Eiusdem aetatis ac vaticanus vel eo aliquot annis iunior etiam literarum forma ei similis est; in eo tamen differt, quod singulas paginas in quatuor, vatic. autem in tres columnas dividat. Literis maioribus interpunctionisque et accentuum signis ipse quoque prorsus caret. Integrum N. T. continet, cui addit S. Barnabae epistolam et maiorem partem Pastoris Hermae; in V. T. autem truncatus est, ita ut fere omnes libri historici desint. Textum eius minus purum, quam vaticanum, ab occidentalibus et

alexandrinis lectionibus dicunt Westcott et Hort[7]. Splendidissimam eius editionem primam sumtibus imperatoris russiaci curavit Tischendorf[8].

3.) *Alexandrinus* (A.), a Cyrillo Lucari a. 1628 Carolo I. Angliae regi dono missus et hodie in museo britannico asservatus, a paucis exeunti saec. 4. attribuitur; sed « literarum forma, interpunctionis simplicitas, compendiorum raritas ac quidquid ad definiendam libri aetatem facit, sive in V. sive in N. T. eiusmodi est, ut 5. saeculo scriptus esse maxima cum probabilitate existimetur »[9]. Utrumque Testamentum fere integrum habet; in V. T. Psalmis addit hymnos N. T., et praeter 1, 2 Mach. etiam 3, 4 continet; Novo Testamento additae sunt duae S. Clementis R. epistolae, sed alterius ultima pars deest; in ipso Novo Test. desunt *Matth.* 1,1-25,6, *Ioan.* 6,50-8,52, 2 *Cor.* 4,13-12,6 praeter minora quaedam. Textus eius multo inferior vaticano et sinaitico dicitur, quum praesertim in Evangeliis fere omnino sit byzantinus. Novi Test. facsimile iam saeculo praecedente, ac Veteris hoc nostro ineunte prodiit[10].

4.) *Ephraem rescriptus* (C.), qui Parisiis in bibliotheca nationali asservatur, « quum literarum genere, tum reliquis omnibus » alexandrino proximus etiam saec. 5. attribuendus est; quoniam vero interpunctionis raritate et subscriptionum simplicitate eum superat, aetate quoque eum aliquantulum superare videtur (*Tisch.*). Utpote palimpsestus nullius libri integrum textum exhibet, at omnium saltem N. T. maiora minorave fragmenta, quae in 147 foliis continentur, et librorum sapientialium V. T, in 62 foliis. Quamquam igitur vix tertiam N. T. possideamus partem, scimus tamen eius textum quoque, si totus eius character spectatur, cum alexandrino concordare[11]. Postquam sub nova Ephraemi operum scriptura aliquas lectiones Wetstein iam saeculo praeterlapso investigavit, integram eorum, quae hodie legi possunt, editionem curavit Tischendorf[12].

5. *Westcott et Hort*, l. c. p. 150.

6. Bibliorum Sacrorum Codex Vaticanus auspice Pio IX. P. M. collatis studiis *C. Vercellone* et *I. Cozza* editus etc. Romae 1869-81. 6 voll. — Vetus Testamentum ex hoc codice iam ediderat *Sixtus V*; Novum quoque saepius iam collatum erat; eius autem facsimile photolithographicum ex auctoritate Leonis XIII. edendum nuper curavit I. Cozza-Luzzi (Romae 1889). Cfr *Tischend.* N. T. Ed. 7. p. XXXVI-XI; *Gregory* Ed. 8. p. 360 sqq.; *Scrivener* p. 101-117. — Huius codicis, uti etiam sinaitici (ac friderico augustani, cfr *infra* 133) et alexandrini specimina quaedam addenda curavimus in Appendicis Tab. IV. et V.

7. *Wescott et Hort* l. c. p. 151.

8. Bibliorum codex Sinaiticus Petropolitanus etc., ed. C. Tischendorf. Petropoli 1862. 4 voll. — Praeter hoc facsimile varias editiones N. T. curavit Tischendorf Lips. 1863; 1865, etc. Fuse de eius inventione, editione, charactere agit,

uti alibi, ita maxime in praef. editionis an. 1865; cfr *Scrivener* p. 85-93; *Gregory* l. c. p. 347 sqq.

9. *Wescott et Hort* l. c. p. 152.

10. Postquam E. Grabe integrum codicem quatuor voluminibus edidit (Oxonii 1704-1720), facsimile N. T. curis Woidii prodiit Londini 1786, et curis H. Baberi V. T. Londini 1812-28; photolithographice ab administratoribus musei britannici edi coeptus est a. 1879. Cfr de hoc codice eiusque collationibus editis Tischend. N. T. Ed. 7. p. CXXXI sq. (*Gregory* p. 356 sqq.) et eiusdem V. T. graece Ed. 6. Lips. 1880 Proleg. p. LII sqq.; *Scrivener* p. 93-99.

11. *Wescott et Hort* l. c. p. 152 sq.

12. Fragmenta V. T., quae adhuc legi possunt, enumerat Tischend. V. T. gr. p. LXIX, et N. T. in Ed. 7. p. 117 sqq. CXLIX sq.; idem fragmentorum facsimile edidit N. T. Lipsiae 1863 et V. T. Lipsiae 1865; cfr *Scrivener* p. 177 sqq.; *Gregory* p. 366 sqq.

Magnis his quatuor codicibus et antiquitate et auctoritate inferiores sunt reliqui, quorum nullus integrum N. T. videtur continuisse. Quia tamen utilitate sua magna in genuino textu restituendo et confirmando haud carent, praecipuos enumerabimus, ut certius de eorum lectionibus, quae in apparatibus criticis referri solent, iudicium ferri possit.

Speciali mentione inter eos digni sunt bilingues, i. e. illi, qui praeter graecum textum etiam aliquam versionem, plerumque latinam, continent. Graecolatini sunt hi :

1.) *Cantabrigiensis* (D Evang. et Act.), qui etiam *Bezae* interdum appellatur, et *claromontanus* (D Paul.). Uterque saec. 6. stichometrice scriptus versionem additam habet antehieronymianam. Prior fere integra Evangelia et Acta, alter integras Pauli epistolas (exceptis 1 *Cor.* 14,13-22, quae a librario saec. 9. addita sunt) continent [13]. Quia eorum graecus textus propius, quam aliorum, ad Vulgatam accedit, olim non defuerunt, qui eos parvipenderent et ex latina versione correctos dicerent [14]; at antiqui non tantam versionibus auctoritatem tribuerunt, ut ex illis primigenium textum corrigerent; contrarium potius obtinuisse, SS. Hieronymi et Augustini testimoniis constat [15]. Hodie rectius de illis aequiusque iudicatur; *Tischendorf* enim priorem « maximo numero habendum », alterum « tantae gravitatis in antiquissima Pauli lectione indaganda, ut vix ullus gravior sit » pronuntiat, *Westcott* et *Hort* autem utrumque censent illum textum tradere, qui non tantum in Occidente, sed in maiore ecclesiae parte saec. 3., immo iam 2. vulgatissimus fuit [16]. Claromontani correcti apographum satis vitiosum est *sangermanensis* (E Paul.), qui saec. 10. scriptus olim Parisiis in abbatia S. Germani, hodie in bibliotheca petropolitana asservatur [17].

2.) *Sangallensis* (Δ Evang.) graece cum versione latina interlineari continet Evangelia integra (praeter *Ioan.* 19,17-35), eique correspondet *boernerianus* (G Paul.), qui eodem modo tredecim Paulinas complectitur. Quamvis non ante saec. 9 (probabiliter a scoticis vel hibernicis monachis) sint exarati, textus eorum tamen ad saec. 4. ascendere videtur et magnam habet cum cantabrig. et claromont. affinitatem. Versio vero latina, quae nec

italam nec vulgatam sequitur rationem, minoris est momenti[18]. Graeci textus boerneriani apographum est *augiensis* (G. Paul.), qui saec. 9. vel 10. esse dicitur[19].

3.) *Laudianus* (E Act.) stichometrice exeunte saec. 6. vel ineunte 7. in insula Sardinia scriptus sed mox in Angliam translatus et a Ven. Beda in Actuum retractatione adhibitus « lectionum singularitate ac bonitate admodum insignis est » teste *Tischendorf*[20].

Graeco-latinis addamus *borgianum* (T Evang.), fragmenta maiora Lucae et Ioannis, addita versione sahidica, continentem, cuius textus occidentalibus lectionibus carens alexandrinum fere typum repraesentat[21].

13. De cantabr. et clarom. cfr *Gregory* in *Tischend.* N. T. Ed. 8. Proleg. p. 269 sqq. 419 sqq., *Scrivener* p. 120 et 166 ac de cantabrig. solo *A. Resch* Ausserkanon. Paralleltexte zu den Evang. Leipzig 1893 p. 25-37. Prioris facsimile ed. *Kipling* (Cambridge 1793), novam editionem *Scrivener* (London 1867), alterius facsimile *Tischend.* (Lips. 1852).

14. *Rich. Simon* Hist. crit. du texte du N. T. ch. 30. p. 369 sqq.; *Michaelis* De variis lectionibus N. T. § 30; *Wetstein* in Proleg. editionis N. T. (Amstelod. 1751).

15. *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.; *S. Aug.* de doctr. christ. II. 11. 15; in Ps. 118. serm. 14, 2. (M. 34, 42. 46; 37, 1539).

16. *Tischend.* ll. cc.; *Wescott* et *Hort* l. c.

17. Id iam vidit *Rich. Simon* Hist. crit. du texte du N. T. p. 361; cfr etiam Tischendorf, Westcott, etc.

18. De sangall. et boerner. cfr *Gregory* in *Tischend.* l. c. p. 402 sq., et 426 sq.; *Westcott et Hort* p. 149; *Scrivener* p. 150 et 169. Sangallensem ed. *Rettich* (Turic. 1836), boernerianum *Matthaei* (Misniae 1791).

19. De augiensis cum boerneriano affinitate cfr *Gregory* in *Tischend.* l. c. p. 428 sq.; *Westcott* l. c.; eum edidit *Scrivener* (Cambridge 1859).

20. De textu laudiani cfr *Gregory Tischend.* l. c. p. 411; *Westcott et Hort* p. 153; eum ediderunt *Th. Hearne* (Oxonii 1715) et *Tischend.* in Nova Collect. Monum. sacr. IX. (Lips. 1870).

21. Cfr *Gregory Tischend.* l. c. p. 391; *Westcott et Hort* p. 152 sq. Editus est ab *A. A. Georgi* (Romae 1789).

Praeter hos notemus:

1.) ad Evangelia: *rossanensem* (Σ), purpureum saec. 6.; *basileensem* (E) saec. 8; *A Seidelii* nunc *harleianum* (G) et *A Seidelii* nunc *hamburgensem* (H.), utrumque saec. 9. vel 10; *cyprium* (K.) saec. 9., qui stichos punctis insertis indicat; *vaticanum* 354 (S) scriptum a. 949 etc.

2.) ad Actus: *mutinensem* (H), saec. 9; *angelicum* (L), saec. 9; palimpsestum *porfirianum* (P), saec. 9. Angelicus et Porfirianus integras quoque fere Epistolas Catholicas continent, quae etiam exstant in *mosquensi* (K), saec. 9;

3.) ad Paulinas: *coislinianum* (H) saec. 6, qui fragmenta tantum exhibet, *mosquensem* (K) et *porfirianum* (P);

4.) ad Apocalypsin: *vaticanum* 2066 (B) saec. 9, *porfirianum* (P)[22].

Codices minusculi, etsi saec. 10 sint iuniores, minime tamen negligendi sunt, quippe qui ex antiquioribus uncialibus deperditis deriventur et lectio-

nes antiquas haud raro conservent. Longe maior quidem eorum numerus iuniorem textum illum exhibent, quem constantinopolitanum vel byzantinum vel syriacum vocant critici moderni, pauci tamen passim invitis plerisque uncialibus antiquissimam scripturam confirmare dicuntur : ita in Evangeliis 1, 13, 33, 69, 81, 124, 157, 253, in Actibus 13, 31, 61, 137, 180, in Paulinis 17, 37, 47, in Apocalypsi 95 [23].

22. Ampliorem doctrinam de omnibus his codicibus eorumque editionibus tradunt Prolegomena editionum criticarum cfr praesertim *Gregory Tischendorf* N. T. Ed. 8. III. p. 372 sqq., *Hug* Einl. i. d. N. T. I. 270., sqq., *Scholz*. Einl I. 575 sqq., *Scrivener* l. c. p. 87-306. Multos ex his codicibus aut primis aut iteratis curis perscrutatus edidit *Tischendorf* : Monumenta sacra inedita Lips. 1846; Nova collectio Lips. 1855 sqq. vol. 5; Anecdota sacra et profana Lips. 1855 etc.

23. Cfr *Westcott et Hort*. l. c. p. 154 sq., *Tischendorf* N. T. gr. ex sinaitico codice Lips. 1865 p. LXVI, etc. Uti supra monuimus, idem codex saepe diversis numeris designatur; ita 33 (Evang.), 13 (Act.), 17 (Paul.) est cod. *colbertinus* saec. 11; 69 (Evang.), 31 (Act.), 37 (Paul.) *leicestrensis* saec. 11 etc.

114. — Inventa typographia non ante saec. 16, si pauca fragmenta excipis [1], ad graecum N. T. textum edendum adhibita est, unde merito concludimus non quidem Scripturarum at graecae linguae studium eo tempore languisse. Postquam enim iam multae editiones latinae et aliquae hebraicae saec. 15. et primis annis saec. 16. editae sunt, primus *Card. Ximenez* an. 1514 in suis *polyglottis complutensibus* graecum N. T. textum imprimendum curavit. In primo prologo testantur editores praecipuam sui laboris partem se in eo constituisse, ut « castigatissima omni ex parte vetustissimaque exemplaria pro archetypis haberent », et Gomez refert « potissimum adiumento fuisse bibliothecae vaticanae venerandae antiquitatis apographos, quorum copia per Leonem X. P. M. benignissime Ximenio facta sit »; sed assertio haec, quatenus graecum textum respicit, ad versionem alexandrinam videtur restringenda; Novum enim Testamentum iam prelo subiectum esse, antequam codices vaticani in Hispaniam advecti sunt, authenticis documentis constat [2]. Quare N. T. editio, id quod ipso textu probatur, ex iunioribus codicibus, qui hodie incogniti quidem sunt, sed sine dubio ad byzantinam pertinuerant classem, fluxit. Olim ab aliquibus ad latinam versionem correcta dicebatur, at, si 1 *Ioan*. 5, 7 excipis, qui forte ex Vulgata translatus et receptus est, obiectio haec ab omnibus hodie exploditur, postquam eam nongentis circiter locis a Vulgata dissentire demonstratum est [3].

Antequam complutense Novum Testamentum in lucem prodiit, alia editio Basileae 1516 iam lucem viderat, quam curaverat *Des. Erasmus*. « Non temere nec levi opera, sed adhibitis in consilium compluribus utriusque linguae codicibus, nec iis sane quibuslibet, sed vetustissimis simul et emendatissimis » illam se praeparasse profitetur in dedicatoriis literis ad Leonem X. directis et operi praemissis; revera autem quinque dumtaxat (binos ad Evangelia et ad Actus Epistolasque, unum ad Apoc.) codices eosque iuniores byzantinae recensionis adhibuerat; immo quum Apocalypseos codex

truncatus esset, ultimos versus (*Apoc.* 22, 16-21) ipse ex latino graece reddiderat[4]. Textum hunc, quem ipse postea « praecipitatum potius, quam editum » appellavit, in altera editione (Basileae 1519) ab haud paucis, quae typographo et correctori debebantur, vitiis emendavit; in tertiam (Basileae 1522) versum 1 *Ioan.* 5,7 ex codice montfortiano, qui saec. 15 est, recepit, quartam (Basileae 1527) secundum complutensem textum centum circiter in locis mutavit; quinta demum (Basileae 1535) quartae est nuda fere repetitio paucissimis tantum in locis mutata[5].

A duobus his textibus, complutensi et erasmiano, qui inter se satis dissimiles ambo tamen iuniorum tantum codicum fidei innituntur et solam byzantinam recensionem sequuntur, omnes pendent, quotquot usque ad huius saeculi initium prodierunt, editiones, perpaucis ad fidem codicum emendatis. Atque maxime dolendum, quod erasmianus praecipuum recepti textus fundamentum sit factus, siquidem sine ullo dubio complutensi est inferior[6]. Polyglotta videlicet complutensia, quorum pauca dumtaxat exemplaria impressa et propagata erant, in Gallia, Germania, Italia parum erant cognita; unde factum est, ut ad erasmianas editiones, quae multis millibus exemplarium dispersae erant, novae editiones conformarentur. Praeprimis quintam erasmianam editionem sequuntur editiones illae, quas *Robertus Stephanus* curavit; in duabus prioribus (Paris. 1546 et 1549), quae ex primis praefationis verbis (« O mirificam ») « mirificae » vocari solent, haud paucas quidem complutenses lectiones receperat, at in tertia et quarta (Paris. 1550; [Genevae] 1551) quintam erasmianam fere puram repetiit, ad marginem tantum variis lectionibus ex complutensi et ex codicibus quindecim, inter quos erat cyprius (L), additis[7]. Innumeris vicibus quarta haec Stephani editio repetita est ab eaque dependent quum editiones Bezae (Genevae 1565, 1567 etc.), qui minime multas lectiones ex codicibus praesertim claromontano et cantabrigiensi (in editione an. 1582) recepit, tum editiones *Elzeviri* (Lugduni Batav. 1624. 1633), in quibus etiam perpauca sunt mutata[8]. Atque ex his desumtus est *textus*, qui *receptus* vocatur, quemque olim protestantes ita sequendum et tenendum statuerunt, ut singula eius verba dicerent inspirata, quamquam perpaucae textus recepti editiones inveniebantur, quae non aliquibus lectionibus sive ex complutensi sive ex codice quodam admissis inter se dissentirent[9]. Textum hunc parum purum esse et satis longe ab autographis Apostolorum distare hodie fatentur fere omnes[10].

1. Usque ad an. 1514 ex graeco N. T. impressa tantum erant cantica *Benedictus* et *Magnificat* (Mediolani 1481; Venetiis 1486 et 1496 in appendice Psalterii graeci, *Ioan.* 1, 1-6, 58 (una cum poematibus S. Gregorii Naz. Venetiis 1504) et *Ioan.* 1, 1-11 (Tubing. 1514).

2. Cfr *Le Long-Masch*, Bibliotheca sacra Halae 1778. I. p. 333. 336. Ab anno 1502 Ximenes Polyglotta sua iam praeparavit atque sex volumina, quibus constant, paucis ante Cardinalis mortem mensibus, sc. die 10. Iulii 1517, erant terminata, in lucem autem edita non sunt, nisi postquam Leo X. eorum editionem die 22. Martii 1520 motu proprio permisit. Vaticanos duos codices esse missos primo Leonis X. anno

(28. Febr. 1513-1514) documentis demonstrat *Vercellone* in notis suis ad Card. Mai editionem codicis vaticani, at die 10. Ianuarii 1514 terminata iam erat N. T. impressio, et codices transmissi solos continuerunt libros V. T. (cfr *Tischend.* N. T. Ed. 7. p. LXXXII nota). De codicibus adhibitis cfr *Gregory* l. c. p. 206 sq.

3. Obiectionem hanc moverunt *Wetstein* (Libelli p. 70), *Semler* aliique, contra quos *Goeze* textum defendit (Vertheidigung der complut. Bibel. Hamburg 1765. Ausführl. Vertheid. 1766, etc.); cfr *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 5. 1874 II. p. 129 : « Der Text des N. T. hält noch im Lichte der neuern Kritik die Vergleichung mit jeder andern Recension der nächsten Folgezeit aus ».

4. In Evangeliis adhibuit cod. 2. (Basil. B. VI. 25) et contulit 1. (Basil. B. VI. 27), in Actibus et Epistolis 2. (Basil. B. IX ult.) et contulit 4. (Basil. B. X. 20); in Apocal. solum 1. (Reuchlinii); cfr *Tischend.* N. E. Ed. 7. p. LXXVIII not.; *Delitzsch* Handschriftl. Funde Leip. 1861 et 1862; *Gregory* l. c. p. 209 sq.

5. De quinque erasmianis editionibus cfr *Le Long-Masch* Biblioth. sacr. I. p. 281-292); ex 2. editione erasmiana Lutherus N. T. germanice vertit.

6. « Optandum omnino esset, inquit *Millius* (N. T. Oxonii 1707 Proleg. p. 111), ut editio haec magnifica (complutensis), sicut omnium prima erat, ita sola quidem fuisset, cuius textus demto uno et altero vitio supra memorato... integer et illibatus in editiones quasque posteriores transiisset ». Atque *Delitzsch* Handschr. Funde I p. 5. : « Es wäre in der That ein Glück gewesen, wenn nicht der erasmische Text, sondern der complutensische die Grundlage des spätern textus receptus geworden wäre ». De textu recepto cfr *Gregory* l. c. p. 216 sqq.

7. Inter Rob. Stephani editiones quarta, quam Genevae calvinianus factus edidit, ideo speciali mentione digna est, quia inter graecas prima versus numerat. De Stephani editionibus cfr *Le Long-Masch* l. c. p. 208-214 et p. 305 sq. : « Medium optimo iure (quarta Stephani) occupat inter editiones erasmicas et bezanas locum. Si versionem spectas, accedit erasmicis, si vero textum respicis, bezanis praemittenda est, siquidem priores bezanae eundem fere textum stephanicum exhibent ».

8. De Bezae editionibus cfr *Le Long-Masch* l. c. p. 307-317 et p. 225. sq.; de elzevirianis l. c. p. 226 sqq.

9. Fuse de graecis N. T. editionibus, quae « textum receptum » exhibent, tractat *Reuss* Bibliotheca N. T. graeci Brunsvigae 1872; eiusdem Gesch. d. N. T. II. p. 134 sqq. De editionibus hucusque recensitis cfr *Scrivener* p. 422 sqq.; *Hundhausen* in Wetzer-Welte K. L. Ed. 2. Art. Bibelausgaben des N. T.; *Gregory* l. c. p. 205-224.

10. *Tischendorf* N. T. Ed. 7. p. LXXXIV : « in re critica vel in pristino ipsorum Apostolorum textu indagando non plus auctoritatis habet, quam qui in plerisque codicibus recentiori aetate scriptis invenitur, quippe a quibus Erasmus, primus et principalis rationis (stephanianae et) elzevirianae auctor, fere totus pependerit »; cfr *Wetstein* Proleg. p. 116 sqq.; *Griesbach.* N. T. Ed. 3. ed Schulz. Berolini 1827 p. XI sqq. etc. — Recentissime tamen textum receptum defendere conatus est *J. W. Burgon* The revision revised. London 1883), sed satis infeliciter. Iure merito autem anglicani versionem suam authenticam (the authorized version), quae ex textu recepto adornata erat, ad antiquiorum codicum textum iam revocarunt; ac similiter protestantes germanici Lutheri versionem ex erasmiano textu factam multis in locis corrigere coacti sunt.

115. — Dum autem haec textus recepti ratio sive erasmicis sive stephanicis sive elzevirianis editionibus propagabatur, non defuit indu-

stria adeundi fontes antiquioris textus et accuratioris; hinc sensim ortus est *apparatus criticus,* in quo ad singulas textus partes et verba variæ lectiones additis earum fontibus reponebantur, unde non modo textus historia, sed etiam eius emendandi via et ratio discitur, quum unusquisque ea, quae ad sanum de singulis lectionibus iudicium ferendum requiruntur, ex illo haurire possit. Ad apparatum vero hunc criticum constituendum soli codices antiqui non sufficiebant; sed illi quoque loci colligendi erant, quos Patres in suis operibus attulerant, versionesque antiquiores conferendae, ut quem illarum interpretes prae oculis habuerant textus cognosceretur.

Ad Patrum allegationes quod attinet, maximi pretii et valoris esse illas, quae ab antenicaenis adhibentur, per se patet, quia omnibus nostris codicibus antiquiores antiquiorem et autographis propinquiorem textum repraesentant; sed iuniorum quoque testimonia minime sunt spernenda, sive superstitum codicum lectiones confirmant sive eas invalidant, quia Patres ex suis codicibus verba afferentes aliorum codicum defectum supplent. Caute tamen in iis adhibendis procedendum est; etenim in Patrum operibus, quae habemus, verba scripturistica haud raro a librariis ad iuniorum codicum auctoritatem sunt accommodata et adulterata : cuius rei luculentum testimonium illi loci praebent, in quibus commentarius a Patribus ipsis additus verbis Scripturae praemissis non correspondet. Praeterea quum Patres omnes frequenter sacros libros ex memoria tantum citaverint, non omnes eorum varietates pro veris et genuinis suae aetatis lectionibus haberi possunt; quare exegetica potissimum eorum scripta et dogmatica illa, in quibus data opera ex Scriptura dogmata demonstrant, conferantur oportet. Praeter Patres apostolicos, qui plerumque liberrimo modo textibus scripturisticis utuntur, tantum non omnes graeci consulendi sunt, ex latinis autem SS. Hieronymus et Augustinus, qui fere soli interdum de graecis lectionibus disputant [1].

Ut autem apparatus criticus sit completus, etiam antiquae versiones conferantur necesse est, quae debitis cautionibus adhibitis codicem illius temporis, quo factae sunt, repraesentant; sed de his *infra* recurret sermo.

1. Cfr *Scholz* Einl. I. p. 600 sqq.; *Tischendorf* N. T. Ed. 7. I. p. CCLV sqq. Propter longiores suas citationes praesertim in considerationem veniunt *S. Irenaeus* et *Clemens Alex.*, propter opera sua exegetica *Origenes*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Cyrillus Alex.*, propter opera sua dogmatica *Athanasius*, *Cyrillus Ieros.*, *Epiphanius*.

116. — Apparatus critici colligendi initium iam fecerant primi N. T. editores, Rob. Stephanus, Beza, alii, qui suis editionibus lectiones quorundam

codicum addiderunt; melius autem de eo meruerunt Br. Walton, Ioan. Fell, Ioan. Mill inter anglicanos, I. A. Bengel, I. I. Wetstein, I. I. Griesbach inter protestantes Germaniae. In quinto polyglott. londinensium volumine *Walton* ad textum stephanicum lectiones adiecit ex alexandrino (A) addiditque in sexto satis amplum apparatum ex aliis editionibus et codicibus collectum; *Fell*, anglicanus episcopus oxoniensis, nomine suo tacito ad textum elzevirianum « varias lectiones ex plus centum codicibus et antiquis versionibus » collegit; at longe eum superavit eius discipulus *Mill*, qui, ut verbis Tischendorfii utar, « patienti quidem studio sed vix ullo adhibito iudicio » circiter triginta millia variarum lectionum undique congessit [1].

Qui omnes textum receptum intactum reliquerunt collectorum fere munere contenti; ad illum emendandum collectas lectiones adhibere coeperunt protestantes Germaniae. Atque *Bengel* in suam quidem recensionem, ne quemquam offenderet, nullam lectionem recepit, quae non antea iam in aliqua editione impressa legebatur, in apparatu autem primus fuit, qui codicum familias distinguens testes lectionum non numerandos sed ponderandos docuit, et summo cum iure codices, quos ipse « africanae » (i. e. occidentali) familiae adscripsit, etsi pauciores numero essent, « catervae codicum, qui citerioribus saeculis Constantinopoli ac in illa vicinia scripti sunt » (i. e. familiae byzantinae) longe praetulit [2]. Eodem tempore *Wetstein*, qui, quum professor esset basileensis, ob severum suum, licet iustum, de textu recepto iudicium e patria Amstelodamum fugere coactus erat, novam editionem criticam praeparavit; at ipse quoque receptum textum nondum mutare ausus est, sed in notis tantum ad elzevirianum illas lectiones, quas omnino praeferendas censuit, indicavit; praecipuum eius meritum est, quod codices, quos multos ipse vidit et contulit, accuratius descripserit variisque lectionibus ordine dispositis testes addiderit; at quum caeco latinae Vulgatae odio ductus omnes codices, qui eius lectiones tuentur, i. e. antiquiores et meliores, respueret, quia illos « latinizare » putavit, ad bonum textum pervenire non potuit [3]. *Griesbach* primus textum receptum mutare incepit. Bengelii familiarum systemate, uti diximus, exculto byzantinisque lectionibus iure merito, utpote iunioribus et arbitrariis correctionibus, reiectis, ut illum textum restitueret, quem antiquitus in Occidente et Oriente vulgatissimum fuisse censuit, occidentalem suam alexandrinamque recensiones sequi sibi proposuit. Quia vero in illis eligendis sibi suisque legibus criticis non semper constitit, nec elzevirianum suum textum, nisi cogentes adessent rationes, relinquere ausus est, nec meliores codices, vaticanum, sinaiticum, cognitos habuit, editiones eius, etsi suo tempore bonae fuerunt, hodie non magni sunt valoris [4].

1. *Polygl. londin.* VI. Inter alia exhibet varias lectiones ex annotationibus *H. Grotii* excerptas, dein alteram collectionem ex antiquis codicibus adornatam et demum *Lucae Brugensis* notas ad varias lectiones editionis graecae. — (*Io. Fell*) N. T. graece; accedunt variae lectiones ex plus centum manuscriptis codicibus et antiquis versionibus collectae (Oxon. 1675). — *Io. Mill* N. T. graece cum lectionibus variis manuscriptorum, versionum, editionum Patrum; praemittitur dissertatio,

qua de libris N. T. et canonis constitutione agitur, et historia textus ad nostra usque tempora deducitur. (Oxon. 1707). Editionem locupletatam curavit *L. Küster* (Amstelod. 1710).

2. *I. A. Bengel* Novum Test. ita adornatum, ut textus probatarum medullam, margo variarum lectionum in suas classes distributarum delectum, apparatus subiunctus criseos sacrae compendium, limam et fructum exhibeat. Tubing. 1734. Ed. 2. curante *D. Burck*. Tub. 1763.

3. *I. I. Wetstein* Novum Test. graecum, editionis receptae, cum lectionibus variis codicum manuscriptorum, editarum versionum et Patrum nec non pleniore commentario ex scriptoribus hebraicis, graecis et latinis (Amstelod. 1751. 1752).

4. *I. I. Griesbach* Novum Test. graece. Textum ad fidem codicum, versionum et Patrum recensuit et lectionis varietatem adiecit. (Halae 1777; Editio secunda et praecipua 1796-1803; voluminis 1. editionem locupletiorem curavit *D. G. Schulz*. Berolini 1827).

Omissis aliis novi textus condendi conatibus, qui praecedente saeculo facti sunt [5], ad recentiores transimus. Uti superiore, ita etiam hoc saeculo totum fere hunc criticae sacrae campum catholici interpretes protestanticis colendum reliquerunt, ita ut ex catholicis unum solum nominare possimus, *A. Scholz*, prof. theol. bonnensem, cuius conatus diligentiae adhibitae non responderunt. Itineribus ad hunc scopum per Europam et per Orientem susceptis non parum quidem auxit apparatum criticum quam plurimis codicibus praesertim minusculis examinatis, versionibus accuratius collatis, Patrumque testimoniis non paucis adiectis; byzantinae autem recensionis, quam iuniores illi codices fere exhibent, amore captus textum novum constituit textui recepto valde affinem [6].

Novam omnino viam eodem tempore iniit *C. Lachmann*, vir in germanica et classica philologia eruditissimus. Testibus, quos adhuc possidemus, ad genuinum autographorum textum nos pervenire non amplius posse ratus, textu recepto prorsus relicto, antiquissimum eruendum esse statuit, qui e fontibus hauriri posset, quum is etiam apostolico esset similior. Multis in locis ultra saec. 4. finem ascendere nos non posse censuit, aliis vero in locis nos ad saec. 3. finem pervenire; ac proin quodammodo eam N. T. formam restituere conatus est, *quae saec. 4 in ecclesia orientali vulgatissima erat.* Quem in finem ex codicibus vix alios praeter A B C, ex Patribus maxime Origenem adhibuit, iisque discrepantibus consulendos duxit occidentales testes, inprimis praeter graeco-latinos (D *Evang. Act.*, E *Act.* D G *Epist.*) antiquiores Italae et Vulgatae codices [7]. Quam longe textus hic novus a recepto recedat, facile intelligitur, neque quisquam negabit eum recepto longe esse praeferendum; at testium numerus non sufficere videtur, praesertim quia eo tempore codices B C D aliique nondum accurate examinati, sinaiticus (א) nondum cognitus erat, atque extra dubium est, etiam in aliis versionibus et codicibus, quibus usus non est, genuinas et vulgatiores lectiones saec. 4. conservari potuisse.

Lachmanni vestigiis fere inhaeserunt Const. Tischendorf in Germania, S. P. Tregelles in Anglia. Integram suam vitam textui sacro restituendo

impendit *C. Tischendorf;* omnes fere bibliothecas per totam Europam saepius hunc in finem adiit, tria itinera in Aegyptum, Arabiam, Syriam, Graeciam instituit, non paucos codices ex antiquissimis ipse primus reperit, alios iam cognitos iterum iterumque examinatos edidit, atque iure optimo asserimus, neminem eo amplius ad apparatum criticum augendum contulisse. Ea autem, quae invenit, etiam statim adhibuit viginti et una N. T. editionibus curatis, quae quinque diversas textus recensiones constituunt [8]. Uti Lachmann, ita et Tischendorf ad codicum antiquitatem maxime attendit, quare eius editiones a textu recepto, qui solis iunioribus innititur, omnes discrepant. Opus non est, ut quinque recensiones illas, quas triginta annorum spatio adornavit, omnes examinemus; ad ultimam solam attendamus, cui morte abreptus prolegomena addere non iam potuit. Quid in editione hac, si illam cum lachmanniana, quae textum saec. 4. propagatum edere voluit, sibi praestandum proposuerit, hisce verbis in praefatione explicat : « Ut dubitari nequit, quin ipsis primis rei christianae temporibus a sincera apostolorum scriptura multifariam discessum sit, qua quidem in re nihil improbitatis aut doli suberat, ita prudenter ac scite adhibitis antiquissimis, quibus etiamnunc gaudemus, testibus ea librorum apostolicorum ratio, *quae 2 saec. vel maxime in usu erat,* plerumque probabiliter restitui potest. Quam quidem rationem ad ipsam Scripturae sacrae integritatem multo propius accedere, quam libros eos, qui post 5. fere saec. per ecclesiam byzantinam circumferebantur moxque tantum non soli propagabantur, omnes data opera intellecturos puto, nisi qui aut falsa ducti pietate consuetudinem a veritate distinguere dedidicerunt, aut eis, quae Griesbachius, Hugius, Scholzius alii de recensionibus librorum N. T. commenti sunt, etiamnum capti tenentur ». Quem saec. 2. textum ut inveniret, « sinaiticum, vaticanum, similesque graecos alios paucos, consensione plerumque nonnullorum interpretum veterrimorum, imprimis latinorum, auctos, passim etiam Patrum testimonio, tantum non solos adhibendos » censuit, quare multas lectiones a Lachmanno receptas, quas ipse quoque in primis suis editionibus adoptaverat sed in posterioribus reliquerat, iterum adoptavit [9]. Quamquam diligentiae et sagacitati eius libenter magnam laudem tribuimus, non dolere tamen non possumus, quod protestanticis suis praeiudiciis imbutus ecclesiasticam traditionem neglexit, nonnulla e textu sacro expunxit, quae magno testium insignium numero probantur, et contra Patrum auctoritatem interpunctione mutata sensum quorundam locorum pervertit [10].

Eodem tempore, quo Tischendorf, etiam *S. P. Tregelles* de textu N. T. restituendo bene meritus est; criticam suam editionem, quam post multa suscepta itinera et diuturnum studium in lucem dedit, eo a lachmanniana differre ipse asserit, quod maiorem numerum testium adhibuerit, a tischendorfianis (prioribus), quod praeter codices etiam versiones et Patrum citationes accuratius examinaverit [11].

5. Huc inter alios referendi sunt : (*Mace* vel *Macey*) The New Testament in Greek and English. London 1729, cuius textus, teste Maschio (*Le Long-Masch* Biblioth. I,

p. 328) « variis in locis ita immutatus est, ut Arianorum hypothesi ipsa succurrat lectio »; *E. Harwood* N. T. Londini 1776, qui in Evang. et Act. sequitur cantabrigiensem, in Paulinis claromontanum, in reliquis alexandrinum; *C. F. Matthaei*. N. T. ex codd. mosquensibus nunquam antea examinatis emendavit, lectionis varietatem, animadversiones criticas et scholia graeca adiecit. Rigae 1782-1788, qui, ut patet, solum byzantinum textum tradere potuit; quemadmodum etiam *F. C. Alter*, qui ex iunioribus codicibus viennensibus N. T. edidit (Viennae 1786) etc.

6. *A. Scholz*, N. T. graecum textum ad fidem testium criticorum recensuit, lectionum familias subiecit, copias criticas addidit. Lips. 1830-1836; cfr eiusdem De critica N. T. generatim. Heidelb. 1820; Biblisch krit. Reise durch Frankreich, Schweiz, Italien, Palæstina etc. Leipz. 1823.

7. N. T. graece ex recens. *C. Lachmanni*. Berolini 1831; N. T. graece et latine *C. Lachmann* recensuit, *Ph. Buttmann* graecae lectionis auctoritates apposuit. Berolini 1842-50. Principia sua critica exposuit in Studien u. Kritiken 1830 p. 817 sqq.

8. Inter varias editiones tischendorfianas, quae inde ab anno 1841 prodierunt, notatu prae ceteris dignae sunt : N. T. graece et latine; textum versionis vulgatae latinae in antiquis testibus, V. S. V. Iager in consilium adhibito, indagavit C. T. (Paris. 1842), in qua editione ex codicibus eum textum constituere conatus est, qui proxime ad Vulgatam accedit. — N. T. graece ad antiquos testes denuo recensuit, apparatum criticum omni studio perfectum apposuit, commentationem isagogicam praetexuit C. T. (*Ed.* 7 *maior*. Lips. 1859). — N. T. graece ex sinaitico codice omnium antiquissimo vaticana itemque elzeviriana lectione notata (Lips. 1865). N. T. gr. ad antiquissimos testes etc. *Ed.* 8 *critica maior*. Lips. 1869-72. — Variae editiones inter se valde discrepant; in primis suis editionibus (Lips. 1841; Paris 1842) Lachmanni vestigiis insistens longius, quam ille, a textu recepto recessit; in illis, quae secutae sunt, relictis lectionibus multis a Lachmannio adoptatis, propius ad elzevirianum accessit (Lips. 1849. 1850 etc. atque multo magis in Ed. 7. maiori); in ultima demum, relictis iterum lectionibus, quas ex elzeviriana receperat, ad Lachmanni et suum ipsius primum textum reversus est; ultimus hic textus non paucis editionibus strereotypis hodie propagatus est.

9. Ed. 8. maior. I. Praef. p. VII. Editioni huic Prolegomena addidit *Casp. Ren. Gregory* Lipsiae 1884-1890.

10. Cfr ex. gr. *Marc.* 16, 6 sqq.; *Ioan.* 5, 4; 7, 53-8, 11; *Rom.* 9, 5 etc.

11. *S. P. Tregelles* The Greek New Testam. edited from ancient autorities with their various readings in full and the latin version of Ierome. London 1857-1879; cfr eiusdem Introduction to the textual criticism of the N. T. London 1856.

Ultimi, quos enumeravimus, critici, Lachmann, Tischendorf, Tregelles, in N. T. textu restituendo classium familiarumve codicum distinguendarum curam non habuerunt, immo Tischendorf, quamvis in editionis suae septimae prolegomenis distinctionem hanc approbare et evolvere videatur, illam in octavae praefatione aperte respuerat. Non desunt autem, qui hoc classium systemate solo ad genuinum textum pervenire nos posse putent. Inter quos primum locum tenent *Westcott et Hort;* Griesbachii enim familiarum distinctionem, uti supra innuimus, accuratius excolentes in eam textus rationem, quam, quia quibuscumque occidentalibus orientalibusque mutationibus vacans proxime ad autographam apostolicam lectionem accedat, neutralem vocant, diligentissimo et patientissimo triginta fere an-

norum studio investigarunt[12]. Eorum labores ad puriorem textum restituendum non parum contulisse libenter fatemur, neque illud dubitamus concedere, in ingenti illa variarum lectione multitudine, quae ex codicibus, versionibus, Patrum operibus hauriuntur, genuinam apostolicam scripturam contineri; totam autem quaestionem in eo versari putamus, quomodo erui ex illis possit sin minus cum certitudine, saltem cum magna probabilitate, nec asserere audemus eos hanc debito modo resolvisse. Etsi enim nos quoque vaticanum codicem reliquis praeferendum ducimus, minime tamen omnia, quae in vaticano desunt, pro occidentalibus interpolationibus et amplificationibus habemus; eandem, aut etiam forte maiorem, ni fallimur, antiquis versionibus, quam codicibus, auctoritatem attribuamus oportet, quippe quae, dummodo de earum ipsarum primitiva scriptura constiterit, antiquiorem textum repraesentent[13].

12. *Westcott et Hort* The N. T. in the original Greek London 1881. 1882. Volumen I. textum exhibet multis signis criticis distinctum sed apparatu critico carentem; vol. II. introductionem, in qua principia sua exponunt (p. 1-324), et appendicem, in qua de difficilioribus lectionibus disputant (p. 1-140) et difficultates quasdam de orthographia tractant (p. 141-173); solus textus nunc multis editionibus propagatur.

13. Fusius de criticis editionibus agunt *Tischendorf* N. T. Ed. 7. Prol. p. LXXXI-CXX, *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 5 II. p. 144 sqq.; *Scrivener* p. 462 sqq.; *Hundhausen* in W. W. K. L. Ed. 2. II. 611-631.; *Gregory* l. c. p. 229-334.

Ex omnibus, quae hucusque attulimus, satis constare videtur, criticos metam nondum attigisse necdum ad eum textum graecum pervenisse, qui autographis apostolicis correspondet. Quod si cui hac de re dubium remaneret, videat oportet, quomodo critici ipsi inter se concertent aliusque alterius principia et labores convellat et dilaceret. Uti Griesbach et Matthaei olim mutua cavillatione se invicem per lutulentissimam sentinam raptare visi sunt, ita Tischendorf Lachmannum et Scholzium profundo in errore versari asserit, atque ipsius rursus editio an. 1842 a Lachmanno « tota peccatum » appellatur aliaeque a Tregelles non melius tractantur[14].

Coronidis gratia aliqua addamus de minoribus editionibus, quae utpote approbatae, hodie catholicis alumnis usui esse possunt. Elzevirianum textum sequuntur editiones *patavinae* (Patav. 1820 etc.), *venetae* (Venetiis 1847 etc.); textum graecum, quem Tischendorf an. 1842 ad Vulgatam, quantum fieri ex testibus potuit, accommodavit, editionibus stereotypis edente *I. M. Iager* repetitum habes Parisiis 1847, 1851, 1859; complutensem textum repetiit *P. A. Gratz* (Tub. 1821; Mogunt. 1827; 1851); complutensem et erasmianum permixtum dedit *L. van Ess* (Tub. 1827); lachmannianam editionem sequitur *F. X. Reithmayer* (Monaci 1847, Ratisbonae 1851); vaticanum unicum fere ducem habet *V. Loch* (Ratisbonae 1861); ad elzevirianam et lachmannianam accedunt editiones *tauchnitianae* (Lips. 1854, 1860 etc.).

14. Cfr *Danko* De S. Scriptura p. 132 sq. et *Burgon* The revis. revised, passim.

§ 7. — *De graeci N. T. textus auctoritate.*

117. — Operae quidem vix pretium videtur, ut quaestionem, quam supra de hebraici textus auctoritate attigimus, de graeco quoque Novo Testamento agitemus; at quum non defuerint, qui eam impugnaverint, « fontemque graecum nonnullis in locis corruptum atque immutatum debita authentia et puritate carere » asseruerint[1], paucis eam verbis absolvemus. Ex iis, quae supra de textus historia diximus, satis elucet nos non diffiteri, satis multis eum scatere mendis accidentalibus, ita ut primitivo Apostolorum textui plane conformis dici nequeat. De absoluta igitur eius integritate et puritate non agitur, sed cum *Bellarmino* una ex parte contendimus « non esse graecos codices corruptos generaliter » ita quidem « ut in iis, quae ad fidem bonosque mores pertinent, Scripturae sacrae integritas desideretur », altera autem ex parte libenter concedimus « eos neque esse fontes purissimos, ut quidquid ab iis dissentiat, necessario corrigendum sit »[2]. Eodem ergo modo, quo supra textui massorethico, etiam *graeco veram authentiam vindicamus* (cfr *supra* 100. p. 283 sq.).

Revera enim nemo facile tempus indicaverit, quo corruptio illa generalis codicum facta sit; procul dubio primos Christianos criminis huius accusare non licet, immediate vero post apostolicam aetatem N. T. libri ita iam toto in imperio romano sunt dispersi, ut quomodo corrumpi potuerint, non appareat. Haereticos quidem illos adulterare conatos esse, Patrum testimoniis constat (111); at non minus certum est, haereticis conatibus tam efficaciter Patres restitisse, ut eorum codices corrupti nunquam in Ecclesia auctoritatem obtinuerint, nec ullus ex superstitibus indicari possit, qui lectiones haeretica malitia adulteratas contineat.

Numquid divina providentia permittere potuit, ut illi fontes polluerentur, ex quibus veritatem Ecclesia haurire debuit, illique codices corrumperentur, ad quorum fidem versiones suas corrigere debuit? *Ambrosiaster* utique latinum textum, qui « olim de veteribus graecis translatus sit codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat », graeco praefert, quia in graeco, « postquam concordia, animis dissidentibus et haereticis perturbantibus, torqueri quaestionibus coeperit, multa mutata sint ad sensum humanum, ut contineretur in literis, quod homini videretur; unde etiam ipsi graeci diversos codices habeant »[3]. At orthodoxorum Patrum latinorum, a quibus Ambrosiaster in aliis quoque nonnullis satis graviter dissentit (cfr *infra* 239), constans est doctrina, fidem librorum Novi Test., uti ait *S. Hie-*

ronymus, « graeci sermonis auctoritatem desiderare, quemadmodum Veterum fides de hebraicis voluminibus examinanda sit », atque hoc, « quod in latino sermone discordet et in diversos rivulorum tramites ducat, uno de fonte quaerendum esse » [4]. Namque « recte fieri, inquit *S. Augustinus,* nullo modo dubitaverim, ut quum diversum aliquid in utrisque (graecis et latinis) codicibus invenitur, quandoque utrumque esse non potest verum, ei linguae potius credatur, unde est in aliam facta translatio » [5]. Quibus consentiens *S. Ambrosius :* « Si quis, inquit, de latinorum codicum varietate contendat, quorum aliquos perfidi falsarunt, graecos inspiciat codices » [6]. Eodem modo, quo iam *Tertullianus,* si quid dubium erat in latina versione, ad « graecum authenticum » provocavit [7], *Cassiodorius* docet « ad graecum pandecten » recurrendum esse, « ubi aliqua verba reperiuntur absurde posita » [8].

Ex quibus Patrum verbis satis elucet, eos non tantum graecos codices suae aetatis pro fonte puro et sincero habuisse, sed illis etiam persuasum esse, Deum eundem purum et integrum esse conservaturum; praecepta enim generalia statuunt Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Cassiodorius. Atque profecto hisce praeceptis etiam correspondet ipsius Ecclesiae praxis; sicuti enim saec. 4. a *S. Damaso* iussus S. Hieronymus latinum Novum Test. « graecæ reddidit auctoritati », ita etiam saec. 16., quum de Vulgatae nostrae emendatione ageretur, *Pius IV.* demandavit, ut praeter antiquissimos codices latinos Patrumque commentarios etiam « hebraici graecique fontes » adhiberentur [9].

Neque id mirum; etsi enim innumerae ex codicibus et Patrum graecorum operibus variae lectiones collectae sint, nulla tamen ex eis, uti saepius iam diximus, textus malitiose mutati ac depravati suspicionem movet. Etenim « quotquot sunt variantes lectiones, inquit *P. Martianay,* tot fere inveniuntur expositiones sacri textus. Tantum autem abest, ut varietatum multitudo Scripturae auctoritatem laedat, ut potius codicum innumerorum consensus mirificus in omnibus, quae religionis substantiam spectant, veritatem divinam multum confirmet Deique curam specialem circa hos libros demonstret. Haec igitur varietas nedum noceat, potius prodest, magisque auctoritatem textus confirmat [10] ».

1. *Goldhagen* Introductio I. p. 287 sqq.; *Bonfrer.* Praeloq. c. 14.; *Canus* De loc. theolog. II. 12. 13. etc.

2. *Bellarm.* De verbo Dei II. 2. 7.

3. *Ater* in Rom. 5, 14 (M. 17, 96).

4. *S. Hieron.* ad Lucin. ep. 71, 5 (M. 22, 671); ad Dam. Praef. in Evang. Verbis supra laudatis haec praemittit, de latinorum codicum diversitate conquestus : « Sin autem veritas quaerenda est de pluribus, cur non ad *graecam* originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita vel a praesumtoribus

imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus addita sunt aut mutata, corrigimus? » Cfr ad Marcell. ep. 27, 1; ad Sunn. et Fretel. ep. 106, 2 etc. (M. 22, 432. 838).

5. *S. August.* de Civ. 15, 13 (M. 41, 454); cfr de doctr. christ. II. 11 (M. 34, 42): « et latinae quidem linguae homines... duabus aliis ad Scripturarum cognitionem opus habent, hebraea sc. et graeca, ut *ad exemplaria praecedentia recurratur*, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas »; c. Faust. XI. 2 (M. 42, 246): « si de fide exemplarium quaestio verteretur, sicut in nonnullis, quae et paucae sunt et s. literarum studiosis notissimae varietates sententiarum, vel ex aliarum regionum codicibus... nostra dubitatio diiudicaretur, vel si ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus praeferrentur; et si adhuc esset incerta varietas, *praecedens lingua, unde illud interpretatum est, consuleretur* » etc.

6. *S. Ambros.* De Spir. S. II. 5.

7. *Tertull.* De monog. 11 (M. 2, 946).

8. *Cassiod.* De instit. div. lit. 15 (M. 70, 1129): « quod si aliqua verba reperiuntur absurde posita aut ex his codicibus, quos b. Hieronymus in editione septuaginta interpretum emendavit, vel quos ipse ex hebraeo transtulit, intrepide corrigenda sunt, aut, sicut b. Augustinus ait, recurratur ad graecum pandecten, qui omnem legem divinam dignoscitur continere collectam, vel quibus possibile fuit, hebraeam Scripturam vel eius doctores requirere non detrectent. *Decet enim, ut unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio* ».

9. *S. Hier.* II. cc.; *Vulgatae Clementinae* Praefatio ad Lectorem.

10. Cfr *Lamy* Introd. I. p. 129.

118. — Quae huic sententiae opponuntur, ea nullo negotio diluuntur. Quod si qui ad Patrum testimonia recurrunt, ut iam antiquitus N. T. textum corruptum esse doceant[1], respondebimus cum Origene, qui similem Celsi obiectionem refutat: « equidem non novi alios, qui Evangelii textum mutaverint, nisi Marcionis, Valentini, fortasse et Lucani sectatores. Id vero non Evangelio crimini imputandum est, sed iis tantum, qui Evangelium depravare audent. Et sicut non philosophiae crimini datur, quod aliqui sunt sophistae vel epicuraei vel peripatetici vel si qui alii falsum systema sequuntur, ita quod nonnulli Evangelia depravarunt et sectas a Iesu doctrina alienas introducunt, vero christianismo crimini dari nequit »[2]. Esto haereticos suos codices corrupisse, quis ideo codices in ecclesiis adhiberi solitos corruptionis accusare audebit? Si quis vero hoc auderet, illi cum S. Hieronymo Helvidium increpante dicere nobis liceret: « stultissime persuasisti tibi graecos codices esse falsatos »[3].

Neque maioris momenti est, « quod hodiernum graecum codicem tanta variantium lectionum farrago perturbare dicatur, ut ad singulos quasi versus de sincera lectione dubitari non de nihilo possit »[4]. Nam longe maiorem variantium istarum numerum, utpote librariorum sphalmata, nullatenus « hodiernum graecum textum perturbare » supra iam diximus (110. 111); quod si vero variae lectiones, quae ex antiquis manuscriptis hauriuntur, sufficiunt, ut textum corruptum declaremus, iam de omnibus nostris libris sacris actum est; neque minor enim sed, ni fallor, maior

Vulgatae nostrae versionis, quam primigenii graeci textus, variarum lectionum numerus ex antiquis codicibus hauritur.

At adsunt quaedam, inquiunt, quae cum Vulgata non consentiunt, desunt alia, quae ex Vulgata canonicam auctoritatem habent. Ut assertum hoc probent, varios locos *Canus*, *Bonfrerius*, *Goldhagen*[5] aliique ex textu recepto congerunt, sed simul etiam singulis fere in locis adnotant, adesse codices manuscriptos, qui cum Vulgata faciant; atqui per se patet, nos nec textum olim receptum nec hunc illumve codicem manuscriptum defendere, sed illum graecum textum, qui sanis criticae artis regulis adhibitis ex graecis fontibus erui potest. Quare opus non est, ut omnes et singulos locos, qui afferuntur, accuratius examinemus[6]. Non diffitemur quidem, iis demtis, in quibus quaenam lectio praeferatur parvi interest, si ad fidei morumque doctrinam attenditur, unum alterumve locum (sc. 1 *Cor.* 15,51 et 1 *Ioan.* 5,7) relinqui, in quibus textus graecus a Vulgata dissentit, et de his quid statuendum sit, infra videbimus, ubi de Vulgatae auctoritate agemus[7]. Id unum adnotasse hic sufficiat, de prioris textus lectione ne illos ipsos quidem certum iudicium ferre audere, qui aliis in locis Vulgatae auctoritatem textui graeco praeferre non dubitant, alterius autem versus omissione substantiam Scripturae non attingi, quum dogma illud, quod *latini* theologi *iuniores* ex eo deducunt, aliis multis in locis clarius et certius contineatur.

1. Cfr ex. gr. *Goldhagen* l. c. p. 294 : « Graecorum ingenia ignoret necesse est, qui eos nihil in graecos codices ausos fuisse autumat. Fuit Graecia ab omni memoria haeresum sectarumque ferax, quo periit malo; et Irenaeus, Basilius, Eusebius, Theodoretus aliique vitiatas ab haereticis divinas Scripturas luculenter testantur. Sed ex tantis corruptionibus tantaque licentia contaminandi Scripturas, annon verisimillimum est, plures errores ac vitia in graecos codices ad nostram usque aetatem manasse? Inutilis est disceptatio, ubi factum loquitur ».

2. *Orig.* c. Cels. II. 27 (M. 11, 848).

3. *S. Hieron.* c. Helvid. de perpet. B. V. virginitate 16 (M. 23, 201).

4. *Goldhagen* l. c. p. 295.

5. *Canus* de loc. theol. II. 13; *Bonfrer.* Prael. c. 13; *Goldh.* l. c. p. 288-295 etc.

6. *Canus* l. c. ex. gr. affert *Rom.* 12, 11, quo in versu textus receptus habebat τῷ καίρῳ δουλεύοντες, quum Vulgata legat : « Domino servientes »; revera κυρίῳ exhibent et antiquiores et plures codices graeci; altero in loco, quem adhibet (1 *Cor.* 7. 33. 34), tota quaestio est de interpunctione; utraque autem interpunctio aptum sensum praebet. *Goldhagen* viginti locos mutatos enumerat : *Matth.* 5, 11 Beati estis... quum dixerint omne malum adversum vos; textus rec. : πᾶν πονηρὸν ῥῆμα (omne malum *verbum*); revera ῥῆμα omittitur a bonis codicibus et videtur abundare, sed eius additio sensum non mutat. *Matth.* 5, 22 ubi nos legimus : « qui irascitur fratri suo », graece additur εἰκῆ « temere »; iterum meliores codices graeci illud εἰκῆ omittunt, at sive addatur sive omittatur, ad sensum parvi refert. *Matth.* 6, 13 vituperatur additio ad Pater noster : « quia tuum est regnum » etc., quae verba in textu recepto quidem, sed non in melioribus codicibus inveniuntur. Operae pretium non esse, ut reliquos enumeremus, patet. Ad *Marc.* 16, 9-20, *Luc.* 22, 24; *Ioan.* 5, 4; 7, 53-8, 11 quod attinet, loci hi etiam a modernis quibusdam criticis (*Tischend.*, *Westcott* etc.) e textu expunguntur; sed qui animo praeiudiciis vacuo

etiam solos testes *graecos* interrogare voluerit, de eorum authentia non dubitabit. At de his egimus in *Introd. spec.* in Novum Test. p. 93 sqq., 133 sq., 232 sqq.

7. Cfr. *infra* 176. — De authentia commatis ioannei de tribus testibus coelestibus (1 *Ioan.* 5,7) disseruimus in *Introd. spec.* in Nov. Test. p. 668-682.

Quae quum ita sint, non dubitamus hodierni graeci textus authentiam asserere, ita ut sit genuinus revelationis fons, ex quo integra, quam Deus per Apostolorum scripta nobiscum communicare voluit, doctrina fidei morumque sine ullo erroris periculo hauriri possit. Ceterum illi ipsi, qui graecos libros certis in locis corruptos putant, eos plurimum prodesse non negant « immo eos valere dicunt, ad menda Vulgatae versionis corrigenda, ad statuendum de sinceriore e pluribus in Vulgata nostra lectione, ad latinae alicuius vocis ambiguitatem tollendam, ad diversos forte literales sensus extundendos (?), ad vocum sententiarumque significationem melius percipiendam, quarum subinde maior vis est in graeco quam in latino textu ob vocum graecarum energiam et foecunditatem, quam latina lingua pauperior et sterilior assequi et exaequare minime potest »[8]. Profecto oblivioni non est dandum, apostolos graece, non latine scripsisse, nec ullam unquam versionem primigenium textum perfecto modo reddere; ut genuinam Apostolorum sententiam perciperent, maximi quoque inter latinos Patres, Augustinus et Hieronymus, graecorum vocabulorum, quibus usi erant Apostoli, vim et potestatem perpenderunt exemploque suo, quid nobis faciendum sit, docent.

8. *Bonfrer.* l. c.; *Cani* Loci theolog. II. 15.

SECTIO ALTERA.

De Utriusque Testamenti versionibus antiquis.

CAPUT III.

DE VERSIONIBUS GRAECIS VETERIS TESTAMNETI.

§ 8. — *De alexandrinae versionis origine et indole.*

119. — Sacrorum librorum versiones criticis et interpretibus non parvae esse utilitatis, saepius iam innuimus. Quis enim eo tempore, quo adornatae sunt, textus biblicus fuerit, et quomodo eo tempore sit intellectus, ita nos docent, ut et antiquis codicibus et antiquis commentariis sint aequiparandae. Non omnium autem eandem esse utilitatem eandemque auctoritatem patet, quum tota et integra a tempore, quo in lucem sunt editae, a scientia et intelligentia, qua translatores munere suo functi sunt, a puritate pendeat, qua ad nos pervenerunt; earum ergo *originem, indolem, historiam* cognoscat necesse est, quicumque illis in primitivo textu sive restituendo sive explicando rite uti velit.

Inter omnes Veteris Test. versiones antiquitate sua eminet illa, quae a numero qui traditur interpretum ἡ τῶν ἑβδομήκοντα γραφή, « versio septuaginta virorum » vel seniorum, οἱ ό, LXX, et a loco qui creditur originis *alexandrina* vocari solet. Apostoli et Evangelistae illam adhibuerunt; summis laudibus illam exornarunt, quin etiam illam ipsam, aeque atque textum primigenium, divinitus inspiratam esse plerique docuere Patres; continuus eius usus usque ad nostra tempora fuit in ecclesia graeca, atque versionibus ex ea derivatis ecclesia latina aliaeque pleraeque libros Vetus Test. acceperunt. Sicuti igitur antiquitate, ita etiam auctoritate reliquas versiones omnes superare censetur, sola nostra Vulgata latina excepta, quam inde a saec. 6. Ecclesia romana in usum communem recepit sollemnique decreto in concilio tridentino authenticam declaravit.

120. — *De alexandrinae versionis origine* epistola exstat Aristeae (vel Aristaei) cuiusdam, praefecti militum Ptolomaei II. Philadelphi (286-247) nomine insignita. Cuius auctor refert, Philadelphum, quum amplissimam bibliothecam Alexandriae exstruxisset, praeter alias aliarum gentium leges hortante Demetrio Phalereo mosaicos quoque libros in eam inferre voluisse. Postquam igitur, ut Iudaeorum animos sibi conciliaret, multos Iudaeos, quos pater eius captivos in Aegyptum adduxerat, in libertatem vindicasset, missis ad Eleazarum Iudaeorum pontificem legatis, inter quos Aristeas ipse se fuisse asserit, regem postulasse, ut mosaici libri sibi transmitterentur una cum viris aliquot linguarum hebraicae et graecae peritissimis, qui eos in linguam graecam transferrent; regis mandato pontificem obsecutum septuaginta duos viros, senos ex singulis tribubus, elegisse; quos honorificentissime a Philadelpho receptos spatio septuaginta duorum dierum in insulae Phari solitudine inter se conferentes et consultantes opus demandatum absolvisse; eorumque interpretationem, quum Alexandriae coram sacerdotibus, principibus, populo iudaico lecta esset, per omnia cum textu hebraico congruere conclamatum esse ab omnibus[1].

Haec Aristeas ille, a quo integram narrationem accepit *Fl. Iosephus*, et a quo etiam pendere *Philo* videtur[2]. Patres quoque eandem relationem cognoverunt et pro vera receperunt, sed quidam ex illis aliquid eidem addunt[3]; *S. Iustinus* enim septuaginta duos senes totidem in cellis inclusos separatosque ab invicem Legem graece interpretatos esse singulos, eorum autem versiones ad verbum conspirasse narrat, seque ipsum asserit cellularum rudera monstrantibus Iudaeis in Pharo insula vidisse[4]. Quibuscum consentiunt *S. Irenaeus, Clemens Alex., S. Cyrillus Ieros., S. Hilarius, S. Augustinus* aliique[5], *S. Epiphanius* vero binos in cellulis inclusos tradit[6].

1. *Aristeae* historia LXX interpretum, vel uti etiam inscribitur « epistola ad Philocraten » saepius edita est; cfr *Le Long-Masch* Bibl. sacr. II. 2. Praef. p. 6 sqq.; criticam editionem curavit *M. Schmidt* in *Merx* Archiv für wissenschaftl. Erforsch. d. A. T. Halle 1868 III. p. 1 sqq.

2. *Fl. Ioseph.* Antiq. Prooem. 4; XII. 2; c. Apion. II. 4; *Philo* de vita Moysis. II. 5 sqq. (Ed. Lips. IV. 191).

3. *Tertull.* Apologet. 18 (M. 1, 359 sq.); *Euseb.* Praep. Evang. VIII, 2-4. 9 (M. 21, 588 sqq.; 625 sqq.).

4. *S. Iustin.* Apol. I. 31; Cohort. ad Graec. 13 (M. 6, 376, 265 sq.). In priore loco aut lapsu memoriae aut lapsu calami Ptolemaeum ad Herodem regem legato misisse dicit; in altero haec habet : « ut ab omni interpellatione liberi (septuaginta duo senes) citius interpretationem conficerent, iussit illis non in ipsa quidem urbe sed septem ab ea stadiis, ubi Pharus aedificata est, tot cellulas, quot erant interpretes, fieri, ut pro se quisque separatim interpretationem absolverent : dato praepositis huic rei ministris mandato, ut omnem quidem illis humanitatem

exhiberent, sed mutuo prohiberent congressu, ut accurata interpretationis diligentia saltem ex ipsorum consensu cognosci posset. Postquam autem cognovit septuaginta illos viros non solum eadem sententia, sed iisdem etiam verbis usos esse ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrasse, sed eadem iisdem de rebus scripsisse : tum vero perculsus stupore ac pro certo habens divinitus versionem factam esse omni illos honore dignos iudicavit utpote viros Deo caros... Haec vobis, o Graeci, fabula esse non debent, nec fictas vobis historias narramus. Sed qui Alexandriae versati sumus et rudera cellularum vidimus in Pharo insula adhuc exstantia, ac rem ex incolis, qui eam a maioribus ut patriae suae propriam acceperant, audivimus, haec vobis nuntiamus, quae etiam ab aliis discere potestis, praesertim ab his, qui his de rebus historias scripserunt, sapientibus et spectatis viris, Philone et Iosepho et multis aliis ».

5. *S. Iren.* c. haer. III. 21, 2 (M. 7, 948); *Clem. Alex.* Strom. I, 22 (M. 8, 892), *S. Cyr. Ieros.* Cat. IV. 34 (M. 33, 597); *S. Hilar. Pict.* in Psalm. 2, 3 (M. 9, 264; at textum non admodum clarum alteram explicationem admittere adnotant editores benedictini); *S. August.* de doctr. christ. II. 15; de Civ. D. XVIII. 43 (M. 34, 46; 41, 603) qui tamen rem non velut certam tradit (« quae fertur », « quam multi non indigni fide praedicant »); *S. Philastr.* haer. 142 (M. 12, 1278) etc. — Utrumque Thalmudem in tract. Megilla eandem narrationem tradere refert *El. Dupin* Dissertat. prélimin. I. 6; cfr etiam Iudaeorum de eadem re testimonia citata a *Salmer.* Proleg. 6. p. 62 sq.

6. *S. Epiphan.* De ponder. et mens. 3 (M. 43, 241).

121. — Quid de hac narratione sentiendum? Et Aristeae epistola et S. Iustini additio olim communi fere consensu admissae sunt, quamquam iam *S. Hieronymus* illam de cellulis historiam cum acerbitate exploserat, « nescio quis, inquiens, primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, quum Aristeas eiusdem Ptolemaei ὑπερασπιστής et multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant non prophetasse »[1]. Ut contra S. Hieronymum, ut videtur, Iustini relationem defenderent, saec. 16. *Lud. Vives, Leo de Castris, Alph. Salmeron* illam Aristeae epistolam, quae adhuc exstat, aggredi eamque non spernendis rationibus fictitiam demonstrare coperunt[2]; multo acrius autem epistolae istius authentiam aggressi sunt *Scaliger, Hodius, Dupin*[3], qui non iam verae Aristeae epistolae hanc nostram suppositam cum praedecessoribus suis dixerunt, sed integram historiam inter fabulas amandarunt. Epistolam revera adulterinam suppositamque esse, hodie non invenietur qui neget.

Etenim auctor, qui ethnicum Graecumque se esse dicit, in toto libro tam clare et aperte pium se esse Iudaeum prodit, ut Patres fraudem hanc non deprehendisse merito mireris. Namque non solum ipse Legem mosaicam divinitus datam esse asserit, sed in sermonibus et decretis quoque, quae Ptolemaeo Philadelpho et Demetrio Phalereo attribuit, leges Iudaeorum omnibus aliis utpote divinas longe praestare

dicit, Deum Iudaeorum pro solo vero Deo agnoscit etc. Dissertatiuncula praeterea, qua Demetrius Ptolemaeo, ut legatos Ierosolyma mittat, persuadere vult, insulsa est barbarisque vocibus et hebraismis plena, ita ut a viro atheniensi eoque eloquenti scripta esse nequeat. Integra demum epistola ita comparata est, ut Iudaeorum sapientia, magnificentia, templum, leges celebrentur. Quare nullum prorsus est dubium, quin ab ethnico scripta non sit[4].

1. *S. Hieron.* Prol. in Pentat; cfr in Rufin. II. 25 (M. 23, 449).

2. *L. Vives* ad S. August. de Civ. D. XVIII. 43; *Leo de Castr.* Prooem. in Is.; *Salmer.* Proleg. 6. p. 64 : « dicendum est libellum illum de septuaginta interpretibus inscriptum Aristaei confictum esse et ab aliquo ex Iosepho et vero Aristaeo et aliis quibusdam compilatum » etc. Salmeron nimirum cum suis praedecessoribus verum Aristeam etiam narrationem de septuaginta cellulis retulisse putavit.

3. *Scaliger*, ad Chron. Euseb. an. 1736 (cfr Not. ad S. Hieron. vers. Chron. Euseb. M. 27, 485); *H. Hodii* De Bibl. textibus origin. etc. I. Contra historiam LXX interpretum Aristeae nomine inscriptam p. 1-89; *Dupin* Dissert, prélimin. I. 6. § 3. p. 176 sqq.

4. *Dupin* l. c. « Pour en dire mon sentiment avec liberté, je crois premièrement que c'est l'ouvrage d'un Juif Helléniste d'Alexandrie et non pas d'un Aristée payen et officier du roi Ptolomée; la preuve en est évidente. Cet auteur parle toujours en Juif et qui plus est, fait parler les autres de la même manière et rapporte quantité de choses qu'il n'y a qu'un homme instruit de la religion des Juifs qui pût écrire et expliquer... La seconde réflexion que l'on peut faire sur le livre d'Aristée est que ce n'est pas une histoire simple et naturelle, mais une narration feinte et une espèce de roman; tout y est exagéré et affecté » etc.

Etsi autem librum, prout iacet, pro fictitio et supposito habeamus, illis tamen non assentimur, qui omnia, quae in eo narrantur, meris mendaciis adnumerant Patrumque etiam omnium testimonia utpote ab uno Pseudo-Aristea dependentia repudiant. Quod nec Hodii, nec Dupinii nec aliorum quorumcumque argumenta evincunt. Praeprimis enim constat, epistolam nostram, quae Fl. Iosepho et Philoni cognita erat, esse antiquissimam eiusque auctorem, quisquis ille fuit, rerum aegyptiacarum, quae saec. 2. a. Chr. fuerunt, aeque ac iudaicarum ita fuisse peritum[5], ut necessario inter Iudaeos aegyptiacos, qui 2. fere a. Chr. saeculo vixerunt, quaerendus sit. Iam vero fieri non potuisse censemus, ut Iudaeus alexandrinus inter contribules suos scribens prorsus novam aliquam et eousque inauditam narrationem de versionis origine propagaverit; illa potius narrasse dicendus est, quae 2. vel 3. a. Chr. saec. Iudaei alexandrini de versionis suae origine certa veraque habebant, eaque, ut haud raro a Iudaeis et ab aliis fieri solebat et solet, fictis rebus exornasse, eum fere in modum, quo apocryphorum quorundam auctores vera et falsa permiscuerunt.

Neque omnes, qui alexandrinam versionem instigante Demetrio

Phalereo et iubente Ptolemaeo Philadelpho factam tradunt, a solo Ps. Aristea pendent. S. Iustinum certe illosque, qui eum sequuntur, ex alio simul fonte narrationem hausisse verba eorum demonstrant; exstat autem Iudaei quoque alexandrini gravissimum testimonium Iosepho et Philone multo antiquius. Teste enim Eusebio *Aristobulus*, philosophus iudaicus, qui tempore Ptolemaei VII Philometoris (181-146) floruit (cuius magister vocatur 2 *Mach.* 1,10), in sua « interpretatione sacrarum legum », quam Philometori dedicavit, ut Platonem ex Moyse quaedam hausisse demonstraret, iam ante Demetrium Phalereum nonnulla ex libris mosaicis graece reddita esse asserit pergitque : « postea, regis Ptolemaei cognomento Philadelphi, avi tui, tempore, qui omnes hoc in genere studio et magnificentia superavit, integram eorum omnium, quae ad nostras leges pertinent, interpretationem, praecipue Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera, elaborarunt » [6].

Licet igitur omnia, quae ornatus causa addita videntur, pro apocryphis habeamus, narrationis substantiam esse veram pro certo asserimus. Instigante ergo Demetrio Phalereo Philadelphus sub initio regni sui, quando una cum patre suo sceptrum tenebat, i. e. an. 286 a. Chr., per Iudaeos aliquot Alexandriae libros mosaicos graece interpretandos curavit [7]. Num interpretes septuaginta duo fuerint, an vero versio a paucioribus adornata (quinque interpretes fuisse Thalmudistae [8] tradunt) a collegio septuaginta duorum seniorum (synedrio) sit approbata, num ex Palaestina sint accersiti, an Iudaei alexandrini fuerint, in dubio relinquimus.

5. *G. Lumbroso* Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides. Turin 1870. Préf. p. XIII : « Il n'est pas un titre de cour, une institution, une loi, une magistrature, une charge, un terme technique, une formule, un tour de langue remarquable dans cette lettre, il n'est pas un témoignage d'Aristée concernant l'histoire civile de l'époque, qui ne se trouve enregistré dans les papyrus ou les inscriptions et confirmé par eux ».

6. *Euseb.* Praep. Evang. XIII. 12 (M. 21, 1097); cfr *Clem. Alex.* Strom. I. 22 (M. 8, 893). Frustra Aristobuli fragmenta, quae praeter Eusebium (l. c.) et Clementem Alex. (l. c.) etiam *Anatolius Laodic.* (Euseb. H. E. VII. 32. M. 20, 728) et *Origenes* (c. Cels. IV. 51. M. 11, 1112) etc. commemorant, spuria declarant *Rich. Simon* (Hist. crit. du V. T.), *Hodius* (l. c. c. 9 p. 49 sqq.) etc. cum modernis paucis; eorum authentiam demonstravit *Valkenaer* (Diatribe de Aristobulo Iudaeo, philosopho peripatetico alexandrino. Lugdun. Batav. 1806) et recte monet *Gfrœrer* (Philo u. die alexandr. Philosophie. Stuttg. 1831 II. p. 72), Hodium ideo tantum Aristobuli fragmenta aggressum esse, quia sententiam de iuniore versionis alexandrinae origine destruant. Praecipua difficultas contra fragmenti nostri authentiam ex eo desumitur, quod Demetrium Phalereum instigasse Philadelphum dicat, licet ex Hermippi testimonio constet, Philadelphum mox post patris sui mortem Demetrium in exsilium eiecisse. Ad quam difficultatem solvendam praemonemus,

ex sententia *Irenaei* (l. c.) versionem adornatam esse sub Ptolemaeo I. Lagi, ex sententia *Anatolii Laod.* (in fragm. ab Euseb. l. c. conservato) eam destinatam esse « Ptolemaeo Philadelpho et patri eius », ex sententia *Clement. Alex.* secundum alios Ptolemaei Lagi, secundum alios Philadelphi tempore eam exortam esse, reliquos omnes solum Philadelphum nominare. Dein praenotemus oportet, Philadelphum a patre in regni societatem esse accitum et a. 286-285 una cum patre thronum occupasse. Unde duplex difficultatis solutio, si quis narrationem Hermippi de exsilio Demetrii Phalerei fide dignam habet. *Valkenaer* (l. c. p. 57) versionem sub Ptolemaeo I. instigante Demetrio inchoatam, sub Philadelpho terminatam censet; alii probabilius putant eo tempore, quo Philadelphus patris in regno socius fuit, versionem factam esse; quo admisso omnia, quae antiqui de eius origine tradunt, optime conciliantur (*Gfrœrer* l. c. p. 116). Quidquid de his explicationibus est, inane esse apparet, si *Fritzsche* (Herzog P. R. E. Ed. 2. I. 282) Aristobuli relationem epistola Aristeae inferiorem esse quasi ex cathedra definiat : Aristeae enim epistolam esse absurdam, Aristobuli autem relationem erroneam *demonstrari!* Supponamus Aristobulum in eo errasse, quod Philadelphi nomen pro nomine patris eius posuerit et quod omnes Veteris Test. libros eo tempore versos putaverit, num ideo tota eius relatio falsa dicenda erit? Rectissime enim *Gfrœrer* (l. c. p. 74) contra Hodium iam monuit, omnium fere historicorum libros esse reiiciendos, si error aliquis ab eis admissus integram eorum auctoritatem destrueret.

7. Nulla sane ratio excogitari potest, quae duos Iudaeos alexandrinos, Aristobulum et Ps. Aristeam permoverit, ut Demetrium Phalereum magnam in versione alexandrina partem habuisse assererent, nisi illis hac de re constitisset. *L. Hug* (De pentateuchi versione alexandrina, Friburgi 1818) non tantum substantiam facti, sed plerasque etiam circumstantias recte a Ps. Aristea narrari censet. Putat nimirum Ptolemaeum Lagi, postquam Aegyptum occupavit, voluisse Iudaeos finitimos sibi conciliare; hinc eum Iudaeos, quos ipse in Aegyptum captivos adduxerat, libertate donasse et, ut Iudaeorum animos ob templi violationem iratos magis leniret, magna dona Ierosolyma misisse; simul etiam cum librum Legis a summo sacerdote petiisse, ut secundum proprias leges Iudaei gubernari possent; petitioni annuisse summum sacerdotem et honorifica legatione Legem regi misisse; deinde regem septuaginta illis legatis mandatum dedisse, ut eam graece interpretarentur; cfr *Herbst Welte* Einl. I. p. 149 sqq.

8. *Thalm. Ieros.* tr. Sopher. 1, 7.

122. — Patres plerique eosque secuti antiquiores interpretes fere omnes integram V. T. Scripturam iussu Philadelphi a septuaginta senibus graece redditam esse arbitrati sunt. At olim iam non semel monuit *S. Hieronymus*, « Aristeam et Iosephum et omnem scholam Iudaeorum quinque tantum libros Moysis a septuaginta translatos asserere » [1]. Revera Aristeas, etsi nomine Legis (νόμος), quod ambiguum est et sive solos mosaicos sive omnes V. T. libros designare potest, plerumque utatur, tamen interdum adhibet vocem « legislationis » (νομοθεσία), qua *S. Epiphanius* quoque aliique solum Pentateuchum designant [2]; in epistola autem, quam Eleazaro summo pontifici attribuit, diserte de libris « legislatoris » sermo est [3]. Hoc sensu etiam Iosephus Aristeae

narrationem intellexerat, « non totam Scripturam, inquiens, accipere illi (Ptolemaeo) contigit, sed Legem solam ei tradiderunt, qui ad illam interpretandam missi fuerant Alexandriam »[4]; Philonem quoque de sola Lege mosaica translata loqui certum est; dubium autem videtur, annon Aristobulus integram Scripturam ab illis versam esse asserat; satis ambigua enim sunt vocabula, quibus utitur[5]. Sed quidquid de Aristobuli sententia statuitur, tanta est inter variorum librorum versiones diversitas, ut eorundem interpretum esse non possint[6].

1. *S. Hieron.* in Ezech. 6, 13; 16, 13; in Mich. 2, 9; Quaest. hebr. in Gen. Prooem. (M. 25, 55. 137. 1171; 23, 937) etc.

2. *S. Epiph.* De pond. et mens. 4 (M. 43, 244) : « πέντε μὲν νομικαὶ Γένεσις... αὕτη ἡ Πεντάτευχος καὶ ἡ νομοθεσία.

3. Cfr *Hodii* l. c. p. 162 sqq., ubi inter alia haec : « ut omnis tollatur dubitatio, si qua iam restat, addo referre Aristeam Ptolemaeum regem, quum absoluta translatione *ipsi omnia essent praelecta*, valde admiratum fuisse *legislatoris* mentem » etc.

4. *Fl. Ioseph.* Antiqu. Prooem. 4.

5. Aristobulus enim, postquam asseruit iam ante Demetrium Phaler. τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων καὶ τὴν τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνειαν καὶ κράτησιν τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν translata esse, sub Ptolemaeo Philadelpho docet factam esse τὴν ὅλην ἑρμηνείαν τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων. (*Euseb.* Praep. Evang. XIII. 12. M. 21, 1097). Alterius membri explicationem a priore, cui opponitur, dependere apparet. Quare si quis censet, « ea, quae ad migrationem Hebraeorum ex Aegypto et ad seriem eorum, quae coelitus ipsis evenerunt, et ad occupationem terrae et ad universae legis explicationem pertinent », designare non tantum totum Pentateuchum sed vel ipsum l. Iosue, ille utique « integram eorum, quae ad legem nostram pertinent, translationem » de universo V. T. intelligat necesse est. At vocabula in priore membro adhibita tam vaga sunt et incerta, ut etiam fragmenta tantum quatuor ultimorum librorum mosaicorum indicare possint; Geneseos translatae certissime nulla fit mentio et « occupatio terrae » eo magis de iis solis, quae in libro Numer. referuntur, intelligenda sunt, quia « ἐπεξήγησις τοῦ νόμου » sine ullo dubio Deuteronomii est appellatio. Tantum igitur abest, ut quidquam obstet, quominus Aristobuli verba de solius Pentateuchi versione sub Philadelpho facta intelligamus, ut haec explicatio textui et contextui conformior esse videatur.

6. Optime iam monet *S. Hieron.* (Prol. in Ezech.) : « vulgata (i. e. alexandrina Ezechielis) editio non multum distat ab hebraico. Unde non satis miror, quid causae exstiterit, ut si eosdem in universis libris habemus interpretes, in aliis eadem in aliis diversa transtulerint ». Revera eadem vocabula, quae frequentioris adeoque frequentissimi sunt usus, in diversis libris diverso modo vertuntur : פְּלִשְׁתִּים in Pentateucho et l. Iosue *semper* est Φυλιστιείμ, in reliquis libris *semper* ἀλλόφυλοι; פֶּסַח in Paralip. semper redditur φασέκ, in aliis πάσχα; in libris Iudic. et Reg. אָנֹכִי redditur ἐγώ εἰμι etiamsi verbum finitum sequatur (2 *Reg.* 11, 5 ἐγώ εἰμι ἐν γαστρὶ ἔχω; 15, 28 ἐγώ εἰμι στρατεύομαι; 18, 12 ἐγώ εἰμι ἵστημι etc.), qui usus aliis libris ignotus est. Quam plurima exempla alia affert *Hodius* de text. orig. p. 204-217.

Quando autem reliqui libri graece translati sint et quaenam translationis occasio fuerit, ignoramus. Qui Aristobulum de integri V. T. versione testari censent, illi integram versionem iam 3. a. Chr. saeculo absolutam fateri coguntur; etsi enim saec. 2. medio librum suum Philometori dedicaverit, de versione illa loquitur eo modo, qui eam iam diu ante suam aetatem adfuisse prodit. Aristobuli autem testimonio, utpote dubio et incerto, omisso nihilominus cum omnimoda certitudine asserere licet, circa a. 130., quo tempore Siracida in Aegyptum venit et avi sui librum graece vertit, librorum protocanonicorum omnium versionem in communem usum iam abisse[7]; nam ad « Legis, Prophetarum et reliquorum librorum » versionem non satis accuratam provocat, ut suam versionem excuset. Eam diu antea, forte ante saec. 3. finem, esse absolutam probabile putamus; iunioris enim originis nullum apparet vestigium, et Alexandrini, quando Pentateuchi versionem in coetibus suis religiosis praelegere coeperunt, probabiliter etiam propheticas haftaras sua lingua legere desiderarunt, idque eo magis, quo magis linguae hebraicae scientia apud eos languerat et defecerat.

7. Cfr *Eccli.* Prol. — Anno 38. Euergetis in Aegyptum se venisse asserit; Euergetem hunc esse Ptolemaeum IX. Euergeten II., qui iam an. 170. ab Alexandrinis ad thronum evectus postea a fratre suo expulsus (a. 164.) iterum an. 146. vel 145. thronum ascendit eumque usque ad an. 117. tenuit, in *Introd. spec.* in Vet. Test. II. p. 250 sqq. ostendimus.

123. — Ad *linguam* quod attinet, qua alexandrini interpretes usi sunt, illis quae supra (107) de Novi Test. graeco idiomate adnotavimus, unum hoc addamus oportet, multo frequentiores inveniri hebraismos et aramaismos. Constructiones praesertim hebraicae abundant omnibus in libris, et interdum tantopere hebraizat versio, ut ab eo, qui linguam hebraicam ignorat vel textum primitivum prae manibus non habet, vix ac ne vix quidem intelligatur. Infimum inter omnes locum obtinet Ecclesiastes, cuius interpres id unum videtur spectasse, ut hebraicis vocabulis graeca substitueret vel illis ipsis particulis retentis, quas, quum casu graeco vel coniunctione quadam iam expressae essent, omitti necesse erat[1]; Psalmos quoque hebraicarum constructionum frequentia haud raro reddit intellectu difficillimos; ab aliis libris non exsulant, licet minus sint frequentes[2]. Praeterea illud notatu est dignum, quod in plerisque libris vocabula quaedam aegyptiaca adhibita vel expressiones, quae inter alexandrinismos a grammaticis numerantur, aegyptiacam versionis originem demonstrant[3].

1. Cfr ex. gr. *Eccle.* 5, 17 : καὶ ἐμίσησα σὺν τὴν ζωήν (ubi σύν pro hebr. אֵת; cfr 3,

11. 17; 4, 5 etc.); 7, 7. καὶ εὑρίσκω αὐτὴν πικρότερον ὑπὲρ θάνατον σὺν τὴν γυναῖκα ἥτις ἐστὶ θηρεύματα καὶ σαγῆναι καρδία αὐτῆς, δεσμὸς εἰς χεῖρας αὐτῆς; 7, 29 : πλὴν ἴδε τοῦτο εὗρον ὃ ἐποίησεν ὁ κύριος σὺν τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ. Quomodo aliquis non adhibito textu hebraico intelliget haec (2, 2) : Τῷ γέλωτι εἶπα· Περιφοράν, καὶ τῇ εὐφροσύνῃ· Τί τοῦτο ποιεῖς; καὶ κατεσκεψάμην εἰ ἡ καρδία μου ἑλκύσει ὡς οἶνον (legit כיין pro ביין) τὴν σάρκα μου καὶ καρδία μου ὡδήγησεν ἐν σοφίᾳ καὶ τοῦ κρατῆσαι ἐπ' εὐφροσύνην, ἕως οὗ ἴδω ποῖον τὸ ἀγαθὸν τοῖς υἱοῖς τοῦ ἀνθρώπου ὃ ποιήσουσιν ὑπὸ τὸν ἥλιον ἀριθμὸν ἡμερῶν ζωῆς αὐτῶν? Similes phrases aliae in Eccle. graeco leguntur.

2. Cfr ex. gr. 2 *Reg*. 18, 8 : καὶ ἐπλεόνασεν ὁ δρυμὸς τοῦ καταφαγεῖν ἐκ τοῦ λαοῦ ὑπὲρ οὓς κατέφαγεν ἐν τῷ λαῷ ἡ μάχαιρα τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ; 3 *Reg*. 2, 5 : ἔταξε τὰ αἵματα πολέμου ἐν εἰρήνῃ; 4 *Reg*. 23, 26 : οὐκ ἀπεστράφη κύριος ἀπὸ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ τῆς μεγάλης οὗ ἐθυμώθη ὀργῇ αὐτοῦ ἐν τῷ Ἰούδᾳ κτλ. Similia in omnibus libris.

3. Cfr *Hodii* De text. orig. p. 110 sqq. Aegyptica vocabula : κόνδυ *Gen*. 44, 2 etc.; *Is*. 51, 17. 22 (ποτήριον βαρβαρικόν Hesych.); ἄχει vel ἄχι *Gen*. 41, 2; *Ier*. 19, 7 (χορτὸν χλωρόν Hesych.); θίβις *Exod*. 2, 3 (κιβωτὸς παπύρου Schol.); ἴβις *Lev*. 11, 17 (ינשוף noctua); οἰφί *Num*. 28, 5; *Iudic*. 6. 19 etc. (μέτρον τι τετραχοίνικον Αἰγύπτου Hesych.); ἀρτάβη *Is*. 5, 10 (חֹמֶר) etc. Aegyptiacam originem produnt : παστοφορεῖον Is. 22, 15; 1 *Par*. 9, 26 etc. (τὸ τὸν παστὸν φέρον ἢ οἰκονομία, ἢ συναγωγή, ἢ ναὸς εὐανθής Hesych.), σχοῖνος *Ps*. 139, 2 etc. (« quod nos milliarum, id Aegyptii σχοῖνον nuncupant » Hilar. in l. c.); ἀλήθεια (= תֻּמִּים, nam Aegyptiis ἀλήθειά ἐστιν ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου Aelian.) etc.

124. — Maioris momenti, si in versionis alexandrinae indolem inquirimus, altera est quaestio, quanam cum *fidelitate* textum primigenium reddiderint interpretes, et quaenam cum eo sit versionis *conformitas*. *Ps. Aristeas* quidem asserit mirabilem esse inter codices hebraicos et versionem consonantiam, atque in fine epistolae suae addit interpretationem, quum praelecta esset sacerdotibus gubernatoribusque civitatis et principibus multitudinis, ita esse per omnia declaratam recte et accurate factam, ut ita permanere debeat nec quidquam in ea immutari [1]; quibuscum consentit *Philo* quoque tam accurate versionem textui primigenio correspondere affirmans, ut verbum ad verbum expressum esse videatur [2]. At aliter senserunt Patres; *S. Augustinus* iam manifestum esse dicit, « illam quae dicitur septuaginta in nonnullis se aliter habere, quam inveniunt in hebraeo, qui eam linguam noverunt » [3]; saepissime autem *S. Hieronymus* interpretes accusat, quod multa de suo addiderint, alia omiserint, alia mutaverint [4], atque diu ante eos interpres Ecclesiastici monuerat libros illos, qui ante suam aetatem translati essent, i. e. protocanonicos omnes, non omni ex parte cum textu primigenio consonare [5].

Ut aequum iustumque de hac versione iudicium feramus, ante omnia moneamus necesse est, eam omnium, quae unquam factae sunt, primam esse, tantamque hebraicam inter et graecam linguas esse differentiam, ut maximam interpreti creet difficultatem; cui id accessit,

quod linguae graecae eo tempore plane deessent vocabula ad novas istas ideas exprimendas, quodque interpretes, qui utriusque aut saltem graecae linguae scientiam ex usu potius quotidiano, quam ex docto studio hauserant, omnibus istis auxiliis essent destituti, quibus hodie nobis frui licet. Quod si nos, qui tot alias versiones iam prae oculis habemus earumque ope sensum textus primigenii accuratius perspicimus, quique optimis lexicis, grammaticis aliisque adiumentis abundamus, in vertendis Scripturis summam fidelitatem attingere non possumus, quid miramur, quod alexandrini interpretes interdum defecerint nec ubique genuinum sensum accurate expresserint? Neque illud, quod supra adnotavimus, omittendum est, nec eodem tempore nec ab iisdem viris omnes libros esse translatos, quare iniquum et iniustum erit omne iudicium, quod universam versionem in genere infidelem, vitiosam mendosamque declarat. Neque enim omnes libri iisdem vitiis laborant, nec omnes iisdem virtutibus conspicui sunt : sicuti fieri fere solet, ex interpretibus alii maiorem utriusque linguae scientiam ad opus suum attulerunt, diligentiusque rem tractantes elegantiam quandam dictionis praeter sensus conformitatem assecuti sunt, alii nec eadem scientia instructi nec eadem diligentia ornati minore cum fidelitate et rudiore stylo libros suos verterunt.

Omnibus fatentibus prae ceteris eminet Pentateuchi versio, « quem nos quoque, inquit *S. Hieronymus,* plus quam ceteros profitemur consonare cum hebraicis exemplaribus »[6]. Infimum locum occupari diximus ab Ecclesiaste, cuius interpres nec textus primigenii sensum semper videtur perspexisse, et tam servili modo hebraicis literis inhaeret, ut saepe saepius obscurior sit. Librorum historicorum, utpote faciliorum, versio in genere propius ad Pentateuchum accedit, quamvis eius fidelitatem et elegantiam non attingat; e contrario propheticorum interpretatio longius ab eo distat, adeo ut Isaias graecus graeco Ecclesiastae haud paucis in locis fere similis dicendus sit, atque Danielis versio tam parum textum primigenium retulerit, ut Ecclesia illam in usum recipere vel potius in usu retinere noluerit Theodotionisque versionem adoptaverit. Excipiendus autem est Ezechiel, quem non multum distare ab hebraico S. Hieronymus (Praef. in Ezech.) quoque fatetur. Inter libros poeticos versio Proverbiorum eminet, quamquam nonnullis sententiis alias substituisse dicitur interpres. Qua longe inferior est versio l. Iob, in quo multa, forte quia ab interprete minus sunt intellecta, omissa sunt; septingentos vel octingentos versus (στίχους) deesse ait S. Hieronymus (Praef. in Iob.); Psalmorum demum interpretatio praesertim in eo propius ad Ecclesiasten accedit, quod servili quodam modo tempora hebraica semper graece retinuerit.

1. *Aristeae* epist. ed. Hodius p. XXXV.

2. *Philo* De vita Moysis II. 7 Ed. Lips. IV. 193) : « si Chaldaei (Hebraei) graecam, Graeci chaldaicam (hebraicam) linguam addidicerint et utramque Scripturam chaldaicam (hebraicam) et translatam nacti fuerint, eas veluti sorores immo veluti unam eandemque in rebus et verbis esse admirantes et stupentes videbunt, et non interpretes illos fuisse sed vates et prophetas exclamabunt ».

3. *S. August.* de cons. Evang. II. 66 (M. 34, 1139); adnotandum autem hoc loco et alibi diversitatem a S. Doctore explicari ex interpretum inspiratione.

4. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 57, 11 (M. 22, 577) : « longum est revolvere, quanta septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint, quae in exemplaribus Ecclesiae (sc. hexaplaribus) obelis asteriscisque distincta sunt »; eadem in ep. 57, 7, postquam eos de textu messianico obscurius reddito vituperavit : « num omnino repudiandi sunt, quia istum locum, qui ad Christi maxime pertinet sacramentum, aliter transtulerunt, an potius danda venia ut hominibus iuxta Iacobi sententiam dicentis : multa peccamus omnes » etc.? Prol. in Pentat. (cfr c. Ruf. II. 25. M. 23, 449) : « ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, Filio et Spiritu S., aut aliter interpretati sunt aut omnino tacuerunt, ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non divulgarent... Illi interpretati sunt ante adventum Christi et, quod nesciebant, dubiis protulerunt sententiis ». Similia aliis multis in locis, quorum aliquos ab ipso S. Doctore collectos habes in 2. c. Rufin. libro, in quo simul sese defendit, quod septuaginta interpretes non sugillare voluerit, sed tantum ostendere, ita illorum approbandam esse versionem, ut non reprobentur aliae, eosque interpretes fuisse, non vates.

5. *Eccli.* Prol. De mendis, quae aliquis in ipsius interpretatione forte inventurus esset, veniam precatus, « quia non eandem vim haberent hebraica in alteram linguam translata », addidit : « etiam Lex et Prophetae et reliqui libri (i. e. Hagiographa) non parum discrepant in propria sua lingua » (οὐ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα).

6. *S. Hieron.* Quaest. hebr. in Gen. Praef. (M. 23, 937).

In sua ad Pammachium de optimo genere interpretandi epistola *S. Hieronymus* septuaginta quoque interpretes certa quadam cum libertate libros sacros graece reddidisse censet, ut non literas syllabasque aucupati sint sed sententias dogmatum, atque has ipsas, ne arcanum fidei regi revelarent, interdum occultaverint[7]. Quae parum accurate dicta esse facile apparet, si ex hodierno alexandrinae versionis textu, quem tamen satis corruptum esse constat, iudicare licet. Etsi enim non omnes interpretes eadem cum servilitate, qua Ecclesiastis translator insignis est, vocabulis syllabisque inhaeserint, omnium tamen fere librorum versio verbalis potius quam libera dicenda est : unde fit, ut ex ea fere ubique textum hebraicum, quem prae oculis habuerunt, maxima cum veri similitudine cognoscamus. In eo tamen libertas quaedam interpretationis apparet, quod diligenter illa removisse videantur, quae male intellecta scandalo alicui esse potuerunt. Quam ob causam tropos et anthropomorphismos aliquoties mutaverunt, vocabulis, quae aliquid turpitudinis habere videbantur, euphemismos

alicubi substituerunt, explicationis gratia verbula nonnulla inseruerunt aliisque eiusmodi licentiis usi sunt[8]. Quae omnia versionis fidelitatem non minuere non est quod demonstremus, quum per se pateat; quare iniustissima est protestanticorum quorundam interpretum accusatio, arbitrario modo textum sacrum ab alexandrinis interpretibus esse tractatum[9].

7. *S. Hieron.* ad Pamm. ep. 57, 6. 7. 10 etc. cfr Prol. ad Pentat. et c. Rufin. II. 25 etc. (n. 4).

8. Tropi et anthromorphismi mutati ex gr. *Exod.* 15, 3 : יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה Κύριος συντρίβων πολέμους (*S. Hier.* quoque mutat : « Dominus *quasi* vir pugnator »); 19, 3 Moyses ascendit אל אלהים εἰς τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ; 21, 6 praecipitur, ut servus adducatur אל אלהים πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ; 9, 10 Moyses et Aaron ascenderunt ויראו את אלהי ישׂראל καὶ εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ Θεός. *Ios.* 2, 4 יד יהוה ἡ δύναμις τοῦ κυρίου; *Is.* 38, 11 non videbo יָה τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ etc. etc. Similia in omnibus fere libris. — Euphemismi adhibiti : *Gen.* 15, 4 qui egredietur ממעיך ἐκ σοῦ: *Is.* 3, 17. « decalvabit Dominus verticem filiarum Sion » ταπεινώσει ἀρχούσας θυγατέρας Σιών; *Deut.* 23, 15 etc. — Troporum mutatione aliquoties clariora redduntur vaticinia : *Num.* 24, 17 « Orietur stella ex Iacob et consurget virga (שׁבט) de Israel » καὶ ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραήλ.

9. Ex gr. *Hævernick* Einl. I. p. 349; *Keil*, Einl. p. 530; *Ed. König.* Einl. (1893) p. 114 sqq.; at recte *Thenius*, quamvis forte nimis caeco modo alexandrinos sequatur (Büch. Samuel Leipz. 1842 Einl. p. XXV) : « Es wäre in der That eine der räthselhaftesten Erscheinungen, wenn der eine Theil der Juden (die palästinens.) die heiligen Nationalschriften mit der minutiösesten Sorgfalt behandelt hätten, der andere aber (die hellenist.) so ganz aus der Art geschlagen wäre, dass er sich bei der Uebersetzung dieser Schriften Willkürlichkeiten erlaubt hätte ». Alii quoque interpretes protestantici, qui magis minusve rationalismo sunt dediti, aequius quam « orthodoxi » de alexandrina versione iudicant; cfr *Bleek* Einl. i. A. T. Ed. 2. p. 765; *Reuss* Gesch. d. A. T. p. 536 sq.; *Fritzsche* in Herz. P. R. E. Ed. 2. I. p. 282; *Cornill* Einl. (1891) p. 297 etc.

125. — Quum non obstante magna illa fidelitate, qua Alexandrini libros sacros verterunt, quam plurimae inter textum massorethicum et inter eorum versiones adsint differentiae, concludamus oportet, eos textum primigenium ab hodierno satis diversum prae manibus habuisse. Differentiarum illarum nec eadem quidem multitudo nec eadem gravitas est in omnibus libris, at nullus est, in quo non satis frequentes inveniantur. Si Danielis versionem, quam Ecclesia repudiavit, omittimus, Ieremias graecus prae ceteris a massorethico textu differt, quum et vaticiniorum ordo sit alius, et plurima in graeco exemplari, aeque atque in libro Iob, desiderentur[1]; e contra in libris Regum, qui ipsi quoque valde ab hebraicis dissentiunt, graeca versio haud pauca addit; in reliquis differentiae frequentes quidem, minoris autem plerumque sunt momenti. Quod si quaeritur, uter textus, massorethicusne an

alexandrinus, sit pro genuino habendus, non omnium eadem est sententia. Olim interpretes protestantici vix non omnes et hodie aliqui hebraicum textum absolute praeferendum proclamarunt, atque aut omnes graecae versionis differentias interpretum negligentiae, ignorantiae, arbitrio attribuerunt aut versionem alexandrinam ex corrupta et mendosa hebraici textus recensione adornatam dixerunt[2]. Ex altera parte inter catholicos non defuerunt, qui iniquius de textu massorethico sentientes alexandrinam versionem pluris, quam aequum est, aestimaverint[3], etiamsi illos prorsus omittamus, qui interpretes in vertendis Scripturis inspiratos fuisse putaverunt. Satius autem esse censemus, ut cum plerisque modernis interpretibus neutrum textum absolute praeferendum dicamus[4], sed singulis in libris singulisque in locis discrepantias, reliquis versionibus in auxilium adhibitis, lectionesque varias utriusque accurate examinemus eamque praeferamus, quae maiore argumentorum pondere praevalet. At de hac quaestione et infra et in Introd. speciali recurret sermo; illud autem certissimum est, antiquitate sua textum alexandrinum sese commendare.

1. *Orig.* ad Afric. 4 (M. 11, 56) : « Multa in medio toto libro Iob apud Hebraeos reperiuntur, quae in exemplaribus nostris desiderantur, saepius quidem stichi (ἔπη) quatuor vel tres, interdum vero quatuordecim vel undeviginti vel sedecim... Multa huiusmodi animadvertimus etiam in Ieremia, in quo magnam vaticiniorum invenimus transpositionem et mutationem ». Similiter *S. Hieron.* Praef. in l. Iob (124), et Comment. in Ierem. Prol. (M. 24, 680) : « Ieremiae ordinem librariorum errore confusum multaque, quae desunt, ex hebraeis fontibus digessi et complevi, ut novum ex veteri verumque pro corrupto atque falsato Prophetam teneas ». Octava fere massorethici libri pars deest in Ieremia graeco; in hodierno textu graeco libri Iob multa ex textu hexaplari addita esse apparet.

2. Cfr ex gr. *Hævernick* Einl. I. p. 349. Inter antiquiores protestantes Buxtorfii pater et filius, Hottingerus, aliique bene multi, qui textum massorethicum unicum veteris revelationis fontem genuinum habuerunt, alexandrinam versionem vehementer sunt aggressi; cfr etiam *Carpzov.* Critic. sacr. p. 501 sqq.

3. Inter quos praecipuus *Ioan. Morinus*, qui in suis Exercit. bibl. alexandrinum textum ex purissimis fontibus fluxisse, massorethicum autem corruptum esse demonstrare conatur.

4. *Thenius* in suo de libris Regum commentario alexandrinum horum librorum textum massorethico meliorem esse censet (Büch. Samuels p. XXIX; Büch. d. Kœnige p. XVIII); de libro Iob cfr *G. Bickell* De indole ac ratione versionis alexandrinae in interpretando l. Iob. (Marburg 1863); et *eiusdem* Carmina hebraica metrice (Oenip. 1882), in quibus frequenter Alexandrinos Massorethis relictis sequitur; de Ieremia et Isaia *Scholz* Der massoreth. Text u. die LXX Uebersetz. d. B. Ieremias (Würzb. 1875) : *eiusdem* Commentar z. Buche der Proph. Ierem. (Würzb. 1880) et Die alexandr. Uebers. d. Buches Isaias (Würzb. 1878), quem tamen textui alexandrino nimium tribuere censent non pauci; *Knabenbauer* Comm. in Ierem. (1889) p. 6 sqq.; *eiusdem* Comm. in Dan. (1891) p. 45 sqq.; meam *Introd. spec.* in Vet. Test. II. p. 367 sqq. 484 sqq. etc.

§ 9. — *De reliquis versionibus graecis. V. T.*

126. — Priusquam alexandrinae versionis historiam .enarremus eiusque auctoritatem definiamus, pauca de reliquis graecis interpretationibus praemittamus oportêt, quippe quae ad eius textum emendandum vel potius corrumpendum contulerint. Quamprimum in lucem publicam prodiit, maximo cum plausu ab omnibus Iudaeis recepta est; etenim non tantum hellenistae eam textui primigenio aequipararunt, sed palaestinenses quoque frequenter eam adhibuerunt. Atque apud hellenistas quidem tanto fuit in honore, ut teste Philone quotannis diem, in quo terminata credebatur, magna cum celebritate Alexandriae peragerent[1]; *Philo* ipse in suis libris omnibus continuo eam solam adhibet, eiusque interpretes vatibus prophetisque adnumerat; in hellenisticis autem synagogis omnibus sola publicae lectioni inserviebat[2]. At palaestinenses quoque fabula cellularum pro certa historia admissa versionis inspirationem non negarunt eamque etiam in synagogis palaestinensibus praelegi siverunt[3]; *Fl. Iosephus,* sacerdos ierosolymitanus, etsi interdum textum hebraicum in suis libris sequatur, plerumque tamen ab alexandrina versione dependet. Quam venerationem et existimationem abiecerunt Iudaei, quando Christiani, qui alexandrinos libros ab Apostolis acceperant et plerique ob linguae hebraicae ignorantiam primigenio textu uti non potuerunt, in suis cum Iudaeis disputationibus ad versionem hanc provocare ex eaque Messiae adventum demonstrare inceperunt; ad angustias enim redacti Iudaei eius fidelitatem in dubium vocarunt, eius testimonia repudiarunt, ad tantam eius aversionem progressi sunt, ut diem illum, quo terminata est, nefastum haberent, diei illi, in quo factus erat vitulus aureus in deserto, aequipararent, ieiunioque sollemni celebrandum decernerent[4]. Alexandrina autem versione abiecta Iudaei omnes extra Palaestinam degentes, quia ipsi quoque hebraicum textum ob linguae inscitiam adhibere non potuerunt, alia indiguere, ut Christianis responderent eorumque argumenta refutarent; atque haec primaria est causa, cur novae versiones exortae sint[5].

1. Philo de vita Moys. II. 7. (Ed. Lips. IV. 193) : « Ideo usque ad hodiernum diem quotannis festum sollemne peragitur in Phari insula, ad quam non tantum Iudaei sed magna etiam aliorum hominum multitudo concurrunt, ut locum venerentur, in quo versio haec facta est, Deoque ob vetus hoc beneficium, quod semper novum est, gratias agant » etc.

2. *S. Iustin. M.* Cohort. ad Gent. 13; Apol. I. 31; c. Tryph. 72 (M. 6, 268. 376 645) in synagogis Iudaeorum alexandrinae versionis codices inveniri asserit; *Tertull.* Apolog. 18 (M. 1, 381) eam a Iudaeis « palam lectitari... sabbathis omni-

bus » etc. cfr de his testimoniis *Hod.* De text. orig. etc. p. 224 sqq., qui fuse contra Ligthfoot aliosque eam in synagogis praelectam esse demonstrat.

3. *Tr. Megill.* 1 (cfr *Morin.* Exercit. bibl. I. 8, 1) quo in loco et fabula cellularum et permissio lectionis graecae asseritur. Ceterum in synagogis cyrenensium et hellenistarum, quae Ierosolymis erant, aliam Scripturam praeter graecam praelegi non potuisse perspicuum est.

4. *Tr. Sopher.* 1 : « fuit autem dies ille (sc. quo « seniores Ptolemaeo regi Legem scripserunt graece ») durus Israeli, sicut dies, quo factus est vitulus, eo quod Lex non potest verti iuxta omnem ipsius necessitatem »; *Meg. Thaanith* (vers. fin.) : « octava Tebeth ieiunium est eo quod in ea Lex scripta est graece in diebus Ptolemaei regis tenebraeque venerunt super terram tribus diebus »; cfr *Morin.* Exerc. bibl. I. 8, 3; *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 442 sqq.; *Ed. König* Einl. 1893 p. 105 sqq. 116 sq.

5. Cfr *Hod.* De text. orig. p. 233 sqq. — Ad ea quae sequuntur de Aquilae aliorumque graecis versionibus cfr praeprimis *Montfaucon* Praeliminaria in Orig. Hexapl. 5-8 (M. 14, 79-100) et *Field* Proleg. ad Hexapl. Orig. 2-5 p. XVI-XLV.

127. — Primus, qui Iudaeis novam versionem adornavit, est Aquila (Ἀκύλας עקילס), de cuius vita a variis varia nec omnia fide digna traduntur. Si *S. Epiphanio*, qui ceteris fusius eius vitam enarrat, credimus, Synopae in Ponto natus fuit, Hadriani soceri filius; ab imperatore urbi Ierosolymorum reficiendae praepositus, quum Christianorum Pella in urbem sanctam redeuntium virtutes conspexisset, earum admiratione captus baptismum petiit et obtinuit. Sed cum ethnica religione ethnicos mores deponere noluit; quare frustra, ut astrologiae superstitiosisque artibus renuntiaret, admonitus e Christianorum coetu ignominiose eiectus est. Qua ignominia exacerbatus ad Iudaeos transiit et circumcisione suscepta proselytus factus est; totus exinde hebraicis literis vacavit, quumque illis penitus instructus esset, ad Scripturae interpretationem se contulit « non sincera animi intentione, sed ut quosdam Scripturarum textus depravaret, adversus septuaginta interpretes impetum omnem et conatum direxit, ut testimonia, quae de Christo in Vetere Test. habentur, aliter ederet ». Haec est summa eorum, quae S. Epiphanius[1] tradit forte ab Origene plurima mutuatus, qui hexaplis suis brevem de singularum versionum auctoribus relationem videtur praemisisse.

Ponticum Aquilam fuisse et non genere sed professione Iudaeum eumque Hadriani tempore (117-138) vixisse etiam ex reliquorum narrationibus constare videtur; num vero Hadriani affinis fuerit et ex ethnico Christianus, ex Christiano Iudaeus sit factus, a non paucis in dubium vocatur. A celeberrimo Rabbi Akiba eum literis hebraicis esse edoctum et ad eius mentem versionem suam adornasse referunt *S. Hieronymus* et rabbini[2].

1. *S. Epiph.* de ponder. et mens. 14. 15 (M. 43, 260 sq.); ex Epiphanio hauserunt *Ps. Athan.* Syn. 77. (M. 28, 433), *Euthym.* in Psalm. Praef. alii.

2. Ponticum et proselytum Iudaeum eum appellant *S. Iren.* (c. haer. III. 21. M. 7, 946), *Euseb.* (Demonstr. Evang. VII, 1. M. 22, 497), *S. Hier.* (de vir. ill. 54. M. 23, 665); rabbini quoque eum vocant הַגֵּר (advenam vel proselytum. tr. Megill. 1; Schemoth Rabba 30 etc.; cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 8, 6). Hadriani tempore eum vixisse praeter alios etiam illi testantur, qui R. Akibae discipulum eum dicunt : *S. Hier.* in Is. 8, 11 (M. 24, 119), rabbini ll. cc.; notatu tamen dignum est, eadem, quae a Thalmudistis in Gemara ierosol. de Aquila graeco interprete referuntur, aut saltem similia in Gemara babylon. de Oukelos, chaldaico Pentateuchi paraphrasta, referri (cfr *infra* 151). — Ceterum *S. Iustinus*, qui c. a. 167. martyrium obiit, eius versionem iam prae oculis videtur habuisse (c. Tryph. 43. 66, etc. M. 6, 569. 628 sq.).

De huius *versionis indole* iudicium ferre non possumus nisi ex Patrum testimoniis et ex fragmentis, quae ex Origenis hexaplis sola nobis conservata sunt. Plerique Patres cum *S. Epiphanio* consentiunt, ex odio christiani nominis, ut Christianis validissima, quae alexandrina versio subministravit, arma eriperet, Aquilam Scripturas esse interpretatum; non pauci enim illum propter obscurata vaticinia messianica carpunt[3]; certumque est, Iudaeis tantopere eius versionem placuisse, ut relicta alexandrina eam solam adhiberent[4]. Clementiores autem et indulgentiores in eo diiudicando se exhibent duo illi Patres, qui, quum soli ob hebraicae linguae scientiam versionem cum textu primigenio comparare possent, soli idonei testes dicendi sunt, *Origenes* et *Hieronymus*. Atque prior quidem, quamvis frequentissime Aquilae lectiones afferat, nusquam eas carpit, sed tantum dicit, illum hebraicae lectioni serviliter inhaesisse Iudaeosque credere eum Scripturam sollicitius (φιλοτιμότερον) vertisse[5], quare illo Iudaeos hebraicae imperitos maxime uti, utpote ceteris omnibus melius sensum assecuto. S. Hieronymus autem semel vel bis quidem eum carpit, quod iudaico spiritu in vertendo se abripi siverit, at frequentius eum laudat; ex. gr. ad Marcellam scribens : « iam pridem, inquit, cum voluminibus Hebraeorum editionem Aquilae confero, ne quid forsitan propter odium Christi synagoga mutaverit; et ut amicae menti fatear, quae ad nostram fidem pertineant roborandam, plura reperio », et S. Damaso asserit Aquilam « non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretari ad verbum »[6]. At textus autem a Patribus vituperatos quod attinet, illi uno alterove excepto nullam hostilitatem produnt, sed aut ex lectionis hebraicae varietate, quam sequitur, explicari possunt vel ex toto eius vertendi modo diiudicari debent.

Uti enim Origenes et S. Hieronymus tradunt et fragmenta, quae supersunt, demonstrant, hebraicis vocabulis, immo syllabis literisque

omnino inhaeret, quare Origenes eum dicit « maxime proprie » interpretari studuisse (ὁ κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας), et S. Hieronymus eum « diligentem et curiosum interpretem » habet, « eruditissimum linguae graecae et verbum de verbo exprimentem », ita « contentiosum, ut non solum verba, sed etymologias quoque verborum conatus sit transferre »[7]. Revera non tantum legibus graecae linguae neglectis haud raro constructionem hebraicam retinet, sed etiam, ut vocabulorum etymologiam exprimat, nova vocabula graeca effingere non dubitat; et quamvis hebraicae linguae peritissimus fuerit, atque dialectorum aramaicae et syriacae tam parum ignarus, ut ad rariores voces hebraicas explicandas iis interdum sit usus, aliquoties tamen hebraica vocabula formis graecis vestita servilem in modum retinet[8].

Quibus omnibus factum est, ut fragmenta eius ad statum textus hebraici, quem prae oculis habuit, cognoscendum summae sint utilitatis et inter veteres interpretes non inveniatur, qui ad vocabula hebraica explicanda eorumque etymologiam definiendam plus conferat. Quanti *S. Hieron.* versionem Aquilae fecerit, eius commentarii probant, in quibus frequentissime illius lectiones affert, et ipsa Vulgata nostra, in qua non raro eundem sequitur; praeterea Aquilae « secundam editionem, quam Hebraei κατ' ἀκρίβειαν nominant », in Ieremiae et Ezechielis commentariis non infrequenter laudat[9]; num vero Aquilas duas omnium librorum versiones adornaverit, an primam aliquorum tantum librorum versionem secundis curis retractaverit, paucis, quae habemus, fragmentis definiri nequit[10].

3. *SS. Iustin.* et *Iren.* (ll. cc.) iure vituperant Aquilam, quod Is. 7, 14 pro עַלְמָה posuerit νεᾶνις (puella), quod nomen Alex. recte verterant : παρθένος; *Euseb.* (in Ps. 90, 9. M. 23, 1149) textum ab Aquila (et Symmacho) ἰουδαϊκώτερον translatum dicit, at ipse ibi explicationem arianismo faventem profert, quae Aquilae versione excluditur; *S. Philastr.* (haer. 142 M. 12, 1276) vituperat, quod Ps. 2, 2 pro Χριστός posuerit ἠλειμμένος (*unctus*), at haec versio servili eius rationi interpretandi debetur; *Theodoret.* (in Is. 9, 6. M. 81, 296), quod אֵל גִּבּוֹר verterit ἰσχυρὸς δυνατός et non Θεὸς ἰσχυρός, at Aq. ubique אֵל etymologice vertit ἰσχυρός; *S. Hier.* (in Is. 49, 5. M. 24, 466), quod « fortissimum contra Iudaeorum perfidiam testimonium » alia interpretatione subverterit, at aliam lectionem secutus est Aquila etc.

4. Iudaeos reiecta alexandrina recepisse Aquilae versionem tradit *Philastr.* (l. c.); ante eum *Orig.* (ad Afric. 2, 11, 52) iam monuit, eius versione uti Iudaeos linguae hebraicae ignaros; Iustinianus imperator postea Iudaeis diserte permisit, ut in synagogis vel alexandrinam vel Aquilae versionem praelegerent (cfr *Phot.* Syntagm. can. XII. 3. M. 104, 872). In Thalmude alia versio praeter Aquilae nec laudatur nec adhibetur teste Lightfoot (Horae hebr. et thalmud. Append. c. 9. « De valore τῶν LXX apud Iudaeos »).

5. *Origen.* ad Afric. l. c.

6. *S. Hier.* Praef. in Iob; in Is. 49. 5 (M. 24, 466); cfr in Hab. 3, 13 (M. 25.

1326) : « rem incredibilem dicturus sum, sed tamen veram; isti semichristiani (Theodotio et Symmachus, quos ebionitas fuisse tradit *Hier.*) iudaice transtulerunt et Iudaeus Aquila interpretatus est ut Christianus ». Contrarium tamen tenet ad Marcell. ep. 32. 1; ad Damas. ep. 36, 12 (M. 22, 446. 427).

7. *Orig.* Comment. in Gen. tom. III. 1 (M. 12, 89); *S. Hier.* in Os. 3, 17; in Is. 49, 5; ad Pamm. ep. 57, 11 (M. 25, 839; 24, 466; 22, 577); cfr etiam ad Damas. ep. 36, 13 (M. 22, 458) : « Aquilam, ut in ceteris, et in hoc maxime loco proprie transtulisse omnis Iudaea conclamat ».

8. Cfr *S. Hier.* ad Pammach. ep. 57, 11 : « Aquila... qui non solum verba sed etymologias quoque verborum transferre conatus est, iure proiicitur a nobis (sc. ceu exemplar boni interpretis). Quis enim pro frumento et vino et oleo possit vel legere vel intelligere χεῦμα, ὀπωρισμόν, στιλπνότητα, quod nos possumus dicere *fusionem pomationemque et splendentiam?* Aut quia Hebraei non solum habent ἄρθρα sed et πρόαρθρα, ille κακοζήλως et syllabas interpretatur et literas, dicitque σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, quod graeca et latina lingua omnino non recipit ». Grammaticae graecae neglectae exempla : *Gen.* 1, 1 ἔκτισε ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανόν, *Gen.* 5, 5 vixit Adam ἐννακόσια ἔτος καὶ τριάκοντα ἔτος, pro partic. λέγων hebraico more adhibet infinit. τῷ λέγειν. Nova vocabulorum monstra iam citavit S. Hier., quae leguntur in Aquilae versione *Deut.* 7, 13; *Os.* 2, 22. — Hebraica vocabula forma graeca donata : אֵלוֹן (quercus) αὐλών (*Deut.* 11, 30), מוּם (macula) μῶμος, תְּרָפִים (idola domestica) θεραπεία etc.

9. *S. Hier.* in Ezech. 3, 15. 27; 5, 8; 8, 16 etc. (M. 25, 39. 42. 53. 83).

10. Cfr *Montfaucon* Praeliminaria in Hexapla Orig. 5, 2 (M. 15, 81); *Field* Prolegom. in Hexapla Orig. 2, 5 p. XXIV sqq.

128. — Aquilam in vertendis Scripturis secuti sunt Symmachus et Theodotio, quorum uter altero prior fuerit, non satis constat; circa idem fere tempus videntur vixisse; quum autem S. Irenaeus Theodotionis versionem cognitam habuerit, Symmachi vero ignorarit, probabilior sententia est, Theodotionem priorem ad vertendum se accinxisse.

De Theodotionis quoque vita a variis varia traduntur : ponticum eum fuisse et ex Marcionitarum secta ad Iudaeos transisse tradit *S. Epiphanius; S. Irenaeus* eum ephesium appellat et iudaeum proselytum, Marcionitarum secta non commemorata; *S. Hieronymus* eum ebionitam fuisse non uno in loco asserit, quamvis alibi quasi dubitanter eum dicat « post adventum Christi incredulum fuisse, licet *quidam* eum appellent ebionitam, qui altero genere iudaeus est »[1]. Ad aetatem eius quod attinet, eum versionem suam adornasse ante quam S. Irenaeus haereses refutavit, certum est, nec improbabile, quod tradit *S. Epiphanius,* eum Commodi imperatoris (180-193) tempore scripsisse[2].

Quemnam scopum in vertendis Scripturis habuerit Theodotio, Patres non definiunt, at eum in vertendi ratione septuaginta interpretes ita secutum esse, ut quae ab illis vel minus recte expressa vel omissa viderentur, ex primigenio textu corrigeret vel adderet, Patres tradunt[3] et fragmenta adhuc superstita confirmant. Quam ob causam

Origenes in hexaplari suo textu ea, quae in alexandrina versione cum textu hebraico comparata deerant, ex Theodotionis maxime versione addidit, et Ecclesia versione Danielis alexandrina repudiata eam, quam ille adornaverat, recepit[4]. A Patribus quoque eius versio rarius, quam reliquae, carpitur; solus S. Hieronymus aliquoties acerbius eam vituperat[5]. In eo praesertim ab Aquilae et Symmachi versionibus differt, quod multo frequentius voces hebraicas etiam eas, quarum translatio non adeo difficilis est, non interpretetur graecis literis pro hebraicis positis; quare *indocti* interpretis notam ei inurit Montfaucon[6].

1. *S. Epiphan.* de pond. et mens. 17 (M. 43, 264). — *S. Iren.* c. haer. III. 21 M. 7, 946), quum relate ad Is. 7, 14 (quo in loco etiam Theod. νεᾶνις posuerat pro παρθένος) Aquilam et Theodotionem receptos esse ab ebionitis asserat, ansam forsitan dederit, ut iuniores Theodotionem ebionitam fuisse putarint; *S. Hier.* in Habac. 3, 13 (M. 25, 1326); Prol. in Daniel.

2. *S. Iren.* l. c. — *S. Epiph.* (l. c.) in eo procul dubio errat, quod « Commodo II. imperante, qui post Lucium Cornelium Commodum tredecim annis regnavit », Theodotionem scripsisse asserat; cur enim Commodum hunc, quem secutum esse Marcum Aurelium ipse asserit (M. 43, 265), secundum vocet, non apparet, quia nullus Commodus praecessit nec secutus est. Difficultas quoque quaedam in eo est, quod S. Irenaeus, qui Theodotionem nominat eiusque versione utitur, inter annos 172-192 opus suum contra haereses scripsisse dicatur (cfr *Nirschl* Patrologie I. p. 184); quare Theodotio paullo antiquior fuisse dicendus videtur.

3. *S. Hier.* ad Chron. Euseb. Praef. (M. 27, 35) Aquilae, Symmachi et Theodotionis versiones ita distinguit, ut primum dicat nisum esse verbum de verbo exprimere, alterum potius sequi sensum, *tertium non multum a veteribus discrepare.* Idem Praef. in Psalt. (M. 29, 120) Theodotionem « simplicitate sermonis a septuaginta interpretibus non discordare » et in *Eccle.* 2, 2 (M. 23, 1024) « septuaginta et Theodotionem in pluribus concordare » asserit.

4. *S. Hier.* Praef. in Iob : Origenes « de Theodotione sumtos (versus) translationi antiquae inseruit »; Praef. in Dan. : « Danielem prophetam iuxta septuaginta interpretes Domini Salvatoris ecclesiae non legunt utentes Theodotionis editione; et hoc cur acciderit nescio... hoc unum affirmare possum, quod (alexandrina versio) multum a veritate discordet et recto iudicio repudiata sit ».

5. *S. Hier.* in Habac. 3, 13 (M. 25, 1326); Praef. in Iob : « Iudaeus Aquila et Symmachus et Theodotio iudaizantes haeretici... multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt ».

6. *Montfaucon* Praelimin. ad Hex. Orig. 7, 3 (M. 15, 94). Longum catalogum vocabulorum hebraicorum, quae Theod. non transtulit, affert *Field* Proleg. ad Hexapla 4, 3. p. XL. sq.

129. — Symmachum, qui tertius novam graecam versionem adornavit, Samaritanum fuisse ex eorum numero, qui apud illos sapientes habentur, tradit *S. Epiphanius;* ambitionis autem spe frustratum ad Iudaeos transfugisse et iterum circumcisum, ut Samaritanorum interpretationem everteret, novam suam versionem edidisse[1]. *Eusebius*

autem et *S. Hieronymus* Symmachum ebionitam fuisse asserunt, i. e. ex eorum secta, « qui Christum ex Iosepho et Maria genitum nudumque hominem esse dicunt et Legem iudaico more servandam esse contendunt », assertumque suum Eusebius probat ex commentariis quibusdam suo tempore exstantibus, in quibus contra S. Matthaei Evangelium acriter disputans ebionaeorum haeresin adstruat[2]. Severi imperatoris tempore (193-211) eum scripsisse testatur *S. Epiphanius* (l. c.), idque probabile est, siquidem S. Irenaeus, qui Aquilae et Theodotionis versiones adhibuit, Symmachum ignoravit; S. Irenaeum autem in Septimii Severi persecutione martyrio esse coronatum (a. 202.) constat[3].

S. Hieronymo teste Symmachus « non verborum κακοζηλίαν sed intelligentiae ordinem sequi solet » in sua versione et « ceteris manifestius » sensum exprimere; consentit *Eusebius,* qui non semel eum « clarius », « mirabiliter », « valde mirabiliter » vertisse asserit[4]; *Montfaucon* quoque, quamquam ex solis versionis eius fragmentis iudicium sibi efformare potuit, haec de eo habet : « interpretatio Symmachi clarissima et elegantissima omnium est; res ille ut plurimum apte et dilucide exprimit; non verba singula scrupulose referre studet, ut Aquila, nec septuaginta interpretes presso vestigio sequitur, ut Theodotio, sed vel in difficillimis locis sensum ita legenti exhibet, ut statim intelligatur; hebraismos raro sectatur. Summopere curasse videtur, ne quidquam in graeca serie poneret, quod graecum lectorem hebraice ignarum offendere posset, ea tamen cautela, ut hebraicum exemplar unicum sequendum sibi proponeret, nec quidquam ex editione alexandrina, ubi cum hebraico non quadrat, in interpretationem suam refunderet »[5]. At nimium in modum Symmachum perspicuitati studuisse ideoque bonae interpretationis leges interdum violasse, demonstrant nomina propria, quae, ne hebraica vocabula graecis tantum literis transcriberet, interdum graece vertere non dubitavit[6], periphrases quoque nonnullae prorsus inutiles, tropi propriis verbis redditi, anthropomorphismi frequenter mutati etc.[7]. A S. Hieronymo, qui eius versionem ceteris praefert eumque saepius, quam Aquilam, in sua ipsius translatione sequitur, non semel accusatur, quod subdola interpretatione mysteria Christi celaverit et iudaice transtulerit[8]; at in fragmentis superstitibus (si *Is.* 7,24 excipis) vix huius accusationis invenitur fundamentum.

Secundae Symmachi interpretationis aliquoties meminit Hieronymus[9]; quaenam vero haec fuerit plane ignoramus.

1. *S. Epiph.* de pond. et mens. 16 (M. 43, 264).
2. *Euseb.* H. E. VI. 17; Dem. Evang. VII. 1 (M. 20, 560; 22, 497); *S.Hier.* in Habac. 3, 13; de vir. ill. 54 (M. 25, 1326; 23, 665).

3. *S. Iren.* c. haer. III. 21 (M. 7, 946). S. Irenaeum an. 202. in persecutione Severi martyrem occubuisse cfr *Fessler* Patrol. I. p. 230 (Ed. 2. 1890. I. p. 242).
4. *S. Hier.* in Amos 3, 11; in Hab. 2, 11; in Is. 1, 1 (M. 25, 1019. 1296; 24, 21); *Euseb.* in Psalm. passim.
5. *Montfaucon* Praelimin. in Hexapl. 6, 5 (M. 15, 90); quam laudem approbat *Field* Proleg. in Hexapl. 3, 4 p. XXXI.
6. Ex. gr. *Gen.* 3, 20 חַוָּה Eva, *Symm.* : Ζωογόνος; 2 *Reg.* 12, 5 יְדִידְיָה *Symm.* Ἀγαπητὸς κυρίου (S. Hier. : « Amabilis Domino ») etc.
7. Exempla multa affert *Field* l. c. p. XXXIII. Quantam libertatem sibi permiserit, clare ostendit *Gen.* 1, 27 : Creavit Deus hominem ad imaginem suam etc. *Symm.* : καὶ ἔκτισεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἐν εἰκόνι διαφόρῳ· ὄρθιον ὁ Θεὸς ἔκτισεν αὐτόν Paraphrasticas versiones habet etiam *Gen.* 18, 25; *Exod.* 15, 11 etc.
8. *S. Hier.* Praef. in Iob; in Hab. 3, 13.
9. *S. Hier.* in Ierem. 32, 30; in Nah. 3, 1 (M. 24, 896; 25, 1254).

130. — Praeter tres Aquilae, Theodotionis, Symmachi versiones graecas aliae tres olim exstiterunt, quae quoniam et locus originis et auctores ignorantur, ab ordine, quem in Origenis editione occuparunt, *Quinta, Sexta, Septima* nominantur. Earum lectiones non laudantur nisi ad aliquos libros sacros, unde iure concluditur eas cunctos libros complexas non esse.

Quinta, si fides est *Eusebio* et *Hieronymo,* ab Origene Nicopoli ad Actium, si *Epiphanio,* Ierichunte in doliis abscondita reperta est[1]. Praeter Prophetas minores videtur continuisse Psalmos, Iob, Proverbia, Canticum atque etiam 4 Regum. « Quinti interpretis stylus, inquit *Field,* omnium elegantissimus est et cum optimis graecis suae aetatis scriptoribus comparandus. Quod ad vertendi genus attinet, usitate liberam nec literae adstrictam interpretationem sectatur, modo ut sententiam auctoris sui paullo explicatius efferat, modo ut in paraphrastae potius quam interpretis partes desciscat »[2].

Sextam, ipsam quoque in doliis latentem, Nicopoli ad Actium repertam esse, tradit *S. Epiphanius,* e contra *Eusebius* eam Ierichunte inventam dicere videtur[3]. Eam aeque ac praecedentes a Iudaeo adornatam esse asserit *S. Hieronymus,* at christianum se esse auctor ipse prodit, quum *Hab.* 3,13, S. Hieronymo teste, verterit : « egressus es, ut salvares populum tuum per Iesum Christum tuum »[4]. Lectiones eius inveniuntur ad Prophetas minores, Psalmos, Canticum, atque unam alteramve ad Exodum, 3 Regum et 1. Iob. Paraphrasi eum delectari censet *Montfaucon,* dubitat *Field*[5].

Quid de septima sentiendum sit, prorsus ignoratur. S. Epiphanius eam non commemorat; *Eusebius* autem et *S. Hieronymus* eius meminerunt, atque prior quidem sextam et septimam ab Origene Psalterio, alter vero quintam, sextam septimamque « maxime libris, qui apud

Hebraeos versu compositi sunt » (i. e. Psalterio, Threnis, Cantico) additas dicit[6]. Quum vix una alterave lectio ex ea desumta nobis sit conservata, nihil de eius indole statui potest.

1. *Euseb.* H. E. VI, 16 (M. 20, 556); *S. Hier.* ad Dam.; Praef. in Orig. hom. in Cant. (M. 23, 1117); *S. Epiph.* de pond. et mens. 18. 19 (M. 43. 265).

2. *Field* Proleg. ad Hexapl. 5, 2 p. XLIV; cfr *Montfaucon* Praelim. 8, 3 (M. 15, 97).

3. *S. Epiph.* et *Euseb.* ll. cc.

4. S. *Hier.* c. Rufin. II. 34 (M. 22, 455) : « Magnis, ut scio, sumtibus redemisti Aquilae et Symmachi et Theodotionis quintaeque et sextae editionis *iudaicos* translatores »; in *Hab.* 3, 13 (M. 25, 1326).

5. *Montfaucon* Praelim. 8, 5; *Field* Proleg. 5, 3.

6. *Euseb.* l. c.; *S. Hier.* de vir. ill. 54; in Hab. 2, 11; in Tit. 3, 9 (M. 22, 665; 25, 1296; 26, 595).

§ 10. — *Historia textus versionis alexandrinae.*

131. — Quibus interiectis ad alexandrinam versionem revertamur. Quae quum in communem Iudaeorum et Christianorum usum recepta innumeris exemplaribus propagaretur, innumeris quoque mendis scatere coeperat. Quo saepius enim liber quicumque describitur, eo plures ob librariorum sive negligentiam incuriamque sive ignorantiam et audaciam naevos contrahere solet; at altera quoque causa aderat, quae effecit, ut versionis huius errores augerentur. Quamdiu enim a solis Iudaeis hellenistis adhibita est, frequentes eius barbarismi et hebraismi aut non animadversi aut neglecti sunt; quamprimum vero ethnici liberalioribus literis imbuti religionem christianam amplexi sunt, impediri non potuit, quin hi e libris suis sacris barbarismos auferre conarentur : unde paullatim factum est, ut exemplaria et inter se dissentirent et multo magis, quam antea, a textu primigenio discreparent, ad quem correctores illi, quum linguam hebraicam ignorarent, respicere non potuerunt. Quem rerum statum graviter tulerunt Ecclesiae praesules; accessit autem, quod Iudaeis in suis contra Christianos disputationibus, quotiescumque argumentis ex alexandrina versione desumtis ad angustias redigebantur, semper promta esset exceptio, versionem illam, quippe quae aut abundaret aut deficeret, in testimonium adhiberi non posse. Quibus malis ut mederetur, Origenes immensum opus excogitavit, quo nec Iudaeis versionem hanc prorsus recusantibus nimium concederet, nec Christianorum, quibus ab Apostolis tradita erat, animos offenderet.

Quem in finem postquam, ut habet *S. Hieronymus*, « hebraeam linguam contra aetatis gentisque suae naturam didicit » [1], versionem alexandrinam una cum reliquis versionibus graecis atque cum ipso textu hebraico ita composuit, ut unico quasi intuitu quid in textu

hebraico, quid in singulis versionibus esset, conspiceretur. A numero columnarum, quibus quatuor praecipuae versiones graecae simul cum textu hebraico eiusque graeca transcriptione erant dispositae, opus vocatum est *Hexapla* (ἑξαπλᾶ), in illis vero libris, in quibus reliquae versiones duae vel tres additae erant, *Octapla* (ὀκταπλᾶ) vel *Enneapla* (ἐννεαπλᾶ) [2]. Praeterea magni huius operis edidit compendium, quod quia textu hebraico eiusque transcriptione omissis solas quatuor praecipuas versiones exhibebat, *Tetrapla* (τετραπλᾶ) nominatum est; num vero ante hexapla editum, an ex maiore opere sit excerptum, controvertitur [3].

In versionibus disponendis quemnam ordinem Origenes tenuerit, hisce verbis describit *S. Hieronymus* : « curae nobis fuit omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in hexapla digesserat, de caesariensi bibliotheca descriptos in ipsis authenticis emendare; in quibus et ipsa hebraea propriis sunt characteribus verba descripta et graecis literis tramite expressa vicino; Aquila etiam et Symmachus, septuaginta quoque et Theodotio suum ordinem tenent » [4]. Eundem ordinem indicat *S. Epiphanius* illis simul impugnatis, qui versiones ex ordine temporis, quo exaratae sint, dispositas esse putarent [5]. Ratio autem, cur Aquilam immediate textui hebraico, Theodotionem versioni alexandrinae adiunxerit, ea esse videtur, quod ille scrupulosius, quam ceteri, hebraicum textum expresserit, hic vero septuaginta interpretes e vestigio fere secutus sit.

1. *S. Hieron.* de vir. ill. 54 (M. 23, 665); cfr *Euseb.* H. E. VI. 16 (M. 20, 553).

2. Nomen *Enneaplorum* ab antiquis non adhibetur, quare dubitatum est, num Origenes revera septimam versionem quibusdam libris addiderit; sed testimonia *Eusebii* (H. E. VI. 16) et *S. Hieronymi* (de vir. ill. 54; in Tit. 3, 9; in Hab. 2, 11), qui ipsius Origenis exemplari usi sunt, tam diserta et clara sunt, ut omne dubium excludant et S. Epiphanii silentio, quippe qui quintam et sextam solas nominet, septimam taceat, praevaleant. — In versione syro-hexaplari ad 4 *Reg.* 16, 2 Field etiam invenit nomen *Heptaplorum;* in 4 libro Regum sc. videtur sola quinta versio reliquis esse addita (*Field* Proleg. 1, 1 p. XI).

3. *Euseb.* H. E. VI. 16 : « has igitur omnes interpretationes quum in unum corpus collegisset et per cola (s. stichos) distinxisset et sibi invicem e regione opposuisset una cum ipso hebraico textu, hexaplorum nobis exemplaria reliquit; *postea vero* editiones Aquilae et Symmachi et Theodotionis cum septuaginta interpretum versione in tetraplis *digessit* ». Ita Valesius vertit Eusebii locum : τὰ τῶν λεγομένων Ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν, ἰδίως τὴν Ἀκύλου... ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν ὁ ἐν τοῖς Τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας, quem Montfaucon vertere vult : « *quum* editiones... in tetraplis digessisset »; cfr de hac controversia *Vales.* notam ad Eusebii locum, *Montf.* Praelim. 1, 3 (M. 15, 23), *Field* Proleg. p. XII.

Operis specimen ex *Montfaucon* Praelim. 1, 4. addimus in sequenti pagina.

4. *S. Hier.* in Tit. 3, 9 (M. 26, 595).

5. *S. Epiph.* de pond. et mens. 19 (M. 43. 268).

TETRAPLA (*Gen.* 1, 1).

ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	ΟΙ Ό.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.
Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.

HEXAPLA (*Os.* 11,1).

ΤΟ ΕΒΡΑΙΚΟΝ.	ΤΟ ΕΒΡΑΙΚΟΝ ΕΛΛΗΝΙΚΟΙΣ ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	ΟΙ Ό.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.
כי נער ישראל ואהבהו וממצרים קראתי לבני	χι νερ Ισραηλ ουεαβηου ουμεμμεσραιμ χαραθι λεβανι.	ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἀπὸ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.	ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγαπημένος, ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου·	ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἐκάλεσα υἱόν μου ἐξ Αἰγύπτου.

OCTAPLA (*Ps.* 2, 6).

ΤΟ ΕΒΡΑΙΚΟΝ.	ΤΟ ΕΒΡ. ΕΛΛΗΝ. ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	ΟΙ Ό.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.	Ε΄.	ς΄.
ואני נסכתי מלכי	ουανι νασαχθι μαλχι.	καγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου.	καγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου.	ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ.	ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ.	καγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου.	καγὼ ἔσωσα τὸν βασιλέα μου.

ENNEAPLA (*Hab.* 2, 4).

ΤΟ ΕΒΡ.	ΤΟ ΕΒΡ. ΕΛΛ. ΓΡΑΜ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	ΟΙ Ό.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.	Ε΄.	G΄.	Ζ΄.
וצדיק באמונתו יחוה.	ουσαδιχ βημουναθυ ιειε.	καὶ δίκαιος ἐν πίστει αὐτοῦ ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει.	ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται.

Quibus non contentus « Origenes non solum exempla composuit quatuor editionum e regione singula verba describens, ut unus dissentiens statim ceteris inter se consentientibus arguatur, sed quod maioris audaciae est, in editione septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans quae minus fuerant, et virgulis quae ex superfluo videbantur apposita »[6], vel ut idem *S. Hieronymus* alibi explicat : « ubi quidem minus habetur in graeco ab hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit et signum posuit *asterisci*, i. e. stellam, quae quod prius absconditum videbatur illuminet et in medium proferat; ubi autem, quod in hebraeo non est, in graecis codicibus invenitur, *obelon* i. e. iacentem praeposuit virgulam, quam nos latine *veru* possumus dicere, quo ostenditur iugulandum esse et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur »[7]. Non satis vero accurate finem Origenis exprimit *S. Hieronymus,* si illum putavit signis suis diacriticis aut addita absolute admittenda aut obelo notata absolute reiicienda voluisse declarare; sibi enim versionem a tota Ecclesia receptam proprio marte mutare non licere optime scivit, quare modestius ipse, quid praestiterit, hisce verbis docet : « discrepantiae, quae in V. T. codicibus exstitit, Deo annuente reliquis editionibus, ut ex iis iudicium faceremus, usi remedium adhibere potuimus; nam ea, quae apud septuaginta interpretes ob codicum inter se dissonantiam dubia erant, ex reliquis editionibus diiudicavimus retentis illis, quae cum istis consenserunt. Alia autem, quae in hebraeo textu non adsunt, obelo praenotavimus, quum ea penitus eiicere non auderemus; alia vero asterisco praenotata addidimus, ut appareret ea, quae non erant apud septuaginta, ex reliquis editionibus consentiente hebraico textu nos addidisse. Qui ergo voluerit, ea addat (πρόσηται, non πρόηται); quem autem id offenderit, de eo admittendo aut non admittendo statuat, sicut voluerit »[8]. Quibus ex verbis clare elucet, eum noluisse nisi eas stabilire lectiones, quae variantibus inter se alexandrinae versionibus codicibus ex aliis translationibus tamquam indubitatae agnoscendae erant; de omnibus aliis autem, quae in alexandrina versione cum textu hebraico comparata aut abundare aut deesse videbantur, lectoribus iudicium reliquit[9].

6. *S.Hier.* Praef. 1. in Paralip.

7. *S. Hier.* ad Sunn. et Fret. ep. 106. 7 (M. 21, 840); cfr *supra* 44, 2.

8. *Orig.* in Matth. tom. XV. 14 (M. 13, 1293); cfr ad African. 5 (M. 11, 60; *supra* 36 *n.* 8).

9. De *asteriscorum* (⁙×) et *obelorum* (-|-) forma et valore fuse quidem, sed minus clare agit *S. Epiph.* de pond. et mens. 2. 3 (M. 43, 237 sqq.), qui praeterea *lemniscos* (÷) et *hypolemniscos* (-̣) ab Origene adhibitos fuisse tradit (l. c. 8.). At probabiliter signa haec non sunt, nisi aliae obeli formae, qui vel — vel ÷ vel -̣ vel ⁓

vel ∼ vel ÷ invenitur pictus (cfr *Field* Prolegom. 7, 2. 3). Finem additorum vel superfluorum indicavit *metobelus* (: , vel ⁒ vel ⊥), Exemplum huius textus hexaplaris sit *Ios.* 6, 7. 8 : καὶ εἶπεν ※ αὐτοῖς λέγων· παραγγείλατε ⊥ τῷ λαῷ περιελθεῖν καὶ κυκλῶσαι τὴν πόλιν· καὶ οἱ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ÷ ἐνωπλισμένοι ⊥ ἐναντίον ※ κιβωτοῦ ⊥ κυρίου ※ καὶ ἐγένετο ὡς εἶπεν Ἰησοῦς πρὸς τὸν λαόν ⊥, καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς ἔχοντες ἑπτὰ σάλπιγγας ἱερὰς ÷ παρελθέτωσαν ⊥ ὡσαύτως ἐναντίον τοῦ κυρίου παραπορευέσθωσαν κτλ.

Immensum hoc opus, in cuius marginibus Origenes notas multas apposuerat, quibus nomina propria explicavit, varias lectiones Syri et Samaritani indicavit etc., ob nimiam suam molem ne semel quidem videtur esse integrum descriptum. Recte enim *Montfaucon :* « quivis coniicere valet, quanti laboris fuerit graecis calligraphis biblia primum hebraica lingua, quam ut plurimum ignorabant, depingere, hebraica dein graecis literis e regione scribere, postea vero quatuor ut minimum, aliquando sex vel septem interpretum editiones uno conspectu et e regione ponere, ea sc. accuratione, ut una aliam non excederet. Id sane pauci ex calligraphis poterant. Ad haec quum illo aevo in libris saltem huiusmodi nonnisi uncialis character usurparetur, qui longe maius spatium occupabat,... vix quinquaginta amplae molis voluminibus comprehendi hexapla omnia potuisse putaverim. Quumque ipse Origenes... etsi septem tachygraphos et totidem calligraphos ad manum semper haberet, iis tamen adornandis multos consumpserit annos, probabile sane est perpaucos post Origenem fuisse, qui huiusmodi commoda, una cum adipiscendi desiderio et pecunias et calligraphos et membranas pro voto habuerint » [10]. Origenis ipsius apographum in bibliothecam urbis Caesareae, ubi inde ab an. 232. usque ad mortem (253. vel 254) paucis peregrinationibus exceptis resedit, illatum est, ibique S. Hieronymi tempore visebatur, at saec. 7, Caesarea ab Arabibus expugnata, una cum bibliotheca perisse perhibetur [11]. Deperditorum hexaplorum fragmentis conquirendis et edendis inde ab exeunte saec. 16. instigante Sixto V. primi Petrus Morinus et Flaminius Nobilius Romae operam navarunt; post Drusium dein optimas eorum collectiones ediderunt ineunte saec. 18. *Bern. de Montfaucon*, O. S. B., et hac nostra aetate *Frid. Field.* [12].

Quia autem integrum opus describi non potuit, S. Pamphilo presbytero et Eusebio Caes. in mentem venit illam solam hexaplorum columnam, quae textum alexandrinum asteriscis obelisque distinctum continebat, seorsim vulgare; quae editio tanto cum plausu recepta est, ut S. Hieronymo teste mox « omnes Christi ecclesiae... haec sub asteriscis et obelis editionem legerent » [13]. Atque « ad tot ecclesiarum necessitates sublevandas bibliotheca caesariensis quasi in officinam librariorum conversa est, in qua exemplaria novae editionis calligraphorum

sive voluntariorum sive mercede conductorum assiduo labore multiplicabantur praesidentibus et ipsis operam dantibus Pamphilo et Eusebio; quibus eam operis partem, quae ad collationem et correctionem pertinet, reservatam fuisse non coniectura sed ipsorum, qui in manibus sunt, codicum attestatione ediscimus »[14]. Editionis autem huius quaedam nobis conservata sunt quum in codicibus nonnullis graecis tum maxime in eius versione syriaca a Paulo Tellensi adornata[15].

10. *Montfaucon* Praelimin. ad Hex. 11. 1 (M. 15, 115).

11. *S. Hier.* in Tit. 3, 9 (M. 26, 595); *Montf.* l. c. 11, 4; *Field* Proleg. 11 p. XCIX.

12. *Petri Morini* et *Nobilii* adnotationes editae sunt in sixtina alexandrinae versionis editione (Romae 1587); *Drusii* autem collectiones post eius mortem in opere : « Veterum interpretum graecorum in totum V. T. fragmenta collecta, versa et notis illustrata a Ioan. Drusio. Arnhemii 1622 ». *Montfaucon* edidit : « Origenis Hexaplorum quae supersunt multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio et Ioanne Drusio edita fuerunt... eruit et notis illustravit B. de M. Parisiis 1713 », cuius operis compendium imprimendum curavit *Bahrdt* (Lips. 1769); integrum vero « ad primitivum ordinem reductum innumerisque omnis generis erroribus purgatum notisque illustratum suis non paucis » iterum edidit P. L. B. Drach (Paris 1857. Opera Origenis ed. Migne tom. 5-8). Demum *Field* edidit : Origenis Hexaplorum quae supersunt. Post Flam. Nobilium, Drusium et Montefalconium adhibita etiam versione syro-hexaplari concinnavit emendavit et multis partibus auxit F. Field. Oxonii 1875.

13. Cfr *S. Hier.* Praef. 1 in Paral. (c. Ruf. II. 27. M. 23, 451) : « mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt »; cfr ad August. ep. 112, 19; Comm. in Dan. Prol. (M. 22, 298; 25, 493).

14. *Field* Hexapla. Proleg. 11. p. XCIX.

15. De codicibus, qui eusebianam editionem continent, cfr *Field* l. c. p. C; antiquitate inter eos praestat *sarravianus* Octateuchi (saec. 4. vel. 5.), quem edidit Tischendorf (Monum. sacr. ined. III); proxime eum sequuntur *ambrosianus* (saec. 5. — VII. Holm.) et *coislinianus* (saec. 6. vel 7. — X. Holm.). De versione syro-hexaplari cfr *infra* 147.

132. — Tantum abest, ut Origenes finem, quem sibi in condendis hexaplis proposuerat, attigerit discrepantiasque alexandrinae versionis abstulerit, ut confusionem auxisse dicendus sit. Facile enim ab oscitantibus librariis signa eius critica aut omittebantur, aut aliis in locis apponebantur, aut permutabantur, aliorumque interpretum versiones et glossae in margine adnotatae in textum ipsum inserebantur; quare iam *S. Hieronymus* monuit, inde « apud plerosque exoriri errorem, quod scriptorum negligentia virgulis et astericis subtractis distinctio universa confundatur »[1]. Unde non mirum, quod brevi post Origenis aetatem duo alii viri emendandae versioni alexandrinae operam suam impendendam duxerint, Lucianus M. et Hesychius M. (cfr 112).

Atque *Lucianus* quidem, « quum sacros libros multa adulterina recepisse vidisset, quia et tempus multa in eis corruperat et continua aliorum ex aliis descriptio atque etiam improbissimi aliqui homines, hellenismi patroni, eorum sensum pervertere conati sunt et multa adulterina inseruerunt, eos ipse *omnes ex hebraica lingua, quam optime callebat, renovavit* maximo labore in illam emendationem collato »[2]. Similem ob finem et simili modo egisse credendus est *Hesychius,* de cuius emendationis ratione accuratiora nobis tradita non sunt.

Ineunte igitur saec. 4. tres in ecclesiis graecis propagatae erant recensiones; « Alexandria et Aegyptus, inquit *S. Hieronymus,* in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani M. exemplaria probat; mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt : totusque orbis (graecus) hac inter se trifaria varietate compugnat »[3]. A tribus autem his recensionibus plerique, qui superstites sunt, codices versionis alexandrinae dependent; inde enim a 4. saec. Graecos suum textum novis curis criticis non retractasse constat. Utrum vero una ex illis in aliquo codice pura sit conservata necne, alia est quaestio, quam sine ullo scrupulo negamus; etenim non tantum codices nonnulli, qui illis recensionibus antiquiores erant, haud dubie librariis inservierunt, sed variae quoque recensiones a librariis et correctoribus sunt permixtae.

1. *S. Hier.* ad Sunn. et Fret. ep. 106, 22 (M. 22, 844).

2. *Sim. Metaphr.* Mens. Ian. 7 (M. 114, 401), a quo eadem transsumsit *Suidas* (s. v. Λουκιανός M. 117, 1289). Ex Metaphraste ea quoque, quae de Luciano tradit *Ps. Athan.* (Syn. S. S. 77. M. 28, 436), ex parte fluxisse videntur.

3. *S. Hier.* Praef. 1. in Paralip. Cfr ad Sunn. et Fret. ep. 106, 2 : « Sciatis aliam esse editionem, quam Origenes et caesariensis Eusebius omnesque graeci tractatores κοινήν i. e. communem appellant atque vulgatam, et quae a plerisque nunc Λουκιανός dicitur, aliam septuaginta interpretum, quae in ἑξαπλοῖς codicibus reperitur... et Ierosolymis atque in Orientis ecclesiis decantatur ». Minus accurate S. Doctor loquitur, quando eam, quae ab Origene et Eusebio κοινή appellatur, eandem esse insinuat, ac Luciani editionem, quippe quae Origenis tempore nondum in lucem prodierit et Eusebii aetate nondum vulgata vocari potuerit. Ceterum trifariam versionis recensionem in mente habuisse S. Hieronymum non sine ratione censemus, ubi septuaginta interpretum « exemplaria varietatem ipsam lacerata et inversa demonstrare » asserit (Praef. in Esdr.).

133. — Codicum, qui textum alexandrinum exhibent, sat magnus numerus est superstes; quadringenti circiter hodie cogniti sunt per Europam et orientales terras dispersi, inter quos fere quinquaginta uncialibus literis conscripti saec. 10. sunt antiquiores. « Ex his omnibus, teste *Tischendorf,* ne

decem quidem integrum V. T. complectuntur, Pentateuchi vel libros omnes vel partes plus octoginta, Psalmos fere centum quadraginta, Isaiam et Danielem (secundum Theodotionis versionem) fere quadraginta, Iobum fere triginta, Proverbia, Ecclesiasten et Canticum, item librum Baruch fere viginti, et paullo pauciores libros Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum »[1]. Primum inter eos *locum* iidem tenent, quos *supra* (113) enumeravimus, vaticanus (B), sinaiticus (א), cuius folia illa, quae partem historicorum librorum superstitem continent, iam antea (1844) a Tischendorf reperta nomine codicis friderico-augustani citantur, alexandrinus (A) et Ephraem rescr. (C). Quos omnes antiquitate superat fragmentum papyraceum saec. 4., ut creditur, antiquius, quod Psalmos viginti tres continet[2].

1. *Tischendorf* Vetus Testamentum graece. Ed. 6. (Lips. 1880) Proleg. p. XLI.
2. Cfr *Tischendorf* l. c. p. XVII. Ad reliquos codices quod attinet, quorum pauci hucusque accurate examinati sunt, quum omnes enumerare nec vacet nec iuvet, cfr l. c. p. XLI sqq. Praeter quatuor illos aliqui ex praecipuis editi sunt a *Ceriani* (Monum. sacra et prof. III. 1-4. Mediolani 1864-1871), *I. Cozza* (Bibliorum vetustiss. fragmenta gr. et lat. ex palimps. cryptoferrat. Romae 1867), *Tischendorf* (Anecdota sacr. et prof. Lips. 1861; Monum. sacr. inedita. Nova collectio I-IX. Lips. 1853-1870). Psalterium veronense graecum (sed latinis literis exaratum) et latinum saec. 5. vel 6. iam ediderat *I. Blanchinius* (Vindiciae sacr. Script. Romae 1740). Alias editiones minoris momenti omittimus.

Postquam saec. 15. Psalterium graecum iam ter typis impressum est[3], *Card. Ximenes* primus integram versionem alexandrinam in suis polyglottis complutensibus imprimendam curavit, quam editionem secutae sunt plurimae aliae, quae omnes, quotquot fere hactenus in lucem prodierunt, ad quatuor classes revocantur pro numero quatuor editionum cardinalium, ad quarum normam ceterae adornatae sunt[4]. Inter quas prima est *complutensis*, quae anno 1517 completa in lucem non est edita nisi an. 1520. In prologo editor asserit, se « non vulgaria ceu temere oblata exemplaria, sed vetustissima simul et emendatissima » pro archetypis habuisse. Quaenam ista fuerint, quum diu ignoraretur, aliqui, qui mirabantur graecum textum propius, quam reliquas editiones, ad hebraicam veritatem accedere, suspicati sunt, editorem proprio marte graecum textum ad hebraicum revocasse; quam suspicionem fundamento carere hodie inter omnes constat, postquam non tantum singulares illae lectiones in codicibus inventae sunt, sed illi quoque codices, ex quibus textus integer desumtus est, innotuerunt[5]. Complutensem textum repetierunt polyglotta antwerpiensia et parisiensia editionesque nonnullae, quae saec. 16. et ineunte 17. in Hispania praesertim prodierunt. Altera est *aldina* (Venetiis 1518), cuius editor etiam « vetustissima exemplaria » se adhibuisse testatur, revera autem paucos minusculos venetos hodie cognitos secutus est[6]; illam imitatae sunt pleraeque editiones in Germania saec. 16. et 17. adornatae. Tertia est *sixtina*, « quae mox tantam assecuta est famam, ut et aldinae et complutensi, quae iam ante annos plus sexaginta publici iuris factae erant, ubique terrarum anteponeretur, neque

magis postea alexandrino codice E. Grabii studiis in lucem emisso principatu deiiceretur »[7]. Nec immerita fuit fama illa. Quum scilicet Romae de emendatiore Vulgata latina edenda ageretur, Card. Montaltus, qui postea Sixtus V, auctor fuit Gregorio XIII, ut antea graecum V. T. textum accuratius edendum curaret. Quod consilium secutus Gregorius eruditissimos quosque illius aetatis interpretes, inter quos Petrus Morinus, Antonius Agellius. Emmanuel Sa, Flaminius Nobilius eminuerunt, elegit, qui praesidente Card. Carafa emendandae vel potius edendae versioni graecae operam suam impenderent; opus autem ad finem perductum non est nisi postquam Gregorio XIII mortuo Sixtus V Romanam sedem adscendit; quare ex eius auctoritate in lucem editum eius quoque nomen sortitum est. Presso pede plerumque editores secuti sunt cod. vaticanum (B), cuius praestantia tum temporis iam optime erat perspecta; ubi vero ille defecit, uncialem quendam minoris auctoritatis ex Card. Bessarionis bibliotheca desumtum et alterum minusculum Card. Carafae adhibuerunt. Cum nimia quidem exaggeratione asserit Ioan. Morinus, opus hoc « admirandum et plane divinum iudicari non modo a quocumque catholico, qui ad illud mentem adverterit, sed etiam a quolibet haeretico, qui Ecclesiam primitivam et apostolicam odio plus quam vatiniano non oderit »; at illud certum est sixtina meliorem editionem nondum prodisse eamque imitatas esse plerasque, quae ab illo tempore typis descriptae sunt[8]. Quarta demum est *grabiana*, quae codicem alexandrinum (A) ita reddit, ut non paucas lectiones ex aliis codicibus arbitrario quodam modo selectas receperit. Quare, « quum non modo, ut Tischendorfii verbis utar, Grabius alexandrinum codicem iusto pluris faceret, sed etiam parum recte ad editionis origenianae hexaplaris similitudinem accederet », admodum pauci eius textum repetendum iudicaverunt[9].

3. *Le Long-Masch* Bibliotheca sacra (Halae 1781) II. 2. p. 311. Primum Psalterium graecum prodiit Mediolani 1481, alterum Venetiis 1486, tertium etiam Venetiis 1495 (?).

4. *Le Long-Masch* l. c. p. 263-304; cfr *Ioan. Morin.* Exercit. Bibl. I. 9, 1 p. 196 sqq.

5. *C. Vercellone* complutenses ostendit pro fonte praecipuo habuisse codices duos minusculos vatic. (330 et 346), qui a criticis *Holm.* 108 et 248 designantur, ita tamen ut ad aliorum quorundam iuniorum codicum fidem paucas lectiones mutaverint. (Praef. ad Maii Bibl. graec. Romae 1857 cfr Dissertazione accadem. Roma 1864 p. 409).

6. Pro fontibus inservierunt cod. 29. et 122 *Holm.*, qui uterque Venetiis adhuc conservantur.

7. *Tischendorf* Vetus Testam. gr. Ed. 6. Prol. p. XXI.

8. *Sixtinae* editionis titulus est : « Ἡ παλαιὰ διαθήκη κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα δι' αὐθεντίας Ξιστοῦ ἐ ἄκρου ἀρχιερέως ἐκδοθεῖσα. Vetus Test. iuxta septuaginta ex auctoritate Sixti V. Pont. Max. editum. Romae 1587 ». In fine capitum, quorum distinctio (non item versuum) observatur, notae sunt adiectae, quae Aquilae aliorumque graecorum interpretum fragmenta a Petro Morino collecta exhibent. De hac editione cfr *Ioan. Morin.* Exercit. bibl. l. c. p. 199; *Le Long-Masch* l. c p. 275 sqq.; *Tischendorf* l. c. p. XXIII. sqq. — Textum sixtinum praeter polyglotta londinensia referunt, ut

aliquas tantum hoc saeculo adornatas nominem, editiones *Leandri Van Ess* (Lips. 1824), *I. N. Jager* (Paris 1839), *Oxoniensis* 1848, *Tischendorfii* (Lips. 1840. Ed. 6, 1880), *Valent. Loch* (Ratisbonae 1860 et 1890) etc. — Tischendorf varietatem cod. alexandrini (A) addidit, et in supplemento editionis 6. *Ed. Nestle* etiam sinaitici (א) varias lectiones adiecit.

9. *Grabianae* editionis titulus est : « Septuaginta interpretum tom. I. continens Octateuchum, quem ex cod. alexandrino accurate descriptum et ope aliorum exemplarium ac priscorum scriptorum, praesertim vero hexaplaris editionis origenianae emendatum et suppletum... ed. I. E. Grabe. Oxonii 1707. Reliqui tomi (II-IV) prodierunt Oxonii 1709-1720; cfr *Le Long-Masch* l. c. p. 297 sqq. *Tischend.* l. c. p. LIII sq. Ultimam huius textus repetitionem editam habes a *Fr. Field* (Oxonii 1859).

Inter quatuor illas editiones longe eminere sixtinam certissimum est; fateamur tamen simul oportet, primitivum septuaginta interpretum textum purum atque ab omnibus iunioribus corruptionibus immunem etiam in illa non inveniri. Quare summopere desiderandum, ut tandem aliquando editio praeparetur, quae illum textum, quem Apostoli legerunt ecclesiisque tradiderunt, nobis restituat. Num sperari liceat, nos unquam illam visuros, ignoro; quae hucusque ad eiusmodi opus praeparandum praestita sunt, paucis enarrabo.

Uti sixtina et grabiana editiones ipsae, ita pleraeque, quae aliquem ex quatuor textibus repetierunt, variorum codicum, qui ab editoribus facile conferri potuerunt, lectionum varietatem addiderunt; quae omnia quum ad genuinum textum recognoscendum minime sufficerent, exeunte saec. 18. magnis sumtibus trecentorum fere manuscriptorum, inter quae quindecim erant uncialia, collationes factae sunt in illius editionis usum quam a *R. Holmes* inchoatam continuavit et ad finem perduxit *I. Pearsons* [10]. Qui sixtino textui varias lectiones quum codicum tum praecipuarum editionum, versionum nonnullorumque Patrum addiderunt. Collationes vero illae « quemadmodum in editis habentur, non modo universae graviter differunt inter se fide atque accuratione, sed ad ipsos principales testes tam negligenter tamque male factae sunt, ut etiam atque etiam dolendum sit, tantos nummos rara liberalitate per Angliam suppeditatos criticae sacrae parum profuisse » [11]. Quam ob causam variarum illarum lectionum farrago ad criticam textus emendationem vix est adhibita nec quidquam profuit. Neque id mirum; plerique editores, qui in unam ex quatuor editionibus supra enumeratis aliorum codicum varias lectiones, quas meliores iudicarunt, inserere atque hac ratione textum emendare conati sunt, non satis videntur perpendisse, tres olim adfuisse alexandrinae versionis recensiones nec ad genuinum textum pervenire nos posse, nisi prius recensiones istae ea, qua fieri potest, accuratione restituantur. Quare nova omnino via ineunda erat, nec omnes codices promiscue et sine discrimine adhibendi.

Postquam iam *P. Nickes* codices alexandrinae versionis ad certas familias revocare conatus est et *C. Vercellone* aliquos codices ab Holmes adhibitos « unum idemque ἀντίγραφον ad singularem quandam recensionem spectans

repraesentare » docuit[12], in eandem rem accuratius investigans *F. Field* illis codicibus Luciani recensionem exhiberi vidit; eas enim lectiones habent, quas antiqui testes Luciano attribuunt eorumque textus fere cum Chrysostomi et Theodoreti allegationibus consentiunt, quos lucianeam recensionem adhibuisse ex Hieronymi testimonio de trium recensionum inter varias graecas ecclesias distributione iure merito colligitur[13]. Eodem tempore idem suspicatus erat *P. de Lagarde*, qui rem strenue persecutus praecipuos codices, qui illam referre videbantur, ipse contulit eorumque et Patrum, qui Luciano usi sunt, citationum ope librorum historicorum textum constituit, quem « Luciani recognitionem in gravioribus omnibus satis fidam » tradere censet[14]. Quam in minutioribus expoliri posse et debere concedit, tum autem Hesychii quoque recensionem, qua Alexandria et Aegyptus usae sint, investigandam esse monet, ut duabus hisce restitutis et cum Origenis textu hexaplari, qui sat facile in plerisque V. T. libris colligi possit, comparatis ea, quae ex Aquilae aliorumque versionibus alexandrinae immixta sunt, dignoscantur. Qua sola via ad illum textum alexandrinum, qui ante Hadriani aetatem, qua Aquila versionem suam adornavit, atque proin ipsa fere Apostolorum aetate in usu fuit, pervenire nos posse patet, quare sperandum est, fore, ut novam hanc viam ingressi viri critici strenui eam prosequantur.

10. Vetus Testam. graece cum variis lectionibus ed. *Rob. Holmes.* I. Oxonii 1798-1806; II-V. ed. *Iac. Pearsons.* Oxonii 1810-1827.

11. *Tischendorf* l. c. p. XLI; simile iudicium post P. de Lagarde tulit *A. Kamphausen* (Studien u. Kritiken 1869 p. 723).

12. *P. Nickes* De V. T. codicum graecorum familiis (Monasterii 1855); *C. Vercellone* Variae lectiones Vulg. Romae 1864 II, p. 436. — Codices a Vercellone indicati sunt Holm. 19. 82. 93. 108; ex Holm. 108 autem desumtum esse complutensem textum iam ante demonstraverat, ita ut in polyglottis compl. primam quodammodo habeamus lucianeae recensionis editionem.

13. *Field* Origenis Hexapl. Proleg. 9. De Luciani editione p. LXXXIV sqq.

14. *P. de Lagarde* Librorum V. T. canonicorum pars prior graece. (Gottingae 1883 Praef. p. V. sqq.).

§ 11. — *De alexandrinae versionis auctoritate dogmatica.*

134. — Quidnam in diiudicando et emendando textu massoretico valeat alexandrina versio eiusque quis hodie sit status, ex iis, quae hucusque enarravimus, satis elucet; restat ut quaenam sit eius auctoritas doctrinalis definiamus. Quin magni olim sit aestimata quum a Iudaeis tum a Christianis, nemini est dubium, at num hodiernus eius textus dignus sit, qui genuinus revelationis fons appelletur, quaeritur.

Olim versio alexandrina tanti habebatur, ut inspirata crederetur, i. e. quemadmodum *S. Augustinus* loquitur, ut crederetur « eundem Spiritum qui in prophetis erat, quando ista dixerunt, in septuaginta quoque fuisse viris, quando illa interpretati sunt »[1], ac proin omnia et singula, prout in

alexandrino textu legantur, esse ipsum Dei verbum nullumque prorsus errorem in illam irrepsisse. Quam opinionem, quae plerorumque fuit Patrum, *Bonfrerius*[2] etiam suo tempore ab omnibus fere interpretibus teneri non sine quadam exaggeratione asserit; vix autem hodie, qui eam defendere audeat, invenietur.

Tribus potissimum argumentis sententiam hanc demonstrari censent eius patroni. Atque 1. quidem miraculosum septuaginta interpretum consensum in medium afferunt, qui quum singuli singulis in cellulis essent inclusi, eundem in omnibus sensum iisdem plane verbis expressissent, ut ne apice quidem eorum versiones inter se dissensissent. Dein 2. Philonis Iudaei[3] multorumque Patrum afferunt testimonia; inter graecos enim Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex., Cyrillus Ieros., Epiphanius, Theodoretus, Chrysostomus etc., inter Latinos Tertullianus, Philastrius, Ambrosius, Augustinus, aliique atque ipse S. Hieronymus in hanc sententiam citantur[4], ita ut pro vera traditione catholica habenda sit. Demum 3. citationibus Apostolorum et Evangelistarum, qui illis quoque in locis, in quibus septuaginta ab hebraico textu (et a nostra Vulgata) dissentiunt, eos sequi non dubitant, se illorum inspirationem demonstare posse arbitrati sunt.

1. *S. August.* de Civ. D. XVIII. 43 (M. 41, 603) : « Hieronymi tam literatum laborem, quamvis Iudaei fateantur esse veracem, septuaginta vero in multis errasse contendant, tamen ecclesiae Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem iudicant praeferendum. Quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus, sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suae septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi. Quum vero tantum in eis signum divinitatis apparuit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex hebraea in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim, qui in prophetis erat quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in septuaginta viris, quando illa interpretati sunt : qui profecto auctoritate divina et aliud dicere potuit, tamquam propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, et hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret; et aliquid praetermittere et aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potius potestatem, quae mentem replebat et regebat interpretis ».

2. *Bonfrer.* Praeloq. 16, 3 « Hieronymo subscribunt pauculi recentiores ».

3. *Philo* de vita Moys. II. 77. Ed. Lips. IV. 192 : « tamquam divino spiritu acti prophetaverunt (ἐνθουσιῶντες προεφήτευον) non alia alii, sed eadem omnia nomina et vocabula, ac si quis monitor singulos invisibiliter doceret (ὥσπερ ὑποβολέως ἑκάστοις ἀοράτως ἐνηχοῦντος) ».

4. *S. Iustin.* Cohort. ad Gent. 13 (M. 6, 205) : « Ptolemaeus, postquam cognovit septuaginta illos viros (singulos singulis in cellulis inclusos) non solum eadem sententia sed iisdem etiam verbis usos esse ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrasse, sed eadem de iisdem rebus scripsisse, stupore perculsus ac pro certo tenens *divina vi interpretationem esse conscriptam* (καὶ θείᾳ δυνάμει τὴν ἑρμη-

νειαν γεγράφθαι πιστεύσας) eos omni honore dignos habuit » etc.; *S. Iren.* adv. haer. III. 21 (M. 7, 948) : Ptolemaeus « separans eos ab invicem iussit omnes eandem interpretari Scripturam et hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemaeum et comparantibus suas interpretationes Deus glorificatus est, et Scripturae vere divinae creditae sunt omnibus eadem et iisdem verbis et iisdem nominibus recitantibus ab initio usque ad finem, ut et praesentes gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei (κατ' ἐπίπνοιαν τοῦ Θεοῦ) interpretatae sunt Scripturae » etc.; *Clem. Alex.* Strom. I. 22 (M. 8, 893) : postquam singulorum versiones et sensibus et verbis conspirasse dixit, « ab inspiratione Dei, inquit, non erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque, utpote graecam prophetiam, efficeret » (καὶ τὴν ἑρμήνειαν, οἱονεὶ ἑλληνικὴν προφητείαν, ἐνεργεῖσθαι); eodem modo *S. Cyrill. Ieros.* Cat. IV. 34 (M. 33, 497) relato miraculoso consensu « non verborum inventio et humanorum sophismatum artificium erat id opus, sed ex Spiritu Sancto Scripturarum per Spiritum divinum datarum interpretatio confecta est »; *S. Epiphan.* De pond. et mens. 17 (M. 43, 265) : « manifestum est in septuaginta inveniri veritatem; immo si quis veritatis amore ductus inquirere voluerit, fatebitur eos non tantum interpretes fuisse sed ex parte etiam prophetas; nam quaecumque inutilia erant, omiserunt » etc.; *Theodoret.* in Psalm. Praef. (M. 80, 864) : « si illi (sc. septuaginta) divinos libros non sine divina inspiratione (μὴ δίχα τῆς θείας ἐπιπνοίας) in graecum sermonem maxima consensione transtulerunt, atque inter cetera divina scripta etiam inscriptiones (Psalmorum) interpretati sunt, rem nimiae temeritatis et confidentiae plenam arbitror falsas illas affirmare et cogitationes nostras sancti Spiritus efficacia sapientiores ducere »; *Tertull.* Apologet. 18 (M. 1, 380, cfr *supra*); *Philastr.* haer. 142 (M. 12, 1278); *Rufin.* Apol. II. 33 (M. 21, 612); *S. August.* de Civ. D. XVIII 42. 43 (*supra*); de doct. christ. II. 15 (M. 34, 46) : « septuaginta interpretes iam per omnes peritiores ecclesias tanta praesentia S. Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit »; de cons. Evang. II. 66 (M. 34, 1139) : « manifestum est interpretationem illam quae dicitur septuaginta in nonnullis se aliter habere, quam inveniunt in hebraeo, qui illam linguam noverunt et qui interpretati sunt singuli eosdem libros hebraeos. Huius item distantiae causa si quaeratur, cur tanta auctoritas interpretationis septuaginta multis in locis distet ab ea veritate, quae in hebraeis codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius existimo, quam illos septuaginta eo Spiritu interpretatos, quo et illa, quae interpretabantur, dicta fuerant; quod ex ipsa eorum mirabili, quae praedicatur, consensione firmatum est » etc.; *S. Hier.* Praef. 2. in Paralip. : « nec hoc (sc. quod nomina vitiosa sint) septuaginta interpretibus, *qui Spiritu S. pleni ea quae vera fuerunt transtulerunt*, sed scriptorum culpae adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant ». Testimoniis his sine ullo negotio alia non pauca addi possunt.

Quibus non obstantibus sine ulla haesitatione cum modernis interpretibus omnibus alexandrinae versionis inspirationem negamus, quum argumenta allata rem non evincant, utpote quae aut falso supposito innitantur aut ad rem non faciant. Namque

1° miraculosus ille consensus haud dubie inspirationem demonstraret, si de eo constaret; at antiquissimi originis versionis alexandrinae testes, Ps. Aristeas, Aristobulus, Fl. Iosephus nihil prorsus de interpretibus in cellulas inclusis referunt, e contra eos inter se conferentes et consultantes opus

suum absolvisse tradunt; quare merito *S. Hieronymus* « cellulas vulgo sine auctore iactari » monet nec totam hanc narrationem ridere dubitat, « nescio, inquiens, qui primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, quum Aristeas eiusdem Ptolemaei ὑπερασπιστὴς et multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem esse, aliud interpretem : ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea quae intelligit transfert. Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis et Platonis Protagoram et Demosthenis pro Ctesiphonte orationem afflatus rhetorico spiritu transtulisse... illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulere sententiis »[5]. Asserit quidem Iustinus se cellularum rudera in insula Pharo vidisse; at optime *Bellarminus :* « ut Iustino, inquit, Iudaei fabulam a se confictam persuaserint et quasdam ruinas ostendentes cellulas esse dixerint septuaginta interpretum, facile fieri potuit : nec minus facile, ut Iustino viro sancto fidem habuerint aliqui posteriores »[6]. Censet autem Bellarminus (l. c.) miraculum esse in eo, quod tot homines simul conferentes brevi septuaginta duorum dierum spatio integra Biblia verterint in singulis sententiis convenientes : « ubi enim est multitudo, diversitas iudiciorum evitari non potest, et vel nunquam conveniunt vel nonnisi post longas disceptationes ». Neque hac vero ratione argumentum salvari potest, quum in narratione Ps. Aristeae, Philonis, Iosephi etc., uti *supra* (122) ostendimus, non de integris Scripturis, sed de solo Pentateucho agatur, qui fatente ipso Bellarmino « sine ullo miraculo breviori tempore verti potest ». Quare si Ps. Aristeae narratio integra admitteretur, septuaginta seniorum inspiratio nondum demonstraretur; at ne eam quidem omnimoda fide dignam esse diximus (121); omni igitur fundamento caret primum argumentum.

2° Unde etiam iam patet, quid de secundo sentiendum sit. Neque enim ad apostolicam quandam traditionem Patres illi provocant, qui alexandrinae versionis inspirationem asserunt, sed eam, id quod ex eorum verbis supra allatis elucet, ex fictitia de cellulis narratione sola deducunt, quum ad illam solam semper recurrant. Praeterea animadvertas velim, de Patrum in hac quaestione *consensu* sermonem esse non posse; etsi enim *S. Hieronymum,* qui non semel disertis verbis inspirationem septuaginta seniorum negat[7], prorsus omittere velimus, non desunt alii, qui, ut versionis auctoritatem vindicent, ad alia argumenta, ad eius antiquitatem, ad interpretum numerum etc., recurrunt, inspiratione eius, quamvis sola pro argumento suffecisset, alto silentio transmissa; ita praeprimis *S. Hilarius* in Psalmorum commentario, in quo Origenis fere sententias refert, ita *S. Chrysostomus,* ita ipse *S. Augustinus,* qui neutram in partem certum ferre iudicium audet[8]. Quare immerito Patrum auctoritas in hac quaestione pro argumento sumitur.

3° Apostolorum demum allegationibus optime quidem et rectissime magna versionis alexandrinae auctoritas defenditur, at eius inspiratio non probatur. Omnibus illis in locis, in quibus non apparens sed vera discrepantia textum

hebraicum inter et alexandrinum deprehenditur, sine ulla haesitatione eum solum genuinum ac proin inspiratum habemus, quem Apostoli laudaverunt, sive graecus est, sive hebraicus. Si esset graecus, hebraicum eo in loco corruptum esse fateremur, sed utrumque inspiratum ideo non diceremus, nec septuaginta interpretes per inspirationem pro corrupto restituisse genuinum; id enim non asserendum, sed probandum est.

5. *S. Hieron.* Praef. 1. in Paralip.; Praef. in Pentat. (c. Rufin. II. 25. M. 22, 449).
6. *Bellarm.* De verbo Dei II. 6.
7. Praeter locos *n.* 5. allegatos cfr Praef. in Iob., ubi postquam septuaginta multa omisisse dixit, concludit : « fieri non potest, ut quos plura intermisisse susceperint, non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur »; ad Pammach. ep. 57, 7 (M. 22, 574) : « venia danda est (septuaginta senibus) ut hominibus iuxta Iacobi sententiam : multa peccamus omnes ». In commentariis suis eos « imitari gentilium fabulas », « non verba Scripturae, sed *suum* sensum ponere », « mutare et extenuare » vaticinia dicit (in Is. 14, 18; 26, 8; 19, 13. etc. M. 24, 245. 291. 467) innumerisque vicibus eos carpit. Interdum quidem omne vituperium in solos librarios reiicere videtur, quorum negligentia primitivum textum corruperit (Praef. 2. in Paral.), at quicumque loquendi et agendi modum S. Doctoris integrum perpenderit, eum alexandrinae versionis inspirationem negasse fatebitur.
8. *S. Hilar.* in Ps. 2, 3 (M. 9, 263) : « sed perfecta horum septuaginta interpretum auctoritas manet. Primum quod ante adventum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto anteriore interpretationis aetate; dehinc quod illi ipsi principes doctoresque synagogae, et praeter scientiam Legis per Moysen quoque doctrina secretiore perfecti non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi et gravissimi erant auctores docendi »; *S. Chrys.* in Matth. hom. 5, 2 (M. 57, 57) : « hi (Aquila, Symm.. Theod.) post Christi adventum interpretati sunt Iudaeique manserunt, unde in suspicionem cadunt, utpote qui ex inimicitia sic potius dixerint ac prophetias de industria obscure converterint : septuaginta vero, qui centum aut pluribus annis ante Christum huic rei, tot numero, manum admoverunt, ab omni huiusmodi suspicione liberi sunt, ac tum *ob tempus*, tum *ob multitudinem*, tum *ob mutuum consensum* (sc. quatenus inter se consultantes libros verterunt) fide digni habendi sunt »; *S. Aug.* ad S. Hier. ep. 38, 2 (M. 33, 112) : « omitto septuaginta, de quorum vel consilii vel spiritus maiore concordia, quam si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis praeeminentem auctoritatem in hoc munere (sc. interpretandi) sine controversia tribuendum existimo »; de doctr. christ. II. 15 (M. 34, 46) : « si, *ut fertur multique non indigni fide praedicant*, singuli cellis etiam singulis separati quum interpretati essent, nihil in alicuius eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris : quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum praeferre audeat? *Si autem contulerunt*, ut una omnium communi tractatu iudicioque vox fieret, nec sic quidem *quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut decet* ».

135. — Quum igitur nullum argumentum suppetat, quo versionis alexandrinae inspiratio adstruitur, cum S. Hieronymo dicamus « aliud est vatem, aliud esse interpretem ». Libentissime autem admittimus

atque etiam contendimus, singulari quodam interpretes illos, quicumque fuerunt, corroboratos esse auxilio, ne in rebus fidei et morum errantes fontem salutis in fontem perniciei perverterent, utque doctrinas fidei et morum illa cum fidelitate et sinceritate exprimerent, quae eorum interpretationem genuinum revelationis fontem constitueret. Etenim versio haec non solum viam quodam modo sternere debuit Evangelio inter gentes, quum lingua sibi cognita ea, quae ab Apostolis de Christo praedicabantur, a Prophetis prius praedicta legerent[1], sed destinata quoque erat, ut nascenti et adolescenti Ecclesiae inserviret. Ob quem duplicem finem, quem in ea adornanda habuit, divina providentia permittere non potuit, ut pernicioso quodam errore in fidei et morum doctrinis foedaretur, aut in iis, quae ad operis substantiam pertinent, a primigenio textu discreparet.

1. *Euseb.* Praep. Evang. VIII. 1 (M. 21, 585) : « quum felix illud tempus instaret, quo salutaris Servatoris nostri doctrinae lux sub romanis imperatoribus in cunctos sese homines longe lateque diffunderet, adeoque praecipua tum quaedam ratio postularet, ut quae de ipso exstabant oracula et Hebraeorum a Deo iam pridem dilectorum vitae religionisque praecepta, quae patria eorum lingua per tot saecula latuerant, ceteris tandem nationibus, quae postmodum in divinae cognitionis communionem vocandae erant, omnibus manifestaretur, Deus ille, tantorum bonorum auctor, divinae scientiae vi futura intuitus, singulari egit providentia, ut quae de venturo paullo post generis humani Servatore, qui statuendus erat omnibus sub sole gentibus doctor et magister verae erga unum omnipotentem Deum religionis, praedicta iam olim erant, ea accurate translata revelarentur et in lucem prodirent et publicis in bibliothecis collocarentur : immissa hac Ptolemaeo regi mente divinitus, nimirum ut quaedam quasi penus esset, unde illa postmodum in populorum omnium usum fructumque promerentur »; *S. Chrys.* in Gen. hom. 4, 4 (M. 53, 42). : « factum est hoc divinae dispensationis opus (sc. quod Philadelphus Scripturam graece vertendam curavit), ut non solum hebraicae linguae periti, sed et omnes, qui totum orbem inhabitant, ex eis utilitatem perciperent. Atque profecto mirabile est et vix credibile, hoc non factum esse ab aliquo, qui cum Iudaeis sentiebat, sed a viro, qui idolis serviebat et religione Iudaeis erat adversarius. Eiusmodi sunt omnia, quae a Domino N. diriguntur; per adversarios propagat veritatis praecepta »; *S. Aug.* de doctr. christ. II. 15 (M. 34, 46) : divina dispensatio effecit, « ut libri, quos gens iudaea ceteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus ministra regis Ptolemaei potestate tanto ante proderentur »; cfr *Tertull.* Apologet. 20 (M. 1, 388 sqq.) etc.

Quare sicut antea hebraici textus authentiam asseruimus, ita etiam *alexandrinam versionem authenticam asserere non dubitamus,* id est ita fideliter eam textus primigenii sensum et olim retulisse et hodie adhuc referre dicimus, ut de substantiali eius cum autographis sacrorum scriptorum conformitate dubitare non liceat ac proin genuinum revelationis V. T. cognoscendae instrumentum constituat.

Atque 1. quidem eam ab Apostolorum aetate saltem usque ad saec. 6. authenticam fuisse probatione non indiget. Etenim Apostolos ea plerumque usos esse eamque ecclesiis a se fundatis tradidisse Patres testantur et Veteris Novique Testamenti comparatio ostendit (*supra* 31.); quis vero dicere ausit, illos ipsos textu non authentico usos esse aut fidelibus corruptum revelationis fontem tradidisse? Porro versione hac, quam ab Apostolis acceperant, aut versionibus, quae ex alexandrina derivatae erant et ab ea sola integrae dependebant, omnes ecclesiae, sola syriaca orientali excepta, usque ad saec. 6. usae sunt. Nemo autem sibi persuaserit, per totum illud tempus Ecclesiam catholicam authenticis Veteris Test. libris caruisse filiisque suis pro pane lapidem et serpentem pro pisce dedisse.

2. Saec. 6. ecclesia latina versionem illam in usum communem recepit, quam S. Hieronymus ex textu hebraico expresserat, at hoc facto approbatio, quam quinque saeculorum continuo et universali usu Ecclesia catholica versioni alexandrinae dederat, dici nulla ratione potest infirmata, nedum retractata; quare hodie quoque authentiam suam retinet. Etenim

a.) postquam Latini hieronymianam versionem receperunt, reliquae ecclesiae omnes antiquis suis Bibliis ex alexandrina derivatis uti non cessarunt nec hodie cessant; pleraeque quidem ex illis in schisma et haeresin delapsae sunt, at quotiescumque ad unitatem romanam redire voluerunt et redierunt, nunquam de earum Scripturis immutandis quaestio est agitata : atqui necessario tamen versionem suam mutare et emendare debuissent, si substantialiter esset vitiata nec amplius authenticum revelationis documentum dici posset; tacita igitur Ecclesiae approbatio permanet.

b.) Neque deest expressa et explicita; etenim *Sixtus V.*, quum a. 1587 versionem alexandrinam « ad emendatissimorum codicum fidem expolitam » ederet, eandem simul authenticam declaravit. Ad pastoralem nimirum suam curam in brevibus litteris editioni praemissis provocans, ad quam maxime pertineat « sacrae Scripturae libros, quibus salutaris doctrina continetur, ab omnibus maculis expurgatos integros purosque pervulgari », statuit et sanxit « ut Vetus graecum Testamentum iuxta septuaginta ita recognitum et expolitum *ab omnibus recipiatur et retineatur,* quo potissimum ad latinae Vulgatae et veterum sanctorum Patrum intelligentiam uterentur, prohibens ne quis de hac nova graeca editione *audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare* ». Quibus disertis gravibusque verbis Summum Pontificem alexandrinae versionis authentiam, i. e. substantialem cum libris primigeniis conformitatem, declarare nemo non fatebitur.

c.) Accedit demum, quod critico editionum hodiernarum, etsi inter se varient, examine constet, eas non differre a libris illis, quos primorum quinque saeculorum Ecclesia ceu authenticos adhibuit. Quod si Bellarminus interpretationem septuagintaviralem superesse quidem hodie, sed adeo corruptam et vitiatam censet, ut omnino alia esse videatur[2], id minus recte dictum est, si hisce verbis hodiernarum editionum authentiam negare voluit. Sine ullo dubio textus ille, quem primum interpretes ediderunt, vel Apostoli adhibuerunt, hodie *accurate* restitutus non est, uti ne ipsam quoque S. Hieronymi versionem *accurate* restitutam possidemus; sed ad authentiam, id quod saepius iam diximus, conformitas haec omni numero absoluta et perfecta non requiritur. Editiones autem nostrae atque imprimis sixtina ex codicibus saec. 4. et 5. conscriptis desumtae sunt, quo tempore authenticum textum exstitisse nemo negat; quae ab Apostolis ex alexandrina versione laudantur, ea in nostris editionibus leguntur; quae Patres in alexandrina versione adesse vel ab ea exsulare referunt, ea in nostris editionibus adsunt vel desunt; ex Patrum commentariis textum, quem genuinum agnoverunt, cognoscimus, eundemque nos hodie habemus[3]. Neque obstant variae lectiones, quibus nostrae editiones inter se differunt; eadem enim variarum lectionum farrago antiquitus iam adfuit, sed, quia ipsam operis substantiam non attingunt, variae lectiones authentiam non labefactarunt, nedum aboleverint. Perfectissimam igitur et omnibus numeris absolutam hodierni graeci textus cum ipsis sacrorum scriptorum autographis concordiam non asserimus, sed talem tantamque, quae requiritur et sufficit, ut genuinum revelationis Veteris Test. instrumentum dici possit et debeat[4].

2. *Bellarm.* de verbo Dei II. 6.

3. Cfr *Walton* Prolegom. IX. 41 (M. Curs. compl. S. S. 1, 352).

4. *Bonfrer.* Praeloq. 15, 3 : « haec vox *authentica* importat versionem... absolute et simpliciter esse fidelem et sinceram, *quantum moraliter et humano modo fieri potest*, i. e. ut nihil contineat *subdole et fraudulenter* additum, detractum, immutatum, obscure vel ambigue versum ad fidei mysteria occultanda. Etiam importat nihil in ea versione contineri, quod fidei repugnat vel bonis moribus, vel ex quo perniciosus aliquis error nasci possit. Agnoscunt hoc plerique doctores significari voce illa *authentica*, neque plus ea volunt significari; non autem removeri ea voce omnia errata et leviores defectus, ex quibus nihil detrimenti in fide et moribus nasci potest ».

§ 12. — *De versionibus ex alexandrina derivatis.*

136. — Iudaei hellenistae, quibus alexandrinae versionis dialectus graeca fere vernacula et quotidiana erat, altera non indiguerunt; quando vero Iudaeis Evangelium recusantibus Apostoli inter gentiles

verbum vitae spargere ac divitem gentilium messem in Ecclesiae horrea congregare coeperant, novae quoque versiones redditae sunt necessariae omnibus illis in terris, in quibus graeca lingua vel parum vel omnino non intelligebatur. Quae versiones omnes, uti facile intelligitur, ex eo textu adornatae sunt, quem solum Apostoli ecclesiis inter Hellenistas nascentibus tradiderant, i. e. ex textu graeco. Quare versio alexandrina ipsa facta est mater multarum aliarum, *latinae veteris* (saec 2.), *aegyptiacarum* vel copticarum (saec. 3. vel 2.), *aethiopicae* (saec. 4. et 5.), *gothicae* (saec. 4.), *armeniacae* (saec. 5.), *georgianae* (saec. 6. vel 8.), *syriacarum* quarundam, inter quas celebrior est *hexaplaris* (saec. 7.), *slavonicae* (saec. 9), *arabicarum* aliquot iuniorum. Quae omnes, etsi ad primigenium textum cognoscendum directe non inserviant, indirecte tamen ad hunc finem conducunt, siquidem nos docent, quis eo tempore, quo singulae exortae sunt, alexandrinus textus fuerit. Inter eas enim nonnullae omnibus, quos superstites habemus, codicibus multo sunt antiquiores, reliquae autem antiquitate sua meliores codices aequant. Quare operae pretium est accuratius earum originem et indolem explicare.

Ecclesiae autem, quae Veteris Test. libros ex textu alexandrino transtulerunt ac proin non nisi mediatas illorum versiones possident, Novum immediate ex primigenio textu graeco verterunt. Ne igitur postea ad eas redire cogamur, in sequentibus illa, quae de mediatis Veteris et de immediatis Novi Test. versionibus scitu sunt necessaria vel utilia, coniungemus.

I. *Vetus Itala.*

137. — Antiquitate et auctoritate primum locum obtinet *vetus latina* versio, quae vulgo quidem, sed parum accurate, *Itala* vocari solet. Nemini est dubium, quin statim ac Evangelium per occidentales imperii romani partes, Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam disseminatum atque liturgia lingua latina celebrari coepta est, Sacrae Scripturae in eandem sint translatae; Scripturarum enim in coetibus sacris lectio, quae teste S. Iustino M. antiquissima est ac merito ab ipsis Apostolis invecta creditur, versionem postulavit. Quando autem, a quo, ubi sit adornata, in controversia versatur, immo ne illud quidem constat, utrum una sola, an plures latinae versiones olim adfuerint.

S. Augustinus iam « primis fidei temporibus » originem translationis adscribit[1]; exeunte saec. 2. eam exstitisse atque omnes Utriusque Test. libros continuisse testantur opera Tertulliani, Cypriani, interpretis Irenaei[2]; ante Tertulliani autem aetatem translationem aliquam

iam in communi usu sat diu fuisse ex eius verbis haud obscure elucet. Etenim « *in usu*, inquit, nostrorum (sc. Christianorum latinorum) est, per simplicitatem interpretationis *Sermonem* dicere in primordiis apud Deum fuisse », atque simili modo de secundis nuptiis loquens illud « in usum exisse » dicit « per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem », quod non sic est « in graeco authentico »[3]; unde omnino admittendum est, medio saec. 2. veterem latinam versionem iam adfuisse. Quod si vero aliqui ulterius progredientes eius originem saeculo 1. adscribunt, certis aut probabilibus argumentis eos carere censemus; multo minus illis assentire possumus, qui S. Petrum eius interpretem fuisse suspicantur[4].

1. *S. Aug.* de doctr. christ. II. 11 (M. 34, 43).

2. Illis, id quod per se clarum est, N. T. libris exceptis, quos saec. 2. canoni occidentali nondum insertos esse diximus (64. 65). Quamvis Ruth, Esther et Abdias nec a Tertulliano nec a Cypriano allegentur, nemo prudens eos Tertulliani aetate nondum latine adfuisse dixerit.

3. *Tertull.* c. Prax. 5; de Monog. 11 (M. 2, 160. 946); cfr etiam c. Marc. II. 9 (M. 2, 294) : « *quidam* de graeco interpretantes (sc. *Gen.* 2, 7 καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζοῆς κτλ)... pro *afflatu spiritum* ponunt et dant hereticis occasionem Spiritum Dei delicto infuscandi » etc.; c. Marc. V. 4 (M. 2, 478) : « haec sunt *duo testamenta*, sive *duae ostensiones*, sicut invenimus interpretatum » (*Gal.* 4, 14). His testimoniis clarissimis satis apparet, quam longe a vero aberret *Th. Zahn* (Gesch. des neutestam. Kanons. Erlangen 1888 I. p. 51 sqq.), quum aliis Tertulliani testimoniis male intellectis et erroneo explicatis demonstrare vult, exeunte saec. 2. et ineunte saec. 3. in Africa nondum latinam Scripturarum versionem exstitisse.

4. Saeculo 1. latinam versionem attribuunt omnes illi, qui eius originem Romae vel in Italia quaerunt (ex. gr. *Gams* Kirchengesch. Spaniens. Regensb. 1862 I. p. 100; *Kaulen* Gesch. d. Vulgata. Mainz 1868 p. 141; *eiusdem* Einl. p. 108; ed. 3. p. 128 sq. etc.), qua de sententia statim loquemur; *Bonfrerius* (Prael. 15, 2) Novi saltem Testamenti versionem « statim initio Ecclesiae et a viro apostolico » factam censet et « plane verisimile, eam esse ab Apostolis visam et probatam »; Veteris quoque T. interpretem *Goldhagen* (Introd. I. p. 319) « virum quendam apostolicum praecipuum auctorem habuisse » putat; recentissime *Zschokke* (Hist. sacr. antiqui Testam. Ed. 2. Vindob. 1884 p. 433) « veritati, inquit, haud ita absimilis, suo sensu, est sententia Rufini, S. Petrum Apostolum auctorem Italae fuisse » (cfr etiam *Kaulen* Einl. p. 113; ed. 3. p. 135). Verba Rufini, ad quae alludit, sunt haec : « Dubitandum non est, quin sicut cetera, quae ad instructionem pertinent, etiam librorum Instrumenta ipse (Petrus) Ecclesiae tradiderit, quae utique iam tunc ipso sedente et docente recitabantur » (Apol. II. 33. M. 21, 622; integrum contextum vide *supra* 33. *n.* 4). Rufinum his verbis *latinae* versionis originem voluisse indicare, plus quam improbabile est; quaestio enim, quam ibi contra Hieronymum agitat, est de solius *alexandrinae* versionis auctoritate.

Ut accuratius latinae versionis aetas definiatur, praeviae duae aliae quaestiones solvendae sunt, num nimirum complures an una tantum

ante Hieronymum versio latina adfuerit, et quaenam eius vel earum sit patria.

Ad priorem quod attinet, mirum non est, quod, quum *SS. Augustinus* et *Hieronymus* inter se dissentire videantur, moderni quoque interpretes in alterutram partem abeant. *S. Augustinus* enim in ea omnino sententia fuisse dicitur, multas versiones latinas, quae inter se non dependeant, etiam suo tempore adesse. « Qui enim Scripturas, inquit, ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari ». Ideo loquitur de « latinorum interpretum infinita varietate » et de « interpretum numerositate » atque Hieronymi « interpretationem de septuaginta » accipere desiderat, ut « tanta latinorum interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, imperitia careat ». Neque de interpretum tantum multitudine conqueritur, sed monet quoque « in ipsis interpretationibus italam ceteris esse praeferendam, quippe quae verborum tenacior sit cum perspicuitate sententiae »[5]. Quae Augustini verba, quum *Tertulliani* ac *S. Hilarii* similibus locutionibus confirmari videantur[6], haud paucos introductores adduxerunt, ut multas ac diversas Scripturarum versiones latinas antiquitus exstitisse arbitrarentur[7] suamque sententiam multis allatis textibus corroborare conarentur, quos ex antiquiorum Patrum operibus aut ex codicibus superstitibus desumtos ita inter se differre censent, ut ex diversis translationibus mutuati dici debeant[8].

Quibus argumentis, quum quaestionem, de qua agitur, non attingant, res non definitur. Illud quidem certum atque textibus, qui ex Patrum operibus et Bibliorum codicibus collecti sunt, non minus quam Augustini, Hilarii, Tertulliani testimoniis evidenter demonstratum est, multas olim varias lectiones exstitisse, quae immediate ex graeco textu exortae sunt, atque magnam fuisse codicum latinorum varietatem; quaestio autem integra in eo versatur, num ob istam varietatem variae statuendae sint versiones, quae inter se non dependeant, an variae potius unius eiusdemque versionis recensiones. Atque hanc alteram sententiam cum *Sabatier, Blanchinio,* multisque modernis viris eruditis [9] priori longe praeferendam censemus.

Ipsae enim locutiones, quibus S. Augustinus utitur omnino videntur vetare, ne quis eum de integris versionibus inter se independentibus cogitasse dicat. Absurdum enim esset, si primis fidei temporibus infinitum latinarum versionum librorum integrorum, nedum totius Scripturae, numerum fuisse diceremus; quis unquam credet « cuique in

manus codex graecus venerit », illum integram Bibliorum aut libri alicuius novam versionem adornasse[10]? Nihil aliud igitur S. Doctor suis verbis asserere voluit, nisi omnes sibi ius arrogasse emendandae versionis latinae secundum graecum codicem; verba *vertendi* et *interpretandi* igitur significant « ad textum primigenium emendare »[11]. Cui explicationi non obstant illi loci, in quibus non tantum de variis translationibus loquitur, inter quas italam praefert, sed etiam de « eiusdem interpretationis codicibus », qui lectionibus nonnullis inter se differebant[12]; nam eiusdem etiam recensionis codices non in omnibus plane consonasse facile intelligitur. S. Augustini igitur testimonia, quae ab adversariis nostris urgentur, sententiae nostrae non adversantur. Accedit autem, quod S. Doctor eo in loco, in quo de genuina lectione Scripturarum cognoscenda agit, variarum istarum versionum mentionem nullam iniiciat; consulendos esse monet aliarum regionum codices, unde ipsa doctrina commeavit, vel si ibi quoque codices varient, plures paucioribus, vetustiores recentioribus esse praeferendos, et si adhuc incerta sit varietas, praecedentem linguam, unde illud interpretatum sit, esse consulendam[13]. Nemo negabit, in hoc investigationis modo membrum unum illudque magni momenti, nimirum variarum versionum collationem, esse omissum, si S. Augustinus varias versiones independentes agnovisset.

Clarius vero nostram sententiam tuetur *S. Hieronymus*, cuius auctoritas, quoniam totam suam vitam criticis et exegeticis studiis dedit, in hac quaestione est maxima, atque S. Augustini auctoritati longe praeferenda. Ille quoque non semel de *interpretum* et *translatorum* varietate loquitur[14], nusquam autem et nunquam de *interpretationum* vel *translationum* multitudine; unam solam versionem agnovit, quae utique tot scatebat variis lectionibus, ut tot essent exemplaria paene, quot codices; quam varietatem ex eo derivavit, quod aliqua « vel vitiosi interpretes male reddidissent, vel praesumtores imperiti perversius emendassent, vel dormitantes librarii addidissent aut mutassent »[15]. Quo in contextu « vitiosi interpretes » sine ullo dubio illi soli possunt intelligi, qui vocabulum vel phrasin vel integrum quendam locum primigenio textui non satis respondere arbitrati ex graeco textu ea corrigenda susceperunt et antiquae versioni suam novam interpretationem inseruerunt; opponuntur autem « praesumtoribus imperitis », quo nomine evidenter designat illos, qui nullo ad primigenium textum habito respectu ea, quae minus latine dicta censebant, emendare voluerunt, et « dormitantibus librariis », qui ex socordia negligentiaque nova menda codicibus ingesserunt.

Revera latinae varietates, quas antiquitus adfuisse codices superstites

et Patrum allegationes demonstrant, graecas nec numero nec gravitate superant et tribus istis causis a S. Hieronymo indicatis sufficienter explicantur : sicut igitur multas alexandrinas versiones olim adfuisse nemo unquam ob lectionum varietatem et ob Origenis, Luciani Hesychiique emendationes ex hebraico textu factas asseruit, ita multas latinas versiones fuisse varietas ista non demonstrat.

Unius igitur latinae versionis multas recensiones exstitisse concedimus, multas versiones, quae inter se non dependeant, in Latinorum usu fuisse negamus.

5. *S. August.* de doctr. christ. II. 11. 14. 15; ad Hier. ep. 82. 35 (M. 34, 34. 43. 45 sq.; 33, 291).

6. *Tertull.* c. Marc. II. 9; V. 4 (*supra n.* 3.); *S. Hilar.* in Ps. 54, 1 : « hymnos *aliqui translatores nostri* carmina nuncupaverunt; *plerique* autem hymnos ex ipsa graecitatis usurpatione posuerunt ».

7. Inter recentiores praecipui sunt *Iahn* (Einl. I p. 216 sq.), *Hug* (Einl. I. p. 459 sqq.), *Herbst* (Einl. I. p. 263 sq.), *Welte* (Tüb. Quartalschr. 1860 p. 150), *Valroger* (Introd. au N. T. Paris 1861. I. p. 281 sqq.), *Gams* (Kirchengesch. Spaniens I. p. 86 sqq.), *Lamy* (Introductio I. p. 156), *Kaulen* (Gesch. der Vulg. p. 114 sqq.; Einl. p. 109, ed. 3. p. 129 sqq.), *Vigouroux* (Manuel bibl. I. p. 159) etc. Ex protestanticis eidem sententiae inhaerent *Hodius* (De textib. etc. p. 342 sqq.), *De Wette-Schrader* (Einl. p. 112), *Havernick* (Einl. I. 1 p. 374), *Keil* (Einl. p. 547), *Roensch* (Itala u. Vulg. Marburg 1868 p. 2 sq.), *Ziegler* (Die latein. Bibelübers. vor Hieron. München 1879 p. 1 sqq.), cuius laboribus controversiam finitam esse *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 130) censet; sed neque *Scrivener*, neque *B. Weiss*, neque *Th. Zahn* (de quibus cfr *n.* 9), neque etiam *Cornill* (Einl. 1891 p. 304), *Holtzmann* (Einl. Ed. 2. 1886 p. 62 sq.) aliique recentiores, qui inter duas sententias dubii haerent, tantam vim Ziegleri argumentis attribuunt.

8. Cfr praesertim *Hug* l. c., *Ziegler* l. c. p. 90 sqq.

9. *Sabatier* Bibl. s. verss. antiq. latin. Rhemis 1739. I. Praef.; *Blanchin.* Evang. quadruplex. Romae 1748. Proleg. p. 29 sq.; *Wiseman* Two letters on some parts of the controversy concerning 1 Iohn 5, 7. London 1835 (cfr Migne Demonstr. Évangél., Paris 1843 XVI. c. 269 sqq.); *Vercellone* Dissertazioni accademiche. Roma 1864 p. 18; *Hagen* Sprachl. Erörter. zur Vulg. Freiburg. 1863 p. 3; *Reithmayr* Einl. p. 267; *Haneberg* Gesch. d. Offenb. Ed. 4. p. 828; *Himpel* Tüb. Quartalschr. 1876 p. 789 sq. etc. — Ex protestanticis cfr *Lachmann* (N. T. graece. Berol. 1842 I. p. IX), *Tischendorf* (Evang. Palatin. p. XVI sqq.; N. T. graece Ed. 7. Proleg. p. CCXLI), *Bleek* (Einl. Ed. 3. p. 758; Ed. 4. ed. *Wellhausen* p. 595), *Fritzsche* (Herzog P. R. E. Ed. 2. VIII. p. 535 sq.), *Scrivener* (Introd. to the criticism. p. 338 sqq.), *B. Weiss* (Einl. ius N. T. 1889 p. 633), *Th. Zahn* (Gesch. des neutestam. kanons. 1888 I. p. 31 sqq.) etc.

10. Mirum sane, quod multas, immo plurimas primis fidei temporibus fuisse integrarum Scripturarum versiones latinas *Ziegler* l. c. p. 1 *a priori* demonstrare conatur : etenim « si nostris temporibus, inquit, quibus fides languet, quotidie novae Scripturarum versiones adornantur, quomodo credi potest, primis saeculis semel tantum librum librorum latine esse versum »? Atque ad hanc argumentationem confirmandam monet hoc nostro saeculo plus duodecim novas versiones germanicas esse factas; ac si istorum et nostrorum temporum eadem esset ratio, et idem

scribendi et vertendi pruritus, qui hodie, inter primos doctores christianos persecutionum tempore viguisset, eodemque, quo moderni protestantes, errore *de Scripturae legendae necessitate* Ecclesia primitiva esset imbuta!

11. *Wiseman* l. c. (Migne Dém. Evang. XVI 274 sq.) cfr ex. gr. *S. Aug.* ad Hier. ep. 71, 4 (M. 33, 243) : « Evangelium ex graeco *interpretatus es* »; optime autem scivit S. Doctor Hieronymum Evangelii textum ad graecam fidem revocasse et *emendasse* (*S. Hier.* ad Aug. ep. 112, 20. M. 22, 929); eodem modo *S. Hieronymus* a se hexapla « fideliter *versa esse* in latinum sermonem » asserit (ad Sunn. et Fretel. ep. 106, 2 M. 22, 838), licet constet, eum versionem tantum veterem additis iis, quae asteriscis notata erant, ad hexapla recensuisse (cfr *Vallars.* Praef. ad div. Bibl. M. 29. 14). Quam parum « interpres » ab Augustino intelligatur ille solus, qui integram aliquam novam versionem dedit, apparet ex illis locis, in quibus « interpretes latini » et « codices latini » promiscue adhibentur; cfr Locut. in Heptat.: Gen. 2, 9; 3, 17; 6, 16; 14, 22 etc. (M. 34, 486 sqq.).

12. *S. August.* de doctr. christ. II. 15; Retract. I. 7 (M. 34, 46; 32, 592) : « nam eiusdem interpretationis alii codices non habent : *propter te afficimur;* sed *propter te morte afficimur* »; et iterum : « codices eiusdem interpretationis veriores habent : *sobrietatem* » etc.

13. *S. August.* c. Faust. XI. 2 (M. 42, 246).

14. *S. Hier.* ad Dam. ep. 18, 21 (M. 22, 376) : « in latinis codicibus propter interpretum varietatem *sum* non est appositum »; ad Pamm. ep. 49, 4 (M. 22, 512) « interpretum vitio, quae apud suos purissimo cursu labuntur orationis, apud nos scatent vitiis »; ad Marc. ep. 34, 5 (M. 22, 450) : « in hoc loco non septuaginta interpretes, sed latini de graeci verbi ambiguitate decepti (errarunt) » etc.

15. *S. Hier.* ad Damas. Praef. in Evang. : « tot enim (apud Latinos) sunt exemplaria, quot codices; sin autem veritas quaerenda est de pluribus, cur non ad graecam originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita (vel : edita), vel a praesumtoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus? » cfr Praef. in Iosue : « apud Latinos tot sunt exemplaria, quot codices, et unusquisque pro arbitrio suo vel addidit vel subtraxit, quod ei visum est ».

Ubinam vero adornata est, Romae an in Italia an in Africa? In quaestione hac, quae accuratius ultimis his temporibus examinari coepta est, sat magna iterum est sententiarum varietas; haud pauci enim moderni cum antiquis fere omnibus eam Romae vel saltem Italiae inferiori originem suam debere censent, non pauciores vero eam in Africa proconsulari exortam dicunt [16]. Alteri huic sententiae, utpote longe probabiliori, nos quoque calculum adiicimus. Namque

1.) pro certo statuere licet nobis ibi primam versionis latinae originem esse quaerendam, ubi usui maxime fuit necessaria : iam vero Romae et in Italia inferiore graecus sermo primis saeculis inter Christianos fuit pervulgatus, unde latina Scripturarum versione non videntur indiguisse. Revera graecae fuerunt romanae ecclesiae origines, et graecam per integra duo saltem priora saecula eius linguam publicam et liturgicam fuisse non temere asserimus [17]. S. Paulus Romanis graece

scripsit suam epistolam et S. Marcus Evangelium suum, quod proxime Romanis erat destinatum, Romae graece edidit; quis autem crediderit, Apostolos Romae alia lingua in scribendo, alia in praedicando et celebranda liturgia usos fuisse? Medio saec. 2. Aniceto cathedram romanam tenente S. Polycarpus Smyrnensis, quum in Urbem venisset, invitatus a Pontifice liturgiam celebravit et praedicationibus suis multos haereticos convertit[18]; atqui neutrum fieri potuisset, nisi lingua in ecclesia romana adhiberi solita graeca fuisset. Exeunte saec. 2. *Tertullianus* « authenticas epistolas » Apostolorum in sedibus, ad quas directae erant, praelegi asserit; atqui sive *authentici* vocabulo in hoc Tertulliani loco autographum in oppositione ad apographa, sive primigenium in oppositione ad translationes significetur, necessario sequitur, epistolam ad Romanos romana in ecclesia graece esse lectam, totam ergo liturgiam graecam fuisse[19]. Omnes romanae ecclesiae Pontifices et scriptores primis saeculis graece scripserunt, SS. Clemens, Hermas, Modestus, Caius, Hippolytus etc.; duos solos christianos scriptores, qui latina lingua ante Tertullianum sint usi, cognovit *Hieronymus*[20], Victorem et Apollonium; ab Africanis autem, Minutio Felice, Tertulliano, Cypriano, latini sermonis usus apud scriptores occidentales praevalere cœpit. Nonne nostra hodierna liturgia latina graecam suam originem prodit tot graecis vocabulis retentis[21]?

At, inquiunt, etsi concedendum sit, Romae et in Italia linguam graecam eis, qui literis eruditi erant, cognitam fuisse, plebs tamen eam ignoravit; atqui pauperibus Evangelium praedicabatur, atque pauperes quoque et rudes debebant intelligere Scripturas. Quae obiectio, speciosior quam solidior, falso nititur supposito; nullam enim versionem antiquam novimus, quae in usum *privatum* plebis sit facta; omnes potius usui *publico et liturgico* inservierunt; quare ad hunc solum respiciendum est, quando de versionis necessitate est sermo[22]. In Africa proconsulari, quamquam lingua latina in oppidis intelligebatur, lingua vulgaris erat punica; punicam autem versionem Scripturarum nemo unquam vidit; in Gallia cisalpina et transalpina celtica lingua a plebe adhibebatur, attamen versio celtica non exstitit. Plebi, quae graecam aut, ut generaliore modo loquamur, liturgicam linguam ignoravit, illa, quae scitu ei erant necessaria, in catechesibus explicata sunt, atque illi, qui Romae literis erant eruditi, vix non omnes etiam graecam linguam callebant.

16. Romanam versionis originem tenent inter alios *Reithmayr* (Einl. p. 262 sq.), *Gams* (Kirchengesch. Span. p. 86 sqq.), *Kaulen* (Gesch. d. Vulg. p. 109 sqq. Einl. p. 109, ed. 3 p. 128 sq. etc.); africanam autem *Wiseman* (l. c. M. Demonstr. Evang. XVI. 285 sqq.), *Hug* (Einl. I. 463), *Ad. Maier* (Einl. p. 563), *Hagen* (Sprachl Erœrter.

p. 3), *Le Hir* (Études bibliques. Paris 1869. I. p. 264 sqq.), *Himpel* (Tüb. Quartalschr. 1876 p. 739) etc. Ex protestantibus conferri meretur *Rœnsch* (Itala u. Vulgata p. 5 sqq.)

17. *G. B. de Rossi* (Roma Sotteranea, Roma 1867. II. p. 236 sq.) : L'uso costante della lingua greca in quegli epitaffi (dei romani pontefici) è prova manifesta, che greco fu il linguaggio ecclesiastico della chiesa romana nel secolo terzo... Circa la fine del secolo terzo, o volgendo il quarto, la greca lingua ecclesiastica cedette in Roma il luogo alla latina ».

18. *Euseb.* H. E. V. 24 (in epistola Polycrat. Smyrn. ad Victor.) IV 14 (M. 20, 508, 337).

19. *Tertull.* de praescr. 36 (M. 2, 49); cfr *Probst* Liturgie der drei ersten Iahrh. (Tübingen 1870 p. 12 sq.).

20. *S. Hieron.* de vir. ill. 53 (M. 23 661) : « Tertullianus presbyter *nunc demum primus* post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur »; cfr *Wiseman* l. c. (M. D. Ev. XVI. 286), *Le Hir* Études bibl. I. 266 sq.

21. *Le Hir* l. c. p. 268 : « La multitude des noms grecs qui sont entrés dès l'origine dans la langue de l'Église et devenus populaires pour désigner les personnes et les lieux sacrés, les circonscriptions ecclésiastiques etc., suffirait pour nous montrer combien la langue grecque tenait de près, même en Occident, à tout ce qui se rattache au culte chrétien. Les noms de tous les ordres du clergé, à l'exception des deux ordres inférieurs de lecteurs et de portiers [lectores et ostiarios Graeci in numero ordinum hodie quoque non habent] sont grecs. Les noms d'église, cimetière, crypte, catacombe (basilique), paroisse (paroecia), diocèse, sont grecs; joignez-y les noms de moine (monachus), anachorète, catéchumène, etc. Remarquez surtout que plusieurs de ces termes, étrangers à l'Écriture sainte, ont été introduits par l'Église; il vous sera difficile ensuite de nier qu'elle n'ait d'abord parlé grec, même en Italie et à Rome ».

22. Protestantes, qui Bibliis impressis et divenditis ethnicos convertere ad christianam religionem se posse putant, Apostolos quoque fingunt Biblia distribuisse, ideoque non est mirum, quod *ipsi* ecclesiam primitivam quandam, quae libris sacris in linguam popularem translatis caruisset, exstitisse negent. At recte iam monet ipse *Reuss* (Gesch. d. N. T. II. p. 187), originem versionum non esse definiendam ex privatorum hominum necessitatibus (« Die Vorstellung von der Entstehung der alten Uebersetzungen darf überhaupt nicht beherrscht werden von der Rücksicht auf etwaige Bedürfnisse der Privaterbauung, welche in nichtgriechischen Kreisen wohl erst in Folge œffentlicher und kirchlicher Sitte sich einstellten »); multo clarius et fortius *Th. Zahn* (Gesch. des neutestam. Kanons. 1888 I. p. 39 sqq.) praeiudicium illud protestanticum impugnat, quo statuitur, versiones Scripturarum exortas esse, quia privati homines illis ad suam privatam aedificationem indiguissent, ac nobiscum monet, nec celticam nec punicam versiones exstitisse, quamvis inter Celtas et Poenos Evangelium valde esset propagatum. Quapropter a rhetorica quadam exaggeratione excusari nequeunt aliqui Patres 4. et 5. saeculo, qui illum rerum statum quem in suis ecclesiis viderunt, ad omnes fideles extenderunt, quum omnibus linguis iam Scripturas adesse assererent. Inter quos *S. Chrys.* (in Ioan. hom. 2, 2. M. 59, 32) : « Syri et Aegyptii et *Indi* et *Persae* et Aethiopes et *sexcenti alii populi* (καὶ μυρία ἕτερα ἔθνη) in suas linguas transferentes eius (sc. Ioannis illiterati) dogmata, licet barbari essent, philosophari didicerunt »; et *Theodoret.* (De natur. hom. or. 5. M. 83, 948) : « et Hebraeorum lingua non in Graecorum tantum linguam versa est, sed etiam in Romanorum et Aegyptiorum, *Persarum*, *Indorum*, Armeniorum, *Scytha-*

rum, *Sauromatarum* atque, ut brevi dicam, in linguas *omnes, quibus omnes populi hucusque utuntur* ». Iure merito *Blanchin*. Evang. quadrupl. I. 78 : « nationum paene universarum iam tum exstitisse versiones vernaculas mihi persuadere vix ac ne vix quidem possum » etc.

2.) Altera ratio, qua africana versionis origo demonstratur, ex ipsa eius lingua desumitur[23]. Latinus enim sermo, quo exaratam eam esse apparet, non est ille, quo profani scriptores *romani* secundo (nedum primo) saeculo usi sunt; quam longissime potius ab illo distat, quare quum ethnici ob eius rusticitatem libris sacris irriderent, *Arnobius* latinas Scripturas ab eorum irrisionibus vindicandas esse censuit, uti olim graeci Patres graecas Scripturas vindicaverant (105) : « quomodo id, inquit, quod dicitur, minus verum est, si *in numero* peccetur *aut casu, praepositione, participio, coniunctione?* Pompa ista sermonis, et oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro iudiciisque servetur deturque illis, qui voluptatum delinimenta quaerentes omne suum studium verborum in lumina contulerunt... Quamquam si verum spectes, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quaenam enim est ratio naturalis aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut *hic paries* dicatur et *haec sella,* quum neque sexus habeant femininis generibus masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit, ipsum *hic* et *haec* quid sint... Et tamen, o isti, qui pollutas res nostras vitiorum criminamini foeditate, stribiligines et vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius *haec utria,* alius dicitis *hos utres? coelus* et *coelum?* non item *filus* et *filum?...* nonne item apud vos est positum *hoc pane* et *hic panis? hic sanguis, hoc sanguen?...* Atqui vos conspicimus et res masculinas feminine, et femininas masculine, et quas esse dicitis neutras et hoc et illo modo sine ulla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa indifferenter his uti, et *frustra nos dicitis soloecismorum obscoenitate deformes,* aut si certum est singula quibus debeant rationibus explicari, in similibus vitiis vos quoque versamini, quamvis Epicadios omnes, Caesellios, Verrios, Scauros teneatis et Nisos » (sc. celeberrimos grammaticos)[24]. At rusticum illum sermonem, in quem translatae sunt Scripturae, eundem ipsum esse, qui ab africanis scriptoribus adhibitus est, multis exemplis allatis iam demonstravit *Wiseman*[25]; *Roensch* autem, qui accuratissime et diligentissime antiquae versionis proprietates collegit et cum afrorum scriptorum dictionibus comparavit, asserere non dubitavit, « omnino certum videri atque indubitatum, dictionis proprietates multorum illorum, quae supersunt, Italae fragmentorum africanam prodere dialectum »[26].

Cuius argumenti vim infringere conatus est *Gams* asserens, easdem

proprietates in latinis Pastoris Hermae, operum Irenaei, fragmenti muratoriani interpretationibus inveniri, quarum primam et tertiam Romae factas esse pro certo habet[27]. At quomodo assumtum hoc probetur, nemo facile dixerit. Nam fragmenti muratoriani translatio quandonam et ubi facta sit, prorsus incompertum est, immo etiam, num sit ex graeco translatum, controvertitur (63.); item Hermae Pastorem *Romae* ex graeco latine esse versum, nemo hucusque demonstravit; non sine ratione Tertulliani tempore interpretationem latinam Pastoris iam adfuisse tantum non omnes concedunt, ita ut pauci admodum anni ab eius editione usque ad eius translationem effluxerint; ab eorum enim partibus stamus, qui ob fragmenti muratoriani auctoritatem Hermam, auctorem Pastoris, fratrem Pii I. fuisse tenent[28]. Romae autem, qua in urbe liber scriptus est, paucis iam annis postea eius versionem necessariam fuisse, quis credet? Rectius igitur eius quoque interpres inter Afros quaerendus est.

Quae quum ita sint, longe probabiliorem dicimus eorum sententiam, qui antiquae Scripturarum versionis latinae originem Africae proconsulari attribuunt, qua in provincia, quum graeca lingua parum esset cognita, liturgia, statim atque ecclesiae fundatae sunt, procul dubio latine celebrari coepta est. Quum vero eius sermo parum esset latinus vocabulisque vulgaribus et barbaris formis scateret, sibi quisque eius corrigendi ius arrogavit, vel ut Augustini verbis utar « cuicumque in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari », i. e. antiquae versioni nova sua inserere interpretamenta[29]. Unde deinde tempore Hieronymi « tot paene erant exemplaria quot codices », i, e. quam plurimae eiusdem versionis recensiones. Africanum autem versionis colorem, quando exeunte saec. 3. Romae liturgiae graecae latina successit, Romanis Italisque summopere displicuisse facile concipitur, nec mirum, quod in Italia adornata sit recensio accuratior, quam ab eius originis loco *Italam* vocatam, « quum esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiae », S. Augustinus reliquis praeferendam duxit.

23. Accuratius loquemur, si *Romam* non esse versionis latinae patriam ratione linguae demonstrari dicimus. Similes enim latinae linguae proprietates, quas africanismos nominamus, quia ex africanorum scriptorum operibus maxime nobis innotuerunt, in aliis romani imperii provinciis, in quibus lingua latina facta est vernacula, atque in ipsis Italae septemtrionalibus partibus vulgares videntur fuisse (cfr *Roensch* Itala u. Vulg. p. 7); attamen notatu dignum est, in tota Gallia saltem meridionali inter Christianos saec. 2. et 3. p. Chr. graecam magis quam latinam linguam in usu fuisse (cfr *Zahn* l. c. p. 44 sqq.); similiter in Italia meridionali ac Sicilia graeca lingua praevaluit etc.

24. *Arnob.* adv. Gent. I. 59; cfr etiam 57. 58. (M. 5, 797).

25. *Wiseman* l. c. (M. Dem. Evang. XVI. 287-299).

26. *Rœnsch* Itala u. Vulg. p. 5 « So viel scheint gewiss und gegen jede Einrede gesichert zu sein, dass die Spracheigenthümlichkeiten der zahlreichen Bruchstücke der Itala, die uns noch zu Gebote stehen, der africanischen Diction zugehören und auf dem Roden Africa's (des proconsularischen) erwachsen sein müssen. Diese jedem unbefangenen Blicke sich darstellende originale Localfärbung... ist es, was uns nach Africa weist ».

27. *Gams* Kirchengesch. Span. p. 87, cuius argumentis, uti recte tenet *Himpel* (Tüb. Quartalschrift 1876 p. 739), sententia auctorum illorum, qui Africam esse patriam latinae versionis docent, nequaquam est labefactata : « Die Ansicht der besten Auctoritæten, wie Wiseman, Fritzche (addamus Roensch), dass nicht Italien, sondern Africa die Heimath der Itala sei, ist ernstlich durch Niemand, auch nicht durch Gams, erschüttert ».

28. *Nirschl* Patrologie I. p. 86, ut sententiam suam, Pastorem ab Herma Apostolorum discipulo esse conscriptum defendat, muratorianum fragmentum de iuniore Herma Pastoris *interprete* loqui contendit. At nemini non mirum videri puto, quod auctor fragmenti, qui Romae scripsit, hac inq uaestione errasse dicatur; Hermae enim, Pii I. fratri, aequalis erat (« nuperrime nostris temporibus in urbe Roma Hermas conscripsit »).

29. Attende, graecos quoque codices ea aetate quam maxime variasse, atque hexaplares quoque editiones in Occidente esse propagatas (*S. Aug.* de Civ. D. XVIII. 43. M. 41, 604; *S. Hier.* ad Aug. ep. 112, 19. M. 22, 928). Unde latinarum lectionum varietatis fons novus isque uberrimus; ad quem non satis animum adverterunt, qui ex magna latinarum lectionum varietate multitudinem versionum colligere voluerunt.

138. — De veteris latinae vel, uti vocari solet, italae versionis origine quid probabilius sentiendum sit, explicavimus; iam de eius *indole* agendum erit. Praenotemus autem oportet, eam nec puram nec integram nobis esse conservatam, quare etiam non nisi magis minusve probabilia statuere possumus.

Etenim medio saec. 4. ita iam depravatus est latinus Scripturarum textus, ut illum rerum statum tolerari diutius non posse censerent Romani Pontifices. Quare S. Damasus *Hieronymum*, qui per multos annos in Oriente studiis scripturisticis vacaverat, latinam versionem emendare iussit. Qui statim opus aggressus « Romae positus » Psalterium « iuxta septuaginta interpretes licet cursim, magna tamen ex parte correxit » [1], atque eodem anno (383) Evangelia quoque ad fidem graecam revocavit; qua in editione, « ne multum a lectionis latinae consuetudine discreparet, ita calamo temperavit, ut his tantum quae sensum videbantur mutare correctis reliqua manere pateretur, ut fuerant » [2]. Sunt qui dubitent, num reliquos Novi Test. libros eodem modo S. Doctor emendaverit; dubitandi autem ratio est, quod praefationes, quibus laboris impensi rationem methodumque explicet, libris a se translatis vel emendatis praemittere solitus fuerit, nullum vero vestigium prae-

fationum reliquis Novi Test. libris praemissarum ad nos pervenerit. Quae causa levis est; haud semel enim se « *Novum Testamentum* graecae fidei reddidisse » asserit et de « *Novi Testamenti* emendatione » loquitur[3]; atqui non tantum nulla apparet ratio, cur clara haec verba ad sola Evangelia restringantur, sed etiam illa restringere non licet, quia in epistola ad Marcellam, ut modum defendat, quo latinorum « codicum vitiositatem ad graecam originem revocaverit », exempla omnia ex epistolis Paulinis desumit[4]. Mortuo S. Damaso (384) Roma in Orientem reversus S. Hieronymus Caesareae editionem hexaplarem Origenis reperit, et quia prior Psalterii correctio ei non satisfecit, illud iteratae emendationi ad istum textum, retentis eius signis diacriticis, subiecit[5]. Psalterio absoluto librum Iob eodem modo emendavit, quae emendatio S. Augustino adeo probabatur, ut eam in suis adnotationibus adhiberet[6]. Proverbia quoque, Ecclesiasten, Canticum, Chronica eum ad hexaplaris textus fidem revocasse docent eius praefationes, quas adhuc possidemus[7]. At praeter sex hos libros eum reliquum quoque Vetus Test. eodem modo eademque cum cura emendasse docent haud pauci loci, in quibus de integra septuagintavirali Scriptura a se edita loquitur[8]. Post quos omnes labores ad veterem versionem emendandam susceptos ipse novam protocanonicorum V. T. librorum ex textu hebraico adornare coepit, quae quum inde a saec. 6. exeunte in communem usum reciperetur, causa fuit, ut vetus neglecta perierit iis fere solis exceptis, quae aut in Vulgatam nostram transierunt aut in antiquiorum Patrum operibus allegata inveniuntur. In Vulgata hodierna ex vetere translatione conservantur Novum Test. integrum a S. Hieronymo emendatum, Psalterium ad textum hexaplarem ab eo revocatum, ac libri deuterocanonici (exceptis Tobiae et Iudith libellis, quos ex aramaico textu vertit, fragmentisque Estheris et Danielis ex graeco translatis); reliqua Veteris Test. fragmenta superstita ultimis his tribus saeculis partim e codicibus quibusdam partim ex Patrum operibus collecta et digesta sunt[9].

1. *S. Hier.* Praef. ad Psalt. — Prior haec Psalterii emendatio Romae in liturgia adhibita nomen *Psalterii romani* accepit. In usu ecclesiarum Italiae permansit usque ad S. Pii V. aetatem, qui in correctum Breviarium alteram S. Hieronymi emendationem (excepto Psalmo 94. invitatorio) inseri iussit, vaticanae soli basilicae, ecclesiae mediolanensi et venetorum ducum sacello privilegio concesso, ut romanum Psalterium retinerent. In Missali quoque retinetur eadem emendatio romana.

2. *S. Hieron.* ad Damas. Praef. in Evang.

3. *S. Hieron.* ad Lucin. ep. 71, 5; ad August. ep. 112, 20; de vir. ill. 135 etc. (M. 22, 671. 929; 23. 717).

4. *S. Hier.* ad Marc. ep. 27, 1. 3 (M. 22, 431 sq.); cfr *Vallarsii* Praef. ad Op. S. Hier. X. (M. 29. 19 sqq.), *Kaulen* Gesch. d. Vulg. p. 158.

5. *S. Hieron.* Praef. ad Psalt. — Altera haec emendatio, quia in Gallia statim ad usum liturgicum adhibita est, *Psalterium gallicanum* appellatur; sed paullatim aliae quoque ecclesiae illud receperunt, et Pius V illud Breviario romano inseruit. In Vulgata quoque nostra illud habemus.

6. *S. August.* ad Hier. ep. 71, 2 (M. 33, 242); *S. Hier.* Praef. 1. et 2. in Iob. Emendationem hanc in codice bibliothecae Maioris-Monasterii repertam edidit *Martianay* inter S. Hieronymi opera (M. 29, 61 sqq.).

7. *S. Hier.* Praef. 2. in Paral.; c. Ruf. II. 31 (M. 23, 454) : « Salomonis libros, quos olim iuxta septuaginta additis obelis et asteriscis in latinum verteram, » etc.; cfr praefationem in libros Salomonis iuxta septuaginta, quam tamen interpolatam censet Vallars.; cfr M. 29, 403.

8. *S. Hier.* ad Lucin. ep. 71, 5 (M. 22, 671) : « septuaginta interpretum editionem... ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi »; c. Rufin. II. 24 (M. 23, 448) : « egone contra septuaginta interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meae linguae studiosis dedi ». Interdum de septuaginta vel hexaplis a se latine *versis* loquitur (ad Sun. et Fret. ep. 106, 2. M. 22, 838 : « ea, quae habetur in ἑξαπλοῖς et quam nos *vertimus* »), at id eo sensu intelligendum videtur, quod illa, quae in hexaplis sub asterisco addita erant, latine translata recensioni suae inseruerit (cfr 137 n. 11).

9. Primi qui veteris latinae interpretationis fragmenta collegerunt, fuerunt *Flam. Nobilius, Agellius* eorumque socii, quorum studio concinnatum est « Vetus Test. secundum LXX latine redditum ex auctoritate Sixti V. » (Romae 1588); pleraque ex Patrum operibus desumta sunt. Ex antiquis deinde codicibus ediderunt *I. Martianay* Evangelium Matthaei et epistolam Iacobi (Paris 1695), *Thom. Hearnius* Acta graeco-latina e cod. laudiano (Oxon. 1715); quos longe superavit *P. Sabatier* magno suo opere : « Bibliorum latinae versiones antiquae sc. vetus itala et quaecumque in manuscriptis et antiquorum libris reperiri potuerunt » (Remis 1739-49). Circa idem tempus *I. Blanchinius* variorum librorum fragmenta et praesertim Psalterium e cod. veron. edidit in suis « Vindiciis canon. Scriptur. vulg. latin. editionis » (Romae 1740); neque minus bene meruit edendo « Evangeliarium quadruplex latinae vers. antiq. » (Romae 1749). — Hoc nostro saeculo multo plura reperta vel accuratius edita sunt : 1.) Ad V. T. quod spectat, *Pentateuchi fragmenta* a *C. Vercellone* (Variae lectiones Vulg. I. 182 sqq. 307 sqq. 586 sqq.), *Ern. Ranke* (Par Palimpsestorum Wirceburg. Vindob. 1871)., *Ul. Robert* (Pentateuchi versio lat. antiquissima e codice Lugdun. Paris 1881; pars huius codicis fraude ablata iam prodierat : « Levitici et Numeror. vetus versio e cod. ashburnharmiensi » Londini 1869); *librorum historicorum fragmenta* collecta et edita a *Vercellone* (l. c. II. 78 sqq.), *Haupt* (Veteris versionis antehieronym. fragm. Vindobonae 1877); *propheticorum* a *Muenter* (Fragm. vers. antiq. latin. Ieremiae etc. Kopenhagen 1819), *Ranke* (Par Palimpsestorum etc., et Fragm... Hoseae, Amosi, Michaeae. Marburg 1856. Vindob. 1868). Cfr de hisce *Danko* De S. Script. comment. p. 206 sqq., *Fritzsche* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VIII. 442 sq., *Ziegler* Die latein. Bibelübers. p. 102 sqq. — 2.) Quae ad N. T. spectant maioris sunt momenti; Italae enim codices nobis graecum textum Hieronymo antiquiorem exhibent; inter illos, quos superstites habemus quique literis minusculis (a. b. c.) designantur, praecipui sunt Evangeliorum : *vercellensis* (a.), *veronensis* (b.), uterque saec. 4 et una cum *brixiano* (f.) saec. 6 editi a Blanchinio (Evang. quadruplex), *palatinus* (e.) ipse quoque saec. 4 (edit. a Tischendorf Lips. 1847), *cantabrigiensis* (d.) graeco-latinus saec. 6. (cfr *supra* 113), *bobiensis* (k.) saec. 5. vel 4. (ed. Tischend. in Annalibus Vindobon. 1847) etc. Actuum *cantabrig.*

(d.), *laudianus* (e.) saec. 6. (post Hearnium aliosque edit. a Tischend. Monum. IX. Lips. 1870). Epistolarum catholic. *corbeiensis* (f. f.), quem iam ediderant Martianay et Sabatier. Paulinarum *claromontanus* (d.), *sangermanensis* (e.), *augiensis* (f.) etc., quos *supra* (113) attigimus. Cfr *Tischendorf* N. T. gr. Ed. 7. Proleg. p. CCXLII; *Scrivener* Introd. to the critic. of the N. T. p. 342-347; *Danko*, *Fritzsche*, *Ziegler* ll. cc. — Ex Tertulliani operibus collegit *Roensch* « Das Neue Testament Tertullians » (Leipz. 1871).

Quibus praemissis pauca de *Veteris Latini indole* delibabimus. *Linguam*, qua utitur, illam ipsam esse, quae in provinciis atque maxime in Africa proconsulari a plebe fere adhibebatur, iam diximus. Uti fieri fere solet, rustici et plebeii, accuratioribus grammaticae regulis spretis, certam quandam libertatem, ne dicamus licentiam, et in vocabulis eligendis et in substantivis verbisque flectendis et in construendis phrasibus sibi usurpant. Non pauci quidem soloecismi sive orthographici sive grammatici, qui in codicibus superstitibus deprehenduntur, negligentiae et ignorantiae librariorum iure attribuuntur; at multos quoque ipsi interpreti deberi certum est, eos nimirum omnes, qui in pluribus vel omnibus codicibus inveniuntur, aut quos ab Afris usurpatos esse opera africanorum scriptorum docent. Vetus latinus interpres cum S. Gregorio M. dicere potest : « non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque praepositionum casusque servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati ». A suis popularibus intelligi voluit, et cum Augustino cogitavit : « melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos deserti estis » [10]. Huius loci non est rusticam plebeiamque linguam latinam describere; longe melius enim et accuratius, quam nos possumus, id alii iam praestiterunt; illae autem partes, quae ex antiqua versione in Vulgatam nostram receptae sunt, vel solae, si attente considerantur, nos docent, eam vocabula longiora plenioraque consuetis praetulisse, nova vocabula finxisse, genera declinationesque et coniugationes confudisse, ad modorum differentiam non semper attendisse, relationes illas, quae solo casu exprimi a Latinis solent, praepositionibus indicasse, difficiliorem constructionem accusativi cum infinitivo evitasse etc. [11]. At illud quoque minime est omittendum, latinum interpretem, quum graecum textum, quem prae manibus habuit, quam accuratissime reddere vellet, non tantum vocabula multa graeca retinuisse, sed etiam nova vocabula ad graecum, ut ita dicam, modum efformasse atque constructiones graecas esse imitatum [12]. Unde satis magna inter eius linguam et eam, qua cultiores scriptores latini ea aetate sunt usi, exorta est differentia.

10. *S. Gregor. M.* Moral. Praef. 5 (M. 75, 516); *S. August.* Enarr. in Ps. 36. Serm. 3, 6 (M. 36, 386).

11. Cfr *Hagen* Sprachl. Erœrterungen zur Vulg. (Freib. 1863); *Kaulen* Handb. zur Vulg. (Mainz. 1870), ac praesertim *Roensch* Itala u. Vulg. (Marburg. 1869), qui ditissimam exemplorum copiam collegerunt atque digesserunt, quibus dialectus Veteris Latini dignoscatur. Ex illis pauca adscribam. a.) Vocabula pleniora amat, inter quae substantiva terminata in *mentum*, *men*, *monium*, *arium*, *culum*, *ura* etc., adiectiva terminata in *bilis*, *alis*, *osus*, *anus*, *arius* etc., adverbia terminata in *im*, *iter*, verba derivata a substantivis vel adiectivis vel adverbiis (*aeramentum*, *adiuramentum*, *vitulamen*, *gaudimonium*, *cellarium*, *cinctorium*, *offendiculum*, *capillatura*, *sufficientia*, *ascensor*, *dulcor*, *viror*, *albugo etc.*; *acceptabilis*, *incorruptibilis*, *aeternalis*, *subiugalis*, *caliginosus*, *linguosus*, *hortulanus*, *quatriduanus*, *polymitarius*, *stabularius*, *tremebundus etc.*; *commixtim*, *particulatim*, *iugiter*, *infirmiter*, *sufficienter etc.*; *aeruginare*, *dulcorare*, *amaricare*, *baiulare*, *deteriorare*, *minorare*, *pessimare*, *elongare*, *manicare* etc.). Pleraque ex his vocabulis, quae plurima sunt, scriptoribus argenteae (nedum aureae) aetatis non erant usitata. b.) Genera, declinationes, coniugationes confunduntur : *cubilis tuus*, *ficulneas meas*, *castellus*, *retia* (sing. pro « rete »), *lampada*, *fructi*, *spirito* (spiritu), *accubitos* (accubitus) etc.; *fodire*, *fugire*, *linire*, *odire* (odisse) etc.; deponentia frequentissime passivo sensu adhibentur etc. c.) Praepositiones aliquae (praesertim : *in*) sine certa regula cum accus. vel cum ablat. coniunguntur; haud raro cum verbis illis adhibentur, quorum relatio solo casu exprimi solet : *misereor super aliquem* vel *de eo*, *ulciscor contra aliquem* vel *de aliquo* etc. d.) Pro participio inservit gerundivum (*pertransiit benefaciendo*), gerundiva subiectum et obiectum admittunt, ac si essent formae finitae (*in convertendo Dominus captivitatem Sion*); verba declarandi etc. fere semper coniunguntur cum « *quod* », « *quoniam* », « *quia* », quae ipsa dein aut indicativum aut coniunctivum sine ulla certa regula post se trahunt; coniunctivus in interrogationibus indirectis et post coniunctiones haud raro negligitur; coniunctiones « *quin* », « *quominus* » etc. fere incognitae sunt etc.

12. Vocabula graeca retenta : *agonia*, *agonizare*, *aporia*, *aporiari*, *bravium*, *anathematizare*, *scandalum* etc. Vocabula composita : *longanimitas* (μακροθυμία), *pusillanimitas* (ὀλιγοψυχία), *multiloquium* (πολυλογία), *vaniloquium* (ματαιολογία); *a foris*, *ab intus* (ἔξωθεν ἔσωθεν), *desursum* (ἄνωθεν), *de longe* (μάκροθεν), *amodo* (ἀπ' ἄρτι etc.). Graecorum genus, numerus, casus interdum retinentur (« *Spiritus* [τὸ πνεῦμα] *Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet* [τὸ σύνεχον sc. πνεῦμα] *omnia* etc.; *quae sunt Spiritus Dei... spiritualiter examinatur* [τα τοῦ πνεύματος... ἀνακρίνεται] etc.; *fortiora horum* [ἰσχυρότερα τούτων] *audivit auris mea*; *calcea te caligas tuas*; *dominantur eorum* [κατακυριεύουσιν αὐτῶν]; *increpet Dominus in te* [ἐπιτιμήσαι κύριος ἐν σοί]; *nihil eum nocuit* etc.). Maximus autem graecismorum numerus in usu infinitivi, participiorum et coniunctionum; huc spectat infinitivus ad finem indicandum (*existis cum gladiis comprehendere me*; *scripsi vobis non commisceri*), infinitivus post verbum habendi (*baptismo habeo baptizari*) etc., participium loco infinitivi (*quum consumasset Iesus praecipiens*), Abl. absol. pro participio (*transeunte Iesu secuti sunt eum duo caeci*), coniunctio ante orationem directam (*negavit cum iuramento quia* [ὅτι] *non novi hominem*) etc.

Ad *interpretationis modum* quod attinet, tantum non certum est omnes libros non eundem habere auctorem; quamvis enim similis omnium sit sermo, tamen alii aliis melius sunt translati, et recte

iam monuit *Goldhagen* « integram non ab uno effluxisse auctore, diverso dicendi genere indicari » [13]. Quot vero interpretes admitti oporteat, definiri non potest, quum ne unum quidem librum possideamus, qui a iunioribus correctoribus et librariis ita non sit mutatus, ut primitiva eius forma nos lateat. Quidquid autem de interpretum numero versionisque integrae multiplici recensione statuitur, in multis, quae nobis conservata sunt, fragmentis duplex ille character apparet, ob quem Augustinus italam recensionem reliquis praeferendam duxit, quia nimirum verborum esset tenacior cum perspicuitate sententiae. Quam tenaces verborum antiqui illi fere omnes interpretes latini fuerint, innumeri iam docent graecismi, quorum mentionem fecimus; at tenacitatem hanc cum perspicuitate coniunctam in non paucis quoque deprehendimus vocabulorum phrasiumque translationibus [14].

Textum demum, quem secutus est primus interpres, satis purum fuisse, iam ex tempore, quo adornata est versio, iure coniicimus; quare omnia quidem, quae nobis supersunt, fragmenta summi sunt critici valoris, maxime autem illa, quae N. T. partes continent.

13. *Goldhagen* Introd. I. 320; cfr *Fritzsche* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VIII. 440. Sunt qui ex non raris hebraismis, qui in vetere lat. interpretatione inveniuntur, colligunt interpretem « fuisse Iudaeo-christianum ex Oriente oriundum » (*Zschockke* Hist. sac. A. T. p. 433; cfr *Kaulen* Einl. p. 113 et ed. 3 p. 135); at hebraismi illi ex alexandrina versione V. T. et ex graeco N. T. textu in latinam transsumti sunt.

14. Ex. gr. ἐξουθενόω « secundum disertissimum istius temporis interpretem », ut habet *S. Hier.* (ad Sunn. et Fret. ep. 106, 57. M. 22, 857), redditur *annihilare* vel *annullare* vel *nullificare*; ἀποσφράγισμα *resignaculum*, quam quidem interpretationem κακοζήλως factam censet *Hier.* (in Ezech. 28, 12. M. 25, 269), at graecas praepositiones in vocabulis compositis non sine ratione retinere amat vetus latinus: *commori*, *compati*, *convivificare*, *conglorificare*, *contrasistere* (ἀντιτάσσεσθαι), *exfornicari* (ἐκπορνεύειν), *superordinare* (ἐπιδιατάσσεσθαι), *conrecumbere* (συνανακεῖσθαι), *discooperire* (ἀποκαλύπτειν), *superextendere* (ὑπερεκτείνειν), *subintroire* (παρεισέρχεσθαι) etc., quibus accuratius haud dubie sensus vocabuli redditur. Ita quoque χάρισμα in oppositione ad ὀψώνιον (*Rom.* 6, 23) accuratius redditur a vetere « *donativum* », quam a correctore « *gratia* »; *1 Cor.* 4, 9 ἐπιθανάτιος melius « *bestiarius* », quam « *morti destinatus* » etc.; cfr *Roensch* l. c. p. 4.

II. *Aegyptiacae vel copticae.*

139. — Ab Alexandri M. aetate Aegyptus, quam pridem iam coloni graeci haud pauci incolere coeperant, provincia quaedam graeca facta est, ita ut inferioris terrae urbes et oppida graecam linguam vulgarem haberent. Quare quamdiu post S. Marci adventum Evangelium in inferioris Aegypti urbibus et oppidis propagabatur, neophyti, sive ex Iudaeis sive ex Graecis ad Ecclesiam accesserunt, Scri-

ptura alia praeter alexandrinam Veteris Test. versionem et graecum Novi textum non indigebant; graeca enim fuit primitiva ecclesiarum alexandrinae et aegyptiacae liturgia. At priscorum Aegyptiorum posteri, licet per tria saecula sub Ptolemaeorum dominatione degissent, priscam suam linguam oblivioni non dederant; graeca enim, quamvis late sub Ptolemaeis propagata esset, in templa aegyptiaca et antiquum cultum religiosum nunquam est admissa; rari quoque graeci advenae in Aegyptum superiorem pervenerant, et in inferiore sola oppida videntur tenuisse. Indigenae igitur aegyptii suam propriam linguam initio aerae christianae possederunt, eandem scilicet, quam ex antiquorum Aegyptiorum inscriptionibus hieroglyphicis hieraticisque et demoticis papyris hodie cognovimus. Eam longo saeculorum decursu, quo Aegyptus literas artesque excoluit, non parvas subisse mutationes, non est quod dicamus; antiquam linguae formam nobis exhibent monumenta hieroglyphica et pleraque hieratica; postquam enim in usu vulgari esse desiit, in cultu sacro adhiberi perseveravit; iuniorem quandam formam, quae inde a Psammetichi fere aetate (7. a. Chr. saec.) invaluit, praebent documenta demotica; recentissimam demum possidemus in libris christianis, in quibus etiam, antiquis scribendi formis relictis, novum scribendi modum adhibuerunt; graecum enim alphabetum adoptarunt, sex septemve novis additis literis ad sonos quosdam linguae proprios exprimendos[1].

Utrum antiqua lingua aegyptiaca diversas habuerit dialectos necne ignoramus; illa autem linguae forma, qua indigenae christiani primis nostrae aerae saeculis usae sunt, quaeque hodie in oppositione ad antiquam aegyptiacam *coptica* nuncupatur, tribus dialectis distinguebatur[2]. Alia enim fuit dialectus in superiore, alia in inferiore, alia in media terra et in oasibus occidentalibus usurpata; prima vocatur *sahidica* vel thebaica, altera *memphitica* vel bachirica, tertia *bashmurica* vel fajumica, quam aliqui a deltae inferioris pastoribus agricolisque adhibitam esse haud recte coniecerunt[3]. Omnes tres adeo excultae erant et politae, ut libris conscribendis inservirent, atque omnibus tribus conservatae nobis Scripturarum versiones, de quarum origine et indole iam pauca sunt dicenda.

1. De antiqua Aegyptorum lingua et scriptura earumque ad linguam copticam relatione conferendae sunt hieroglyphicae et demoticae grammaticae (*Champollion*, Grammaire égyptienne, Paris, 1836; *Brugsch* De natura et indole linguae popularis Aegyptiorum Berolin. 1850, *eiusdem* Grammaire démotique, Berl. 1855, Grammaire hiéroglyphique, Leipz. 1882 ac praesertim *eius* recens opus : Die Aegyptologie, Abriss der Entzifferungen und Forschungen auf dem Gebiete der aegypt. Schrift, Sprache etc. Leipzig 1891.

2. Ad Coptorum nomen quod attinet longe probabilior est eorum sententia, qui

illud a nomine oppidi Koptos derivari negantes (quod oppidum nunquam tantae erat auctoritatis et magnitudinis, ut integro populo nomen suum indere potuerit) pro arabica corruptione graeci nominis Αἰγύπτιος habent; Arabes enim hoc nomine indigenas aegyptiacos, qui christianae fidei inhaeserunt, iam saec. 8. designarunt, Copti ipsi autem in sua lingua eo carent (*Schwartz* Das alte Aegypten I. 956). De dialectorum distinctione cfr *Quatremère*, Recherches crit. et histor. sur la langue et la littér. de l'Égypte, Paris, 1808 p. 20 sqq.; *Peyron*, Gramm. copt. p. XX; *Schwartze* D. alte Aegypten I. 1039 sqq. etc. Memphitica dialectus, quae duabus aliis excultior frequentius in libris scribendis adhibita est, quum prima Europaeis innotuerit, a quibusdam sola nomine linguae copticae insignitur (Tischendorf ex. gr. aliique distinguunt versiones copticam, sahidicam, bashmuricam), at parum recte.

3. Cfr *A. A. Giorgi* Fragm. Evang. S. Ioannis graeco-copto-thebaicum. Romae 1789 p. LXVIII; *Quatremère*, Mémoires géographiques et hist. sur l'Égypte, Paris, 1811. I. p. 233.

140. — *Quo tempore* versiones illae sint adornatae et quaenam reliquas antiquitate superet, traditum nobis non est. Quia inter superioris Aegypti minus, quam inter inferioris terrae incolas graeca lingua erat propagata, plerique sahidicam antiquiorem censent; sed hoc argumentum parum roboris habere nobis videtur, quum recte opponatur, ibi procul dubio primam versionem esse adornatam, ubi prima eius necessitas fuit, i. e. in Aegypto inferiore. Etenim ex urbibus et oppidis inferioris Aegypti Evangelium mox ad ruricolas indigenas pervenisse admodum probabile est; quia autem indigenae religiosum cultum eousque propria sua et nativa lingua celebraverant, iure coniicere nobis videmur, primos eorum apostolos eadem quoque lingua liturgiam sacram celebrasse ad quam versio Scripturarum requirebatur; memphiticam igitur versionem esse reliquis antiquiorem. Maiorem vim alterum argumentum habet, quo nonnulli moderni priorem esse sahidicam translationem demonstrare conantur; monent enim in sahidica versione libri Iob deesse additamenta, quae ex Origenis hexaplis in alexandrinae versionis exemplaria transierunt; sed ne hoc quidem argumentum rem evincit, quia ignoramus, quasnam mutationes versiones copticae decurrente tempore subierint. Quidquid autem de hac controversia est[1], dubitare non licet, quin una saltem ex versionibus copticis, immo forte duae, memphitica nimirum et sahidica, medio saec. 3. iam adfuerint, neque improbabile est, eam vel eas iam saec. 2. esse adornatas.

S. Athanasius enim in pulcherrimo, quem de vita S. Antonii (251-356) conscripsit, libello narrat, sanctum illum monachorum patrem, quum puer pravorum sociorum consortium timeret, literis institui noluisse eumque solam linguam suam nativam calluisse, ut cum Graecis non nisi per interpretem colloqui potuerit[2]. Eodem autem

S. Athanasio teste puer iam cum parentibus ecclesiam ingressus diligenter lectioni sacrae attendit, atque iuvenis, defunctis parentibus, ad valedicendum mundo adductus est, quum in ecclesia lectorem pericopen de iuvene divite (*Matth.* 19,16 sqq.) praelegentem audisset[3]. Circa medium igitur saec. 3. in ecclesiis aegyptiacis Evangelium coptice praelegebatur, ac tota proinde liturgia coptice celebrabatur. S. Augustinus eundem S. Antonium « sine ulla scientia literarum *Scripturas divinas* memoriter audiendo tenuisse » refert[4], quae expressio indicat integras tunc temporis Scripturas copticas adfuisse; si quis vero Augustini testimonium hac in quaestione recipere abnuit, parum interest; legat fragmenta sermonum beati monachi, quae Athanasius in eius vita nobis conservavit, et videbit, quot ex Utroque Test. textus in iis allegaverit quantumque ipsi illud persuasum fuerit, quod « aegyptiaca lingua » suos discipulos docuit, sc. « sacras Scripturas ad docendum sufficere »[5]. Ex tota profecto S. Antonii vita apparet, quantopere ea aetate inter indigenas aegyptios libri sacri cogniti fuerint; neque minus clare idem elucet ex regulis, quas S. Pachomius (292-348), S. Antonii coaevus, discipulis suis tradidit. Tria illa millia monachorum, quos paucis annis in primum suum monasterium (Tabennae in Thebaide superiore) attraxit, plerique sine ullo dubio erant indigenae, qui linguam graecam ignorarunt; iam vero nullus in monasterium admissus est, qui non prius aliquos psalmos didicisset, nec quisquam in eo remanere est permissus, « qui non de Scripturis aliquid teneret, ad minimum Novum Test. et Psalterium »; quocumque autem fratres se conferebant, euntibus semper in silentio « aliquid de Scripturis » erat meditandum[6]. Atqui S. Antonius in inferiore et media Aegypto plerosque vitae suae annos commoratus est, S. Pachomius in superiore monasterium suum fundavit : quare ea aetate memphiticam et sahidicam versiones exstitisse tantum non certum est. Uterque coptice quaedam literis mandarunt, prior epistolas, quarum fragmenta supersunt, alter regulas suas, quae postea graece translatae latine redditae sunt a *S. Hieronymo*[7]; ex utriusque autem scriptis apparet, quantam in lectoribus Scripturarum scientiam supposuerint. Utroque antiquior *Hieracas*, qui ex oppido Aegypti Leontone oriundus, teste *S. Epiphanio*[8], « aegyptiacam linguam potissimum calluit Veterisque et Novi Test. scientissimus erat », medio saec. 3. graece et coptice quamplurima scripsit, inter quae commentarios de Hexaemero; quum haeresin suam, quam testimoniis scripturisticis fulcire conatus est, inter monachos praesertim aegyptiacos propagare studeret, necessario concludendum est, inter eos Scripturas omnino cognitas fuisse; at graecam linguam plerique ignorarunt. A vero igitur non aberrabimus, si aut exeunti saec. 2.

aut ineunti saec. 3. unam saltem ex copticis versionibus attribuamus, alteram autem saltem ante finem 3. saec. exaratam esse asseramus[9]; neque videmus, quo argumento refutari is possit, qui antiquiores eas esse dixerit; certum enim est, versionum copticarum initia eadem esse atque initia liturgiarum copticarum[10].

1. Cfr *Bickell* in Innsbr. Zeitschr. für kath. Theol. 1886 p. 347; iuxta *Cornill* (Das Buch des Propheten Ezechiel. Leipzig 1886 p. 36) probabile est, copticam versionem nonnullorum liborum recentiore tempore ad massorethicum textum esse emendatum. Attamen copticae versiones nondum tam accurato examini sunt subiectae, ut aliquid certi de earum fatis tradi possit. Bashmuricae versionis tam pauca fragmenta sunt cognita, ut quae eius fuerit origo ne coniecturis quidem probabilibus definiri possit.

2. *S. Athan.* Vita S. Antonii 1. 72. 74. 77 (M. 26, 841. 944 sqq.); *S. Hier.* (Vita S. Hilar. 30. M. 23, 45) Isaacum unum ex S. Antonii interpretibus nominat.

3. *S. Athan.* l. c. 2. 3.

4. *S. August.* de doctr. christ. Prol. 4 (M. 34, 17); sed hoc testimonium urgere nolumus, quia ipse S. Doctor « pugnaciter agere non vult, si haec quisquam falsa esse arbitretur »; sine literis enim sanctum monachum non fuisse constat, quum scripta quaedam nobis reliquerit.

5. *S. Athan.* l. c. 16-45. 55 etc.

6. *S. Hier.* Regulae S. Pachomii 49. 139. 140. 3. 6. 13 etc. (M. 23, 65, 78).

7. *S. Hier.* Regula S. Pach. Praef. 1; de vir. ill. 88 (M. 23, 63. 693) : « Antonius monachus... misit *aegyptiace* ad diversa monasteria *apostolici sensus sermonisque* epistolas septem, quae in graecam linguam translatae sunt ».

8. *S. Epiph.* haer. 76, 1. 3 (M. 42, 172. 176).

9. Cfr *Hug* Einl. p. 405 sqq. aliasque Introductiones. Ipse *Schwartze* (Das alte Aegypten I. p. 963) saltem omnes Novi et aliquos Veteris T. libros, inter quos Psalterium, iam saec. 2. translata esse concedit.

10. Minime sane iis nos assentiri patet, qui cum *Zosimo* (Fabric. Bibl. Graec. VI. 8) Veteris Testamenti iam Ptolemaei Philadelphi tempore, una cum graeca, copticam versionem adornatam esse censent; quibus enim argumentis haec sententia probabilis reddatur, plane nos fugit.

141. — Utrumque Testamentum ex *graeco* ab Aegyptiis in suas dialectos copticas esse translatum temporis locique ratio, qua versiones exortae sunt, nos docet, et earum *indoles* confirmat. Quam plurimas enim voces graecas atque praesertim particulas, quas sua lingua exprimere non potuerunt, interpretes non mutatas retinuerunt, nomina propria hebraica eo modo, quo in alexandrina versione leguntur, transcripserunt, omnia, quae septuaginta addiderunt vel omiserunt, ipsi quoque in suis versionibus addiderunt vel omiserunt, ordinem, quem septuaginta tenent, sequuntur etc. Quam presse vero et accurate graecum textum, quem prae manibus habuerunt, coptice reddere studuerint, innumera illa graeca vocabula retenta ostendunt, atque merito mirandum est, quod non tantum memphiticus, sed thebaicus quoque

interpres illa retinere non dubitaverit, quamvis in superiore Aegypto graeca lingua nunquam vulgaris fuisse videatur multisque illis laciniis graecis copticus sermo corrumpatur et in pravum detorqueatur [1].

Neque vero inde concludere licet, sahidicam versionem non esse nisi memphiticae recensionem quandam aut memphiticam a sahidica dependere; e contra duas illas versiones prorsus esse diversas distinctasque nec alterutrum interpretem ad alterum respexisse omnes pro certo admittunt, idque iure merito. Textus enim graecus, quem sequitur memphiticus, haud paucis in locis alius fuit, atque is, quem exprimit thebaicus; sed illis quoque in locis, in quibus eundem textum reddunt, interpretationum diversitas independentiam interpretum evidentissime demonstrat; utriusque versionis similitudo ea quidem est, quae exoriatur oportet, si idem textus a fidelibus interpretibus dialectis affinibus et valde vicinis redditur [2], at interdum merito miraberis, quod dialectorum affinitate non obstante vix in uno alterove vocabulo per multos versus consonent.

Quantae igitur in re critica utilitatis sint versiones copticae, neminem latere potest. Duo enim testes ab invicem independentes illum textum graecum nobis exhibent, qui exeunte saec. 2. vel ineunte 3., i. e. Origenis aetate, Alexandriae et in Aegypti ecclesiis vulgatus fuit, quique naevis quidem suis variationibusque non caruit, sed immunis fere fuit ab omnibus illis mutationibus, quas alexandrina V. T. versio post Origenis hexapla propagata intermixtis aliis versionibus graecis et primigenius N. T. textus antiochenis vel byzantinis emendationibus aut potius corruptionibus subierunt. Quem textum, qui haud longe ab illo abest quem Vetus Latinus expressit, interpretes memphiticus et sahidicus accuratius, quam reliqui fere omnes reddiderunt, quum articulos quoque particulasque graecas, quae aliis in linguis vix ac ne vix quidem exprimi possunt, aut coptice transferrent aut graece retinerent. Unde non dubitamus asserere, primitivas copticas versiones fideles fuisse textus graeci imagines.

Eo magis igitur dolendum, quod hucusque earum editiones non sunt factae, quibus tuti ad earum prototypum restituendum uti possimus. Ne unius quidem versionis omnes Utriusque Test. libri typis sunt descripti; ad eos autem libros, qui in lucem prodierunt, edendos pauci tantum e sat multis, qui cogniti sunt, codicibus sunt adhibiti, nec semper meliores et antiquiores, siquidem codices hucusque in Europam allati plerique iunioris sunt originis; sola fragmenta quaedam saec. 10. sunt antiquiora [3].

De *bashmurica* versione, quia eius paucissima, sicut diximus, fragmenta innotuerunt, illud adnotasse sufficiat, eam a plerisque sahidicae

retractationem putari, illis solis mutatis, quae dialecti, quamvis valde vicinae, diversitas, ut mutarentur, postulavit[4].

1. Quod interpretes coptici, quum eorum lingua particulis careret, aliquas graecas frequentiores (μέν, δέ, γάρ, ἀλλά etc.) receperint, id non est mirum; eodem enim modo Syri eas a Graecis mutuati sunt; quod vero plurimas alias, etiam illas quae sese excipiunt, retinere voluerint, id eximium interpretum studium demonstrat, quo quam accuratissime textum graecum reddere conati sunt. Ita copticis literis transcribunt καί γε, καί τοι, ἵνα μήπως, ὅμως μέντοι, ὅτι μὲν γάρ et multas alias. Interdum etiam retinent vocabula graeca, quae aliis in locis vertunt coptice, aut etiam graeca graecis reddunt; quibusdam in locis vocabula graeca vere abundant ex. gr. *Ioan.* 18, 3 : nem hanφanos nem hanlampas nem hanhaplon (μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων); *Act.* 23, 8 : mmon anastasis oude aggelos oude pneuma (μὴ εἶναι ἀνάστασιν μήτε ἄγγελον μήτε πνεῦμα). Cfr *Lightfoot* apud *Scrivener* Introd. to the criticism of the N. T. p. 391. At haec ipsa exempla non obstante graecorum vocabulorum abundantia demonstrant, interpretem suae linguae immemorem non fuisse.

2. *Lightfoot* l. c. p. 400 : « the coincidences are not greater than most have been exhibited by two separate translations in allied dialects from independent texts of the same original; of any mutual influence of the versions of Upper and Lower Egypt on each other no traces are discernible ».

3. VETERIS TESTAMENTI nulla est editio completa. *Memphiticae versionis* Pentateuchum ediderunt D. *Wilkins* (Oxonii 1731), *P. de Lagarde* (Gotting. 1867); Geneseos 1-27 *A. Fallet* (Paris 1854); librorum historicorum fragmenta *Lagarde* (Gottingen 1879); Psalterium *R. Tukius* (Romae 1744), *Ideler* (Berolini 1837), *Schwartze* (Lips. 1843), *P. de Lagarde* (Gotting. 1875); librum Iob *Tattam* (Londini 1846); Proverbia *Lagarde* (1-14 in Psalterii Vers. memph. 1875) et *Bouriant* (integra in Recueil des travaux relat. à la phil. égypt. et assyr. III. Paris 1882); Prophetas minores et maiores *Tattam* (Londini 1836, 1852); solum Baruch edidit *Bschai* (Romae 1870), Danielem *Bardelli* (1849); reliquorum librorum memphiticorum pauca tantum impressa sunt fragmenta. — Etiam *Thebaicae versionis* sola fragmenta edita sunt typis a *Tukio* (in eius Rudim. ling. copt. Romae 1778), *Mingarellio* (Reliquiae Aegypt. Bononiae 1785), *Zoega* (Catalog. codd. coptic. Musei Borgiani, Romae 1810), *Lagarde* (Psalter. memphit. Accedunt thebani psalterii fragm. parhamica. Gotting. 1875 et postea libros Sap. Eccli. et Ps. 101 in Aegyptiaca. Gotting. 1883), *Amelineau* (Recueil etc. Paris 1886-1888), *Ciasca* Sacr. bibl. fragmenta copto sahidica. Romae 1885-90) etc. — *Bashmuricae versionis* quoque fragmenta ex Isaia habes edita ab *Engelbreth* (Fragm. bashm. V. et N. T. Havniae 1811) et *Quatremère* (Recherches... sur la langue et la littérature d'Égypte, Paris 1808).

NOVI TESTAMENTI *memphitici* editionem principem curavit *D. Wilkins* (Oxonii 1716) versione latina addita parum accurata, cuius textum copticum repetiit *Tattam* (Londini 1829. Edit Soc. bibl.); accuratiorem editionem inchoavit *M. G. Schwartze* (Quatuor Evangelia etc. Lipsiae 1846), continuavit sed non debita cum cura *P. Boetticher* (Acta et Epistolae. Halae 1852); splendidam sed parum criticam dedit Societas londin. ad christ. scientiam propagandam instituta (Londini 1847-52. « This edition is quite useless for critical purposes » Lightfoot l. c. p. 277). In ultima hac editione etiam adest Apocalypsis, quae a plerisque codicibus exsulat. — *Sahidici N. T.* nondum habemus completam editionem; postquam *Tukius* (l. c. Romae 1778), *Mingarellius* (l. c. Bononiae 1785 et 1790), *A. Giorgius* (Fragm. Evang. S. Ioan.

Romae 1789) minora quaedam Evangeliorum praesertim fragmenta ediderunt, anno 1799 Oxonii prodiit in lucem « Appendix ad editionem N. T. e cod. Alex. a. C. G. Woide descripti », in qua fragmenta coptica, quae a *C. G. Woide* collecta et ab *H. Ford* edita maiorem thebaici N. T. partem complectuntur; quibus pauca postea addita habemus a *Zoega* (l. c.), *Engelbreth* (l. c.), *Ciasca* (l. c.) etc.

Bashmurici demum N. T. fragmenta aliqua idem *Engelbreth* (l. c.) publici iuris fecit. — De codicibus memphiticis et sahidicis cfr *Lightfoot* l. c. p. 378 sqq. 396 sqq.

4. *Engelbreth* et *Zoega* pauca, quae innotuerunt, fragmenta edidisse diximus; ceterum cfr *Lightfoot* l. c. p. 401 sqq.

III. *Aethiopica.*

142. — Ineunte saec. 4. Evangelium in illam interioris Africae partem, quae hodie Abessinia (Habesch) appellatur, tum temporis autem regnum auxumiticum constituit, allatum est. *Frumentius* enim et *Aedesius*, nobiles iuvenes tyrii, quum iter in Indiam una cum magistro instituissent, ad orientalem Africae oram advecti ab indigenis capti et post violentam magistri mortem Auxumam ad regem deducti sunt. Cuius animum tantopere sibi conciliaverunt, ut moriens eos libertate donaret, regina autem rege mortuo eos rogaret, ut secum, usque dum filius adolesceret, regni sollicitudinem partirentur. Qua felici occasione usi christianos mercatores, qui haud infrequentes illas regiones invisebant, exhortati sunt, ut ecclesias construerent cultumque suum publice exercerent; quo facto indigenae quoque christianam religionem edoceri desideraverunt. Postquam regius puer adolevit, Frumentius et Aedesius in patriam reverti statuerunt; atque Aedesius quidem consilium exsecutus et in patriam reversus Tyriorum episcopus creatus est; Frumentius vero, antequam Tyrum reverteretur, in Aegyptum proficisci maluit, ut Athanasium, magnum Alexandriae episcopum, de rerum auxumiticarum statu certiorem faceret ab eoque episcopos et sacerdotes ecclesiae nascenti efflagitaret. At Athanasius Frumentio meliorem se mittere non posse ratus eum rogavit, ut inceptum laborem continuaret episcopalique dignitate ornatus Auxumam regrederetur. Quibus votis quum annuisset Frumentius, tanto cum fructu inter regni indigenas Evangelium praedicavit, ut « infinitus barbarorum numerus ad fidem sit conversus ». Haec de ecclesiae auxumiticae, vel, uti vulgo appellari solet, aethiopicae, initiis Rufinus tradit attestatus se haec « non vulgi opinione sed ipso Aedesio referente » didicisse[1]. In vera fide tamen non diu perseveraverunt Aethiopes; frustra quidem imperator Constantius Auxumae regem, ut Frumentium expelleret et cum populo suo ad Arianorum partes transiret, exhortatus est[2]; at saec. 6. instigantibus patriarchis alexandrinis, a quibus ecclesia aethiopica adhuc dependet episcopumque suum accipere solet,

in monophysitismum delapsi sunt, cui haeresi hodie quoque plerique inhaerent.

S. Frumentium, quem Abba Salama Abessini appellant, quum episcopus creatus ecclesiam aethiopicam fundare et cultum christianum propagare coepisset, in sacra liturgia celebranda graecam linguam, quae indigenis prorsus erat ignota, adhibere non potuisse, loci temporisque ratione attenta facile intelligitur; ex variis autem dialectis, quae tum temporis inter regni incolas vulgares erant, eam elegit, quae, quia Auxumae, in regni metropoli, atque in regia aula et a magnatibus usurpabatur, nobilior digniorque habebatur; Geez (liberam) eam appellant indigenae, nos eam aethiopicam appellare solemus. Quamvis Auxuma destructa et regni sede aliam in urbem translata dialecto amharicae locum suum cesserit nec amplius hodie in usu quotidiano adhibeatur, in liturgia adhuc retinetur, ut ecclesiae aethiopicae lingua ecclesiastica recte nuncupari possit[3].

Liturgia autem lectiones scripturisticas postulat; quare a priore, ut ita dicam, statui iam potest, Scripturarum versionem aethiopicam eodem tempore, quo liturgiam aethiopicam, adornari coeptam esse, i. e. eam ipsius ecclesiae initia Frumentiique aetatem attingere. Abessini ipsi interdum S. Frumentio eam attribuunt, interdum « novem sanctis viris », sc. novem illis monachis, qui saec. 5. ex Aegypto superiore advenientes monastica vita propagata non parum ad ecclesiae aethiopicae propagationem et confirmationem contulisse dicuntur. Addunt quidem ex arabico textu illos versionem adornasse; at licet hoc certissime sit erroneum, genuinam habemus eorum de versionis suae auctoribus traditionem. Ante medium igitur saec. 4. inchoatam, ineunte autem saec. 5. terminatam esse versionem Scripturarum aethiopicam censemus[4].

1. *Rufin.* Hist. Eccl. I. 9. (M. 21, 478 sqq.); eadem referunt *Socrat.* H. E. I. 19; *Sozom.* H. E. II. 24 (M. 67, 125 sqq.; 996 sqq.).

2. *S. Athan.* Apol. ad Constant. imper. 29 (M. 25, 632): « ecce rumor increbuit, literas Auxumae tyrannis esse datas, ut curarent Frumentium episcopum illinc abduci... populos et clericos omnes adigerent ad communicandum cum ariana haeresi ». Literas Constantii cfr ibid. 31.

3. *Ludolf* De orig., natura, usu ling. aeth. dissertatio (praemissa Gramm. ling. aeth. Fracof. 1702). Linguam aethiopicam ex semiticarum familia vicinam esse arabicae *supra* diximus (96. *n.* 7); de Aethiopum canone cfr 45. *n.* 8.

4. *S. Chrys.* in Ioan. hom. 2, 2 (M. 59, 32) Aethiopes una cum « Syris, Aegyptiis, Indis, Persis, sexcentis aliis populis » enumerat, qui « dogmata christiana in suas linguas transtulerint »; sed nescio an rhetorica haec enumeratio ad aethiopicae versionis antiquitatem demonstrandam adhibere liceat. — Olim de hac quaestione in varias partes disputatum est, aliis partem librorum V. T. iam Salomonis aetate translatam dicentibus, aliis versionem ante 6. vel 7. saec. non exortam putanti-

bus (cfr *Lelong-Masch* Biblioth. s. I. 1 p. 143 sqq.). Hodie quoque *Gildemeister* eam 6. vel 7 saec. attribuit, atque *Lagarde* eam *post* saec. 14. ex arabico vel coptico exemplari exortam esse coniecit; quae sententiae cum historia ecclesiae aethiopicae satis aperte pugnant. Quare standum est communi sententiae, de qua cfr *Dillmann* in Herzog P R E. Ed. 2. I. p. 205 sq.; *Kaulen* Einl. p. 136 (Ed. 3 p. 162); *Scrivener* Introd. to the criticism p. 409 etc.

143. — Utriusque Test. versionem ex *graeco* fonte fluxisse, nemo hodie facile negaverit; nimis clare enim, uti iam *Ludolf* monuit, tota eius indoles graecam originem prodit : « sensus enim, inquit, graecus ubique in aethiopicis exprimitur; graecus ordo graecaeque inscriptiones Psalmorum conservatae sunt, et quod tollit omnem dubitationem, voces graecae difficiliores non explicatae relinquuntur »; ad Novum porro Testamentum quod attinet, errores quidam inveniuntur, qui ex solo textu graeco male lecto explicantur[1]. Neque vero omnes libros ab uno interprete et eodem tempore esse translatos, facile ex versionis indole apparet; eaedem enim res diversis vocabulis redduntur, aliter in Vetere, aliter in Novo Test.[2].

Exemplar suum graecum fideliter et presso pede secuti sunt interpretes, ita ut non sola vocabula, sed saepe etiam eorum ordinem accurate reddiderint raroque aliqua, quae superflua videbantur omiserint; sua fidelitate autem non obstante versio stylo puro scripta est ac praesertim in historicis libris perfacile currit oratio[3]. Per se igitur egregia est versio aethiopica egregiumque adiumentum ad textum alexandrinum istius aetatis cognoscendum nobis praeberet, si pura ad nos pervenisset. At saeculorum decursu illi praesertim libri, qui frequentius leguntur, multis in locis sunt depravati. Iuniores enim correctores ea, quae nimis ad verbum expressa graecum potius quam aethiopicum colorem gerebant, linguae suo genio adaptarunt vel etiam obsoletis parumque usitatis vocabulis usitatiora substituerunt; alii explicationis gratia aut paucas voces aut integras interdum phrases inseruerunt. Unde in codicibus quam plurimae et gravissimae apparent differentiae, nec desunt, qui duas Evangeliorum versiones prorsus diversas admittendas esse censeant; « tuto asserere possumus, inquit *Ludolf*, duas diversas versiones N. T. in Aethiopia exstare »[4]. In Vetere Test. triplicem saltem textum distinguendum esse monet recentissimus eius editor : primitivam sc. versionem, quae non nisi corrupta in paucissimis codicibus inveniatur; recentiorem quandam recensionem ad iuniores codices graecos factam, quae, quum in plerisque codicibus legatur, « vulgata aethiopica » (κοινή) sit habenda; recentissimam aliam correctionem ex textu hebraico factam : quibus demum nova quaedam aliquorum librorum (ex. gr. Iobi) accedit versio paraphrastica[5]. An-

tequam igitur cum fructu pro adiumento critico adhiberi possit aethiopica versio, illius ipsius curanda est editio critica; at nescio num sperare liceat fore, ut unquam primitivus eius textus restituatur; codices enim fere omnes, qui adhuc innotuere, iunioris sunt originis et paucissimi saec. 15. creduntur esse antiquiores[6]. Quare eius auctoritas, sive ad criticum sive ad exegeticum usum attendis, magna censeri non potest.

1. Cfr *Ludolf* in ep. ad Hotting. (Le Long-Masch II. 1. p. 143); *Dillmann* l. c. p. 203; *Kaulen* Einl. p. 135 (Ed. 3. p. 161) qui inter alia haec exempla affert: *Lev.* 11, 5. 17. 19. literis aethiopicis transcripta leguntur nomina graeca δασύποδα, καταράκτην, ἐρωδιόν; cum alexandrina retinet hebraica vocabula סבך, בדק, משפתים (*Gen.* 22, 13; 4 *Reg.* 12, 7; *Iudic.* 5, 16); Novi Test. interpres confudit ἐν ὁρίοις et ἐν ὄρεσιν, οὗς et οὖς (*Matth.* 4, 13; 1 *Cor.* 12, 8); ἄντικρυς Χίου (*Act.* 20, 15) illi fuit unum nomen proprium etc.

2. Cfr *Ludolf* l. c., *Dillmann* l. c. p. 204.

3. Ita *Dillmann*, qui in aethiopicae linguae scientia hodie primum locum tenet, l. c.: « Was nun den Character dieser Uebersetzung anbetrifft, so ist sie sehr treu, gibt meist den griech. Text woertlich, oft bis auf die Stellung der Worte wieder, kürzt nur hie und da scheinbar überflüssiges ab und ist im Ganzen als eine sehr wohl gelungene und glückliche zu bezeichnen. Trotz aller Treue gegen den griech. Text ist sie sehr lesbar, und namentlich in den geschichtlichen Büchern fliessend. Freilich finden in dem allem Gradunterschiede zwischen den einzelnen Büchern statt » etc. Simili modo iudicant reliqui.

4. *Ludolf* l. c. — Parum autem probabilis modernis interpretibus videtur haec opinio, qui ex interpolationibus, glossis in textum admissis aliisque eiusmodi corruptionibus magnam textus in codicibus varietatem explicant, idque recte, ut videtur (cfr *Kaulen* l. c. p. 135; ed. 3. p. 161). Interpolationes in N. T. multas vel ex syris vel ex arabicis codd. factas esse suspicatur *Gildemeister* (Tischend. N. T. gr. Ed. 7. Proleg. p. CCXXXVI); *Walton* autem ex quibusdam lectionibus, in quibus Syrum et Aethiopem consentire viderat, antiquitatem versionis aethiopicae collegerat. Revera nemo facile interpolationem e textu syro admittet, qui admodum rarum vel nullum fuisse Syrorum et Aethiopum commercium consideraverit; facilius autem interpolationes ex fontibus arabicis et copticis concedi possunt; nomina aethiopica Actuum (Abraxis Πράξεις) et Apocalypseos (Abukalamsis) arabicam originem produnt.

5. *Dillmann.* l. c. p. 204.

6. Integra biblia aethiopica nondum sunt typis impressa. Primus, qui librum aethiopicum in Europa edendum curavit, est *Ioan. Potken*, praepositus ecclesiae S. Gregorii coloniensis, cuius « ingenio et impensis » Psalterium cum canticis e N. T. desumtis et Canticum Cant. Romae 1513 et Coloniae 1518 prodierunt; eodem saec. medio etiam Romae editum est Novum T. (1548). Quae omnia in polyglotta londinensia sunt recepta. Saeculo insequenti libri Ruth, Ioel, Ionas, Sophonias editi sunt Lugduni Bat. (1660 et 1661). Cfr *Le Long-Masch* II. 1, p. 145-157, qui etiam alia quaedam minoris momenti recenset, quae usque ad an. 1781 aethiopice edita sunt. Hoc nostro saeculo *Th. P. Platt* sumtibus societatis biblicae edidit « Nov. Testam. aethiopice ad codicum manuscriptorum fidem » (Londini 1826-30), at tam parum accurate, ut ad criticum usum inservire nequeat (*Scrivener* l. c. p. 410).

Criticam V. T. editionem inchoavit *Dillmann*; hucusque prodierunt Octateuchus (Gen. — Ruth) et Quatuor libri Regum (Lipsiae 1853 et 1871). Praeterea curis *R. Laurence* prodierunt Ascensio Isaiae et Esdrae Apocalypsis (Londini 1819. 1820 curisque *Dillmann* libri Henoch et Iubilaeorum (Lips. 1851. 1859), quos Abessini monophysitici etiam canoni suo inseruerunt.

IV. *Gothica.*

144. — Gothi, quae gens germanica inde a saec. 2. a Vistula usque ad Danubii ostia sedes suas fixerat, haud pauci 3. iam saec. ad fidem christianam conversi sunt; nicaeno enim concilio adfuit Theophilus, Gothorum episcopus, et una cum reliquis Patribus catholicam de Patris Filiique consubstantialitate fidem professus est [1]. At iam eodem saec. 4. ad arianismum defecerunt, quum ab Hunnis e sedibus suis pulsi et inter byzantini regni fines recepti gratos se Valenti imperatori praestare vellent [2]. Eo tempore episcopali munere apud eos fungebatur Ulphilas, de cuius vita varia a variis scriptoribus nobis tradita sunt, qui nec de nominis scriptione nec de viri genere nec de aliis vitae eius rebus inter se consentiunt, atque id ipsum incertum manet, num semper arianismo addictus fuerit, an ex catholico episcopo arianus factus sit; extra dubium tamen omnium relationes ponunt, eum praecipuum fuisse arianismi inter Gothos promotorem eumque suae genti librorum sacrorum translationem dedisse [3]. Medio igitur fere saec. 4. exorta est *versio gothica*, eodemque saec. exeunte ab omnibus Gothis recepta etiam in catholicorum ecclesiis adhibita est; una enim cum Scripturarum translatione etiam liturgiam gothicam, ut videtur, introduxit Ulphilas : in ecclesia enim S. Pauli, quam Gothi Constantinopoli possederunt, gothica in lingua celebrabatur liturgia [4].

1. *Socrat.* H. E. II. 41 (M. 67, 349); *Mansi* Coll. Conc. II. 702 : « De Gothis : Theophilus bosphoritanus episcopus ».

2. *Sozom.* H. E. VI. 37; cfr *Socr.* H. E. IV, 38 (M. 67, 553. 1404); *Cassiod.* Hist. tripart. VIII. 13 (M. 69, 1118); *Isid. Hisp.* Hist. de reg. Goth. 7 (M. 83, 1060).

3. *Ulphilas* vel Ulfilas a plerisque nominatur; sed *Gulfilas* ab Isid. Hisp., et a Philostorgio (H. E. II. 5. M. 65, 468) *Urfilas*. Si notis marginalibus codicis cuiusdam parisiensis fides est, quae exeunte saec. 4. a Maximino, episcopo Illyriae (?) et discipulo Ulphilae, scriptae dicuntur (cfr *G. Waitz* Ueber das Leben und die Lehre des Ulphilas. Hannover 1814 p. 24 qui notas has primus legit et publici iuris fecit) natus est anno 318, mortuus Constantinopoli an. 388, postquam per 40 annos episcopatum tenuit. Secundum Philostorgium (l. c.), qui ipse erat Cappadox, Ulphilae maiores fuerunt christiani cappadoces, quos Gothi tempore Valeriani (253-260) et Gallieni (260-268) captivos abduxerant; reliqui Gothum genere cum fuisse supponunt. In notis marginalibus supra indicatis semper arianae haeresi addictus fuisse dicitur; secundum *Socratem* autem (l. c.), *Sozomenum* (l. c.), *Theodoretum* (H. E. IV. 37), *Philostorgium* (l. c.) prius catholicam fidem professus est et postea a Valente eiusque asseclis ad arianismum adductus, idque multo probabilius videtur; arianus enim ille Ulphilae discipulus hac in quaestione parum ido-

neus est testis, nec satis intelligitur, quomodo Gothi Theophilo orthodoxo elegerint haereticum successorem.

4. *S. Chrysost.* « Homilia habita in ecclesia Pauli, postquam Gothi legerunt (sc. lectionem scripturisticam) et presbyter gothicus concionatus est » (M. 63, 501). Quod Gothi ecclesiam suae genti destinatam Constantinopoli possederunt et Scripturam gothice legerunt, evidenter demonstrat eorum liturgicam linguam fuisse gothicam.

Novo igitur alphabeto, quum eousque scribendi artem ignorassent Gothi, ex literis graecis antiquisque runis composito Ulphilas, ut tradit Philostorgius, « universos sacrae Scripturae libros patrio sermone interpretatus est, exceptis libris Regnorum, eo quod illi res bello gestas contineant, gens autem illa bellis maxime delectetur, et freno potius opus habeat ad bellicos impetus comprimendos, quam calcari, quo ad proelia incitentur » [5]. Qua versione Gothi omnes usi sunt, quamdiu in variis suis sedibus floruerunt; suo etiam tempore eius monumenta apud nonnullos exstare, saec. 9. testatur Walafridus Strabo [6]. Postea autem versionis istius et ipsius linguae gothicae memoria penitus interiit, ita ut, quum saec. 17. codex argenteus, quem Sueci belli iure ex bibliotheca pragensi in upsalensem transtulerant, prima vice ederetur, controversia inter eruditos exorta sit, quanam lingua sit conscriptus; quae controversia aliis monumentis, quae certo gothicae originis sunt, detectis mox est composita. Praeter argenteum codicem, qui maiorem Evangeliorum partem continet, saec. insequenti et hoc nostro reperti sunt alii, qui duodecim epistolas Paulinas et aliqua V. T. fragmenta complectuntur, quibus quaenam versionis indoles fuerit determinare licet [7].

5. *Philost.* l. c. — Reliqui tamen omnes antiqui auctores de *omnibus* libris ab Ulphila translatis loquuntur, atque fatendum est, rationem, qua Philostorgius Ulphilam permotum dicit, ut a libris Regum vertendis abstineret, parum idoneam apparere consideranti, in libris Iosue, Iudicum, Iudith, Machabaeorum etc. etiam « res bello gestas » narrari.

6. *Walafr. Strabo* de rebus eccles. 7. (M. 114, 927) : « Gothi... in Graecorum provinciis commorantes nostrum, i. e. theodiscum, sermonem habuerunt; et ut historiae testantur postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suae locutionis proprietatem transtulerunt, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur ».

7. *Codex argenteus* saec. 5. vel 6. stichometrice conscriptus olim 330 foliis omnia Evangelia complexus est; hodie in superstitibus 167 possidemus circiter decem Matthaei, tredecim Ioannis, decem et septem Lucae et tredecim Marci capita. Editionem eius principem curavit *Fr. Iunius* (Dordraci 1665), quam secutae sunt multae aliae, inter quas eminet uppstroemiana (Upsala 1854. Supplem. 1857). Anno 1762 *Fr. Knittel* in bibliothecae guelferbytanae palimpsesto carolino, qui 5. vel 6. saec. creditur, reperit fragmentum epistolae ad Roman., quod edidit Brunsw. 1763. Ineunte nostro saec. *Angelus Mai* et Com. *Octav. Castillionaeus* in quinque palimpsestis ambrosianae maiora omnium Paulinarum (excepta illa ad Hebr.) et pauca quaedam V. T. (*Ps.* 52, 2. 3; 1 *Esdr.* 2, 8, 42; 2 *Esdr.* 5. 13-18; 6, 14-19; 7, 1-3) invenerunt fragmenta, quae ediderunt Mediolani 1819-1839. Quae omnia collecta habes a *H. C. de Gabelentz et I. Loebe* (Vet. et N. T. vers. goth. quae supersunt. Lips. 1843), *H. F. Massmann* (Ulfilas, D. h. Schrift A. u. N. B. in goth.

Sprache. Stuttgart 1853), *F. L. Stamm* (Ulfilas oder die uns erhaltenen Denkm. der goth. Sprache. Paderborn 1856. Ed. 8. cur. *Heyne* 1885) aliisque.

Ex *graeco* textu Ulphilam Utriusque Testamenti libros gothice transtulisse, etsi non omnes antiqui scriptores testarentur, versionis ipsius *indoles* satis clare doceret et locorum temporumque ratio suaderet. Revera nomina propria Veteris Test. ea in forma redduntur, quam septuaginta adoptaverant, in Novo autem nonnulla menda inveniuntur, quae ex erronea graeci textus lectione tantum explicari possunt[8]. Quod si quidam Ulphilam ad versionem suam concinnandam etiam Italam adhibuisse putant, quia quibusdam in lectionibus ad illam accedat, id per se quidem fieri potuit, quum teste eius discipulo latini sermonis esset gnarus; melius autem ex hac similitudine, quae gothicam inter et latinam versionem intercedit, concludemus, textum gothicum, quum Gothi Italiam occuparent, ad latinum esse emendatum; codices enim gothici nostri omnes italicae sunt originis. Ceterum ad Vetus Test. quod attinet, in paucis illis, quae supersunt fragmentis, mira deprehenditur cum complutensi, i. e. lucianeo textu, qui Constantinopoli in usu fuit, consonantia[9]; in Novo autem propius, quam in aliis omnibus eiusdem fere aetatis fieri solet versionibus, ad textum receptum, qui ex byzantinis codicibus dependet, accedit. Ceterum magna cum fidelitate graecum suum exemplar reddidit Ulphilas accurateque et clare eius sensum expressit. Arianismi, cui deditus erat, unum solum deprehenditur vestigium, idque non admodum certum[10]; unde iure colligimus, aut antequam arianae haeresi se dedisset, Ulphilam versionem N. T. exarasse, aut illum a crassa illa arianismi forma, quam iuniores Gothi profitebantur quaeque Ditheismus vel Tritheismus verius vocatur, fuisse alienum. Dolendum igitur, quod integra praesertim V. T. translatio nobis non sit conservata, quum ad Luciani recensionem restituendam non parum contulisset.

8. Ex. gr. *Marc.* 8, 17 ἔτι et ὅτι, *Luc.* 1, 10 προσευχόμενοι et προσδεχόμενοι, *Luc.* 3, 14 ἀρκεῖσθε et ἄρχεσθε, Luc. 7, 25 τρυφῇ et τροφῇ etc. confusa sunt. Ex eo autem, quod nomina quaedam graeca (aggelus, aikklesjo, aipiskanpus, aipistaule, apaustaulus diacaunus etc.) retenta sunt, nihil concludi potest, quia eadem etiam a Latino retenta sunt.

9. *O. Ohrloff* (die Bruchst. des A. T. der goth. Bibelübers. kritisch untersucht Halle 1876) demonstravit, prototypum gothicae versionis consensisse cum Holm. 19. 82. 93. 108; at eosdem repraesentare textum lucianeum et ab Holm. 108 derivatam esse complutensem editionem supra diximus (133. *n.* 12 et 5); cfr *Lagarde* Canonicorum librorum V. T. pars prior graece. Gottingae 1883 p. XIV.

10. *Phil.* 2, 6 « non rapinam arbitratus est, esse se *aequalem* Dei ». Ulphilas vocabulum ἴσος non reddidit *ibna* vel *samaleiks*, sicut aliis in locis, sed *galeiks*, quo semper reddere solet adiectivum ὅμοιος (cfr *Castillionaei* excursus ad *Phil.* 2, 6; *W. Bessel* Ueber das Leben des Ulphilas. Hannover 1860 p. 71). Nescio vero annon Gothi iuniores Ulphilae textum mutarint; mirum sane, quod epistola ad Hebraeos cum aliis Paulinis non fuerit coniuncta; Ulphilae enim aetate non tantum in ecclesia orientali, sed etiam in occidentali erat recepta; nec potest esse dubium, quin eam transtulerint, quia secus aliquis ex antiquis scriptoribus eius

omissionem indicasset. Magna igitur cum probabilitate asserere licet, iuniores Gothos eam ob diserta de Filii Dei divinitate testimonia e canone expunxisse. Qui enim cum *Bleek* (Einl. Ed. 3. p. 865) eius omissionem ex Latinorum auctoritate explicare volunt (« mehrere Umstände führen auf einen Einfluss der Lateiner auf diese Uebersetzung » etc.), ad historiam canonis non attendunt.

V. *Armeniaca et georgica.*

145. — Primum maiorum suorum Apostolum Armenii venerantur S. Thaddaeum, unum ex septuaginta duobus Domini discipulis; illum enim post Domini ascensionem a S. Thoma ad Abgarum edessenum regem, ut illum sanaret, missum etiam in Armeniam pervenisse eiusque regem baptizasse perhibent. Quidquid autem de hac traditione est, ex S. Dionysii Alex. epistola de poenitentia ad Armenios, quam commemorat *S. Hieronymus*[1], medio saec. 3. in Armenia Evangelii semen sparsum esse constat. Verus tamen gentis illius apostolus dicendus est S. Gregorius Illuminator; qui ex regia stirpe Armeniorum oriundus primum Tiridatem regem, dein postquam a Leontio, Caesareae Capp. episcopo, episcopali dignitate auctus est, syriacis et graecis monachis et sacerdotibus in auxilium adhibitis integram gentem ad fidem adduxit; teste enim Sozomeno Tiridates christianus factus (an. 302) « omnibus subditis palam per praeconem mandavit, ut eandem secum religionem colerent »[2]. Primum igitur omnium christianum regnum fuit Armenia.

Per integrum vero saeculum nec liturgiam propria sua lingu a celebrarunt nec Scripturae S. versionem possederunt, sed syriacis praesertim codicibus sunt usi, quos syriaci Illuminatoris auxiliarii secum attulerant. Qui rerum status in meliorem mutatus est, quando Isaac (Sahak) Magnus patriarchalem sedem ascendit (390-440). Maximo versioni adornandae impedimento fuit, quod alphabeto linguae suae scribendae idoneo carerent; quare S. Mesrob, quem Isaac in ethnicorum reliquiis convertendis praecipuum adiutorem sibi elegerat, quum graviter ferret, quod in suis ad populum concionibus textus scripturisticos ex syriaco armeniace viva voce vertere cogeretur quodque in monasteriis et ecclesiis lectiones e syriaca Scriptura desumtae non intelligerentur, totum suum studium impendit, ut literas novas, quae linguae adaptatae essent, inveniret; post multa itinera hunc in finem, ut homines doctos consultaret, instituta multosque irritos conatus tandem rem ad felicem exitum perduxit alphabeto triginta sex literarum invento, quibus omnes linguae armeniacae soni exprimuntur (a. 406). Postquam deinde varia opera, quae iam translata sed syriacis vel persicis literis conscripta erant, novis literis transcripsit, ipse una

cum patriarcha Isaac liturgica graecorum opera in suam linguam transferre et digerere coeperunt, atque Scripturam ex syriaco codice, quum graeco carerent, verterunt. Interea duo Mesrobi discipuli, Ioannes ekelensis et Ioseph palnensis, qui concilio ephesino (a. 431.) interfuerant, graecum omnium U. T. librorum codicem attulerunt; quare iis, quae ex syriaca lingua transtulerant, reiectis novam ex graeca adornare conati sunt. Cui operi quum se ob linguae graecae scientiam imperfectam impares deprehenderent, iidem duo discipuli cum Moyse chorenensi Alexandriam, alii vero Athenas missi sunt, ut literis graecis vacarent. Qui reversi Scripturarum versionem terminaverunt et multa alia opera graeca armeniace reddiderunt, unde illis « sanctorum interpretum » nomen inditum est[3].

1. *S. Hier.* de vir. illustr. 69 (M. 23, 681).

2. *Sozom.* H. E. II. 8 (M. 67, 953); cfr *Euseb.* H. E. IX. 8 (M. 20, 816), qui Maximini tempore (305-311) Armenios « christianos et divinae religionis studiosissimos » fuisse testatur. De S. Gregor. Illum. cfr *Agathangeli* Acta S. Greg. in Boll. Act. SS. Sept. VIII p. 321 sqq.; *Samuel. Aniens.* Summ. temp. II. (M. Patr. gr. 19, 663).

3. *Goriun* Leben des h. Mesrob übers. v. Welte. Tüb. 1841; *Moysis Choren.* Hist. Arm. III. 61 (Ed. germ. cur. Lauer. Regensb. 1869 p. 226); *Galan.* Concilia eccl. arm. Romae 1650, I. p. 63 sq.; *Suk. Somal* Quadro della storia letteraria di Armenia (Venez. 1829 p. 14 sq.). Moyses choren., si viginti duos Veteris Test. libros ab Isaaco translatos esse asserit, de prima versione ex textu syriaco loqui dicendus est; certum enim est omnes libros primi et secundi canonis eodem tempore versos esse; id quod linguae et styli ratio evidenter demonstrat, nec aliter fieri potuit, quia ex graeco exemplari versionem adornabant; in graecis enim codicibus deuterocanonici protocanonicis semper erant intermixti. Hinc etiam factum est, ut 3 Esd. ante nostros canonicos Esdrae libros habeant. — Praeter Isaac et Mesrob ipsos « interpretum » titulo ornantur Mesrobi discipuli Ioannes ekelensis, Ioseph palnensis, Eznik golbens., Arzun, Leontes, Goriun, qui ultimus magistri sui vitam conscripsit. Quantopere de gentis suae literis meriti sunt, numerus librorum translatorum docet; quadraginta enim annorum spatio (usque ad an. 450) plus sexcenta volumina illos vertisse refert *Aucher* (Euseb. Chron. armen. Venet. 1818. Praef. p. 11).

Summis laudibus Armenii ipsi et exteri armeniacam Scripturarum versionem exornant, nec immerito. Purissima enim lingua et elegantissimo stylo conscripta inter classica linguae armeniacae monumenta omnibus fatentibus primum obtinet locum. Pulchritudini porro et elegantiae coniuncta est summa interpretationis fidelitas. Syntaxeos armeniacae regulis non violatis, presso pede sequitur graecum exemplar ipsumque vocum ordinem retinere studet; quare textui, quem prae manibus habuerunt, dignoscendo optime inservit.

Ad versionem quidem syriacam armeniacam postea esse emendatam

asserit Barhebraeus; rectius autem alii illam, quae quibusdam in locis inter utriusque textum deprehenditur, concordiam ex eo derivant, quod Isaac et Mesrob ea, quae antequam graecum nacti sunt exemplar ex syro transtulerant, non penitus reiecerint[4]. Gravius est, quod ad latinam Vulgatam saec. 13. correcta dicatur eo nimirum tempore, quo rex Haitho populum suum, qui ad monophysitismum defecerat, abiurata haeresi cum ecclesia romana iterum coniunxit[5]. At hanc quoque accusationem fundamento carere hodie censent plerique[6]; namque non solum historiographus armeniacus, Tschamitsch, qui accurate et fuse istius aetatis historiam narrat, eiusmodi mutationis mentionem non facit, sed haud raro etiam Armenus cum Vetere Latino contra Vulgatam consentit, unde illas quoque lectiones, quas cum Vulg. et Vetere Latino communes habet, ex graeco codice haustas esse iure asserimus; ad summum concedi potest, illo tempore in aliquos armeniacos codices comma ioanneum (1 *Ioan.* 5,7) esse insertum[7]. Illud tamen videtur certum esse, Oscanum monachum qui primus Biblia armeniaca Amstelodami typis edidit, aliqua ex Vulgata mutasse; quare nec catholicis nec schismaticis Armeniis eius editio probata est[8].

Ex criticis, quas hoc saeculo Mechitaristae venetiani paraverunt, editionibus[9] apparet non omnino a vero aberrasse Lacrozium, quum ante duo saecula iam assereret, armeniacam versionem « presse sequi codicem alexandrinum »[10]; revera enim multis in locis cum eo consentit; at suas etiam proprias lectiones habet, atque ille, nisi omnia nos fallunt, propius ad verum accedet, qui codicem a Mesrobi discipulis Epheso allatum hexaplarem fuisse dixerit; id enim critica Origenis signa, quae in sat multis codicibus inveniri dicuntur, hebraicus vaticiniorum Ieremiae ordo, lectionesque quaedam, quae cum Massorethis contra septuaginta faciunt, probabile reddunt. Quare in Vetere quidem T. ad hexaplarem textum restituendum non infimae est auctoritatis, in Novo autem byzantinis codicibus longe praeferendus, quum ad antiquiorem occidentalem textum propius accedat.

4. Cfr *Walton* Proleg. 13, 16, qui primus scholion Barhebraei attulit; *Wiseman* (Horae syr. Romae 1828 p. 142) Barhebraei contextu restituto illum meram coniecturam protulisse ostendit, quae nullo fundamento innitatur. *Le Long-Masch* (Bibl. s. II. 1. p. 176) laudat editionem Bibliorum, quae iussu Patriarchae Nahabet Constantinopoli 1705 impressa « ad versionem syriacam revisa » appellatur; quid de hac revisione sentiendum sit, ignoramus.

5. Accusationem hanc primus protulit *Lacroze* (Thesaur. epistol. III. p. 4. 69. citatus a Le Long-Masch l. c. p. 171), quem dein secuti sunt alii; cfr *Tischend.* N. T. gr. Ed. 7. Prol. p. CCXXXIX : « sub rege Haitho textum ad latina exemplaria mutatum esse virorum doctorum opinio fert ».

6. Cfr *Scholz* Einl. I. p. 500; *Herbst-Welte* Einl. I. p. 224; *Kaulen* Einl. p. 144

(ed. 3 p. 171 sq.) etc. Ex. protestantibus : *Holmes* Vet. Test. gr. Praef. c. 4. Versio armena; *Hævernick* Einl. I. p. 384; *Keil* Einl. p. 556; *Westcott* et *Hort* The New Test. Introd. p. 158 etc.

7. Ceterum in uno solo ex viginti codicibus, quos Zohrab ad suam editionem concinnandam adhibuit; comma illud invenit.

8. Medio saec. 17. Oscanus monachus ab episcopis armeniacis in Europam missus est, ut Biblia armeniaca typis ederet; quum Romae voti compos factus non esset, Amstelodamum concessit ibique an. 1666. prima Biblia armeniaca integra typis evulgavit (cfr *Le Long Masch* l. c. p. 173); sed antea iam prodierant Psalmi Romae 1565, Venetiis 1642, Amstelodami 1661 (*Le Long Masch* l. c. 178).

9. Primam editionem criticam curavit Mechitarista *Zohrab* Venetiis 1805; melior ibidem edita est 1859. — Isaac et Mesrob omnes quidem libros Utriusque Test. transtulerant, decursu autem temporis Armenii Ecclesiasticum et epistolam Ieremiae amiserant, quorum nova versio, ut videtur saec. 13. adornata, quum lingua et stylo a reliquis libris prorsus differret, a Zohrab omissa est; postea autem Ecclesiastici antiqua versio reperta et in editionibus 1852 et 1859 suo loco inserta est. — In ipso autem corpore editionis 1805 reperiuntur 3 Esdr. et 3 Mach., in appendice 4 Esdr., et praeter alia etiam 3. ad Cor. epistola Pauli, quae in liturgia Armen. schism. adhibetur et in plerisque codd. arm. reliquas Paulinas sequitur (cfr *supra* 78. 6 et *n.* 18).

10. *Lacroze* Thes. epist. III. p. 201. cit. a Lelong-Masch l. c. p. 171.

146. — *Georgianos* (Grusianos), i. e. Iberorum et Colchorum, qui in meridionalibus Caucasi montium radicibus sedes suas habuerunt, posteri, saec. 4. a vicinis Armeniis ad fidem adducti esse dicuntur; S. Mesrobum quoque, postquam genti suae alphabetum dedit, idem Georgiorum linguae adaptasse tradunt eius biographi. Ab Armenis etiam liturgiam et Scripturas mutuati sunt, nec satis constat, quonam saeculo, num 6. an 8., eas in suam linguam transtulerint; immo ne illud quidem extra dubium est, num ex graeco an ex armeniaco textu versionem suam concinnaverint. Etenim lingua georgica parum est cognita, nec ullus interpres hucusque versioni illi studium serium impendit. Typis prodiit Moscoviae 1743; in praefatione autem editor asserit, se illam accurate cum bibliis russiacis modernis contulisse multisque in locis ad eorum fidem emendasse, demumque libros Machab. et Ecclesiasticum, qui perierant, ad opus complendum e lingua russiaca transtulisse. Quare nec huius editionis nec sequentium, quae illius sunt repetitiones, ulla est auctoritas critica [1].

1. Cfr *Scholz* Einl. p. 504 et reliquos Introductores. — Edit. princeps : Biblia georgiana V. et N. T. Moscuae, in suburbio Svenzga 1742 (aerae a cond. mundo 7250, aerae georg. 430); Societas bibl. petropolitana eam repetiit Petropoli 1816. 1818 etc.

VI. *Syriacae.*

147. — Versione sua simplici Veteris Test. (*Peschito*), quam primis statim fidei temporibus acceperunt et de qua utpote immediate ex he-

braico textu derivata infra (§ 14) tractabimus, Syri monophysitae non contenti, quia eam errores tradere et parum cum Apostolorum citationibus consonare censebant[1], saec. 6. novas sibi ex alexandrino textu versiones concinnarunt[2]. Nec improbabile est arctiore illa, quae inter ipsos reliquasque ecclesias monophysiticas eo tempore exorta est, coniunctione eos esse impulsos, ut Scripturis reliquorum monophysitarum suas accommodarent; reliqui autem monophysitae omnes translationibus ab alexandrina derivatis utebantur.

Etsi non antiquitate, auctoritate tamen inter syriacas illas versiones, quae ab alexandrina dependent, primum locum sibi vindicat illa, quae, quoniam ex textu hexaplari retentis Origenis signis criticis adornata est, *syrohexaplaris* nuncupatur[3]. Quo tempore et a quo auctore facta sit, ex testimonio Barhebraei et codicum superstitum subscriptionibus nobis constat. « Paulum enim episcopum telensem Testamentum Vetus septuagintavirale e graeco in syriacum transtulisse » tradit Barhebraeus in Prooemio Horrei Mysteriorum; subscriptio autem 4 Reg. libri est haec : « vertit hunc librum e lingua graeca in syriacam ex versione τῶν LXXII venerandus Pater Mar Paulus, episcopus fidelium (i. e. monophysitarum) in urbe magna Alexandriae iussu et hortatione sancti et beati Mar Athanasii patriarchae fidelium in coenobio Mar Zachaei callinicensis... anno 928 indictione quinta »[4]. Annus autem 928 Graecorum est annus 618 aerae nostrae; reliqui libri nomine auctoris tacito eundem locum (Alexandriam) et eundem annum (928. Graec.) adscriptos habent; priores tantum libri indicant an. 927. Graec. (617.), ita ut Paulus telensis an. 617. inchoaverit et insequente opus suum terminaverit.

Summa cum fidelitate reddidit textum graecum, haud raro adeo servili modo, ut suae linguae praeceptis prorsus neglectis syriaca verba graecis tantum substituerit. In usitatioribus vocabulis graecis reddendis semper eadem syriaca, quae semel adhibuit, per totam versionem retinet; in rarioribus e contra reddendis aliqua varietas apparet; ob maiorem autem graecorum vocabulorum copiam patet eum idem vocabulum syriacum ad varia graeca reddenda adhibere debuisse. « Quod vero summa interpretis laus est, inquit *Ceriani*[5], Paulus praeter suam etiam linguam archetypi optime callebat, atque vel in difficillimis locis et rarissimis vocibus summa proprietate vim vocis reddit; immo ipsas eiusdem vocis graecae varias licet leves significationes bene distinguit, ut non semel vidi. Si vero aliquid deesse putavit in vocis syriacae vi, quominus plene vocem graecam referret, non raro vocem vel locum ipsum graece adscripsit ». Quoniam praeterea signa Origenis critica omnia retinuit notisque marginalibus Aquilae aliorumque

interpretum lectiones addidit, non est dubium, quin syrohexaplaris textus ad reconstituendum origenianum summo foret adiumento, si integer ad nos pervenisset; at sat magna pars interiit.

Saec. 16. primus *Masius* versionis huius codicem invenit, qui omnes libros historicos (exceptis Machab. libris) et magnam Deuteronomii partem continebat[6]; at post eius mortem codex hic disparuit. Ad idem autem integrorum Bibliorum exemplar alter codex pertinuisse creditur, qui hodie in ambrosiana bibliotheca superstes omnes libros poeticos et propheticos exhibet. Aliorum librorum fragmenta maiora minorave in variis bibliothecis reperta sunt, ut saltem longe maior V. T. pars nobis sit conservata[7].

1. Cfr *Barhebr.* apud *Assem.* Biblioth. orient. II. p. 281 : « simplicem versionem rudem esse, septuagintaviralem vero exactam, ratione probatur et auctoritate. Et ratione quidem, quia errores apertos in simplici reperiuntur; auctoritate vero, quia testimonia, quae Dominus N. eiusque Apostoli in N. T. produxerunt, cum versione septuagintavirali concordant » (cfr *supra* 45 n. 9.).

2. Cfr *Wisemann* Horae syriacae Romae 1828 p. 80 sqq.; *G. Bickell* Conspectus rei literariae Syrorum. Monasterii 1871 p. 9 sqq.

3. Cfr *Field* Hexapla Origenis Proleg. 7. Append. 2. p. LXVII sqq.

4. Barhebraei testimonium cfr in *Wiseman* Horae syr. p. 87 sq.; subscriptionem codicis in *Bruns* Repertor. VIII. p. 86.

5. *A. M. Ceriani* Monum. sacr. et prof. Mediolani 1870. I. 1 p. VIII. (Prolegom. in edit. vers. syr.).

6. *A. Masii* Comment. in Iosue. Epist. dedicat. p. 6; Masii codex praeter *Deuteronomii* et *Tobiae* partem continuit Iosue, Iudices, Ruth, 1-4 Reg., 1, 2 Paralip., 1, 2 Esdr., Esther, *Iudith*.

7. Ambrosianus codex continet hoc ordine : Psalm., Iob., Prov., Eccle., Cant., *Sap.*, *Eccli.*, 12 min. Proph., Ierem., *Baruch*, Thren., *Epist. Ierem.*, Daniel, *Susanna*, *Bel et draco*, Ezechiel, Isaiam. — In cod. paris. 283 (Syr. V) habetur 4 Reg.; in codicibus musei brit. Exodus, Iudices, Ruth, 3 Reg., fragmenta Gen., Num., Deuter. Ios. — Ex codice ambrosiano *Norbert* edidit Ieremiam et Ezechiel (Londini Goth. 1787), *Bugati* Psalterium et Daniel (Mediol. 1788 et 1798), *Middeldorff* reliqua protocanonica una cum 4 Reg. ex cod. paris. (Berolini 1835); integrum codicem photolithographice edidit *Ceriani* (Monum. sacr. et prof. VII Mediolani 1874). Ex codicibus musei brit. *Scat Roerdam* edidit Iudices et Ruth (Havniae 1861), *Ceriani* Genes. et Exod. (Monum. s. et prof. II).

148. — Hexaplaris Pauli versio tam accepta fuit Syris monophysitis, ut alteram, quam iam centum annis prius ex graeco acceperant, prorsus oblivioni darent, nec alteram post eam adornarent. Teste enim Barhebraeo eius tempore, i. e. saec. 13., Syri occidentales duas solas versiones syriacas posséderunt, « simplicem, quae ex hebraico post adventum Domini facta est tempore Thaddaei Apostoli, sicut aliqui tenent, sicut autem alii tradunt, tempore Salomonis filii David et Hirami regis Tyri, et alteram secundum septuaginta »[1]. Eius igitur aetate memoria iam interierat istius, quam chorepi-

scopus *Polycarpus* iussus a Philoxene, episcopo mabugensi (hierapolitano), c. an. 510. ex vulgata alexandrina (κοινή) ediderat; nostro quoque tempore dubitatum est, num Polycarpus solum Psalterium, an alios quoque Veteris Test. libros una cum Novo transtulerit; at fragmenta quaedam Isaiae, quae Ceriani invenit et edidit, omnino demonstrant, *philoxenianam* versionem (ita enim appellari solet) etiam V. T. libros complexam esse[2]. Ex Barhebraei testimonio illud quoque elucet, immerito *Iacobum edessenum* († 708. vel 712.) novae versionis auctorem ab Assemano aliisque haberi[3]; revera ex fragmentis, quae ei attribui solent, apparet, eum veterem simplicem versionem cum hexaplari recentiore contulisse et hac ratione novam hexaplaris recensionem composuisse.

Sicut monophysitae Syri saec. 6. ineunte per Polycarpum novam sibi versionem ex graeco reiecta simplici paraverunt, ita nestorianorum quoque patriarcha *Mar abba* († 552.) suos nova donare conatus est[4], at parum felici successu; nestoriani enim, probabiliter ob odium monophysitarum, qui simplicem reiecerant, eam retinere malebant, et nestoriana ista versio plane interiit. Haec hoc loco de V. T. versionibus mediatis, quae, quum paucis tantum fragmentis conservatae sint, in re critica, si hexaplarem textum excipis, minimi sunt momenti, dixisse sufficiat.

1. *Barhebr.* (Abulfaragii) Historia dynast. ed Pockocke p. 100. Eodem modo saec. 10. monophysita Moses bar Kepha duas tantum versiones syriacas esse testatur apud *Assem.* Bibl. orient. II. p. 130. — *Assemanus* (l. c. III. 1. p. 76) suspicatus est, iam Ephraemi tempore versionem ex graeco factam adfuisse, quia graecas quasdam lectiones laudaverit; at *Wiseman* (Hor. syr. p. 107 sq.) solam simplicem Ephraemo cognitam fuisse demonstrat. — In Barhebraei testimonio male lecto et intellecto olim multi « *figuratam* » quandam versionem syriacam in oppositione ad simplicem invenerunt; genuina autem textus barhebraici lectione restituta nomen hoc hodie tantum memoriae causa commemorandum est; cfr *Wiseman* l. c. p. 93.

2. Fragmenta V. T. philoxeniana collecta habes a *Wiseman* (Hor. syr. p. 224) et *Ceriani* (Monum. sacr. et prof. V.). — De N. T. versione philoxeniana *infra* (159) recurret sermo.

3. *Assem.* Bibl. orient. I. p. 493. — Fragmenta Iacobi Edess. ediderunt *Bugati* (Daniel sec. LXX. Mediol. 1788) et *Ceriani* (Monum. II. et V.); de hac recensione cfr *Bickell* Consp. rei liter. Syr. p. 11.

4. *Ebedicsu* Catal. libr. syr. apud *Assem.* III. 1. p. 75.

VII. *Slavonica, arabicae, etc.*

149. —Reliquae versiones ex alexandrina derivatae, utpote iunioris aetatis, vix commemoratu sunt dignae. Medio saec. 9. *SS. Cyrillus et Methodius* Slavis Evangelium praedicarunt ecclesiaeque a se fundatae una cum liturgia slavonica etiam *slavonicam* Utriusque Test. versionem novo alphabeto linguae adaptato dederunt[1]. Lingua, in quam libros sacros transtulerunt, illa est, quae antiquis Bulgaris fuit communis quaeque hodie, quia in Slavorum

liturgia retenta est, slavonica ecclesiastica appellatur. Quam versionem aliqui ex vetere Itala derivatam esse censuerunt, atque saec. demum 14. ad graecum textum emendatam[2]. Cui sententiae parum consentit originis illius ratio. SS. Cyrillus et Methodius Graeci fuerunt, Thessalonica oriundi, quare iam parum probabile est eos latinam potius quam graecam versionem pro archetypo adhibuisse; ecclesias porro a se fundatas arcto quidem vinculo romanae adstrinxerunt, at eo tempore iam diu Romae et in tota ecclesia occidentali antiqua Itala hieronymianae Vulgatae locum suum cesserat. Quare omnino tenendum est, graecum fuisse archetypum slavicae versionis. Codicis autem, quem adhibuerunt, quisnam fuerit textus, difficile est dictu, quia criticam integrae versionis editionem non habemus et in editionibus plerisque haud pauca ad arbitrium mutata esse constat[3].

1. Cfr *Boll. Acta Sanct.* Vita SS. Cyrilli et Methodii Mart. II. p. 16. 23 etc.

2. *Holmes* V. T. graec. Praef. c. 4.

3. Editio princeps Pentateuchi prodiit Pragae 1519, integri V. et N. T. Pragae 1570; splendida dicitur editio, quam Ostrogii 1530 imprimendam curavit Constantinus, Volhyniae palatinus (Biblia slavino-russica characteribus cyrillianis); eiusdem textum exhibent iuniores editiones russicae; cfr *Herbst-Welte* I. p. 232 sq. Evangeliorum criticae quaedam editiones debentur *Fr. Miklosich* (Matthaeus. Viennae 1856, Marc. 1-10. Viennae 1874), *Leskien* (Ioannes. Weimar 1871), *Iogić* (Quatuor Evang. Berolini 1879), *Kaluzniacki* (Evangeliarium. Viennae 1888); cfr *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 176 et Wetzer Welte Kirchenlex. Ed. 2. II. 731.

Ex alexandrina *arabicae* quoque versiones quaedam derivatae sunt; inter quas illa Prophetarum, Psalmorum et librorum salomonicorum interpretatio nominari meretur, quae in polyglottis parisiensibus et londinensibus edita est. Qui omnes libri saec. 10. translati dicuntur; atque Prophetae quidem interpretem habuerunt presbyterum alexandrinum, reliquorum auctoris et nomen et patria ignorantur. Alteram Psalmorum versionem adhibent Maronitae, quae saec. 12. adscribitur; nec desunt aliorum librorum versiones immediate vel mediante coptico textu ex alexandrina derivatae, quibus privatim utuntur Melchitae in Syria, Copti in Aegypto, licet publice in ecclesia graecum vel copticum textum legant. Quas omnes, quum nec criticae nec exegeticae sint auctoritatis, enumerare non iuvat[4]. De reliquis vero, quae immediate ex primigeniis textibus vel ex syriaca versione factae sunt, *infra* agemus (160. 161).

4. *Roediger* (De origine et indole arabicae libr. histor. V. T. interpretationis Halae 1829 p. 35) etiam arabicam libri Esdrae versionem, quae in polyglottis legitur, ab alexandrina derivari ostendit. Textus arabicus Prophetarum et librorum poeticorum aegyptiacam recensionem ita sequi dicitur, ut aliquoties propius ad hexaplarem accedat (*Gesen.* Der Prophet Iesaia I. p. 67 sqq.). Psalterii duplex recensio distinguitur: aegyptiaca in polyglottis, syriaca in *Iustiniani* Psalterio octaplo (Genua 1516) et in *Gabrielis Sion.* Libro Psalm. (Romae 1516).

CAPUT IV.

DE VERSIONIBUS ORIENTALIBUS IMMEDIATIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

§ 13. — *De chaldaicis Veteris Testamenti paraphrasibus.*

I. *De paraphrasium origine.*

150. — Babylonici exsilii aetate continuo Iudaeorum cum Chaldaeis commercio magnam hebraicae linguae invaluisse corruptionem, supra (87) monuimus; atque ita factum est, ut non diu postquam Esdras et Nehemias religiosum politicumque gentis iudaicae statum restaurarunt, Iudaei ipsi patriae suae linguae obliti ad libros suos sacros intelligendos aramaica indigerent interpretatione (86 *n.* 7). Sunt qui iam Esdrae aetate reducibus hebraicam Legem aramaice explicari debuisse, Nehemiae verbis (2 *Esdr.* 8,8) demonstrari arbitrentur; sed parum recte, siquidem illo in loco, uti sua versione iam *S. Hier.* bene indicat, de clara dumtaxat ac distincta hebraici textus lectione, quae a tota multitudine sit intellecta, sacer scriptor loquitur [1]. Profecto neque ultimi Prophetae neque Esdras vel Nehemias libros suos popularibus suis destinatos hebraice scripsissent, si ab illis lingua haec non amplius esset intellecta; et quis sibi persuadebit, Nehemiam illis Iudaeis maledixisse, qui aramaice loqui nesciverunt [2]? Minime igitur ad esdrinam aetatam mos ille, quem postea tenuerunt Iudaei, ascendit, ut hebraica Legis lectio populo aramaice explicaretur; illum tamen machabaico tempore paullo antiquiorem esse, facile concedimus, quum reduces non tot essent numero, ut medii inter tribus, quae omnes aramaicis dialectis utebantur, degentes per multas generationes pristinam suam linguam conservare potuerint.

Postquam autem Iudaei vernacula librorum sacrorum interpretatione indigere coeperunt, illa non statim literis est mandata; quin etiam antiquitus prohibitum erat, quominus interpretatio scripta publice in synagogis recitaretur [3]; interpres enim constitutus erat, qui ea, quae a lectore hebraice praelegebantur, e vestigio populo aramaice

interpretaretur, ita ut in unoquoque versu lector et interpres alternarentur. Certis quidem praeceptis provisum erat, ne interpretes libertate, quae eis concedebatur, abuterentur[4]; at decursu temporis videntur evagari incepisse suisque interpretationibus fabulas intermiscuisse. Quare ut freno quodam cohiberentur, aramaicae interpretationes literis mandatae sunt, quae post hebraici textus lectionem recitarentur. Quandonam scribi coeptae sint, non constat. Ex eo, quod Gamalielis, qui S. Pauli magister fuit, tempore iam aramaicam libri Iob interpretationem exstitisse Thalmudici tradunt[5], aliqui deduxerunt Pentateuchi Prophetarumque interpretationes iam ante Christi nativitatem scriptas esse, quum a libri Iob versione initium scribendi factum esse parum sit probabile[6]. Nescio autem, an legitima sit haec conclusio; liber Iob enim ex eorum numero est, qui in synagogis *non* leguntur; quare privata eius expositio chaldaica scribi et adhiberi potuit, antequam librorum illorum, qui publicae lectioni inserviebant et publice explicabantur, versio est scripta. Quidquid autem de hac opinione censetur, antiquas illas interpretationes, si unquam fuerunt, ad nos non pervenisse omnesque, quae hodie supersunt, longe iunioris esse originis certum est[7].

Usus fert, ut aramaicae hae (vel uti antea appellabantur chaldaicae) versiones *paraphrases*, vel aramaico nomine *Thargumin*, appellentur[8]; idque recte, quum hebraici textus potius sint expositiones et explicationes, quam translationes. Nulla ex omnibus, quae ad nos pervenerunt, integrum V. T. complectitur; omnes tamen simul sumtae, etsi a variis auctoribus diversisque temporibus conscriptae, cunctas Scripturas canonis palaestinensis explicant, Danielis et Esdrae libris exceptis, quorum interpretatio minus necessaria forsitan credita sit ob partes aramaice scriptas, quas continent. Secundum tres canonis iudaici classes recensebimus singulas.

1. Omnes iudaici interpretes 2 *Esdr.* 8, 8 de aramaica interpretatione Legis per levitas facta intelligendum docent (cfr *Wolf* Biblioth. hebr. II. p. 1138 sq.; *Berliner* Thargum Onkelos Berlin 1884 II. 74), eosque ex christianis sat multi sequuntur (cfr *Bellarm.* de verbo Dei II. 25; *Corn. a Lap. Tirin. Menoch.* etc. i. h. l.; ex recentissimis *Kaulen* Einl. p. 93 et ed. 3. p. 111; *Vigouroux* Manuel I. p. 138. *n.*). Rectius autem cum *Malvenda* (i. h. l.) aliisque de explicatione, quae aramaice sit data, sermonem fieri negamus; verbum פרש nullibi (neque etiam 1 *Esdr.* 4, 18) sensum *transferendi*, altera lingua exprimendi etc. habet (cfr *Gesen.* Thes. ling. hebr. s. v.; *Ed. König.* Einl. 1893 p. 99 etc.), sed partic. מְפֹרָשׁ a S. Hier. « distincte » vel « manifeste », aut si mavis a Peschito « fideliter », utroque in loco recte exprimitur. Ceterum ridiculas fabulas esse, quibus Thalmudici (tr. Kidusch. 49 a) paraphrasium originem ab ipso Moyse in monte Sinai cum Deo colloquente dependentem faciunt, non opus est dicere (cfr *Wolf* l. c. p. 1137).

2. 2 *Esdr.* 13, 24. cfr *supra* 87 *n.* 8.

3. *Thalm. Ieros.* tr. Megill. 4, 1 : R. Haggai dixit : « R. Samuel ben Isaac, quum intrans in synagogam videret doctorem quendam legentem interpretationem ex codice, dixit : Non tibi licet : verba, quae loquendo traduntur, memoriter, et quae scripta sunt, e libro! »

4. *Zunz* Gottesdienstl. Vorträge der Iuden. Berlin 1832 p. 9; cfr *Mischna* tr. Megill. 4 (Mischna ed. Surenhus. II. p. 398), ubi erroneae quaedam interpretationes nominatim prohibentur (l. c. 8. 9. p. 401) ac dein etiam textus, qui aramaice exponi non debeant, quia scandalo populo sint, indicantur (l. c. 10. p. 402) : « historia Ruben legitur sed non exponitur (aramaice); historia Thamaris legitur et exponitur, historia vituli prior (*Exod.* 32, 21-25) legitur et exponitur, secunda (*Exod.* 32, 35) legitur sed non exponitur; benedictio sacerdotalis et historia Davidis et Amnonis non leguntur nec exponuntur », etc.

5. *Mischna* tr. Iaddaim 4, 5 (Surenhus. VI. p. 490) iam tradit, quomodo Thargumim scribi debeant; *Gemara* ieros. autem tr. Schabb. 16, 1 (Gem. bab. 115 a) paraphrasin Iobi tempore Gamalielis adfuisse docet.

6. *Zunz* Gottesdienstl. Vortr. der Iuden p. 61.

7. Frustra paraphrasium scriptarum vestigia in Novo Test. quaeri (ex. gr. *Luc.* 4, 17. 18 : *Matth.* 27, 46; 2 *Tim.* 3, 8), demonstratione non indiget (cfr *Wolf* l. c. 1142 sq.; 1164); inanes autem etiam conatus esse censemus, quibus *Ioan. Morinus* (Exercit. bibl. II. 8, 1 sqq.) Patrum praesertim silentio nixus omnium paraphrasium recentissimam originem probare vult; illa utique forma, qua hodie eas habemus, satis recens est, uti infra videbimus; at primam earum originem satis antiquam esse, negari non potest.

8. תרגם, quae vox aram. etiam in linguis arab. et aethiop. invenitur, proxime quidem idem est ac « transtulit », unde תרגום « translatio » vel « versio »; in scriptis tamen rabbinorum maxime de periphrastica interpretatione chaldaice facta intelligitur (cfr *Buxtorf* Lex. hebr. s. v.).

II. *Paraphrases Pentateuchi.*

151. — Tres vulgo enumerari solent aramaicae Pentateuchi paraphrases, Onkelosi, Pseudo-Ionathanis et ierosolymitana; quia vero duas posteriores non esse nisi duas eiusdem operis recensiones constat, aptius duas tantum esse dicemus.

1.) Quarum prior *Onkeloso* auctori tribuitur atque saec. 1. christiano composita esse asseritur. Quae sententia, nec si auctorem nec si aetatem spectas, est certa, siquidem nec quis ille Onkelos fuerit, nec quo saeculo vixerit, inter omnes convenit. Si Thalmudi babylonico, qui primus auctoris huius eiusque operis mentionem facit, fidem adhibemus, Onkelos proselytus Iudaeus fuit Gamalielisque, « secus cuius pedes eruditum » se dicit S. Paulus (*Act.* 22,23), discipulus[1]. Sunt, qui nullam rationem adesse censeant, cur ab hac thalmudica traditione recedamus[2]; nescio autem, annon id solum iam suspectum reddat hoc Thalmudicorum babylonicorum testimonium, quod ante eos nemo quidquam de Onkeloso eiusque opere audiverit vel sciverit; nec a

doctoribus mischnicis nec a gemaristis ierosolymitanis nec ab Origene vel S. Hieronymo unquam commemoratur. Accedit, quod eadem fere, quae de Onkeloso (אונקלוס) chaldaico paraphraste tradunt gemaristae babylonici, antiquiores ierosolymitani de Aquila (עקילס) graeco V. T. interprete referunt : Onkelos et Aquila proselyti iudaici nominantur, uterque interpretationem suam « ex ore R. Eliezer et R. Iosuae » accipit, uterque partem haereditatis suae in mare proiicit; Onkelos nepos Titi imperatoris dicitur, Aquila nepos Hadriani imperatoris[3]. Tantum igitur abest, ut testimonium illud certum sit, ut nullius esse valoris videatur; qui enim tribus vicibus inter quatuor hac ratione personas confundit, etiam quarta vice fidem non meretur[4].

Aliunde igitur paraphraseos huius aetas definienda est; quae enim iuniores rabbini de ea tradunt, quum thalmudicis illis testimoniis innitantur, maiore fide non sunt digna. Primum autem aetatis indicium ipsa lingua est, qua est exarata paraphrasis. Quae quum pura sit atque chaldaismo biblico valde vicina, non immerito concluditur, opus ipsum satis esse antiquum reliquasque paraphrases, uti linguae puritate, ita antiquitate superare. Aliquorum quoque textuum interpretatio suadet, ut illam ante templi urbisque destructionem factam dicamus; namque etsi in illis textibus nulla prorsus sanctuarii fiat mentio, de templo tamen explicantur idque eo modo, ac si templum etiam tum exstiterit et cultus religiosi centrum fuerit[5].

Una igitur ex parte paraphrasis haec a Iudaeis palaestinensibus et Patribus quatuor priorum saeculorum prorsus ignoratur et a babylonicis rabbinis 4. vel 5. saec. primum commemoratur, altera ex parte quaedam saltem insunt, quae saec. 1. eam adfuisse suadent, et lingua ipsa huic sententiae favet. Quae omnia, ni fallimur, conciliabimus, si saec 1. paraphrasin hanc Ierosolymis ex orali traditione scribi coeptam esse atque privato potius quam publico usui inservisse, saec. 4. autem exeunte a rabbinis babylonicis in hodiernam suam formam redactam publicoque usui traditam esse dicamus[6].

1. Quater *Thalm. Babyl.* Onkelosum commemorat; *Megill.* f. 3 : « paraphrasin Legis Onkelos proselytus ex ore R. Eliezer et R. Iosuae scripsit » (qui saec. 1. p. Chr. vixisse traduntur); *Demai Tos.* 6 : « Onkelos proselytus, postquam haereditatem paternam cum fratre divisit, partem suam in mare mortuum abiecit »; *Schabb. Tos.* 8 : « quum R. Gamaliel senex mortuus esset, Onkelos proselytus eius causa septuaginta minas thuris combussit »; *Aroda Sar.* f. 11 : « Onkelos filius Calonici, filii sororis Titi, desiderans proselytus fieri, ivit et ascendere fecit Titum (sc. ab inferis) per magiam » etc.; cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 8, 6 p. 340 sqq.; *Wolf* Bibl. hebr. II, p. 1147 sqq.

2. *Winer* De Onkeloso eiusque paraphrasi. Lipsiae 1820 p. 8; cfr *Kaulen* Einl. p. 95 (Ed. 3. p. 112) etc.

3. *Morin.* l. c. p. 341, qui textus Gemarae ierosolymitanae affert.; cfr *supra* 127 *n.* 2. p. 354.

4. *Herbst Welte* Einl. I. p. 175; quomodo autem ex thalmudicis testimoniis concludere possit, rabbinos quidem verum Onkelosum cognitum habuisse, aetatem autem, quo vixit, ignorasse, non video.

5. Cfr ad *Gen.* 49, 27 : « Beniamin lupus rapax; mane comedet praedam et vespere dividet spolia »; quae verba ita amplificat Onkelos : « in terra Beniamin habitabit praesens Dei maiestas (שְׁכִינְתָא דַיוי), et in possessione eius aedificabitur sanctuarium; mane offerent sacerdotes oblationes et in tempore vespertino divident residuum portionum suarum de reliquis, quae sanctificata sunt »; *Deut.* 33, 18 monetur Issachar, ut laetetur « in tabernaculis suis », Onkelos autem monet, ut laetetur, « quum eat ad computanda tempora sollemnitatum in Ierusalem »; cfr *Gfrœrer* Jahrhundert des Heils. Stuttg. 1838 I. p. 55 sqq.

6. *R. Abrah. Geiger* (Urschrift u. Uebersetz der Bibel in ihrer Abhängigkeit von der innern Entwicklung des Judenthums. Breslau 1857 p. 162 sqq.) Onkelosi et Ionathanis, de quo infra agemus, paraphrases saec. 3. et 4. a palaestinensibus rabbinis compositas et postea a babylonicis retractatas censet, ut antiquiores, quae fabulis ridiculisque commentis abundabant, e synagogarum usu removerent.

Ad *indolem* huius paraphraseos quod attinet, interpres plerumque quidem textum hebraicum accurate, immo interdum ita serviliter sequitur, ut eodem fere modo, quo Aquilas, verba literasque premat; nihilominus haud raro, ut sensum clarius reddat, proprias locutiones pro metaphoricis adhibet, nominibus geographicis etc. obsoletis usitatiora substituit, locos obscuriores paucis verbis insertis explicat; atque hac ratione translatorem potius quam paraphrasten agit. At haec omnia in historicis tantum et legalibus Pentateuchi partibus; in poeticis enim et propheticis liberaliore interpretandi ratione usus ita evagari solet, ut textus, quem prae oculis habuit, fere dispareat[7]. Una vero in re tantum non semper textum hebraicum mutat; anthropomorphismos sc. maxima cum sollicitudine evitare studens nominibus Dei et Domini frequentissime alia substituit[8]. Duos locos disertis verbis de Messia explicat, reliquos, qui vulgo messianici habentur, ea ratione interpretatur, quae messianicam interpretationem non excludat, quamvis Messiam ipsum non nominet[9].

Textus hebraicus, quem sequitur, interdum propius ad septuagintaviralem quam ad massorethicum accedit; id quod nobis argumento est, illas saltem partes originem suam tempori debere, quo lectio, quam Massorethae a Thalmudicis acceperunt, nondum erat determinata. Linguam, qua utitur, puram esse iam diximus.

7. Quomodo prophetici et poetici textus reddantur, exemplo sunt ea, quae *n.* 5. citavimus. Etsi a fabulis, quibus reliqui paraphrastae delectantur, inserendis abstineat, non desunt tamen, quibus eas certo quodam modo innuere videtur; cfr *Morin.* l. c. p. 343; ex. gr. *Gen.* 25, 27 Iacob dicitur fuisse « ministrans domui doctrinae », i. e. rabbinorum discipulus; in Bereschith Rabba enim Iacob scholas

patriarcharum Sem et Heber frequentasse narratur; *Gen.* 8, 4 Ararat (V. « mons Armeniae ») *Onk.* Kardu; 10, 10 « in terra Sennaar », *Onk.* in terra Babylonis; *Gen.* 37, 25 « Ismaelitae », *Onk.* Arabes etc.

8. Nominibus Dei et Domini fere substitui solent expressiones : יקרא דיי *gloria* vel *maiestas Dei*, שְׁכִינָא i. e. *praesentia* vel *praesens Dei maiestas*, שְׁמָא דיי *nomen* Dei, מימרא דיי *Verbum Domini* etc. Ex. gr. *Gen.* 28, 13 : *Iahve* in summitate scalae, quam vidit Iacob, *Onkel.* « *gloria Domini* »; *Gen.* 9, 27 : dilatet *Deus* Iapheth et *habitet* in tabernaculis Sem »; *Onk.* « et habitare faciat *praesentem suam maiestatem* in tabernaculis Sem »; *Exod.* 5, 2 Pharao dicit : Nescio Dominum, *Onk.* « *nomen Domini* non est mihi revelatum »; *Exod.* 19, 17 populus a Moyse ducitur « in occursum Dei », « *Onk.* in occursum *Verbi Dei* »; *Num.* 20, 22 Deus venit ad Balaam, *Onk.* « *Verbum Domini* venit ». Praesertim auxilium, quod textus hebr. Deo attribuit, Onkelos *Verbo Dei* attribuere solet : « Verbum Domini » pugnat cum Israel (*Deut.* 3, 22), est cum Abraham (*Gen.* 21. 22), dat terram in haereditatem (*Gen.* 26, 3, 24) etc. Valde mira est periphrasis *Gen.* 6, 6 : « poenituit Dominum *in Verbo suo*, quod fecisset hominem, et *dixit in Verbo suo*, ut contereret fortitudinem eorum » etc.; neque minus mirum, quod ubi נַפְשִׁי (anima mea i. q. ego) de Deo adhibetur, Onkelos adhibeat *verbum meum* ex. gr. *Lev.* 26, 30 « abominabitur vos anima mea » *Onk.* « abominabitur vos Verbum meum ». Quibusdam in locis duas personas divinas hoc nomine distinguere voluisse videtur ex. gr. *Gen.* 28, 21 Iacob ad Deum : « Dominus erit mihi in Deum », *Onk.* « Verbum Domini erit mihi in Deum »; *Gen.* 22, 16 « Per memetipsum iuravi », Onk : « per Verbum meum iuravi » etc.

9. *Gen.* 49, 10 : « Non auferetur qui habet potestatem a domo Iuda neque scriba a filiis filiorum eius in aeternum, usque dum veniet Messias, cuius est regnum, et ei obediunt populi » (cum alexandrino legit שֶׁלֹּה pro שִׁילֹה); *Num.* 24, 17 : « Video eum et non modo; intueor eum et non prope, quia consurget rex de domo Israel et ungetur Messias de domo Iacob » etc. — *Gen.* 3, 15 : « Inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter filium tuum et inter filium eius; ipse recordabitur tibi (i. e. puniet in te), quod ei fecisti a principio, et tu observabis eum usque ad finem »; *Gen.* 9, 28 : « Habitare faciet praesentem suam maiestatem in tabernaculis Sem »; benedictiones patriarcharum et *Deut.* 18, 15 verbotenus sunt redditae.

152. — Praeter Onkelosi Thargum in Pentateuchum alia adest paraphrasis Legis, quae quia ab antiquioribus Iudaeis Ionathani, Prophetarum paraphrastae, per errorem attribuebatur, *Pseudo-Ionathanis* hodie vocatur[1]; a qua tertia, cuius maiora tantum fragmenta conservata sunt, quaeque *ierosolymitana* (*ieruschalmi*) appellatur, re non differt; eas non esse nisi duas eiusdem operis recensiones *Morinus* iam suspicatus erat, *Vossius* et *Zunz* demonstrarunt[2], hodie omnes fere concedunt.

Satis recentis est originis; namque sex ordines (סדרים) Mischnae commemorantur (*Exod.* 26,9); Constantinopolis nominatur (*Num.* 24,9) et Turcarum gens (תרקי nisi Thraces legere mavis *Gen.* 10,2); Aischa et Fatime, nomina uxoris et filiae Muhammetis, sunt nomina uxorum Ismaelis (*Gen.* 21,21) etc.; quare eam ante 7. saec. non esse scriptam censent plerique cum Morino[3]. Eandem recentem aetatem lingua quoque impurissima, qua scripta est, sufficienter prodit, quum vocabulis graecis, latinis, persicis sit referta[4].

Modus, quo sacrum textum paraphrasta hic tractat, eiusmodi est, ut nec in re critica nec in exegesi ullam mereatur auctoritatem. Verum quidem est, eum septemdecim in locis Messiam nominare vel eius aetatem [5], quum Onkelos bis tantum eum nominet; erraret autem, qui locos istos contra Iudaeos urgere vellet, idque eo magis, quia etiam rabbinicum figmentum duplicis Messiae admittere cogeretur, qui alter, filius Ephraim vel Ioseph, pauper et vilis sed strenuus sit belli dux, alter, filius David, magnificus et gloriosus regni Israel rex [6]. Effrenata quadam cum licentia textum non exponit, sed ad ridiculas insanasque amplificationes adhibet, et occasionem ex sacro textu desumit, ut rabbinicas fabulas lectori obtrudat. « Noster (Ps. Ionathas), inquit *Winer*, omnia sibi licere ratus vix quinque aut sex versiculos de verbo reddidit; plurima in summum arbitrium effusus addendis, mutandis, pervertendis sententiis integris ad ingenia popularium ita accommodavit, ut persaepe non libros sacros sed commenta rabbinorum tibi legere videaris » [7]; atque in eandem sententiam *Wolf* : « fabulis nimium quantum abundat, iisque non leviter et obiter indicatis, sed ornatis et curatius pervulgatis » [8].

Quas ridiculas fabulas insanasque interpretationes ipse non excogitavit; multae enim earum, id quod iam monuit *Morinus* [9], etiam in Thalmude aliisque antiquorum rabbinorum libris inveniuntur. Atque illud quoque dignum est, quod animadvertatur, illas interpretationes, quae in Mischna vituperantur, a nostro paraphrasta esse receptas [10]. Unde dicendum videtur, paraphrases Ps. Ionathanis et ierosolymitanam esse recentissimas recensiones explicationis illius, quae per multa saecula orali sola traditione in synagogis palaestinensibus propagata est [11].

1. Cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 8, 2 et 7 (p. 322 sqq.; 344 sqq.); *Wolf* Biblioth. hebr. II. p. 1161 sqq. etc.

2. *Morin.* l. c. p. 323; *Vossius* apud Carpzov. Crit. sacr. p. 448; *Zunz* Gottesdienstl. Vortr. p. 66 sqq.

3. *Morin.* l. c. p. 344 sqq.; *Zunz* l. c. p. 68 etc.

4. *Elias Levita* (cfr *Le Long-Masch* Biblioth. s. II. 1 p. 26) : « scito linguam Onkelosi a lingua Ionathanis nihil discrepare, quia utraque lingua babylonica est, pariter tamquam Danielis et Esdrae; longe autem purior est, quam ceterorum Thargumim. Valde praesertim ierosolymitanum differt a babylonico, idque quia illud conflatur ex pluribus linguis, babylonica, graeca, romana et persica ».

5. Messias commemoratur et nominatur *Gen.* 3, 15; 35, 21; 49, 1. 10. 11. 12; *Exod.* 12, 42; 40, 9. 11; *Num.* 11, 26; 23, 21; 24, 7. 17. 20. 24; *Deut.* 25, 19; 30, 14; cfr *Buxtorf* Lexic. chald. p. 1268 sqq.

6. *Exod.* 40, 11 : « Messias filius Ephraim ». De rabbinico duplicis Messiae figmento cfr *Buxtorf* Synagoga hebr. 50. Ed. 3. Basil. 1661 p. 717 sqq.

7. *Winer* De Ionathan. in Pentat. paraphr. chald. Erlangae 1823 p. 8.

8. *Wolf* Biblioth. hebr. p. 1163.

9. *Morin.* ll. cc.; *Zunz* l. c. p. 72.

10. *Mischna* tr. Megill. 4, 9 (Surenhus. II. 401) et Ionath. in *Deut.* 22, 6; *Lev* 18, 21; cfr *Zunz* l. c. p. 75.

11. *Wellhausen* (Bleek-Wellh. Einl. Ed. 4. p. 607) : « Ueberhaupt entspricht die

Art, wie im Ierus. Thargum um das Element des verlesenen Bibelwortes herum die Stimmungen u. Meinungen von Jahrhunderten sich abgelagert haben, ganz der Vorstellung, die man sich von der Entwicklung des mündlichen Thargums machen muss »; cfr etiam *Ed. König* Einl. 1893 p. 100 atque opera recentiora ibi allegata.

III. Ionathanis Paraphrasis Prophetarum.

153. — De paraphraseos in Prophetas priores et posteriores auctore et origine eadem agitatur controversia, quae de Onkeloso. Iudaei illam Ionathani filio Uziel adscribunt; ante gemaristas babylonicos vero nemo invenitur, qui huius auctoris ullam mentionem fecerit. Doctoribus mischnicis et gemaristis ierosolymitanis non magis cognitus est, quam Origeni et S. Hieronymo; ea autem, quae de Ionathane in babylonica Gemara traduntur, fide digna esse nemo facile sibi persuaserit. Hillelis quidem senioris, qui brevi ante Domini nativitatem celeberrimus in scholis rabbinicis doctor fuit, discipulus fuisse perhibetur; at simul eum volunt ex ore Aggaei, Zachariae, Malachiae, ultimorum prophetarum, paraphrasin suam accepisse [1]. Frustra haec ita inter se conciliare conantur aliqui, ut explicationem illam orali traditione a prophetis ad Ionathanem pervenisse dicant; nam hunc non esse thalmudici loci sensum verba ipsa clamant et Iudaei fatentur [2]. Ceterum reliqua omnia, quae de eo narrant Thalmudici, tam fabulosa sunt, ut omnium risum excitent [3]. Quare mirum non est, quod aliquibus venerit suspicio, eodem modo gemaristas babylonicos, quo Aquilam graecum interpretem et Onkelosum chaldaicum Pentateuchi paraphrasten confuderunt, Ionathanem quoque et Theodotionem, alterum graecum interpretem, confudisse; neque probabilitate caret haec opinio, quum nomina sint identica [4].

Quia igitur certis testimoniis historicis nec auctor nec aetas paraphraseos determinatur, ad internas rationes confugiamus oportet. Iam vero lingua eius, etsi non eadem puritate, qua Onkelosi paraphrasis, insignis sit, tamen non longe ab ea distat; vocabula graeca multo pauciora inveniuntur, quam in Ps. Ionathanis Pentateuchi expositione, latina autem vix aliqua. Concludere igitur licet, eam iuniorem quidem Onkelosi, antiquiorem Ps. Ionathanis paraphrasibus esse. At illud quoque, quod supra de Onkelosi opere diximus, quaedam ante urbis templique eversionem, quaedam post illam scripta videri, in Prophetarum paraphrasi obtinet. Si Anna in suo cantico (1 *Reg.* 2.) Iudaeorum historiam usque ad Hasmonaeos tantum prosequitur, si de Romanis, qui a Iudaeis censum accipiunt, sermo est (*Habac.* 3,17), si templum ierosolymitanum frequentari ibique sacrificium iuge offerri supponi-

tur (*Ierem.* 2,3; *Ezech.* 36,38) etc., diffiteri non possumus, haec non nisi ante ultimum urbis excidium scripta videri; at altera ex parte non uno in loco ille populi status describitur, qui post urbis destructionem exortus est (ex gr. *Is.* 32,14; 53,4), et quod gravius est, multae insertae sunt fabulae et nugae rabbinicae, quas Christi aetate in usum publicum et ut ita dicam liturgicum iam receptas esse nemo prudens concedet[5]. Quae omnia pro iunioribus interpolationibus vel ideo haberi nequeunt[6], quia illis demtis aliquoties contextus omnis destrueretur atque partes aliquae sacri textus a paraphrasta silentio praetermissae essent dicendae.

Quae quum ita sint, de Prophetarum paraphrasi idem quod de Onkelosi opere statuendum censemus, saec. 1. quidem illam Ierosolymis scribi esse coeptam, at a iunioribus rabbinis saepius retractatam atque in hodiernam suam formam a babylonicis, qui primi eam commemorant, saec. 4. esse redactam.

1. *Thalm. Babyl.* tr. Baba bathra f. 134; Megill. 1, 3; cfr *Morin.* Exercit. bibl. II, 8, 1 p. 319.

2. *Megill.* l. c. « Thargum Legis composuit Onkelos proselytus ex ore R. Eliezer et R. Iosue; Thargum Prophetarum Ionathan filius Uziel ex ore Aggaei, Zachariae et Malachiae ». Eodem igitur modo, si verbis fides est, quo prior dependet a duobus illis rabbinis, qui post Christum vixerunt, alter a prophetis dependere dicitur. Ita verba intellexit *R. Ghedalia* : « Ionathan filius Uziel valde produxit dies vitae suae, ita ut iuvenis doctrinam traditionalem ab Aggaeo, Zacharia, Malachia acceperit; in medio autem vitae suae fuerit e sociis R. Iochanan, filii Zachaei, qui fuerunt discipuli Hillelis senioris; in fine demum vitae viderit Onkelos proselytum ». Quae merito ridet *Morinus* l. c. p. 320.

3. In Thalm. ll. cc. narrant gemaristae, Hilleli fuisse octoginta discipulos, inter quos triginta primi digni, supra quos requiesceret maiestas divina, sicut requievit supra Moysen, triginta ultimi digni, ad quorum verbum staret sol, sicut stetit ad verbum Iosue, viginti alii intermedii, inter quos primus Ionathan filius Uziel; quo tempore occupatus esset in scribenda paraphrasi sua, aviculas omnes super ipsum transvolantes exustas esse divino, quo aestuabat, ardore; quum eam terminasset, totam terram Israel ad quadraginta parasangas commotam esse; « filiam vocis » prohibuisse quominus ad Hagiographa explicanda transiret, ne secreta coelestia revelarentur etc.; cfr *Morin.* l. c. Omnia haec, utpote absurdissima, merito ab omnibus exploduntur; sed qui fieri potest, ut omnia, quae de Ionathane tradunt rabbini, reiiciamus et tamen illud unum, quod de eius aetate referunt, pro vero admittamus?

4. יְהוֹנָתָן = Θεοδοτίων = *Deus dedit.* Haec nominum comparatio tantum abest ut argutatio astuta sit, ut probabilior sit, quam nominum אונקלוס et עכילס confusio, quae passim conceditur.

5. *Morin.* l. c. II. 8, 3 p. 330 sqq.

6. *Wolf* (Biblioth. hebr. II. p. 1161. 1165) iam fabulas has et nugas pro meris iuniorum interpolationibus habuit; eumque sequuntur multi moderni, ex. gr. *Herbst-Welte* Einl. I. p. 178, *Kaulen* Einl. p. 96; Ed. 3. p. 114 etc. Minime quidem inter-

polationes etiam post Thalmudicorum aetatem factas esse negamus; omnia autem, quae iuniorem originem sapiunt, interpolationibus adnumerare violentum est remedium.

Paraphraseos huius *indoles* altera est in Prophetis prioribus, altera in posterioribus. In prioribus, i. e. in libris historicis, eius ratio explicandi non absimilis est illi, quam tenet Onkelos. Uti ille, ipse quoque anthropomorphismos vitat[7] et in genere translatorem agit; at non tam presso pede literam hebraicam sequitur nec eadem cum cura ab omni superflua amplificatione abstinet. In carminibus deinde, quae libris historicis inserta sunt, laxatis frenis ingenio indulget et omnes in partes evagatur[8]. Similis deinde est ratio, quam in Prophetis posterioribus, qui difficiliores et obscuriores sunt, tenere solet; nam in his quoque non pauca pro libitu auget, amplificat, figmentis rabbinicis deturpat[9]. Accusatur a quibusdam, quod ex odio Christianorum obscuraverit vaticinia messianica; at immerito. Procul dubio textus messianicos aliquos non intellexit, atque praesertim Messiam patientem et pro hominum peccatis satisfacientem non cognovit iudaicis ideis imbutus; verum alia non pauca sunt vaticinia, quae genuino suo sensu exponit nonnullisque in locis Messiam commemorat, in quibus directe saltem propheta de eo locutus non est[10].

7. Saepissime adhibet שׁכינא pro nomine Dei (1 *Reg.* 4, 4 etc; 2 *Reg.* 7, 5. 6. 3 *Reg.* 8, 16. 27. 80; *Os.* 2, 3; 5, 6; 9, 3 etc.).

8. Ex. gr. canticum Annae (1 *Reg.* 2, 1) hac ratione amplificatur : « Ecce Samuel filius meus erit propheta in Israel; in diebus eius liberabuntur e manu Philisthaeorum et per manus eius fient signa et virtutes; idcirco invaluit cor meum in parte, quam dedit mihi Dominus; et etiam Heman, filius Ioel, filius filii mei Samuel, stabit ipse cum quatuordecim filiis eius, et recitabit carmina ad nablia et citharas cum fratribus suis levitis ad laudandum in domo sanctuarii; ideo elevatum est cornu meum in dono, quod numeravit mihi Dominus; atque etiam super ultione signi, quod erit in Philisthaeis, qui reducent arcam Domini in plaustro novo cum oblationibus expiatoriis. Propterea dicet congregatio Israel : Aperiam os meum ad loquendum magnalia » etc. — 2 *Reg.* 23, 4 verba : Sicut lux aurorae etc. ita amplificantur : « Beati vos iusti! Fecistis vobis opera bona, propter quae lucebitis in splendore gloriae eius, sicut lux aurorae, quae ornata incedit, et sicut sol, qui ad illuminandum praeparatus est, sicut splendor pulchritudinis eius ter centies et quadragies et ter (sc. 7. 7. 7.), sicut splendor septem stellarum septem dierum; magis quam illa magnificabimini et extollemini » etc.

9. Cfr *Morin.* l. c. p. 332 sq. — *Is.* 10, 32 describitur exercitus Sennacherib, qui fuit ducentorum et sexaginta millium myriadum minus uno et secum duxit quadragies mille sedilia aurea, in quibus sedebant filii regum coronis aureis ornati; *Is.* 11, 4 Armillus, qui rabbinis est antichristus quidam Roma oriundus, commemoratur etc.

10. *Buxtorf* Lex. chald. s. v. משׁוה hos ex Ionathanis Thargum affert textus messianicos : 1 *Reg.* 2, 10; 2 *Reg.* 23, 3; 3 *Reg.* 4. 33; *Is.* 4, 2; 9, 6; 10, 27; 11,

1. 6; 15, 2; 16, 1. 5; 28, 5; 42, 1; 43, 10; 52, 13; 53, 10; *Ierem.* 23. 5; 30, 21; 33, 13. 15; *Os.* 3, 5; 14, 8; *Mich.* 4, 8; 5, 2. 18; *Zach.* 3, 8; 4, 7; 6, 12; 10, 14.

IV. Paraphrases Hagiographorum.

154. — Eodem in ordine, in quo Ps. Ionathanis et ierosolymitana Pentateuchi paraphrases, etiam fere omnes numerandi sunt Hagiographorum Thargumim; recentis sunt originis, et futiles ac haud raro ridiculae sunt textus sacri amplificationes vel expositiones. Quare pauca tantum de eis dicemus.

Inter Hagiographa publicae lectioni synagogarum solae *quinque Megilloth* inserviunt (18), quarum solarum proin paraphrasis a publica quadam traditione dependet. Quando autem illa, quae hodie habetur, scripta et cui auctori tribuenda sit, Iudaei ipsi ignorare se fatentur [1]; constat autem eam saeculo 7. esse iuniorem atque tot tantisque fabulis refertam, ut prudentis attentione non sit digna. Quid quod in Cantici paraphrasi, quae recte quidem allegoricum libri sensum tuetur, duplicis Messiae figmentum obtrudatur, Mischna et Gemara Legi aequiparentur, quin etiam Deus Legi et Thalmudi studere blasphemice et impiissime dicatur [2]? In librum Esther altera adest paraphrasis priore longior et insanior [3].

Rabbinorum nonnullorum sententias tantum referunt reliquae Hagiographorum paraphrases. Proverbiorum, Psalmorum, Iobi Thargumim ob linguae, qua scripti sunt, similitudinem eidem auctori tribuuntur; modus quoque, quo in iis sacer textus tractatur, in genere idem est, quamvis in minoribus diversitas quaedam deprehendatur. Plerumque enim interpres satis fideliter textum hebraicum exprimit, et sub hoc respectu primum locum obtinent *Proverbia*, in quibus chaldaicus interpres rarissime a primigenio exemplari deflectit, ac tam prope ad syriacam versionem interdum accedit, ut aliqui eum potius a Syro quam ab Hebraeo dependere putaverint [4]. Minus accurata est *Psalmorum* interpretatio, quae frequentiora habet additamenta ad textum illustrandum inserta, sed etiam nonnullis in locis odium quoddam revelatae veritatis manifestat [5]. Liber *Iob* deinde satis multis et superfluis amplificationibus ac haud semel rabbinicis figmentis deturpatus est [6]. *Paralipomenon* demum Thargum, uti omnium recentissimus est, ita prae omnibus prodigiosas thalmudicas expositiones prosequitur et in omnes partes evagatur [7].

1. Ex Iudaeis alii Aquilae proselyto, alii Ionathani, alii incognito ierosolymitanae Pentateuchi paraphraseos auctori, alii R. Iosepho Caeco, qui saec. 4. scholae soranae in Babylonia praefuisse narratur, Hagiographorum Thargumim attribuunt (*Morin.* l. c. II. 8, 4 p. 335). Omnibus sententiis discussis *Wolf* (Bibl. hebr. II. p. 1175) probabiliorem sententiam eorum putat, qui ex ore R. Iosephi Caeci haec a discipulis eius esse collecta sed aliorum studio sequentibus saeculis locupletata et aucta dicunt, donec in hodiernam formam excreverint.

2. Duplex Messias *Cant.* 4. 5; 7, 13; de Thalmude cfr *Cant.* 1, 2 : « Benedictum nomen Domini, qui dedit nobis Legem per Moysen... et sex tractatus Mischnae et

Thalmudem cum explicatione »; 5. 10. synagoga ait : « illi Deo volo servire, qui amictus per diem stola alba studet viginti quatuor libris (biblicis) et per noctem sex ordinibus Mischnae ». In polyglottis londin. ultimus quidem hic textus desideratur, citatur autem a *Morino* l. c., *Carpzov*. Crit. sacr. p. 452 et aliis.

3. Cfr *Carpzov*. l. c. : « prolixi commentarii instar et fabulis maxime refertum est ». Aliae eiusdem libri paraphrases circumferri dicuntur, quae non maioris sunt momenti.

4. Primus hanc sententiam in medium attulisse videtur *Rich. Simon* (Réponse aux sentiments de quelques théologiens de Hollande. Rotterdam 1665 p. 173), quem secuti sunt *Wolf* (l. c. p. 1176), *Dathe* (Opuscula Lips. 1794) aliique non pauci. Recte autem monet *Herbst-Welte* (Einl. I. p. 183), ob syriacae et chaldaicae linguarum affinitatem necessario in facilioribus sententiis vertendis exoriri similitudinem quandam, in difficilioribus autem chaldaicum interpretem a syro dissentire.

5. Ex. gr. *Ps*. 8, 9 : pisces maris *et Leviathan*, qui perambulant semitas maris; *Ps*. 9, 6 : increpasti gentes *Philisthaeorum* et perdidisti *Goliath* impium. — *Ps*. 2. interpreti messianicus quidem est, sed v. 7 (Filius meus es tu : ego hodie genui te) redditur : « Dilectus, sicut filius patri, es mihi; tu purus es, ac si hodie creavissem te »; *Ps*. 21 (22) 17 (foderunt manus meas et pedes meos) : « mordentes sicut leo manus meas et pedes meos » etc. Ceterum Messiam nominat *Ps*. 2, 2; (hebr.) 18, 32; 20, 7; 21, 2. 8; 45, 3. 8; 61, 7. 9; 72, 1; 80, 18; 84, 10; cfr *Buxtorf* Lex. chald. s. v. משׁיח.

6. Ex. gr. *Iob*. 2, 11 ita redditur : « et audierunt tres amici Iob omne malum, quod venerat super eum, quum vidissent arbores hortorum eius arefactas et panem cibi eius conversum in carnem vivam et vinum potus eius in sanguinem, et venerunt unusquisque de loco suo, et ideo liberati sunt a loco, qui eis destinatus erat in gehenna »; 3, 2 : « pereat dies, in quo natus sum, et angelus, qui praefectus est conceptui »; 3, 5 : illam diem conturbet « dolor, quo affectus est Ieremias ob excidium domus sanctuarii et Ionas, quum eiiceretur in mare tarsense » etc.

7. Cfr *Herbst-Welte* Einl. I. p. 187.

V. Samaritana Pentateuchi versio.

155. — Aramaicis paraphrasibus samaritanam Pentateuchi versionem addimus, quia interpretationis ratione eis similis est et lingua samaritana ipsa non est nisi aramaici rami dialectus. Maximam habet cum Onkelosi Thargum affinitatem, et in nonnullis locis difficilioribus tam prope ad eum accedit, ut aramaicum Pentateuchum interpreti samaritano inservisse aliqui suspicati sint; quum tamen in haud paucioribus locis ab eo dissentiat, certi hac de re nihil statui potest. Uti Onkelos, ita Samaritanus quoque accurate suum textum, sc. Pentateuchum samaritanum, reddit et ab additamentis amplificationibusque abstinet [1]; uti ille, ita ipse magna cum cura anthropomorphismos evitat iisdem utens plerumque circumlocutionibus; etiam euphemismis interdum vocabula propria textus hebraici reddit, nominibus obsoletis usitatiora substituit etc. Quare ad antiquum textum samaritanum cognoscendum optimum est adiumentum. Eius auctor et aetas ignorantur; Samaritani ipsi versionem hanc saec. 1. a. Chr. scriptam

asserunt; Origenes eam cognitam habuit nec semel eius interpretationes in suis Hexaplis adnotavit[2]; quumque nullum iunioris aetatis vestigium in ea inveniatur, nihil obstat, quominus samaritanae traditioni fidem adhibeamus[3].

1. Illa autem additamenta omnia habet, quae in Pentateucho samaritano ipso leguntur (cfr 94 *n*. 5).

2. Cfr *Field* Origenis Hexapla Proleg. p. LXXXIII, qui ex quadraginta tribus lectionibus, quae ex Origenis hexaplis nobis conservatae sunt, triginta sex in versione samaritana hodierna inveniri testatur.

3. Cfr *Winer* De versionis samaritanae indole. Lips. 1817 et *Gesenius* De Pentateuchi samaritani origine etc. p. 18, qui uterque versionem saeculo 2. p. Chr. antiquiorem habent; *Kautzsch* vero (Herzog P. R. E. Ed. 2. XIII. p. 350) illam saec. 2. antiquiorem esse negat.

VI. De utilitate paraphrasium earumque editionibus.

156. — Omnium Thargumim non esse eandem utilitatem auctoritatemque ex iis, quae de singulorum indole attigimus, satis superque elucet. Mirum quidem non est, quod Iudaei, praesertim antiquiores, maxima veneratione eas prosecuti sint easque fere ipsi textui primigenio aequiparaverint; genuinam enim sacrorum librorum explicationem a maioribus suis, atque ab ipsis prophetis traditam se in illis possidere gloriantur[1]. Magis autem mirandum, quod Christiani quoque sat multi illas magni olim fecerint et hodie faciant, maxime ut dogmata christiana contra Iudaeos stabiliant[2]. Rectius iudicasse censemus *Rich. Simon*, quum illas omnes, Onkelosi et Ionathanis operibus exceptis, non magnae utilitatis esse diceret nec dignas, quae magna cum sollicitudine quaererentur[3]. Onkelosi haud dubie Thargum atque magna ex parte etiam prophetarum chaldaica paraphrasis eum textum hebraicum, qui ante terminatam Gemaram babylonicam in usu fuit, nos docent; nec plane inutilia sunt illa opera ad traditionalem Iudaeorum exegesin cognoscendam. At si in illis adhibendis magna iam indigemus circumspectione, ne iuniorum rabbinorum explicationes et antiquam Iudaeorum traditionem confundamus, multo maior prudentia requiritur in eo, qui in Hagiographorum paraphrasibus, nedum in Ps. Ionathanis et ierosolymitani commentis, antiquae synagogae, quae Messiam suum nondum respuerat, sententias investigare voluerit. Neque negamus quaedam in illis inveniri, quae ad Iudaeos convincendos pro argumento ad hominem inservire possint; cavendum autem est, ne illis utentes Iudaeis ansam praebeamus, ut in illis paraphrasibus se veram et genuinam Scripturarum interpretationem habere arbitrentur[4].

1. Cfr *Nic. Lyran.* in Is. 8, 1 : « translatio chaldaica, quae apud Hebraeos dicitur Thargum, est tantae auctoritatis apud eos, quod nullus fuit ausus ei contradicere ». Revera Onkelosum « omnia abscondita » Legis manifestasse, docet *Aben Esra* (Praef. in Pentat. cfr *Wolf* l. c. II. 1182); quid de Ionathane senserint babylonici, testimonia allata (153 *n.* 3) demonstrant; quid de reliquis sentiant, docet eorum formula : « nisi huius loci Thargum adesset, nesciremus quid tandem sibi vellet » (*Sanhedr.* f. 42. 6; *Moed. Katon* f. 28 b. cfr *Wolf* l. c.).

2. Protestantes praesertim multi olim « varia et insignia commoda lecturis inde polliciti sunt, sive ex ritibus iudaicis passim illustratis, sive ex contextu originali eiusque integritate adstructa, sive ex declaratis locis Scripturae obscurioribus, sive ex manifesta vocum hebraearum insolentiorum genuina vi et efficacia, sive ex testimoniis, quae inde pro veritate adversus Iudaeos in asserendis veris doctrinis aut confutandis oppositis erroribus petere licet, aestimantur » (*Wolf* l. c. p. 1184). Cautius catholici iudicaverunt : « paraphrasticae translationes, inquit *Bellarminus* (De verbo Dei II. 3), apud Hebraeos magnae sunt auctoritatis et *idcirco* etiam nobis utiles, *ut ex iis convincamus Hebraeos*. Alioquin ab Ecclesia non usque adeo magni fiunt, *neque ex iis argumentum firmum duci potest.* »

3. *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Testament II. c. 18.

4. *Rich. Simon* l. c. : « L'utilité des dernières paraphrases n'est pas si grande, que quelques-uns ont cru; au lieu qu'il est certain que les Juifs en tirent de l'avantage, parce qu'ils s'imaginent que nous autorisons leurs rêveries et leurs superstitions vaines et ridicules dans nos Bibles, comme si nous faisions aller de pair ces paraphrases avec les anciennes versions. Il est vrai que l'on s'en est servi pour établir quelques articles de notre créance contre les Juifs, principalement ceux qui regardent le Messie. Mais, bien que ces preuves paraissent concluantes contre les Juifs, parce qu'elles sont prises de leurs livres, je ne crois pas qu'il soit fort avantageux d'avoir recours à des livres remplis de fables, outre que ces passages, que nous croyons être favorables à notre religion, ne consistant la plupart que dans des allégories, il ne sera pas mal aisé aux Juifs de les détourner ».

Quum Iudaei tanti faciant suas paraphrases, mirandum sine ullo dubio foret, si inventa typographia eas non omni modo propagare studuissent; ante finitum saec. 15. Onkelosi Thargum saepius iam typis prodierat, uti etiam Thargum Proverbiorum et Ionathan in Prophetas priores; reliquae paraphrases variis editionibus secutae sunt ineunte saec. 16[1]. Inter Christianos *Card. Ximenes* primus fuit, qui in suis complutensibus polyglottis Onkelosi Thargum edendum curaverit; in antwerpiensibus et parisiensibus prodierunt etiam Ionathanis paraphrases Prophetarum priorum et posteriorum et Hagiographa aramaica; londinensia demum his addiderunt Ps. Ionathanem et ierosolymitanum. Plerarumque paraphrasium textus parum purus ad nos pervenit, atque omnes fere maioribus minoribusve interpolationibus videntur esse foedatae; unde earum usus haud raro impeditus, quum locum ex eis allatum non esse genuinum facile obiiciatur[2].

1. Cfr *de Rossi* Annales hebraeo-typographici saec. 15. Parmae 1795 et *eiusdem* Ann. hebr.-typogr. ab a. 1501-1540. Parmae 1799; quo teste Onkelos prodiit Bo-

noniae 1482, Iscar 1490, Ulyssipone 1491; Ionathan in Proph. priores 1494, in Haftaras proph. Soncini 1486; integer Venetiis 1517. 1525, una cum Ps. Ionathane et reliquis Thargumim in primis Bibliis rabbinicis, de quibus infra recurret sermo. Operae pretium non est omnes iuniores editiones Iudaeorum enumerare; cfr *Le Long-Masch* Bibl. sacr. II. 1. p. 30 sqq.

2. Criticae editionis initium quoddam fecit *Paul. de Lagarde* Prophetae priores et posteriores chaldaice e fide codicis reuchliniani Lips. 1872; Hagiographa chaldaice. Lips. 1874; huc quoque spectant dissertationes quaedam a *Bacher* in Zeitschr. der deutschen morgenl. Ges. XXVII. XXVIII. 1874 etc., *Ginsburg* (in Iahrb. für protest. Theol. 1891) aliisque editae; Thargum Onkelos ab *A. Berliner* (Berlin 1884) typis descriptus repetit textum Sabionetae a. 1587 editum.

§ 14. — *De syriaca Utriusque Test. versione simplici.*

157. — Inter antiquissimas et utilissimas Utriusque Testamenti versiones merito illa numeratur syriaca, quae פשיטא (*Peschito*) vel פשיטתא (Peschittho vel Peschittha) appellatur, quod nomen a variis vario modo interpretatum vulgo *simplex* vertitur, versionemque esse literalem designat, ita ut claro simplicique modo primigenii textus sensum reddat [1].

Syri ipsi, si de versionis huius *origine* interrogantur, certam quidem se de ea traditionem non habere fateantur oportet, unanimi autem consensu eam antiquissimam esse proclamant: alii enim Salomone, ut Tyriorum regis Hirami desiderium expleret, iubente partem Veteris Test. translatam esse volunt; alii sacerdoti illi, quem Asarhaddon Assyriorum rex Samariam misit, ut advenas Cuthaeos cultum dei terrae doceret (4 *Reg.* 17,24 sqq.), eandem versionem adscribunt; alii demum a Thaddaei, primi sui Apostoli, discipulis Utrumque Test. syriace redditum esse contendunt [2]. Quae sententiae refutatione non indigent; tertiam solam eatenus aliquis defendere potest, quatenus saec. 1. p. Chr. translationem inchoatam esse non est improbabile. Revera enim ad 2., vel forte, si solum Vetus Test. spectatur, ad 1. saec., originem *simplicis* versionis referendum esse certis argumentis constat [3].

Namque 1.) *S. Ephraem* medio 4. saec. eam adhibet tamquam ab omnibus acceptam eamque appellat « nostram versionem »; quod si communis hic usus antiquiorem iam eius originem demonstrat, multo clarius eadem elucet ex eo, quod S. Doctor nonnulla eius vocabula non amplius intellexit, alia suis lectoribus ignota esse supponit, alia non nisi dubio modo explicare audet [4]. Tantum igitur tempus a versionis origine ad S. Ephraemi aetatem effluxit, ut lingua iam mutari vocabulaque quaedam exolescere potuerint.

2.) Exeunte saec. 2. *Bardesanes,* « vir disertissimus syriaco sermone et acerrimus in disputando adversus Marcionem aliosque variarum opinionum auctores atque assertores, patria lingua dialogos conscripsit

una cum infinitis aliis opusculis; quae omnia discipuli illius ex syriaco sermone in graecum transtulerunt »[5], atqui haec Bardesanis et filii eius Harmonii opera polemica scribi vix ac ne vix quidem potuerunt, si Scripturae syriacae eo tempore nondum adfuerunt; eodem enim modo, quo antiqui Patres omnes, qui Marcionem ex Scripturis confutaverunt eumque truncati canonis reum demonstrarunt, Bardesanem egisse verisimile est.

3). Hegesippus demum, qui medio saec. 2., sedente in cathedra romana S. Aniceto, Romam venit, teste Eusebio in suis libris « ex Evangelio secundum Hebraeos et *syriaco* (ἔκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ) et speciatim ex hebraica lingua quaedam in medium attulit »[6]; ergo medio saec. 2. iam exstiterunt Evangelia syriaca. Omnes autem Novi Test. libros ab eodem interprete esse translatos omnes fatentur, quum idem in omnibus teneatur vertendi modus eademque in omnibus appareat linguae stylique ratio. Omnes igitur N. T. libri medio saec. 2. syriace iam prodierant; sed citationes Veteris Test., quae in Novo syriaco leguntur, ita cum syriaco Veteris textu plerumque consonant, ut ex illis desumtae esse videantur[7]. Unde concludamus oportet, Vetus translatum esse ante Novum, ac proin nihil prohibere, quominus iam saec. 1. versionem inchoatam esse dicamus. Revera apostolicae sunt origines ecclesiae syriacae, neque in dubium vocari potest, quin Syri etiam statim liturgiam sua lingua celebrare coeperint ideoque etiam illos libros transtulerint, ex quibus lectiones liturgicae erant desumendae.

1. Quum verbum פשט significet « expandit, extendit », aliqui *Peschito* explicaverunt « expansum, propagatum, *vulgatum* » (syriaca Vulgata) cfr *Nestle* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XV. p. 192 etc.; at rectius sumitur eo sensu, quo plerumque occurrit, « simplex », quae literali modo sensum exemplaris primigenii exprimit. Non desunt, qui eam *simplicem* vocatam esse velint in oppositione ad textum *hexaplarem*, qui signis suis diacriticis fuit deformatus (*Field*, *Nöld.*, *Wellh.*, *Buhl* etc.); sed cfr contra hanc explicationem *Ed. König* Einl. 1893 p. 120 sq.

2. *Iesudad*, episcopus hadithensis (saec. 9) : « ad syriacum idioma translatae sunt Scripturae iuxta aliquos hoc modo : Pentateuchus, Iosue, Iudices, Ruth, Samuel, David, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum et Iob tempore Salomonis, Hiramo eius amico deprecante, reliqui vero libri Veteris simul et Novi Test. tempore Abgari, regis edesseni sollicitudine Addaei (Thaddaei) et reliquorum Apostolorum. Quamquam alii aliter dicant, nempe quod ab uno sacerdote ex iis, quos miserat rex Assyriae, in samaritanum idioma conversi sint ». *Assemani* Biblioth. orient. III. 1 p. 211; cfr *Barhebr*. Praef. in Horr. myster. (Assemani Bibl. II. 279); *Iacob. Edess.* apud *Wisem.* Horae syr. p. 103.

3. Cfr de Peschito, eius origine, historia, indole praesertim *Wiseman* Horae syr. Diss. 2. et 3.

4. *Wiseman* l. c. p. 118 sqq. Ex. gr. *S. Ephr.* in *Gen.* 1, 1 (Opp. syr. I. p. 6) syriacum ית, quo interpres hebraicum את (signum accusat.) reddiderat, explicat *substan-*

tiam; in *Gen.* 30, 14 relate ad vocabulum יכרוחא ait : « dicunt vocabulum hoc significare... » cfr *Wisem.* p. 122. 130. 131. 134. 136 etc.

5. *Euseb.* H. E. IV. 30 (M. 20, 402); *S. Hier.* de vir. illustr. 33 (M. 23, 647 sq.). Cfr *Hug* Einl. p. 363. — De Harmonio, Bardesanis discipulo cfr *Assem.* Bibl. orient. I. p. 48.

6. *Euseb.* H. E. IV. 22 (M. 20, 384).

7. *Matth.* 12, 18 sqq. ex *Is.* 42, 3 sq.; *Matth.* 19, 4. 5. ex *Gen.* 2, 24; *Matth.* 21, 5 ex *Zach.* 9, 9; *Act.* 4, 25-29 ex *Ps.* 2, 1 sqq.; *Act.* 8, 32 sq. ex *Is.* 53, 7; *Rom.* 9, 29 ex *Is.* 1, 9; *Rom.* 11, 9 ex *Ps.* 68 (69), 24 desumta sunt, quamvis textus syriacus Veteris Test. non semper textui graeco Novi consonet; cfr *Hug* Einl. p. 359 sq.

Saec. 2. ineunti igitur N. T. versionem syriacam adscribimus; illam quidem quatuor minorum Epistolarum (2 Petr., 2, 3 Ioan., Iudae) translationem, quam hodie in editionibus habemus, iunioris esse originis alteriusque auctoris fatemur, at antiquiorem in Peschito adfuisse tantum non certum est (65), nec ulla adest ratio, cur eas non una cum reliquis ab eodemque interprete syriace redditas dicamus.

At Veteris Test. libri syriaci nec eidem tempori nec eidem auctori adscribi possunt; S. Ephraem iam de pluribus interpretibus loquitur eique consentiunt reliqui scriptores syri[8]. Quorum testimonia versionis indole confirmantur; dum enim plerique libri fideliter et accurate textum primigenium referunt, in Paralipomenis interpres textum suum arbitrario quodam modo tractavit, aliis omissis, aliis excerptis, aliis amplificatis. Simile aliquid in libro Ruth syriaco obtinet, qui rectius paraphrasis quam versio dicatur oportet.

Suspicati sunt aliqui, V. T. interpretes fuisse Iudaeos[9]; quam sententiam demonstrari censent et tempore quo versio adornata est et ipsa interpretationis ratione; « etenim, versionem illam inquiunt, saec 1. adornatam esse constat, atqui eo tempore Christiani illa non indiguerunt; sat multis quoque in locis traditionem exegeticam Iudaeorum prodit et ab Onkelosi paraphrasi dependet ». Quae opinio iure merito ab aliis reiicitur. Namque in omnibus, quae a Iudaeis factae sunt versionibus, maxime quidem in aramaicis paraphrasibus sed etiam iam in ipsa alexandrina editione, studium non parvum apparet evitandorum anthropomorphismorum; iam vero in Peschito non nisi rarum huius studii deprehenditur vestigium. Praeterea Iudaei magna haud dubie cum sollicitudine omnia ea reddidissent, quae legem suam ritualem spectant atque praesertim ea, quibus in quotidiana vita ab ethnicis distinguebantur; syrus autem Pentateuchi interpres parum accurate, ne dicam negligenter, legem de animalibus mundis immundisque aliaque id generis vertit (*Levit.* 11; *Deut.* 14, 13 sqq.). Accedit quod in vaticiniis messianicis reddendis minime cum Iudaeis consentiat[10]. Quod si aliis in locis ad traditionem exegeticam Iudaeorum prope accedit, id

facile explicatur, si eum Iudaeochristianum fuisse supponimus. Christianis autem necessaria fuit interpretatio, quamprimum lingua syriaca liturgiam celebrare voluerunt; quod autem in communem usum haec sit recepta, id quoque Christianum potius, quam Iudaeum, fuisse interpretem demonstrat[11].

8. *S. Ephr.* in *Ios.* 15, 21 (Opp. syr. I. p. 305); cfr *Wiseman* l. c. p. 103.

9. *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. II. c. 15 p. 272; *Hug* Einl. I. p. 360; *Kaulen* Einl. p. 103, Ed. 3. p. 122; *Vigouroux* Manuel I. p. 157 etc.

10. Ex. gr. *Is.* 7, 14, עַלְמָה, quod iuniores hebraici interpretes (Aquila etc.) vertunt νεᾶνις, Syr. reddit בתולתא (virgo); *Is.* 9. 2 אֵל, quod Aquil., Symm., Theod. reddunt ἰσχυρός, Syr. אלהא (deus) etc.

11. *Herbst-Welte* Einl. I. p. 198; *Hævernick* Einl. I. p. 406. — Mediam quasi viam alii (cfr *E. König* Einl. 1893 p. 121 sqq.) ineunt, qui nonnullas partes Veteris Test. syriace translatas apud Iudaeos regionum syro-mesopotamicarum adfuisse coniiciunt, antequam christiana religio ibi esset propagata; a Christianis autem illas partes velut fundamentum integrae versionis esse adhibitas.

158. — Ut quaenam sit versionis huius *indoles* cognoscamus, praeprimis stabiliendum est, ex quonam textu facta sit. Protocanonicos Veteris Test. libros immediate ex hebraico textu esse translatos, *S. Ephraem* disertis verbis asserit[1] et versio ipsa docet. In chronologia enim (*Gen.* 5. et 11.), in propriorum nominum forma, in textu ipso omnino Hebraeum sequitur, nec desunt menda, quae ex hebraico textu non bene intellecto explicanda sunt[2]. A massorethicis quidem lectionibus satis frequenter discedit, ita quidem ut ad alexandrinam versionem propius accedat[3]; at immerito inde concludendum censent aliqui, interpretem una cum textu hebraico etiam alexandrinum prae oculis habuisse[4]. Namque non tantum in difficilioribus locis ab eo fere dissentire solet, sed additamenta quoque, quae in graeco leguntur, tantum non omnia omittit, quamvis ipse haud infrequenter quaedam propria inserat[5]. Quare affinitas illa, quae syriacam inter et alexandrinam versiones intercedit earumque contra Hebraeum consensio partim ex mutationibus explicanda est, quas ipse textus hebraicus ante Massoretharum aetatem passus est, partim ex exegetica traditione, quae ipsa quoque apud Iudaeos non constans et immutata permansit, sed Thalmudistarum maxime opera corrupta est, partim demum ex interpolationibus, quae postquam saec. 6. et 7. versiones syriacae ex graeca vulgata et ex hexaplis factae propagari coeptae sunt (147), in simplicem irrepserunt[6]. Pentateuchi interpres presso fere pede sequitur hebraicum textum et multo propius ad Onkelosi paraphrasin quam ad alexandrinum accedit, atque idem obtinet in Proverbiis (154) et in Ezechiele; in Isaia contra et duodecim minoribus prophetis maior est cum alexan-

drino affinitas; liber Iob hebraicus totidem fere verbis est translatus; multae illae magnaeque differentiae, quae in Psalterio deprehenduntur[7], sine dubio ex mutationibus explicandae sunt, quibus uterque textus, hebraicus et syriacus, continuo liturgico usu expositi erant.

Versio V. T., quum ex hebraico textu sit facta, antiquitus solos protocanonicos libros complexa est; quando deuterocanonici sint translati, ignoramus; id unum constat, ante aetatem S. Ephraemi illos syriace adfuisse, qui sat frequenter eos eodem modo adhibet, quo protocanonicos (cfr 36 *n.* 10 et 38 *n.* 1). Versionem autem hanc ex graeco textu fluxisse, quum omnes concedant, demonstratione non indiget. Ex graeco quoque textu Novum T. esse translatum et multa vocabula graeca in syriaco retenta demonstrant et errores haud pauci, qui interpretem graecas quasdam voces confudisse ostendunt[8].

1. *S. Ephr.* in Ios. 15, 28. Opp. syr. I. 305.

2. In Pentateucho nomina propria hebraica pleraque retinentur, in reliquis libris frequenter vertuntur. Errores, qui ex male intellecto textu hebraico explicandi sunt, frequentes occurrunt; ex. gr. *Gen.* 3, 10 ואירא (*et timui*) vertitur וחזית (*et vidi*); e contra *Exod.* 32, 5 וירא אהרן (*et vidit Aaron*) redditur ודחל (*et timuit*); *Gen.* 49, 24 ותשׁב (*et habitavit*) vertitur השׁבת, ac si a שׁוּב derivandum esset; eodem versu pro מִשָּׁם (*inde*) legit מִשֵּׁם (*a nomine*); *Num.* 21, 11 nomen regionis העברים pro nomine Hebraeorum sumsit etc.

3. Ex. gr. *Gen.* 47, 31, pro הַמִּטָּה (*lectum*) cum *Alex.* legit הַמַּטֶּה (virga ῥάβδος); *Gen.* 4, 8 cum *Alex. Sam. Vulg.* inserit : « eamus in solitudinem »; *Gen.* 2, 2 cum *Alex.* et *Sam.* habet « die sexto », ubi *Mass.* et *Vulg.* « die septimo »; *Gen.* 4, 15 cum *Alex.* et *Vulg.* inserit : « non sic »; *Gen.* 35, 27 verbis « ipsa est Hebron » cum *Alex.* addit « in terra Chanaan » etc.

4. Cfr *Bickell* in Innsbr. Zeitschr. für kath. Theol. 1886 p. 347.

5. *Herbst-Welte* Einl. I. p. 196. — Alexandrinus in libro *Iudicum* addit satis multa, quae in Peschito desunt (cfr 1, 14. 16. 24. 27. 29. 31; 2, 2. 3. 6. 7; 3, 20. 21, 26; 4, 8; 5, 12; 6, 5. 26. 33; 7, 1; 8, 3; 10, 16; 11, 13; 12, 2; 14, 2); Syrus addit nonnulla, quae in alexandrina desunt (cfr 6, 2; 7, 12; 11, 14; 13, 20); eadem additamenta uterque bis tantum habent (cfr 1, 10; 2, 1).

6. Cfr iam *Lengerke* Commentatio crit. de Ephraemo Syro Sacr. Script. interprete 1828 p. 12. 24 etc.; *Schöck* Die syr. Uebers der Zwölf kl. Propheten 1887 p. 6 sqq.; *Ed. König* Einl. 1893 p. 124; *Cornill* quoque (Einl. 1891 p. 308) maxime iuniorum mutationibus consensum Syri et Alexandrini deberi censet.

7. Psalmorum syriacorum inscriptiones, quum procul dubio sint recentioris originis (*Ps.* 1. Narratio de bonis moribus canonis novem beatitudinum Matthaei; *Ps.* 2. De vocatione gentium; innuit prophetiam de passione Christi; *Ps.* 3. Scriptus a Davide de bonis futuris; *Ps.* 4. Davidis de iis, quae passus est etc.) huc aeque parum trahi possunt atque argumentorum indicatio, quae in aliis libris interdum legitur (*Gen.* 11, 1 Divisio linguarum; 17, 1 Promissio Abrahae; 22, 1 Tentatio Abrahae; 23, 1 Mors Sarae etc.); at nihilominus multis in locis Syrum ab Hebraeo differre negari nequit, quamvis differentiam mirum in modum exaggeravit *Dathe* asserens « vix unum versum eodem modo legi » (*Dathe* Psalter. syr. ad *Ps.* 56. cfr *Hävernick* Einl. I. p. 407).

8. *Luc.* 14, 31 confudit ἕτερος et ἑταῖρος; *Marc.* 6, 1 ἐκολλήθησαν et ἠκολούθησαν; *Eph.* 6, 12 ἐπουράνιος et ὑπουράνιος; *Col.* 2, 22 καὶ τά et κατά etc.

In genere dicendum est, interpretandi rationem, quam tenuit interpres, ipso versionis nomine indicari; plana enim est et simplex; accurate plerumque et clare textum, quem prae oculis habuit, interpres syriace reddit, ideoque etiam metaphoras quasdam, quia forte Syris minus usitatae erant, propriis verbis expressit atque explicandi, ut videtur, gratia verbula nonnulla inseruit[9]. Si libros Paralipomenon et Ruth excipis[10], in protocanonicis admodum pauca inveniuntur quae paraphrastice reddita sunt. Liberius quidem, quam plerique Veteris Test. libri, translatum est Novum; at in hac quoque versione ab omnibus laudatur fidelitas et perspicuitas[11]. Minus vero probanda est deuterocanonicorum translatio.

Ex iis, quae diximus, quantae syriaca versio simplex sit *utilitatis* maxime in cognoscendis et reconstituendis textibus primigeniis satis elucet. Alexandrina enim excepta, Veteris Test. antiquiorem syriaca translationem non habemus. Novi autem versionem simplicem omnes antiquitate superare iure multi asserunt. Utraque praeterea magna se commendat fidelitate, qua interpretes primigenia exemplaria reddere studuerunt. Singularia igitur et eximia criticis et exegetis sunt adiumenta; verum tacendum non est, non parum earum utilitatem minui, quia purae et sincerae ad nos non pervenerunt. Postquam enim saec. 6. et 7. Syri sibi novas versiones ex textu graeco sive vulgato sive hexaplari parare illasque utpote accuratiores atque sinceriores simplici praeferre coeperunt (147), impediri non potuit, quin plurimae ex illis lectiones et multa earum additamenta paullatim etiam in codices simplicis irreperent eiusque textum deturparent. Etsi vero codices, qui supersunt, non eodem, quo reliquarum versionum, gradu inter se dissentiant, et aliqui codices versionibus novis antiquiores esse videantur, tamen magna adhibenda est cautio, ut primitivae lectiones discernantur; proh dolor autem nec Veteris nec Novi Test. adhuc habemus editionem, qua tuti uti possimus[12].

9. Metaphorae propriis verbis redditae : *Gen.* 49, 14 H. : Issachar « חמור גרם (« asinus ossis » i. e. fortis), S. גברא גנברא « vir heros »; 49, 15 « et inclinavit humerum suum לסבל ad portandum » S. לשׁעבדא « servituti »; 49, 20 H. « pinguis panis eius », S. טבא זרעה « bonis est ager eius »; 49, 12 Nephtali est « cerva dimissa », S. « nuncius velox » etc. Addita explicationis gratia : *Exod.* 9, 28 H. « orate coram Domino », S. « nam longanimitas multa coram eo » : *Lev.* 10, 1 H. « quemadmodum praeceptum mihi fuit, » S. « ut Aaron et filii eius comederent illud »; *Lev.* 24, 23 H. « lapidaverunt eum », S. « et mortuus est ».

10. 2 *Paral.* 6, 14. H. « Domine Deus Israel, non es sicut tu Deus in coelis et in terra » S. « non es, sicut tu : tu es Dominus, qui sedes in coelis superne et voluntates

tuae fiunt in terra infra »; *Ruth.* 2, 14. H. « et proposuit ei tosta », S. « et intinxit panem in lacte et addidit spicas tostas et dedit ei ».

11. *Scrivener* Introd. to the criticism. etc. p. 319 : « Though a word or two may occasionally be inserted to unravel some involved construction (*Act.* 10, 38; *Eph.* 3, 1; *Col.* 2, 14; 1 *Ioan.* 1, 1), or to elucidate what else might be obscure (*Luc.* 9, 34; 16, 8; *Act.* 1, 19; 2, 14; 5, 4; 12, 15 etc.); yet seldom would its liberty in this particular offend any but the most servile adherent to the letter of the Greek. The Peshito has well been called the *Queen of the versions* of Holy Writ, for it is at once the oldest and one of the most excellent of those, whereby God's Providence has blessed and edified the Church ».

12. *Novi Test.* syriaci editionem principem sumtibus Ferdinandi, Austriae archid., curavit *Herm. Widmanstadt* (Viennae 1555) adiutus a sacerdote iacobita Moyse Mardin., omissis quatuor epistolis cath. minor. et Apocalypsi. Quatuor illas epistolas primus edidit *Ed. Pococke* (Lugd. Bat. 1630) et Apocalypsin *Lud. de Dieu* (Lugd. Bat. 1627). Veteris T. editio princeps prodiit in polyglottis parisiensibus (1645) cura et studio *Gabr. Sionitae,* qui ea, quae in suo codice deerant, ipse ex Vulgata vertit. Hinc vix ullius auctoritatis est illa editio; melior est textus, quem exhibent polygl. londinensia (1657). Novum Test. postea saepius editum est, sed pauci admodum ad textum emendandum collati codices (ed. *Gutbier* 1664, *Leusden* et *Schaaf* 1717, *Adler* 1789 etc.). — *Utriusque Testamenti* satis splendidam editionem dedit societas bibl. londin. per *Buchanan* et *Lee* (Londini 1816), accuratiorem novis quibusdam codicibus adhibitis per *Lee* et *Greenfield* (Lond. 1828); libros deuterocanonicos in hac editione omissos edendos curavit *Lagarde* (Libri apocryphi syriace 1861). *Novum Test.* in Nestorianorum usum, sed additis quatuor epistolis minoribus, missionarii protestantici ediderunt Urmiae 1852. *Utriusque Test.* demum egregiam editionem curaverunt *RR. PP. Dominicani* in Mossul 1885-1890; optimi autem codicis, probabiliter saec. 6. scripti, qui in bibliotheca ambrosiana asservatur, facsimile photolitographicum dedit *Ceriani* (Mediolani 1876 sqq.). Verumtamen editionem, quae iustis aequisque iudicibus omni ex parte probetur, adhuc desideratur. Codices tamen valde antiqui et pretiosi in bibliothecis latent : Pentateuchi saec. 5, Prophetarum saec. 6, Novi Test. saec. 6, deuterocanonicorum V. T. saec. 6, Epistolarum minorum saec. 11, Apocalypseos saec. 13 (cfr *Scrivener* l. c. p. 317 sq., *Kaulen* l. c. p. 100 sqq.; ed. 3. p. 119 sqq.).

159. — Peschito omnibus Syris communis est; ab eo autem tempore, quo in varias sectas sese separaverunt, non tantum aliqui novas Veteris Test. versiones ex graeco textu adornarunt, sed etiam diversas simplicis recensiones adhibent[1]. *Nestorianorum* recensio innotuit ex frequentissimis citationibus, quas Barhebraeus in suis Psalmorum scholiis affert. Quarum accurata cum vulgato textu syriaco comparatione instituta, *Wiseman* asserere non dubitat, « excepto uno forsan alteroque loco nullius prorsus momenti » discrepantias omnes in solis punctis vocalibus et apicibus versari[2]. Altera recensione utuntur *Monophysitae,* quam Barhebraeus etiam interdum laudavit quaeque *karkaphensis* vocatur, nomine desumto a monasterio, cui originem suam debet. Usque dum Card. Wiseman quaestionem hanc dilucidavit, in varias sententias abierunt viri docti, ignorantes quid hoc nomine Barhebraeus designare voluerit, aliis novam versionem ex graeco textu factam, aliis vero aut simplicis aut philoxenianae recensionem illam esse con-

iicientibus. Revera Karkaphenses correctorium quoddam simplicis adornarunt, in quo varias eius lectiones recensuerunt et diiudicarunt, nomina propria et vocabula graeco-syriaca ad orthographiam Graecorum revocarunt, difficiliorum vocum genuinam pronunciationem indicarunt, in divisione autem et ordine librorum philoxenianam editionem secuti sunt[3].

1. Cfr *Wiseman* Horae syriacae p. 139 sqq.

2. *Wiseman* l. c. p. 141.

3. *Assemani* Bibl. orient. II. p. 283. 327; *Wiseman* l. c. p. 149-257; *Scrivener* l. c. p. 333.

Ad Novum Test. quod attinet, a. 1858 a *Cureton* reperta et edita sunt fragmenta Evangeliorum[4], quae magnam quidem habent cum simplici affinitatem, in multis tamen ab ea dissident, ut pro duabus eiusdem versionis recensionibus habendae sint. In fragmentis curetonianis textus graecus multo liberiore modo syriace redditus est, interdum abbreviatus, interdum amplificatus, Cureton ipse hisce fragmentis primitivam simplicis formam detexisse sibi videbatur, multique cum eo hodiernam Peschito censent esse recensionem quandam antiquioris versionis; eodem sc. modo, quo S. Hieronymus exeunte saec. 4. latinam versionem N. T. ad graecam veritatem revocavit Vulgatamque nostram N. T. efformavit, etiam exeunte saec. 3. vel ineunte saec. 4. virum aliquem, qui apud suos magna gavisus sit auctoritate, antiqua versione syriaca ex graeco textu correcta Vulgatam syriacam edidisse putant, nostram nimirum simplicem, quam codices, qui omnes saeculo 4. sunt iuniores, nobis exhibent. Rationes eorum praecipuae sunt, quod fragmentorum curetonianorum stylus rudior sit minusque elegans, quam Peschito, quodque eorum textus longius absit a textu recepto byzantino[5]. Quibus argumentis minime convicti alii e contra curetonianam recensionem simplici nostra iuniorem dicunt, quoniam publicae istius correctionis, quae ab omnibus Syris ita sit recepta, ut ne unus quidem in suis citationibus cum antiquiore versione supposita consentiat, nullum adsit vestigium[6]. Sub iudice adhuc lis est[7].

4. Remains of a very ancient recension of the four Gospels in Syriac., edited by Will. Cureton, Canon of Westminster. London 1858. — Fragmenta maiorem partem S. Matthaei, paucos versus S. Marci (16, 17-20), aliquot capita S. Ioannis et mediam partem S. Lucae continent. Cum Cureton etiam *Le Hir* putat S. Matthaei Evangelium, quod fragmenta exhibent, non ex graeco textu, sed ex primigenio syrochaldaico esse translatum (*Cureton*, Preface p. XCIII sqq.; *Le Hir* Études bibliques, Paris 1869 I. p. 278 sqq.), sed paucos invenerunt, qui sibi assentirent.

5. *Chr. Hermansen* Disputatio de cod. Evang. syr. a Cureton edito. Havniae 1859; *Le Hir* l. c. p. 254 sqq.; *Westcott et Hort* The N. T. in the original Greek. Introd. p. 84. 137; *Kaulen* Einl. p. 104. Ed. 3. p. 123 etc.

6. *Scrivener* l. c. p. 321 sqq.

7. Quia haec lis non nisi novis maioribusque fragmentis versionis, quae curetonia vocatur, dirimi poterit, peropportune accidit, quod ultimis a. 1892 mensibus in sinaitico monasterio S. Catharinae repertus est codex palimpsestus, qui maiorem Evan-

geliorum partem iuxta versionem curetonianam aut ei valde similem exhibet; cfr *Nestle* et *Schürer* in Theol. Literaturzeitung (ed. Harnack et Schürer) 1893 p. 220. 244.

Praeter has N. T. recensiones monophysitae Syri saec. 6. ineunte novam quoque sibi pararunt versionem. *Philoxenes* nimirum, episcopus hierapolitanus, qui per chorepiscopum suum Polycarpum veteres libros ex graeco vertendos curavit (148), eidem etiam iniunxit, ut Novum graecum syriace redderet. Cui mandato ita obtemperandum duxit Polycarpus, ut vix altera inveniatur versio, quae tam servili modo primigenium textum reddat. Sine dubio ad simplicem, quae eousque in tota Syria vulgata fuerat, in suo opere respexit, verum violento quodam modo eam textui graeco conformare studuit. Quem in finem, quum lingua syriaca articulum ignoret, graeco articulo pronomen demonstrativum syriacum substituit atque pronomina affixa, quae ignorat lingua graeca, evitavit quantum fieri potuit; ut uno verbo dicam, syriacae linguae regulis neglectis verbum verbo reddidit. *Philoxenianam* hanc versionem Thomas heracleensis (*charkelensis*) a. 616. aliis duobus adhibitis codicibus graecis Alexandriae emendavit Origenisque exemplum secutus asteriscis obelisque ea, quae in Polycarpi versione defuisse aut abundasse censuit, adnotavit. Ad cognoscendum textum graecum, quem secuti sunt interpretes, utilissima est, sed textus ipse, quem ex codicibus superstitibus cognoscimus, non magni pretii est; lectiones enim byzantinas quam plurimas coniungit cum antiquioribus [8].

Tertia praeterea in uno codice (saec. 11.) conservata est versio, quae dialecto syriaca ad chaldaicum prope accedente conscripta est; *ierosolymitana* appellari solet. Quandonam facta sit versio haec, non constat; Tischendorf illam saeculo 5., Tregelles saec. 6., alii iuniori aetati adscribunt [9].

8. De *philoxeniana* et *charkelensi* N. T. versione cfr *Bernstein* de Hharkelensi translatione syriaca. Vratislav. 1844; *Hug* Einl. I. p. 378-391. Typis impressa est : Sacr. Evangeliorum (Act. et Epist. catholicarum; Epist. Paulinarum) versio syriaca philoxeniana... ed... *Ios. White*. Oxonii 1778-1803. « Taken altogether this is one of the most confused texts preserved » (*Westcott et Hort*. l. c. Introd. p. 156).

9. *Hug* Einl. p. 391 sqq., *Scrivener* l. c. p. 329 sqq. — « Satis constat dialectum esse incultam et inconcinnam, orthographiam autem vagam, inconstantem, arbitrariam et ab imperito librario rescribendo et corrigendo denuo impeditam » (*Adler* N. T. verss. syriacae simplex, philoxen., et ierosolymitana. Havniae 1789 p. 149). Evangeliarium Hierosolymitanum ex cod. Vatic. edidit Com. Franc. *Miniscalchi* Erizzo. Veronae 1861-1864.

160. — Ex Peschito derivatae sunt versiones nonnullae orientales, quarum praecipuas, quoniam aliquando laudantur, enumerare non erit abs re.

1.) Inter *arabicas* ab ea dependet illa librorum Iudicum, Ruth, 1-4 Reg., 1, 2 Paralip., 2 Esd. et Iob interpretatio, quae in polyglottis paris. et londin. legitur [1]. Quia valde recens est (facta enim dicitur saec. 13. vel 14), ne simplicis quidem antiquo textui cognoscendo inservit. *Maronitae* quo-

que, qui syriacam linguam hucusque in liturgiae parte retinuerunt, in altera autem lingua arabica utuntur, Psalmos, Evangelia et Epistolas, quorum librorum usus liturgicus frequentior est, ex Peschito arabice reddiderunt [2]. Atque altera quoque exstat Evangeliorum et Epistolarum arabica versio, quam in suam Novi Test. arabici editionem recepit *Erpenius* (Lugd. Bat. 1616).

2.) Non maioris auctoritatis est *persica* Evangeliorum versio, quae etiam ex syriaco textu derivata in polygl. londinensibus exhibetur; namque sine ullo dubio, quum illa sit scripta lingua persica, quae a saec. 8. vulgaris esse coepit, saeculo 8. est iunior.

1. Cfr *Roediger* De origine et indole arabic. vers. Halae 1823. p. 102. — Libri 3 4 et 2 Esdr. non integri ex Peschito fluxerunt; 3 Reg. 12, 1 — 4 Reg. 12, 17 et 2 Esdr. 1, 1 — 9, 28 immediate ab hebraico textu dependent. — Liber Iob huius versionis etiam editus est a *Paul. de Lagarde* Psalterium, Iob, Proverbia arabice. Gotting. 1876.

2. Typis haec iam edita sunt a. 1585 in monte Libanon; Psalterium recepit *P. de Lagarde* (l. c.).

§ 15. — *De arabicis et persicis versionibus immediatis.*

161. — Praeter *arabicas* versiones, quas utpote mediatas iam nominavimus (149. 160), aliae cognitae sunt immediate ex textibus primigeniis adornatae. Quamquam magnae auctoritatis non sunt, eas enumerabimus, ne quid huic tractatui deesse videatur.

1.) Inter eas primum locum tenet versio, quam *Saadias Gaon*, Iudaeus ex Aegypto oriundus et tamquam rabbinicae scholae praefectus (Gaon) in Babyloniam accersitus, saec. 10. adornavit. Textum massorethicum gentisque suae traditionem exegeticam sequitur; a paraphrastico quidem vertendi genere plerumque se abstinet, liberiore tamen sententiarum constructione a primitiva textus simplicitate recedit. Omnes libros iudaici canonis transtulisse dicitur; praeter *Pentateuchum* autem, qui saepius typis descriptus est, conservati editique non sunt nisi Isaias, Prophetae min., Psalterium et Iob [1].

Altera Pentateuchi versio arabica a nomine viri, qui illam rabbinicis literis scriptam in codice quodam lugdunensi detexit et arabicis literis imprimendam curavit, *Arabs Erpenii* vocatur. Priore recentior nec ante saec. 13. vel 14. facta ipsa quoque massorethicum textum, et magis quidem ad literam, quam Saadias, exprimit [2].

Liber *Iosue* arabicus, qui in polygl. parisiensibus et londinensibus impressus est, Iudaeo cuidam, qui saec. 10. vixit, originem suam debet ideoque etiam massoretici textus testis est [3].

Ultimo loco commemoranda sunt illa *3 et 4 Reg.* et *2 Esd.* capita, quae *supra* (160 *n.* 1.) indicavimus, quaeque a Iudaeo ex hebraico textu translata et a Christiano ad syriacam versionem interpolata dicuntur [4].

2.) *Evangeliorum* versio immediate ex graeco textu facta duplici in recensione cognita est; a Syris enim, quum arabice loqui coepissent, secundum syriacum textum, et a Coptis secundum memphiticum mutata est. Quaenam eius sit aetas ignoratur; eorum, qui illam Muhammeto antiquiorem habent, sententia omni probabilitate carere dicenda est; nullam enim antiquam versionem cognoscimus, quae liturgiae causa non sit facta; arabicae autem liturgiae antiquae nullum habemus in historia vestigium[5]. Reliquorum quoque Novi Test. librorum interpretationem arabicam immediatam in polyglottis habemus, cuius originem quidem ignoramus, quae autem valde antiqua esse nequit, quandoquidem byzantinum textum sequitur[6].

1. De *Saadia Gaon* eiusque versione cfr praesertim *W. Bacher* Die jüdische Bibelexeg. vom 10-15. Iahrh. Trier 1892 p. 5 sqq.; *eiusdem* Leben u. Werke des Abulwalid 1885 p. 93 sqq.; praeterea *Wolf* Biblioth. hebr. I. p. 934. II. p. 354; *de Rossi* Dizionario stor. degli autori ebrei. Parma 1802 II. p. 108 (« Il Pentateuco e stampato nel Pentateuco poliglotto di Constantinopoli del 1546 e nelle duo Bibbie poliglotte di Parigi e di Londra; *ma in queste ultime con delle interpolazione* »); Genesin et Exodum ed. *Lagarde* (Materialien zur Gesch. des Pentateuch. Leipzig 1867); novam integri operis editionem parat *Derenbourg*. — Isaiam ed. *H. E. G. Paulus* (Ienae 1790) ac recenter *Derenbourg* in *Stade* Zeitschr. für alttest. Wissench. IX. X. De reliquorum librorum editionibus cfr *Bacher* Iüd. Bibelexegese p. 96.

2. Pentateuchus arabice Lugd. Bat. 1622. Cfr *Le Long-Masch* I. 1. p. 119.

3. Cfr *Roediger* De orig. et indole arab. librorum V. T. hist. interpretationis Halae 1829 I. c. 3.

4. *Roediger* l. c. p. 58.

5. De hac Evangeliorum versione fuse agit *Hug* (Einl. I. p. 442 sqq.), qui primus illam antiquissimam esse demonstrare conatus est. Recensio syriaca impressa est Romae 1591, coptica Lugd. Bat. 1616 et in polyglottis paris. et londin.

6. Cfr *Hug* Einl. I. p. 452 sqq.

Pentateuchus *persicus*, quem polyglotta londinensia habent, a Iudaeo *Iacobo Tawus*, qui ineunte saec. 16. vixit, immediate ex massorethico exemplari translatus est; versio ipsa neglectis persicae linguae regulis hebraicum textum ad verbum quidem exprimit, sed, uti patet, maioris auctoritatis non est, quam quaecumque alia versio moderna[7]. Paullo antiquior est Evangeliorum versio persica illa, quae e graeco textu est facta; saeculo enim 14. adscribi solet[8]. Aliae versiones antiquiores exstare quidem dicuntur, accuratius autem cognitae non sunt.

7. Cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 307 : « l'auteur de cette traduction persane étant Juif a affecté partout les hébraïsmes et c'est ce qui fait qu'elle ne peut pas être d'un grand usage, si ce n'est dans les synagogues des Juifs de Perse ». De auctore cfr *de Rossi* Dizionario stor. etc. II. p. 141. Prima vice impressa est Constantinopoli 1546.

8. Eam edidit *A. Wheelocke* London 1652-57 cfr *Scrivener* l. c. p. 413.

CAPUT V.

DE VERSIONE LATINA VULGATA.

§ 16. — *De Vulgatae origine, indole, propagatione.*

162. — Ad eam iam pervenimus versionem, quam tridentini Patres utpote « veterem et vulgatam editionem, quae longo saeculorum usu in Ecclesia probata esset, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica » inter latinas, quae eo tempore circumferebantur, habendam esse sollemni decreto declararunt. Diligentius igitur in eius originem, historiam, auctoritatem inquiramus oportet, ut praestantia eius accuratius perspecta ab adversariorum cavillationibus efficacius eam tueamur[1].

Primis Ecclesiae saeculis in liturgia latina versionem adhibitam esse, quae ineunte fere saec. 2. in Africa proconsulari ex textu graeco facta erat, supra diximus enarravimusque, quomodo saec. 4. iussus a S. Damaso S. Hieronymus Romae Novum Test. et Psalterium ad graecam fidem revocaverit, post Damasi autem mortem in Orientem reversus omnes Veteris Test. libros secundum hexaplarem Origenis textum emendaverit (**137** sqq.). Verum recensione illa et emendatione Scripturarum non contentus Hieronymus ad novam ex integro latinam interpretationem de hebraico ipso exemplari, utpote ceteris praestantiore et fideliore, adornandam animum applicavit.

Quemnam finem persecutus sit S. Doctor, quum tantum in se onus susciperet, non uno in loco edisserit. Longe a se semper reiicit adversariorum obtrectatorumque calumniam, quod antiquam versionem reprehendere, sugillare, damnare voluerit : « ego enim, inquit, non tam vetera abolere conatus sum, quae linguae meae hominibus emendata de graeco in latinum transtuli, quam ea testimonia, quae a Iudaeis (sc. septuaginta interpretibus) praetermissa sunt vel corrupta, proferre in medium, ut scirent nostri, quid hebraica veritas contineret »[2]. Proximus igitur eius finis polemicus, ut ita dicam, fuit, quia « aliud esse scivit in ecclesiis Christo credentium Psalmos legere,

aliud Iudaeis singula verba calumniantibus respondere »[3]. Quare ne Iudaei cum Christianis disputantes subterfugiendi haberent diverticula sed suomet potissimum mucrone ferirentur, simili modo, quo Origenes olim in suis hexaplis Graecos docuerat, Latinos docere voluit, quid textus hebraicus contineret.

Quem in finem, quamprimum Veteris Test. emendationem absolvit, in bethlehemitica sua solitudine opus suum aggressus est, initio facto a Regum libris; « neque enim iuxta Scripturarum ordinem, ut in hebraeo canone continetur, a primo ad novissimum, sed ut potuit rogatusque est a fratribus, vertendos sibi libros illos proposuit »; tam acriter autem incepto labori sese dedit, ut licet vix ante a. 389. versionem inchoasse videatur, a. 393., quando libros Regum « Patri Domnioni » Romam transmisit, praeter illos etiam iam sedecim Prophetarum, Psalterii et l. Iob translationem terminasset. Quibus absolutis, per aliquod tempus distentus, ut videtur, aliis laboribus versionem continuare intermisit; Esdrae enim et Paralipomenon libros a. 395. transtulit, quos secuti sunt salomonici, « tridui opus »; a. 398 demum in vertendo Octateucho se occcupatum dicit, quem absolvit a. 404. una cum libro Esther[4].

Quindecim ergo annorum spatio S. Hieronymus et protocanonicos veteres libros omnes et ex deuterocanonicis libros Tobiae et Iudith vertit sive ex hebraico sive ex chaldaico textu; unde elucet, quo sensu Vulgatae nostrae auctor dici possit; auctor revera est protocanonicorum V. T. (excepto Psalterio) et duorum deuterocanonicorum; emendator est Psalterii[5] et integri N. T.; reliqui autem libri V. T. deuterocanonici ex antiqua versione latina supersunt.

1. Cfr *Vercellone* Variae lectiones Vulg. I. Proleg.; *eiusdem* Dissertazioni accademiche. Roma 1864; *Kaulen* Geschichte der Vulgata. Mainz 1868.

2. *S. Hieron.* ad Aug. ep. 112, 20 (M. 22, 929). In omnibus fere prologis ad singulorum librorum interpretationem eodem modo sese ab adversariorum obiectionibus defendit; pleraque S. Doctor ipse collegit in sua Apologia c. Rufin. II 25 sqq. (M. 23, 418 sqq.).

3. *S. Hieron.* ad Sophron. Psalterii Praef. (M. 28, 1126); cfr ibidem : « quia nuper cum Hebraeo disputans quaedam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti volensque ille te illudere per sermones paene singulos asserebat non ita haberi in hebraeo, ut tu de septuaginta interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam, Symmachum et Theodotionem novam editionem latino sermone proferrem... Unde impulsus a te, cui et quae possum debeo et quae non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi » etc.

4. Cfr *Vallarsii* Vita S. Hieronymi 21. (M. 22, 77 sqq.), qui accurate singulorum librorum versioni tempus assignat. Libros Tobiae et probabiliter etiam Iudith, quum eisdem Chromatio et Heliodoro, quibus libri salomonici, sint inscripti, eodem etiam tempore a S. Hieronymo versos esse supponimus. Aliam librorum

translatorum ordinem indicaverat *Martianaeus* (in divin. bibliot. Proleg. 2. M. 28 54), qui praeter libros Regum etiam Iobi, Psalterii, tres salomonicos et sedecim Prophetarum libros iam a. 392 versos esse putat, et ab a. 392-394 libros Esdrae et Geneseos, Paralipomena a. 396, quatuor ultimos Pentateuchi libros cum Iosue, Iudic. et Ruth editos esse a. 404 addit.

5. Psalterium, quod ex hebraica veritate transtulit, in Vulgatam non est receptum; eius locum occupat Psalt. gallicanum (138).

163. — Singulari quadam providentia Deus Hieronymum praeparaverat, ut eius opera suae Ecclesiae hanc Scripturarum versionem daret. Neque enim nisi quadragesimo tertio vitae anno post multiplicia studia multaque itinera ad scientiam suam scripturisticam augendam suscepta a. 389. S. Doctor novam suam Veteris Test. versionem aggressus est, ac per quindecim insequentes annos ab hoc labore, quamvis aliis operibus ad Scripturas pertinentibus eum aliquoties interruperit, non cessavit, donec eo quem indicavimus ordine eum absolvisset[1].

Stridone, in oppido quodam Dalmatiae Pannoniaeque confinio, a. 346 natus, postquam prima studia domi absolvit, adhuc puer Romam missus est liberalibus artibus erudiendus. In Donati, quem ibi magistrum nactus est[2], schola tantam sibi latini sermonis peritiam et elegantiam comparavit, ut facile omnes suae aetatis scriptores aequaverit, superaverit plerosque. Neque inter grammaticos tantum et rhetoricos vitam egit, sed magna cum diligentia philosophicis quoque studiis se dedit, graecorum latinorumque philosophorum operibus attente pervolutis[3]. Ita autem illis operam navavit, ut pietatem, quamvis baptismo nondum initiatus, non negligeret. « Dum essem Romae puer, inquit, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi, diebus dominicis, sepulcra Apostolorum et martyrum circuire crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossa ex utraque parte ingredientium per parietes haberent corpora sepultorum »[4]. Circiter viginti annos natus Romae baptismo suscepto studiorumque curriculo emenso « ad Rheni semibarbaras ripas se contulit », Galliarumque urbibus perlustratis, ut ex omnibus doctis viris et bibliothecis thesaurum sibi scientiae compararet, Treviris diutius substitit. Treviris quoque « coepit velle Deum colere », i. e. renuntiatis mundi honoribus et divitiis sese integrum Dei servitio consecrare[5].

Quam ob causam in patriam reversus, ut de re familiari sua disponeret, omnibus rebus compositis, per Graeciam, Thraciam, Asiam Minorem in Syriam profectus Antiochiae per aliquod tempus consedit, ubi « Apollinarium laodicenum audivit frequenter et coluit, at quum ab ipso in sanctis Scripturis erudiretur, nunquam tamen illius contentiosum dogma suscepit »[6]. Deinde, ut intentius Deo serviret, in Chalcidis eremum, « quae iuxta Syriam Sarracenis coniungitur », sese recepit (a. 374) sacris meditationibus vacaturus. Multis autem annis post de hac sua in deserto commoratione haec scribit : « Dum essem iuvenis et solitudinis me deserta vallarent, in-

centiva vitiorum ardoremque naturae ferre non poteram; quem quum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in discipulum dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii, alphabetum discerem et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim quotiesque cessaverim et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam; et gratias ago Deo, quod de amaro literarum semine dulces fructus carpo »[7]. Sunt qui eum in solitudine illa etiam graecam linguam addidicisse censeant; nemo autem facile hoc crediderit, qui ad totam eius educationem attenderit; puer haud dubie Romae graecis literis iam operam dederat atque graecos philosophos, quos legisse se testatur, graece legerat; quomodo Apollinarii Scripturas exponentis institutione uti potuisset, nisi optime iam graecam linguam calluisset? Ab illo autem tempore, quo in eremo Chalcidis versatus est, gentilium operum, quibus maxime delectatus erat, lectioni renunciavit totumque se Scripturarum studio devovit[8].

Ob turbas ibi ab haereticis excitatas solitudine relicta, Antiochiam reversus ibique an. 380. a Paulino, episcopo catholico, sacerdotio auctus Constantinopolim profectus est, ut « apud virum eloquentissimum Gregorium Naz., tunc eiusdem urbis episcopum, S. Scripturarum studiis erudiretur »[9]. Advocatus autem, ut videtur, a S. Damaso una cum Paulino Antiochiae et S. Epiphanio Salaminae Cypri episcopis Romam concessit, ut synodo romanae an. 382. interesset; qua finita Romae remansit, ut « in chartis ecclesiasticis iuvaret Damasum romanae urbis episcopum et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderet »[10], simulque antiquae latinae versioni corrigendae operam impenderet. Mortuo S. Damaso in eiusque locum suffecto Siricio, S. Hieronymus, qui multorum clericorum romanorum invidiam in se concitaverat, Romam relinquere et reliquam suam vitam Bethlehemi peragere statuit. An. igitur 384. per Cyprum in Syriam navigavit, Antiochiae aliquantum temporis substitit, ac deinde cum SS. Paula et Eustochium longum iter per integram Palaestinam suscepit. Quem in hoc itinere finem habuerit, ipse nos docet : « quomodo Graecorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten et Acroceraunia ad Siciliam et inde ad ostium Tiberis navigarint : ita S. Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est et antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi ecclesiae sonant »[11]. In hoc itinere Caesareae Origenis hexapla invenit omnesque veteres libros ex illis descripsit. Lustrata Palaestina in Aegyptum profectus est, non tantum ut Nitriae monasteria inviseret, sed etiam studiorum suorum causa : « iam canis, inquit, spargebatur caput et magistrum potius quam discipulum decebat; perrexi tamen

Alexandriam, audivi Didymum; in multis ei gratias ago », et alibi « ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum et ab eo in Scripturis omnibus quae habebam dubia sciscitarer » [12].

Itineribus demum terminatis Bethlehemi domicilium suum fixit (an. 386.); errabant autem, qui eum finem fecisse discendi putabant. Quo tempore enim ad Origenis hexapla veteres libros corrigebat, studia sua hebraica aliquantum intermissa resumebat, rabbino quodam celeberrimo magistro usus : « quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui praeceptorem! Timebat enim Iudaeos et mihi alterum exhibebat Nicodemum » [13]. Cui studio lectionem interpretum Scripturarum continuam adiecit, « quorum non unum atque alterum, sed quotquot fuerunt ante ipsum, sedulo evolvit, adeo ut nemo sive inter graecos sive inter latinos Patres plures quam Hieronymus auctores legisse videatur » [14].

1. Cfr *Vallarsii* Vita S. Hieronymi c. 1-21 (M. 22,5-77).
2. *S. Hier.* c. Rufin. I. 16 (M. 23, 410).
3. Ad Domn. ep. 50, 1; ad Heliod. ep. 60, 5 (M. 22, 553. 592).
4. In Ezech. 40, 5 (M. 25, 375).
5. Ad Rufin. ep. 3, 5; ad Florent. ep. 5, 2 (M. 22, 334. 337).
6. Ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 3 (M. 22, 745).
7. Ad Rustic. ep. 125, 12 (M. 22, 1079).
8. Ad Eustoch. 22, 30 (M. 22, 416).
9. In Is. 6, 1; ad Domn. ep. 50, 1; de vir. ill. 117 (M. 24, 91; 22, 563; 23, 708).
10. Ad Ageruch. ep. 123, 10 (M. 22, 1052).
11. Praef. 2. ad Paralip. — Integrum iter narrat ad Eustoch. ep. 108, 8 sqq. (M. 22, 882).
12. Ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 3; Comm. in ep. ad Ephes. Prol. (M. 22, 745; 26, 140).
13. Ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 3 etc.
14. *Vallarsii* Vita S. Hier. 18, 3 (M. 22, 66).

164. — Optime igitur praeparatus erat S. Doctor ad translatoris munus suscipiendum. Omnium scholarum exegeticarum optimos, qui eo tempore floruerunt, interpretes audierat; linguam hebraicam ab ipsis Hebraeorum praestantissimis magistris didicerat; in vertendo sese ipse iam non parum exercuerat, quum latina versione ex graeco textu correcta tum sat multis graecis operibus latine redditis; in Scripturarum ipsarum intelligentia ita profecerat, ut sua aetate parem neminem haberet.

Codices hebraicos, ex quibus versionem suam adornavit, illum a iudaicis suis magistris accepisse, non est quod demonstremus, quum per se sit evidens. Eorum textus vocalibus aliisque signis criticis carebat, in consonantibus autem ad textum massorethicum illo, quem Alexandrini et ipsi Syri adhibuerant, multo propius accedebat; neque tamen massorethico in omnibus consonabat, siquidem satis frequenter

ab eo discedit et cum septuaginta aut cum Aquila aut cum altero ex graecis interpretibus ita consentit, ut eum alteram lectionem prae oculis habuisse appareat[1].

In versione sua illo quidem sermone latino, qui inter suae aetatis viros cultos et eruditos adhibebatur, usus est; nihilominus longe impurior est versionis lingua quam illa, quae ex aliis eius operibus nobis cognita est[2]. Neque id mirum. Quum enim veteri latinae interpretationi, cuius sermonem plebeium magis et rusticum esse diximus (138), a puero assuetus esset, impediri vix potuit, quin eam sive in vocabulis eorumque formis eligendis, sive in illis coniungendis et construendis interdum imitaretur. Verum non tantum invitus incultiore illa lingua nonnullis in locis usus est, sed voluntarius etiam aliquando, ne Christianorum aures veteri translationi assuetas offenderet, barbarismos admisit. « Illud semel monuisse sufficiat, inquit, nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere, sed pro simplicitate et facilitate intelligentiae vulgique consuetudine ponere et genere masculino. Non enim curae nobis est vitare sermonis vitia, sed Scripturae sanctae obscuritatem quibuscumque verbis disserere »[3]. Atque tertiam quoque hebraismorum et barbarismorum, qui in versione inveniuntur, rationem insinuat : « omnem sermonis elegantiam et latini eloquii venustatem stridor lectionis hebraicae sordidavit..., quid autem profecerim ex linguae illius infatigabili studio, aliorum iudicio derelinquo; ego quid in mea amiserim scio »[4].

Porro ex hebraico codice libros in linguam latinam ita vertit, ut alexandrinae simul editionis rationem haberet. « De hebraeo transferens, inquit, magis me septuaginta interpretum consuetudini coaptavi, in his dumtaxat, quae non multum ab hebraeis discrepabant »[5]. Quae quamvis de unius tantum libri versione ab eo asserta sint, de aliis quoque valere sat multis exemplis demonstrari potest.

1. Cfr *L. Cappelli* Crit. sacr. V. 8 sqq. (p. 357-371), qui non pauca exempla collegit, in quibus S. Hieronymus aut in vocalibus et signis diacriticis aut in consonantibus aut in vocabulis phrasibusque a Massorethis dissentit.

2. Exempla vocabulorum formarumque linguae rusticae, quae a S. Hieronymo retenta sunt, collegerunt *Vercellone* Variae lect. I. p. CXII; II. p. XXVII; cfr praeterea *Weitenauer* S. I. Lexicon bibl. Vulgatae (Venetiis 1760); *Hagen* Sprachl. Erörterungen zur Vulgata; *Kaulen* Handb. zur Vulgata; *Roensch* Itala u. Vulgata etc. Quibus in operibus, maxime in lexico P. Weitenauer, collectos quoque habes hebraismos non paucos Vulgatae nostrae.

3. *S. Hier.* in Ezech. 40, 5 (M. 25, 378).

4. *S. Hier.* in Gal. l. III. Prol. (M. 26, 399).

5. *S. Hier.* in Eccle. Prol. (M. 23, 1011); addit autem : « interdum quoque Aquilae et Symmachi et Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia

lectoris studium deterrerem nec rursum *contra conscientiam meam, fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer* ».

165. — Praemissis iis, quae externam magis versionis formam spectant, accuratius iam videamus oportet, quaenam principia S. Doctor sibi praestituerit et quomodo ad ea versionem adornaverit. In opusculo suo, quod Pammachio inscripsit « de optimo genere interpretandi », totus in eo est, ut exemplis septuaginta interpretum, maxime autem Domini et Apostolorum, ostendat, boni esse interpretis ad sensum potius verborum, quam ad verba attendere. Nihilominus in ipsa thesi, quam sibi demonstrandam in ista epistola sumsit, Scripturas a generali hac regula eximere videtur : « ego enim, inquit, non solum fateor, sed libera voce profiteor me in interpretatione graecorum, *absque* (i. e. exceptis) *Scripturis sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est,* non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu » [1]. Quam exceptionem non absolute esse sumendam docent verba, quibus S. Augustino suae versionis rationem reddit : « de ipso hebraico quod intelligebamus expressimus, sensuum potius veritatem, quam verborum ordinem, *interdum* conservantes » [2].

Cui duplici asserto indoles versionis respondet : plerumque nec plus aequo literae adhaeret nec longius ab ea discedit, sed sensum fideliter et clare, quin etiam saepius cum elegantia quadam reddit. Ad dictionis enim elegantiam quoque, quantum fieri potuit, illum attendisse ostendunt multi loci, in quibus, simplici illo Hebraeorum modo quo parvulas phrases connectunt relicto, complures eorum phrases apta et rotunda quadam constructione complectitur unaque periodo coniungit. Neque minus elegantiae studium elucet ex magna diligentia, qua superfluam hebraici stili verbositatem continuasque repetitiones evitavit [3]. Quo generali versionis charactere non obstante, non desunt loci, in quibus verbis hebraicis arctius inhaerens obscurior est [4]; rariores tamen sunt, atque multo magis dolendum est, quod non semper sensum primigenii textus accurate attigisse videatur et aliquando sensum suum privatum sensui sacri scriptoris substituere vel inserere non dubitaverit [5]. Quare etiam in commentariis suis plus semel alium, atque in versione dederat, sensum praefert neque tantum tacite sed etiam aperte et diserte se ipse reprehendit et retractat [7]. Ad quae omnia animum advertat attendatque oportet, qui aequum de nostra versione iudicium ferre et authentiam nostrae Vulgatae definire eiusque ambitum accuratis limitibus circumscribere voluerit.

1. *S. Hier.* ad Pamm. ep. 57, 5 (M. 22, 571).
2. Ad Aug. ep. 112, 19 (M. 22, 928).
3. Exempla abundant :

Gen. 39, 19 sq. : « Et factum est, quum audiret dominus eius verba uxoris suae, quae locuta erat ad ipsum dicens : secundum verba haec fecit mihi servus tuus; et exarsit ira eius, et sumsit dominus Iosephi eum et posuit eum in domum castelli, in locum in quo vincti regis vincti sunt, et erat ibi in domo castelli ».

« His auditis et nimium credulus verbis coniugis iratus est valde tradiditque Ioseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus ».

Exod. 40, 12 sqq. : « Et adduces Aaron et filios eius ad fores tabernaculi foederis et lavabis eos aqua et indues Aaroni vestes sanctitatis et unges eum et sanctificabis eum et erit sacerdos mihi. Et filios eos adduces et indues eis tunicas; et unges eos sicut unxisti patrem eorum et erunt sacerdotes mihi; et erit, ut sit illis unctio eorum in sacerdotium aeternitatis in generationes ».

« Applicabisque Aaron et filios eius ad fores tabernaculi testimonii et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. »

Accuratius *Gen.* 28, 10 sq. « Et egressus est Iacob de Bersabee et ivit versus Haran; et pervenit in locum, et pernoctavit ibi, quia occidit sol; et sumsit ex lapidibus loci et posuit sub capite suo, et recubuit in loco isto ».

« Igitur egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran; quumque venisset ad quendam locum et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant et supponens capiti suo dormivit in eodem loco ».

4. Cfr ex. gr. *Gen.* 49. 22 « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu : filiae discurrerunt super murum » etc., pro : « Filius frugiferae (arboris) Ioseph, filius frugiferae (plantatae) iuxta fontem (cuius) filiae (i. e. rami vel propagines) ascendunt super murum » etc.; *Is.* 18, 1 : « Vae terrae cymbalo alarum, quae trans flumina Aethiopiae » etc.

5. Omissis illis locis, in quibus nomini alicui proprio explicationem parum accuratam addit (*Iudic.* 1, 11 הר־חרס « in monte Hares, quod interpretatur *testaceo* », sed *Is.* 19, 18 עיר החרס, quod legit, recte explicat : civitas *solis*, uti alibi quoque vocem חרס interpretatur *Iudic.* 8, 13 etc.) aut etiam, quod facere amat, nomina propria, ac si appellativa essent, latine reddit (*Gen.* 12, 6 אלון מרה « convallis illustris », at *Deut.* 11, 30 אלוני מרה « vallis tendens et intrans procul »! *Iudic.* 2, 1; 10, 1 etc.), animadvertendum est *a.*) eum aliquoties a rabbinicis suis magistris seductum rabbinicam interpretationem textui inseruisse; ex. gr. 2 *Esdr.* 9, 7 « eduxisti Abraham de igne Chaldaeorum » (אור כשדים), sed *Gen.* 11, 38 « eduxit eos de *Ur* Chaldaeorum »; ipse autem Quaest in Gen. 11, 28 (M. 23, 956) refert « nominis huius occasione Hebraeos *fabulam* tradere, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldaei colunt, et Dei auxilio liberatus de idololatriae igne profugerit » etc. Similiter *Ios.* 14, 15 האדם הגדול בענקים הוא « *Adam maximus* ibi inter Enakim situs est »; cfr ad Eustoch. ep. 108, 11 (M. 22, 886) Hebron, « haec est Cariath arbe, i. e. oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob et Adam magni, *quem ibi conditum iuxta librum Iesu filii Nave Hebraei autumant* (a) »; idem tradit in l. de situ et nomin. loc. hebr. s. v. (M. 23,

---

(*a*) Ceterum de traditione hac rabbinica cfr *S. Hier.* ad Marcell. ep. 46, 3, et in Ephes.

862); non est autem dubium, quin ארבע h. l. sit nomen proprium. (Kiriath vel oppidum Arbe, quia vir magnus erat inter Enacim); cfr etiam *Gen.* 38, 5 etc. — *b.*) Maioris autem momenti sunt textus illi, qui dogma et morum regulam attingunt. Ex. gr. *Exod.* 23, 13 hebraica veritas cum alexandrinis habet : « nomen Deorum alienorum non *commemorabitis* (לא תזכירו οὐκ ἀναμνησθήσεσθε); non audietur ex ore vestro »; S. Hier. : « per nomen externorum deorum non *iurabitis*, neque audietur ex ore vestro » (*Os.* 2, 19 S. Hier. quoque vertit : « et non recordabitur ultra nominis eorum » sc. Baalim). Prae ceteris autem attendendum ad modum, quo vaticinia nonnulla vertit; in ep. ad Aug. 112, 20 supra citata tamquam finem suae versionis indicat, ut « testimonia a Iudaeis sive praetermissa sive corrupta in medium proferat », et in praefationibus non semel monet plura in veritate hebraica esse vaticinia messianica, quam in alexandrina versione (cfr Prol. galeat. etc.). Hinc nonnulla ita vertit, ut in sensum messianicum trahi possint (*Is.* 2, 22 « quia excelsus reputatus est ipse »; 16, 1 « emitte agnum dominatorem terrae » etc.), quamvis in suo commentario adnotet, alteram versionem esse communiorem; alia autem, quae latiore quodam sensu messianica sunt, ad speciale factum determinat (*Is.* 11, 10 « erit *sepulcrum* eius gloriosum », quo in loco, quamvis omnes interpretes vocem hebraicam מנחתו similiter « *requies eius* » transtulisse fateatur, ipse « ut manifestum legenti sensum [sc. suum ipsius] faceret, pro dormitione et requie altero verbo sed eodem sensu (?) *sepulcrum* vertit »; ideo etiam nominibus abstractis concreta substituens ea, quae de Messiae regno dicta sunt, ad Messiae personam transfert (*Is.* 45, 8 « Nubes pluant *iustum*, aperiatur terra et germinet *Salvatorem* »; 51, 5 « prope est iustus meus, egressus est *salvator* meus », ad quem alterum locum iterum adnotat S. Hier., quod etiam de priore valet : « iustus sive justitia..., salvator sive salus ») aut ellipses suo modo supplet : *Dan.* 9, 26 ואין לו : « Vulg. et non erit eius *populus*, *qui eum negaturus est* »; ad quae in commentario (M. 25, 552) : « Occidetur Christus et non erit eius populus qui eum negaturus est, sive, ut illi dicunt, non erit illius imperium, quod putabant se retenturos ». At aliud interpretamentum indicat S. Augustinus (ad Hesych. ep. 199., 21. M. 33, 912) : « Hebraei codices expressius habent : *non erit eius* i. e. non erit eius civitatis; quoniam sic alienatus est a Iudaeis, qui eum propterea Salvatorem redemtoremque suum non esse crediderunt, quia occidere potuerunt », aliaque indicari possunt.

6. *Gen.* 13, 2 (Abraham) « erat autem dives valde »; in Quaest. in Gen. i. h. l. (M. 23, 958) immerito hanc suam versionem carpit, uti etiam *Gen.* 25, 8 « et deficiens Abraham mortuus est » (l. c. M. 23, 977). In suo autem in Ecclesiasten commentario quam plurimos textus aliter reddit, quam in nostra versione et haud raros multo accuratius; neque ipse sibi constat in iisdem verbis vertendis; ex. gr. Ecclesiastes sexies in brevi suo libello repetit omnia esse הבל ורעות רוח; iam vero in Vulgata ter legimus : « vanitas et *afflictio spiritus* » (1, 14; 2, 11. 17), prout S. Hieronymus ea a suo hebraico magistro explicata audivit (in Eccle. 1, 14. M. 23, 1022), reliquis autem in locis : « vanitas et *cassa sollicitudo mentis* » (2, 26), « vanitas et *cura superflua* » (4, 4), « vanitas et *praesumtio spiritus* »

5, 14 (M. 22, 485; 26, 526) quibus in locis communiorem Patrum traditionem sequitur, quae Adamum in monte Calvariae sepultum dicit. Traditionem hanc iam commemorat *Origenes* (in Matth. Comment. ser. 126 M. 13, 1777); *S. Athanasius* (De pass. et cruce Domini 22. M. 28, 208) illam Hebraeis attribuit.

(6, 9). Ultimam hanc explicationem quinquies habet in commentario, et semel vertit « vanitas et *pastio venti* » (2, 17) Aquilam et Theodotionem (νομή) vel Symmachum (βόσκησις) secutus. Omnia illa vocabula a S. Doctore adhibita non esse synonyma patet, nec ulla est ratio, cur sacrum scriptorem eodem in libello iisdem vocabulis varia exprimere voluisse dicamus. Cfr praeterea, quomodo *Is*. 18, 1 (M. 24, 178) obscuram expressionem : « Vae terrae cymbalo alarum » explicet, eique dein 19, 1 (M. 24, 181) substituat alteram : « vae terrae obumbranti alis »; quomodo eodem in loco 19, 14 (M. 24, 184) dicat, « se verbum hebraicum אגמון, dum *celeriter* quae scripta sunt verteret, *ambiguitate deceptum* dixisse *refrenantem*, quod significantius Aquila transtulisset στρεβλοῦντα i. e. qui nihil recte agit, sed omne perversum »; *Os*. 11, 8 et Comment.; *Ioel* 3,14 et Comment.; *Ierem*. 32, 27 et Comment. etc. — Quaedam eius errata, quae ipse agnoverat, in hodierna nostra Vulg. sunt correcta; ex. gr. ad *Is*. 19,17, ubi verterat : « et erit terra Iuda Aegypto *in festivitatem* » adnotat : « Melius reor etiam proprium errorem reprehendere, quam, dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere » (M. 24,184) atque cum Aquila vertendum esse censet : *in pavorem*, quae lectio in Vulgatam clementinam recepta est etc.

Quae quum ita sint, naevis suis S. Hieronymi versionem non carere neque omnibus numeris esse absolutam et perfectam fateamur oportet. Neque fieri omnino potuit, ut ad summam perfectionem opus suum adduceret, quum nimia cum celeritate aliquos libros verteret. Tobiae libellum unico die ex chaldaico transtulit, quamvis eam linguam parum calleret; sed « utriusque linguae (hebraicae et chaldaicae) peritissimum loquacem reperiens unius diei laborem arripuit, et quidquid ille hebraicis verbis expressit, hoc ipse accito notario latinis sermonibus exposuit »[7]. Trium librorum salomonicorum versionem « tridui opus » vocat[8], unde satis elucet et quanta cum facilitate et quanta aliquoties cum celeritate interpretis munere sit functus ; quare etiam non mirum, quod non in omnibus libris eundem perfectionis gradum attigerit. Inter omnes praestant libri historici primi canonis, in quibus fidelitas aeque atque dictionis elegantia ab omnibus laudatur; ad fidelitatem quod attinet eis vix quidquam cedit liber Iob, in cuius versione maiorem diligentiam maioremque industriam posuit : « memini, inquit, ob intelligentiam huius voluminis lyddaeum quendam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis : cuius doctrina an aliquid profecerim nescio; hoc unum scio non potuisse me interpretari, nisi quod antea intellexeram »[9]. Salomonicos quoque libros, non obstante magna sua celeritate, satis fideliter transtulit; minus accurata tamen Ecclesiastae est versio, quamvis elegantior, quam in eius commentario. In Psalmis vertendis arctius sequitur literam hebraicam, unde durior et rudior eius dictio; atque in Prophetarum quoque versione color quidam hebraicus praevalet. Ultimum locum, ad fidelitatem maxime si attenderis, libri Iudith et

praesertim Tobiae videntur occupare. Omnibus autem bene consideratis et perpensis asserere licet, inter versiones antiquas, de quibus locuti sumus, aliam non esse, quae accuratius perfectiusque textum primigenium reddat, id quod hodie etiam protestantes ingenue fatentur[10].

7. *S. Hier.* Praef. in Tob.
8. *Praef.* in libr. Salom : « itaque longa aegrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum. »
9. *Praef.* in l. Iob.
10. *Haevernick* Einl. I. p. 414 : « Seine im Ganzen sehr wahren hermeneutischen Principien... machen seine Arbeit zu *einer der ausgezeichnetsten Leistungen* des kirchl. Alterthums »; *Keil* Einl. p. 572 : « Seine Uebersetzung... übertrifft alle alten Versionen an Genauigkeit und Treue ». Uti « orthodoxi », ita rationalistae quoque, inter quos *De Wette-Schrader* Einl. p. 137 : « Vermöge seiner Sorgfalt... brachte er vielleicht *das Vortrefflichste* zu Stande, was in dieser Art das ganze Alterthum aufzuweisen hat »; *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 598 : « Die Arbeit im Ganzen ist von unbefangenen Richtern allezeit als *sehr gelungen* anerkannt »; *Diestel* Gesch. des A. T. p. 93 : « Unmittelbar aus dem hebr. Text geschöpft, meist in möglichst gewandter Sprache, mehr auf die Wiedergabe des rechten Sinnes als auf sklavische Wörtlichkeit gerichtet, *erhielt sie mit vollem Recht den Rang einer Vulgata* » etc.

166. — Novam S. Doctoris versionem non omnibus fuisse acceptam et probatam, luculenter docent praefationes, quas singulorum fere librorum editioni, ut eam defenderet, praemittere coactus est; alii enim occulta quadam, ut videtur, invidia incensi, alii non imprudenti zelo ducti opus inceptum reprobarunt. Inter quos ultimos S. Augustinus, etsi labores Hieronymi Ecclesiae utiles esse novamque editionem ab ipsis Iudaeis veracem dici concederet, illam publice in liturgia adhiberi noluit, « ne contra septuaginta auctoritatem tamquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbarentur plebes Christi, quarum aures et corda illam (antiquam) interpretationem audire consueverunt »; timuitque ne « si nova interpretatio per multas ecclesias frequentius coepisset lectitari, a graecis ecclesiis latinae dissonarent »[1]. Quapropter hortatus est amicum suum, ut ab incepto opere desisteret industriamque suam ad emendandam veterem versionem latinam converteret. Verumtamen re melius considerata versus finem vitae suae praeiudicia sua videtur deposuisse; ut enim eloquentiam propheticam demonstret, « non secundum septuaginta interpretes..., sed sicut ex hebraeo in latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguae perito interpretante, translata sunt », exempla sua allegat[2], atque in ultimis suis operibus frequenter eam adhibet.

Sed ante maximum hoc ecclesiae occidentalis lumen alii iam summo cum plausu eam adeo approbaverant, ut magna cum celeritate in

magna Occidentis parte spargeretur[3]; in Oriente autem Sophronius, vir apprime doctus, eam tanti fecit, ut Psalmos Prophetasque hieronymianos ex latino sermone in graecum transferret[4]. In ecclesia *gallicana* S. Hieronymi coaevus *Ioan. Cassianus* († 432) eam « emendatiorem » vocavit; et mox post S. Hieronymi mortem (a. 420) *Eucherius Lugdun.* († 454) eiusque frater *Salonius, Vincentius Lerin.* († 450), *Prosper Aquit.* († 450), *Sedulius* († c. 450), *Claudianus Mamertus* († 478), *Avitus Vienn.* († 532), *Caesarius Arelat.* († 542) illam ita adhibent, ut vix nata iam vulgata esse coeperit.

Lentius quidem et cautius procedebat ecclesia *romana,* siquidem Summi Pontifices non eodem modo novae versioni videntur favisse. Plerique enim, qui saec. 5. et 6. Ecclesiam rexerunt, antiquam in suis epistolis adhibent; sed *S. Leo M.* (440-461) et *S. Hilarius* (461-468) utraque utuntur, *Ioannes III.* (560-578) eiusque duo successores *Benedictus I.* et *Pelagius II.* solam hieronymianam laudant, ac *S. Gregorius M.* (590-604) testis nobis est, novae antiquam nondum integrum locum cessisse. Quamvis enim novam « verius » translatam dignissimamque dicat, cui in omnibus fides adhibeatur, in suis in l. Iob. commentariis tamen etiam veterem adhibet, « ut, quia sedes apostolica, inquit, cui auctore Deo praesideo, utraque utitur, mei quoque labor studii utraque fulciatur »[5].

Verumtamen inde ab hoc tempore in ecclesia romana ita praevaluit nova versio, ut in concilii lateranensis (a. 649) actis sola allegaretur; romanae vero exemplum reliquas ecclesias post se traxit atque nova paullatim *vulgata* esse, vetus vero negligi incepit. *S. Isidorus Hispal.* († 636) editionem S. Hieronymi « generaliter ab omnibus ecclesiis usquequaque adhibitam dicit, pro eo, quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis »[6]; *Ven. Beda* († 735) in suis commentariis rarissime ad italam respicit, quam iam veterem, priscam appellat[7]; *Rhabanus Maurus* et *Walafridus Strabo* saec. 9. asserunt « Hieronymi versione omnes uti ecclesias sed non in omnibus libris »[8]; Psalterium quippe ex antiqua versione retentum erat, uti deuterocanonici quoque libri praeter Tobiam et Iudith. Quem usum communem saec. 12. ineunte *Hugo a S. Vict.* iam a praecepto ecclesiastico derivat: « Ecclesia Christi, inquiens, per universam latinitatem prae ceteris omnibus translationibus hanc solam legendam et in auctoritate habendam *constituit* »[9]; cui consentit insequente saeculo *Roger Baco:* « Hanc sacrosancta a principio recepit Ecclesia et *iussit* per omnes ecclesias divulgari »[10]. Quibus testimoniis permotus C. Vercellone a concilio quodam praescriptum esse Vulgatae usum suspicatus est[11], at eiusmodi decreti in tota antiquitate non reperitur vestigium.

Profecto, si concilium aliquod versionis hieronymianae usum praescripsisset, in liturgico usu vetus non esset retenta. Constat autem veterem dominium suum in liturgia servasse[12]; lectiones quidem in Missali et Breviario paullatim ex nova desumebantur, in precibus autem, quae a clero recitabantur, in iisque omnibus, quae a choro cantabantur (Introit., Gradual., Offertor., Commun., Antiphon., Responsor.), vetus adhibita est et partim hodie quoque retinetur.

1. *S. August.* ad Hier. ep. 82, 35; 71, 4; de Civ. Dei XVIII. 43 (M. 33, 291. 242: 41, 603).
2. *S. August.* de doct. christ. IV. 15 (M. 34, 95). Opus hoc S. Augustinus an. 426 terminavit, quatuor annis ante suam mortem et sex annis post mortem S. Hieronymi.
3. Cfr *Vercellone* Dissertaz. accadem. p. 39 sqq.; *Kaulen* Gesch. der Vulg. p. 190 sqq.
4. *S. Hieron.* de vir. illustr. 134 (M. 23, 715).
5. *S. Gregor.* M. Moral. Prol. cfr XX. 32 (M. 75, 516; 76, 174).
6. *S. Isidor. Hisp.* de offic. I. 12; cfr Etymol. VI. 4 (M. 73, 748; 72, 236) : « Hieronymi versio merito ceteris antefertur; nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiae clarior, atque utpote a christiano interprete verior ».
7. *Ven. Beda* Hexaem. I; in Gen. 11. 31 etc. (M. 91, 43. 134 etc.).
8. *Rhab. Maur.* Instit. cler. II. 54 (M. 107, 366).
9. *Hugo a S. Vict.* De s. Script. 9. (M. 175, 17).
10. *Baco* Op. mai. ed. S. Iebb. Londin. 1733 p. 49.
11. *C. Vercellone* Dissert. accadem. p. 40 sq.
12. *Kaulen* Gesch. der Vulg. p. 206 sq., qui optime et accuratissime hieronymianae versionis propagationem enarrat.

§ 17. — *Historia textus Vulgatae usque ad conc. tridentinum.*

167. — Communem librorum, qui solis codicibus manu scriptis propagantur, sortem nova S. Hieronymi translatio haud effugit; immo quum maiori corruptionis periculo esset exposita, quia vetus versio saltem usque ad 8. saec. simul in ecclesiis adhibebatur, prohiberi non potuit, quominus negligentes aut scioli librarii ex vetere in novam multa insererent, utramque confunderent eodemque in codice miscerent. Qua de re conquestus est *Hugo a S. Vict.* : « usu pravo, inquit, invalescente factum est, ut diversas diversis sequentibus translationes ita tandem omnia confusa sint, ut paene nunc quid cuique tribuendum sit ignoretur »[1]. Quin etiam diu iam antea exorta erat illa confusio[2], atque id, quod S. Hieronymus de sui temporis codicibus asseruit, vix centum post eius mortem annis de novae versionis manuscriptis asseri potuit : tot exemplaria, quot codices.

Magno quidem cum studio corruptionem illam praecavere aut malo,

quod iam irruit, mederi conati sunt viri aeque docti atque pii; at inutiles fuerunt plerique conatus. Primi correctioni exemplarium diligenter iam invigilaverunt *S. Victor Capuanus* († c. 550), cuius Novum Test. bis propria manu correctum ad nostram usque aetatem conservatum est (169), et *Cassiodorius* († 562), cuius recensio in codice amiatino (169), uti videtur, ad nos pervenit; in sui vivariensis quippe monasterii bibliotheca praeter alexandrinam et italam versiones etiam Hieronymi « pandecten » (i. e. integram Scripturam) « propter copiam lectionis minutiore manu conscriptum » et « propter simplicitatem fratrum colis et commatibus ordinatum » deposuerat, postquam Psalterium, Prophetas et Epistolas Apostolorum « sub collatione priscorum codicum amicis ante ipsum legentibus sedula lectione » correxit; diligenter quoque quomodo illis textibus utendum sit, quae facienda, quae cavenda sint in illis describendis, monachos suos docuit[3]. Verum eorum auctoritas non fuit tanta, ut multum efficeret; maior fuit *Caroli M.* auctoritas, qui exeunte saec. 8. *Alcuino*, ut Vulgatae corrigendae operam suam impenderet, mandavit; hic magna cum diligentia onere hoc in se suscepto non ex hebraico textu, id quod aliqui opinati sunt, sed ex antiquis codicibus textum correxit correctumque exemplar per discipulum suum Nathanaelem imperatori die Natalis Domini 801 obtulit. Quae *Biblia Alcuini* vel *Caroli M.* a 9. usque ad 13. saec. saepissime librariis pro archetypo erant, ita ut non pauci codices superstites textum hunc exhibeant[4]. Circa idem tempus *Theodulfus*, episcopus aurelianensis († 821), Bibliorum codicem exarandum curavit, qui multorum iuniorum factus est archetypus; sed theodulfianae recensioni alcuiniana iure merito praefertur[5].

At nec summa illa quidem diligentia, cum qua praesertim inde a 9. saec. monachi libros sacros describebant, omnes errores evitare potuit, unde novae semper correctiones necessariae sunt redditae. Inter eos, qui post Alcuinum labori vacaverunt, nominamus *S. Petrum Damianum* († 1072), qui « bibliothecam omnium V. et N. Testamenti voluminum licet cursim ac per hoc non exacte » se emendasse testatur[6], *S. Lanfrancum Cantuar.* († 1089), « cuius emendationis claritate, inquit eius biographus, omnis occidui orbis ecclesia gaudet se esse illuminatam »[7], *S. Stephanum* († 1134), abbatem cisterciensem, qui textum a se correctum in omnibus sui ordinis monasteriis adhiberi iussit[8].

1. *Hugo a S. Vict.* de Script. 9 (M. 175, 17).

2. *Vercellone* (Dissert. accadem. p. 17 sqq. « Frammenti dell'antica Itala scoperti in un codice Vaticano ») codicem quendam vaticanum saec. 8. describit, qui Pentateuchi et Iosue versionem hieronymianam continet, sed sententiis ex antiqua desumtis intermixtam; in primis capitibus paucos tantum italae versus,

sed in decursu operis integras partes insertas habet. Aliquid simile in iunioribus codicibus non raro obtinet; etenim ea, quae in itala ex alexandrina versione abundarunt, in margine editionis alicuius hieronymianae notata in textum recepta sunt; qua ratione sat frequentes exortae sunt duplices eiusdem verbi vel versus versiones, quarum aliquae in nostra editione clementina remanent. *Vercellone* Var. lect. II. Praef. VIII sqq. testatur editionem clementinam in duobus primis libris Regum ultra triginta eiusmodi additamenta retinere; nec desunt in aliis libris.

3. *Cassiod.* de instit. div. lit. 12. Praef.; 30 (M. 70, 1124. 1109. 1144).

4. *Vallarsi* Praef. ad. tom. IX. Opp. S. Hieronymi (M. 28, 14 sqq.); *Vercellone* Dissert. accad. p. 41 sq.; *Kaulen* Gesch. d. Vulg. p. 229 sqq.

5. Cfr « Versus in fronte Bibliorum, quae ipse describi fecit » (M. 105, 299 sqq.), ubi exemplar, cui hi versus inscripti sunt, adhuc « in memmiana bibliotheca » exstare asseritur. Ceterum de theodulfiana recensione, cuius textus multis glossis insertis est deturpatus, uti de alcuiniana agit *S. Berger* De l'histoire de la Vulgate en France. Paris 1887; de codicibus, qui theodulfianum textum exhibent, *Delisle* Les Bibles de Theodulfe (Bibliothèque de l'école des chartes, tom XI. Paris 1879) et *Wordsworth* Novum Test. ad fidem manuscr. codd. Oxonii 1889 p. X. et XI.

6. *S. Petr. Dam.* op. 14 (M. 145, 334).

7. *Vita Lanfranci* (M. 150, 55).

8. *S. Stephani* decretum apud *Martianay* ad S. Hier. Divin. Biblioth. Proleg., II. 5 (M. 28, 66 sqq.). Haec inter alia *S. Stephanus* de sua correctione : « nos multum de discordia nostrorum librorum, quos ab uno interprete suscepimus, admirantes Iudaeos quosdam in sua Scriptura peritos adivimus ac diligentissime lingua romana inquisivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus illae partes et versus, quos in praedicto exemplari nostro inveniebamus et iam in hoc opere nostro inserebamus, quosque in aliis multis historiis latinis non inveniebamus. Qui suos libros plures coram nobis revolventes et in locis illis, ubi eos rogabamus, hebraicam sive chaldaicam Scripturam romanis verbis nobis exponentes partes vel versus, pro quibus turbabamur, minime repererunt. Quapropter hebraicae et chaldaicae veritati et multis latinis libris, qui illa non habebant sed per omnia duabus illis linguis concordabant, credentes omnia illa superflua prorsus abrasimus » etc.

168. — Summa versionis hieronymianae corruptio exeunte 12. et ineunte 13. saec. praesertim in universitate parisiensi invaluit[1]; multis enim ex integra fere Europa in eam confluentibus iuvenibus, qui Scripturarum exemplaria secum afferebant, mox quidem ea magnopere inter se differre animadversum est, sed recta via ad varietatem illam tollendam genuinumque textum restituendum non est electa. Librarii enim varias glossas, quae ex marginibus in textum sacrum irrepserant, variasque lectiones ad fidem antiquorum exemplarium non abstulerunt, sed cunctas in nova sua exemplaria transtulerunt, ut « completum textum » haberent. Hac ratione Parisiis maxime exortus et ex hac universitate in totam Europam propagatus est textus recensionibus prioribus longe corruptior. Saepius de hac « literae corruptione » *Rog. Bacon,* doctor mirabilis, gravissime conqueritur : « textus, inquit, pro maiore

parte horribiliter corruptus est in *exemplari vulgato, i. e. parisiensi*[2]; et ubi non habet corruptionem, habet tamen dubitationem tantam, quae merito cadit in omnem sapientem, sicut timor approbandus est qui cadit in virum constantem. Et haec dubitatio nascitur ex contentione correctorum, qui quot sunt lectores per mundum tot sunt correctores seu magis corruptores, quia quilibet praesumit mutare quod ignorat »[3]. Quam plurimi codices, qui corruptum hunc textum exhibent, per bibliothecas dispersi sunt.

Neque tamen illa aetate defuerunt, qui ad meliorem textum pervenire conarentur. Quem in finem ex antiquis latinis codicibus, ex Patrum, praesertim S. Hieronymi, commentariis, ex utraque glossa, ordinaria Strabonis et interlineari Stephani Laudun., ex textibus quoque hebraico et graeco varias lectiones conquisitas in codice quodam descripserunt librariisque eam designarunt lectionem, quam praeferendam duxerunt. Multi eiusmodi apparatus critici, quibus nomen *Correctorii* vel *Epanorthetae* inditum est, saec. 13. sunt adornati[4]. Ordinis Praedicatorum capitulum generale (a. 1236), instigante *Hugone a S. Caro,* tum gallicanae provinciae praeposito, aliquos theologiae lectores correctorium toti ordini destinatum concinnare iussit. Sed eorum opus (*correctorium senonense*), cui duodecim annos impenderant, non est approbatum, atque Hugo ipse labori manum admovere coactus illum ad felicem exitum perduxit. A capitulo generali a. 1256. usus correctorii senonensis est prohibitus, novum autem omnibus ordinis theologis praescriptum est; libri quoque liturgici codicesque monasteriorum ad illud sunt emendati, ita ut maximi inter Praedicatorum ordinis theologos, SS. Albertus M. et Thomas Aq., hac correctione sint usi[5]. Franciscani porro aliique ordines religiosi nonnullaeque universitates exemplum Praedicatorum sunt imitati, atque ita factum est, ut medio saec. 13. suum quisque haberet correctorium.

Tantum autem abest, ut eorum multitudo corruptionem codicum impediverit aut minuerit, ut eorum diversitas illam haud parum auxerit confusionemque promoverit. Id enim *R. Bacon* satis clare iam insinuat, ubi « quot lectores (theologiae), tot correctores seu magis corruptores Scripturae esse » conquestus a. 1256 in literis suis ad Clementem IV. « clamo, inquit, ad Deum et ad vos de literae corruptione »; a nullo enim, nisi a Summo Pontifice, tanto malo efficax remedium, adiuvante Deo, adhiberi posse censuit; quare etiam ei virum designavit in linguarum scientia peritissimum, cuius opera correctionem bonam fieri posse arbitrabatur[6]. Quisnam ille vir fuerit, ignoramus; sunt, qui eum de auctore cogitasse putent correctorii alicuius optimi, quod hodie *sorbonicum* vocatur, non quia a theologis sorbonicis est adorna-

tum, sed quia exemplari in bibliotheca sorbonica conservato iterum innotuit[7]. Revera operis huius, quod ab omnibus, qui illud examinaverunt, magnis laudibus ornatur, auctor cunctis illis scientiis, quae ad sacram criticam exercendam requiruntur, aequales suos longe superavit. Tres codicum latinorum classes distinguit, modernorum, qui suae aetatis textum exhibebant, antiquorum, qui Alcuini textum dabant, et antiquissimorum, quo nomine « exemplaria ante tempora Caroli scripta » designat. Porro a praedecessoribus suis recedens, omissis Patribus, qui ante S. Hieronymum viventes solam italam adhibuerant, illorum tantum testimonia admittit, quos nova versione usos esse constabat. Frequentissime deinde, ubi de vera lectione dubitabatur, ad codices hebraicos et graecos recurrit, inter hebraicos autem iterum recentiores ab antiquis, hispanos a gallicis distinguit. Demum paraphrasin quoque chaldaicam rabbinorumque recentiorum commentarios contulit : quibus omnibus diligenter recensitis sano sinceroque iudicio lectionem meliorem eligit[8].

Quanto auxilio Correctoria, quorum exemplaria satis multa in bibliothecis adhuc habentur, ac praesertim sorbonicum, hodie in restituenda genuina Vulgatae lectione esse possint, ex paucis quae diximus apparet. Eorum enim auctores multis antiquis codicibus hodie deperditis usi non paucas lectiones praebent illis, quae in iunioribus exemplaribus conservatae sunt, antiquiores et pretiosiores; correctorium autem sorbonicum hebraica quoque volumina massorethicis antiquiora adhibuisse videtur, quare ad ipsum massorethicum textum diiudicandum utilitate fortasse non caret. Verumtamen finem suum proximum, ut codicum corruptionem et discordiam impedirent, eos non attigisse iam monuimus; quin etiam novum corruptelarum fontem constituerunt, quum librarii in correctoriis transcribendis maiori errandi periculo essent expositi atque pro arbitrio interdum haud pauca adderent, omitterent, mutarent. Uniformitas quaedam utique in codicibus saec. 14. et 15. conscriptis reperiri videtur saltem in iis, quae maioris sunt momenti; sed uniformitas haec textui parisiensi debetur, qui illis saeculis semper propagatus est, quare etiam multi illi iuniores codices nullius sunt auctoritatis. Ceterum duplex illius aetatis codicum classis a nonnullis distinguitur, italorum et germanicorum, quorum priores colore quodam latino in vocabulorum ordine et constructione posteriores superent[9].

1. Postquam ultimo hoc decennio maiore cum studio inquisitum est, quaenam Vulgatae conditio fuerit media aetate et quasnam latinus textus subierit mutationes, nonnulla ex iis, quae cum aliis introductoribus in priore editione tradidimus, correctione quadam indigent; cfr praesertim *Berger* De l'histoire de la Vulgate en

France (Paris 1887); *Martin* La Vulgate latine au XIIIe siècle d'après Roger Bacon (Paris 1888); *Denifle* Die Handschriften der Bibelcorrectorien des 13. Iahrhunderts (H. Denifle O. Pr. et Fr. Ehrle S. J. Archiv. für Literatur u. Gesch. des Mittelalters 1888. IV. 263 sqq. 471 sqq.); *L. Salembier* Une page inédite de l'histoire de la Vulgate (Amiens 1890) etc.

2. Haec *vulgati exemplaris* denominatio, quam *R. Bacon* primus parisiensi exemplari tribuit, ad versionem latinam in universa ecclesia latina receptam translata est, quando saec. 16. novae exortae sunt versiones latinae cfr *Denifle* l. c. p. 277.

3. *Rog. Baconis* De linguarum studii necessitate; ex codice bodleiano descriptum ab *Hodio* De text. orig. p. 420); cfr *Baconis* opus tertium ed. I. S. Brewer. Londini 1859 (passim); atque etiam *Petri Alliaci* Apologeticus hieronymianae versionis (*Salembier* l. c. p. 81).

4. De his optime agit *P. Denifle* in dissertatione supra laudata, qui multa simul exempla ex variis correctoriis affert; sed cfr etiam *C. Vercellone* Dei correctorii biblici della biblioteca vaticana (Dissertaz. accademiche p. 35-56).

5. De correctorio Dominicanorum cfr *Quetif et Echard* Scriptores Ordin. Praedicat. Paris 1719 II. p. 198 sqq.; *Martene* Thesaur. nov. anecdot. IV. p. 1676 : « item volumus et mandamus ut secundum correctionem quam faciunt fratres, quibus hoc iniungitur in provincia, aliae bibliae ordinis corrigantur et purgentur » (Capit. gener. Paris. an. 1236 *n*. 4.); l. c. p. 1715 : « item correctiones bibliae senonensis non approbamus nec volumus, quod fratres innitantur illi correctioni » (Capit. gener. Paris. an 1256 *n*. 23). Correctorii huius autographum in bibliotheca paris., apographa, quae varias lectiones solas continent, in multis bibliothecis inveniuntur. Severius de illa correctione iudicat *Rog. Baco* (Ep. ad Clement. apud *Hodium* l. c. p. 429 : « eorum correctio est pessima corruptio et destruitur textus Dei; et longe minus malum est uti exemplari parisiensi non correcto quam eorum correctione »; sed de senonensi loqui videtur.

6. *Roger. Baco.* Opus tertium ed. Brewer p. 93; cfr etiam *eius* epistolam ad Clementem IV. apud *Hodium* l. c.

7. *Rob. Stephan.* Praef. Bibl. an. 1540 : « *sorbonicum* correctorium liber est, quem a sodalibus sorbonicis commodato accepimus, in quo etiam antiquorum codicum non paucorum variae lectiones adnotatae sunt ». Vercellone, qui eius apographum aliquod in Bibl. Vatic. invenit, fuse de eo disserit (l. c. p. 48 sqq.); cfr etiam *Rog. Bacon.* epistolam ad Clem. apud *Hodium* l. c. p. 428 sqq. et *Denifle* (in diss. alleg.).

8. Exempla multa habes in *Vercellone* Lectiones variae Vulg. (Romae 1860 sqq.), qui frequenter eius notas affert (inter alia cfr I. p. 16, 17, 26, 28, 41 etc.); cfr etiam *Denifle* l. c.

9. *Vercellone* Dissertaz. accadem. « Sulle edizioni della Bibbia fatte in Italia nel secolo XV » p. 111 sqq.

169. — Priusquam Vulgatae historiam continuamus paucos saltem ex praecipuis eius codicibus enumerare haud erit abs re; multi quidem et egregii in omnibus fere maioribus bibliothecis conservantur, sed accurata eorum enumeratio ac descriptio a nullo hucusque est facta; multo melius graeci, quam latini, codices sunt examinati, quia catholici interpretes paucissimi criticis laboribus operam suam impendunt[1].

Inter omnes eminent duo, quorum primus, *fuldensis*, solum Novum Test. continet illudque integrum. Quo tempore exaratus sit, ipse nos docet; Victor

enim, qui an. 541. capuanam sedem episcopalem ascendit, sua manu libro Actuum haec verba subiecit : « Victor famulus Christi et eius gratia episcopus Capuae legi VI. Non. Mai. d. ind. nona quinq. p. c. Basilii v. c. cons, » qui dies ex chronographorum legibus est dies 2. Maii 546; item post Apocalypsin asserit se librum legisse apud basilicam constantianam die 19. April. 546 et secunda vice die 12. April. 547; venerandae igitur est vetustatis, quum vix uno saeculo post S. Hieronymi mortem elapso sit conscriptus. Ex quodam suo itinere romano S. Bonifacius, Germaniae apostolus, codicem hunc secum in Germaniam attulisse dicitur; certum est S. Bonifacium illum sua manu notulis quibusdam ditasse, nec sine fundamento asseritur illum inter ea volumina fuisse, quae secum habuit, quando die 5. Junii 755. in Frisia martyr ultimum diem obiit; ab illa autem aetate Fuldae asservatur [2]. Alter, *amiatinus,* olim in oppidi Amiatae monasterio S. Salvatoris, a quo nomen traxit, hodie Florentiae in bibliotheca laurentiana depositus, omnes Utriusque Test. libros, solo Baruch excepto, complectitur. Propter versus quosdam titulo inscriptos a Servando, S. Benedicti discipulo, c. a. 541. exaratus credebatur; sed pro sua sagacitate *I. B. de Rossi* versus illos adulteratos esse perspexit genuinumque eorum textum ex coniectura restituens Ceolfridum, abbatem quendam anglum, exeunte saec. 7. vel ineunte saec. 8. codicem describendum curasse atque a. 716. Summo Pontifici obtulisse, coniecit. Quae coniectura mox confirmata est, quum *I. A. Hort* vitam quandam Ceolfridi abbatis reperiret, in qua versus illi eo modo, quem de Rossi coniecerat, legebantur. Fuldensi igitur multo est iunior, nihilominus maximae est auctoritatis non tantum, quia antiquissimus est ex iis, qui integram Scripturam continent, sed etiam quia summa cum diligentia exaratus est atque ex codice monasterii vivariensis iuxta Cassiodorii recensionem descriptus censetur; inter illos antiquos libros fuit, quos Sixtus V., ut Vulgatam emendaret, Romam arcessendos duxit [3].

Quos insignes duos codices aetate superat *bobiensis palimps.,* qui literis romanis uncialibus conscriptus creditur saec. 5. aut certe ineunte saec. 6.; at non nisi maiorem libri Iudicum partem et quaedam ex libris Ruth et Iob fragmenta hodie continet [4]. Omnes autem libros V. et N. T., excepto iterum l. Baruch, exhibet *toletanus,* qui quamvis aeque atque amiatinus Servandi alicuius fuisse tradatur, saec. 8. adscribi solet; gothicis literis maiusculis exaratus (ideoque a correctoribus sixtinis et clementinis gothicus appellatus) olim inter cimelia toletanae ecclesiae hodie Matriti in bibl. nation. conservatur; textus eius interdum ad amiatinum accedit atque ab Alcuini lectionibus, quae post saeculum 8. multos codices occupaverant, immunis est [5]..Eiusdem aetatis ac toletanus creditur *cavensis,* qui omnes quidem libros, nullo excepto, continet sed singularem prorsus habet recensionem [6]. Alii codices saec. 9. antiquiores hodie superstites non nisi partes Bibliorum continent, uti *foroiuliensis* saec. 6., qui olim integra Evangelia complexus est, hodie autem parte secundi caret, quae antiquitus Venetiis et Pragae autographum S. Marci habebatur; *ottobonianus* saec. 8., qui octateuchum quidem integrum habet sed multa ex antiqua versione inserit etc. [7].

Textum ab Alcuino correctum non pauci habent codices, qui fere omnes splendidiore quodam modo conscripti sunt. Splendidissimus inter illos est *paulinus* vel *carolinus;* prius nomen sortitus a loco, in quo custoditur, apud basilicam S. Pauli extra muros Urbis, alterum a Carolo M., cui oblatus esse immerito credebatur. Saec. 9. antiquiorem eum non esse asserunt viri critici; omnes libros continet et ad Vulgatae emendationem adhibitus est. Proximus illi est *statianus* vel *vallicellianus,* qui « eadem aetate aut fortasse etiam paulo vetustiore exaratus, qua paulinus, ab eo maxime in eo differt, quod nullo ornamento decoratus sed potius magna cum diligentia descriptus apparet » [8].

Textum a S. Petro Damiano emendatum contineri censent viri eruditi in codice aliquo, qui in bibliotheca S. Mariae ad Martyres in Urbe custoditur; eadem autem recensio etiam in multis aliis codicibus invenitur, quare *romanam* eam appellant aliqui [9].

1. De codicibus Vulgatae cfr *Vercellone* Variae lectiones Vulg. Proleg. I. p. LXXXIII-XCVI; II. p. XVII-XXII; *Tischendorf* N. T. gr. Ed. 7. Proleg. p. CCXLVII sqq.; *Kaulen* Gesch. d. Vulg. p. 216-223, 236-243, 273-278; *Lagarde* Psalterium iuxta Hebraeos Hieronymi. Lips. 1874. Praef. p. III. sqq.; *Wordsworth* Novum Test. secundum editionem S. Hieronymi. I. 1. Oxonii 1889 p. X sqq. etc.

2. Codicem fuldensem accuratissime edidit *E. Ranke* (Marburg 1868), qui eius historiam enarrat indolemque describit in Prolegomenis.

3. Quae de *amiatini* origine olim credebantur, vide apud *Vercellone* l. c. et *Tischendorf* in Prolegom. editionum codicis; nunc autem cfr *G. B. de Rossi* La Bibbia offerta da Ceolfrido abbate al sepolcro di San Pietro. Roma 1888. — Ex codice hoc *C. Tischendorf* Novum Test. edidit (Lipsiae 1854); Veteris collationem, sed haud satis accuratam habes in Biblia sacra latina Vet. Test. ex antiquissima auctoritate in stichos descripta a *Theod. Heyse* et *C. Tischendorf.* Lipsiae 1873. De codicis indole cfr *Vercellone* l. c. ac praesertim *P. Corssen* Epistula ad Galatas ad fidem optimorum codd. Vulgatae (Berolini 1885) p. 7 sq., qui eum codicibus cassiodorianis vicinum esse probabile facit, in eo autem erravit, quod eum Vivarii, in coenobio a Cassiodorio condito, sub finem saec. 6. conscriptum putavit.

4. Cfr *Vercellone* Dissert. accadem. « Di un codice biblico palimpsesto Vaticano proveniente dal monastero di Bobbio » p. 1 sqq.; Variae lectiones II. p. XIX sq.

5. *Blanchin.* Vindiciae canon. Script. p. LV et *Vallarsi* (in Opp. S. Hier. M. 29, 879 sqq.) varias toletani lectiones tradunt.

6. *De Rozan* Sui libri e mss. della biblioteca della SS. Trinità di Cava. Napoli 1822 p. 79 sqq., 128 sqq. etc.; iuxta *Wordsworth* (l. c.) tamen affinis est toletano sed propius ad amiatinum accedit ac propriam sequitur orthographiam.

7. *Blanchin.* Vindic. canon. Script. p. XXXVI; *Vercellone* Dissertaz. accadem. « Frammenti dell' antica Itala scoperti in un codice Vatic. » p. 17 sqq.

8. *Blanchin.* Vindic. p. CCCXXIX sqq. etc.; cum *S. Berger* (l. c. p. 6) etiam *Wordsworth* (l. c. p. XIV.) valicellianum inter alcuinianos primum locum tenere censet.

9. *Vercellone* Variae lect. Vulg. I. p. LXXXVII.

170. — Inventa typographia statim Vulgatae propagandae inservivit; primum enim opus, quod unquam typis impressum est, editio fuit Vulgatae,

quae a. 1450 Moguntiae in lucem prodiit, nec ullus est liber, qui usque ad saec. 15. finem saepius, quam Vulgata, praelum typographicum exercuit; omissis enim voluminibus, quae Scripturarum tantum partes, i. e. aut Psalterium aut Evangelia aut alios singulos libros continent, circiter centum integrarum Scripturarum editiones hodie cognitae sunt, quas quinquaginta primis illis annis typographi inter fideles sparserunt [1]. Sed primi editores de ipsius textus recognitione et emendatione parum solliciti fuerunt; primum quem fors obtulit codicem iuniorem aut exemplar iam impressum pro archetypo adhibuerunt, ita ut corruptus textus parisius in omnibus fere sit repetitus. Ab anno 1470 Biblia non pauca prodierunt, quae in subscriptione sese dixerunt « Fontibus ex graecis, Hebraeorum quoque libris Emendata satis et decorata simul » etc.; nec negari potest aliquas ex illis, quamvis a multis mendis non sint immunia, textum prioribus habere puriorem; pleraque tamen hoc disticho sese commendare tantum voluerunt nulla emendatione facta [2].

Primus emendando textui manum admovit *P. Albertus Castellanus*, O. Praed., qui margini editionis suae (Venetiis 1506) varias lectiones potissimum ex aliis impressis editionibus collectas addidit [3]; meliorem viam inierunt *editores polyglottorum complutensium* : « latinam B. Hieronymi translationem, inquiunt in praefatione, contulimus cum quamplurimis exemplaribus venerandae vetustatis, sed his maxime, quae in publica universitatis nostrae bibliotheca recondita, supra octingentesimum abhinc annum literis gothicis conscripta, ea sunt sinceritate, ut nec apicis lapsus in eis possit deprehendi ». Quin haec non temere sint asserta sed pro veris admittenda, nemo in dubium vocabit, qui singularem hunc textum, qui a praecedentibus omnibus editionibus discrepat, attento examini subiecerit. In Psalterio autem, cuius versio latina cum textu graeco, qui ipse singularis est, accurate consonat, dicuntur ex graeco potius quam ex latino codice emendationes desumsisse [4].

Protestantismo vix exorto novatores, ut facilius errores suos spargerent, Vulgatam, qua per nongentos fere annos tota ecclesia occidentalis usa erat, repudiare et impugnare coeperunt. Non tantum novas versiones latinas ex primigeniis textibus adornatas in lucem dederunt, sed ipsam quoque Vulgatam innumeris in locis ad textus primigenios, vel etiam ad germanicam Lutheri versionem mutarunt [5]. A quo innovationis pruritu dolendum est quod etiam non abstinuerint catholici theologi; *Sanctes Pagninus* et *Card. Caietanus* novas ediderunt versiones, *Aug. Steuchus Eugubinus*, *Isidorus Clarius* aliique Vulgatam proprio marte ex textibus primigeniis mutare suaque opera sub Vulgatae titulo propagare ausi sunt [6]. Longe meliorem viam tenuit auctor *editionis hittorpianae*, qui complutensium exemplum secutus ex antiquis codicibus genuinam S. Hieronymi lectionem restituere conatus est [7]; similem viam tenuit *Rob. Stephanus*, qui maiorem copiam codicum (maxime parisiensium) adhibuit, multis in suis editionibus, quas ab a. 1528-1548 Parisiis ac postea Genevae curavit sed plerisque simul notas calviniana haeresi infectas addidit, quare haud immeritam sibi attraxit theologorum

parisiensium censuram; laudatur editio eius, quae a. 1540 prodiit, quia haereticis illis notis caret atque textui secundae editionis moguntinae (a. 1462) lectiones multorum codicum una cum complutensibus addit[8].

1. De editionibus impressis Vulgatae cfr *Le Long-Masch* Biblioth. s. II. 3 p. 52-307; *Vercellone* Lectiones variae I. p. XCVI sqq.; *eiusdem* Dissertaz. accadem. p. 97-114; *Kaulen* Gesch. der Vulg. p. 302-370 etc. — Ex editionibus usque ad an. 1500 impressis 34 locum impressionis non indicant, sed pleraeque variis in oppidis Germaniae natae sunt; ex illis, quae locum et annum indicant, 28 Italiae (23 Venetiis, singulae Romae, Placentiae, Vicentiae, Florentiae, Bresciae), 27 Germaniae (10 Basileae, 9 Norimbergae, 4 Coloniae, 3 Argentorato, 1 Ulmae), 9 Galliae (6 Parisiis, 3 Lugduno), 1 Hispali in Hispania ortum debent.

2. *Kaulen* l. c. p. 312 decem editiones enumerat, quae iure quodam epigraphen hanc prae se ferant; omnes locum impressionis tacent, sed Basileae impressae creduntur; reliquae omnes, quae pleraeque nomen typographi et loci indicant, ad fallendos emtores inscriptione illa ornatae sunt.

3. *Le Long-Masch.* l. c. p. 47 et 147 sqq.

4. Cfr *Millii* Proleg. in N. T. gr. p. 107 : « Franciscus Ximenius Card. instituta complurium melioris notae manuscriptorum librorum diligenti collatione translationem veterem multo puriorem et correctiorem emisit »; *Le Long-Masch* l. c. p. 48. 176 et I. p. 335.

5. Inter editiones illas, quas recenset *Le Long-Masch* (l. c. p. 308 sqq.), celeberrima est wittenbergensis (Wittenbergae 1529), in cuius praefatione editor ipse testatur « novam propemodum translationem natam esse, ut per omnia responderet latina lectio ebraicae », quamvis vulgatam dare voluerit. Quamnam in hac editione partem ipse Lutherus habuerit, non constat; cfr *Le Long-Masch* (l. c. p. 325) et *Fritzsche* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VIII. p. 453 sq.

6. Veteris Testamenti ad hebraicam veritatem recognitio auctore *Aug. Steucho* Eugubino. Venetiis 1529; attamen opus hoc Pentateuchum solum continet. Integras Scripturas complectitur « Vulgata Editio V. et N. T., quorum alterum ad hebraicam, alterum ad graecam veritatem emendatum est diligentissime » etc. auctore *Isidoro Clario* Brixiano, Monacho Casinate. Venetiis 1542; quum Sebastiani Munsteri editionem in emendationibus et in notis fere sequatur, iure merito prohibita est. Cfr *Kaulen* Gesch. der Vulgata p. 332 sqq.; *Le Long-Masch* l. c. II. 3. p. 219 sqq.; regula Indicis IV. cautum est, ne quis Clarii editionem « pro textu editionis Vulgatae habeat ».

7. « Biblia iuxta D. Hieronymi Stridonensis translationem, post multas hactenus editiones non modo ad Hebraeorum Graecorumque fontem verum etiam ad multorum vetustissimorum codicum latinorum consensum accuratissime castigata ea quidem fide et diligentia, ut illa D. Hieronymi editio in hac plane renata videri possit... Coloniae... 1530 ». Ad calcem inter alia : « Lectorem admonitum velim, anagnostem nostrum non graecae solum, quae LXX est, non hebraicae tantum veritati sese addixisse, sed vulgatam D. Hieronymi editionem per omnia servasse, immutasse ac restituisse ea tantum, in quibus *vetusta latina* graecis simul atque hebraeis exemplaribus consonarunt contra vulgarem lectionem » etc.

8. Censura Facult. Paris. etiam editionem an. 1540 complectitur; adnotat autem *Rich. Simon* (Hist. crit. des vers. du N. T. Roterdam 1690 p. 132) : « ces théologiens auraient pu traiter avec plus de douceur un homme qui avait fait des dépenses excessives pour nous donner des Bibles latines correctes. Ils devaient au moins

épargner cette belle édition de 1540, où il n'y a que le texte et des diverses leçons... La censure de Paris ne nous doit pas empêcher de lire cette belle édition de 1540, où R. Estienne fait profession de réimprimer avec toute la fidélité possible les exemplaires latins dont on se servait dans nos églises » etc. Simili modo *P. Ioan. Hentenius* O. Praed. de editione an. 1540 loquitur, cuius textum ipse adoptavit, mutatis tamen vel etiam sublatis praefationibus, quas R. Stephanus praemiserat.

§ 18. — *Decretum tridentinum de Vulgatae auctoritate.*

171. — Duplici igitur ex capite Patres tridentini, quum de fontibus revelationis agerent, etiam quid de Vulgata sentiendum sit, statuere sunt coacti. A protestantibus enim aperte reiiciebatur, a nonnullis catholicis negligebatur et arbitrario modo mutabatur; nec parvum imminebat periculum Christi fidelibus, quum suum quisque sibi textum sacrum adornaret omnesque alios repudiaret. Quare eodem tempore, quo in concilio de Scripturarum canone stabiliendo deliberatum est, deputati sunt nonnulli Patres, ut abusus, qui circa libros sacros irrepsissent, cognoscerent eorumque remedia proponerent. Die 17. Martii 1546. in congregatione generali quatuor abusus, quos invenerant, retulerunt; ex quibus duo priores de Vulgata, alteri duo de interpretatione et de propagatione Scripturarum agunt. Duo priores, qui soli hoc loco sunt tractandi, his verbis referuntur : « *primus abusus* est : habere varias editiones S. Scripturae, et illis velle uti pro authenticis in publicis lectionibus, disputationibus et praedicationibus. Remedium est : habere unam tantum editionem, veterem scilicet et Vulgatam, qua omnes utantur pro authentica in publicis lectionibus, expositionibus et praedicationibus, et quod nemo illam reiicere audeat aut illi contradicere; non detrahendo tamen auctoritati purae et verae interpretationis septuaginta interpretum, qua nonnunquam usi sunt Apostoli, neque reiiciendo alias editiones, quatenus authenticae illius Vulgatae intelligentiam iuvant. — *Secundus abusus* est corruptio codicum qui circumferuntur Vulgatae huius editionis. Remedium est, ut expurgatis et emendatis codicibus restituatur christiano orbi pura et sincera Vulgata editio a mendis librorum, qui circumferuntur. Id autem munus erit Sm̃i D. N., quem s. synodus humiliter exorabit, ut pro ovibus Christi Suae Beatitudini creditis hoc onus ingentis fructus et gloriae sui ipsius animi magnitudine dignum suscipiat; curando etiam, ut unum codicem graecum unumque hebraeum, quoad fieri potest, correctum habeat Ecclesia sancta Dei »[1]. Postquam de relatione hac tribus in congregationibus generalibus (23. Mart., 1. et 3. April.) multisque particularibus actum est, haec statuerunt Patres tridentini : « eadem sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse

Ecclesiae Dei, *si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat*... Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens..., decernit et statuit, ut posthac S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimatur »[2]. Iam de hoc decreto accuratius erit agendum, atque primum quidem de priore eius parte, quae magis est doctrinalis, insequente paragrapho autem de illis agemus, quae ad emendationem textus Vulgatae nostrae spectant.

Mirum est, quantopere prior huius decreti pars ab acatholicis vix non omnibus et olim sit impugnata hodieque impugnetur, quantasque controversias inter ipsos catholicos excitarit[3]. Maxime in Hispania de hac quaestione disputatum est, « usque adeo, inquit *P. Mariana*, ut a probris et contumeliis, quibus se mutuo foedabant adversarii, ad tribunalia ventum sit. Tenuit ea causa multorum animos suspensos exspectatione, quem tandem exitum habitura esset, quum viri eruditionis opinione praestantes e vinculis cogerentur causam dicere haud levi salutis existimationisque discrimine »[4]. Immo gravissimi theologi, qui maxima fama florebant nec aliis in quaestionibus ullo modo timidos sese esse monstrabant, in hac una sententiam suam scripto prodere non sunt ausi. « Scio quidem, inquit *Dom. Bannez* O. Praed., si ab Ecclesia interrogarer, quid *viva voce* responderem : interim pio iustoque silentio me contineo »[5]. Non eadem hodie inter theologos viget contentio, nec impietatis reus declarabitur is, qui fanaticorum nonnullorum Vulgatam nostram tantum non inspiratam dicentium opinionem repudiat; at eaedem fere, quae olim, adhuc defenduntur de Vulgatae auctoritate sententiae, aliis decreti ambitum ultra veri limites extendentibus, aliis nimis eum coarctantibus. Quare decreti sensum accurate definire non erit abs re, « viis extremis vitatis, quae in praecipitia desinunt, mediam tenentes, qua fere in omni disputatione vitatis erroribus ad veritatem pervenitur »[6].

1. *Theiner* Acta genuina conc. trid. p. 64 sq.; congregationes generales de hac quaestione habitae l. c. p. 64-84.

2. *Conc. trid.* sess. IV. Decretum de editione et usu sacr. librorum.

3. Egregie duas sententias, in quas iam saec. 16. theologi cath. distrahebantur, exponit *Bellarminus* in epistola Calendis Aprilis a. 1575 Lovanio ad Card. Sirletum scripta (cfr *Batiffol* La Vaticane de Paul III. à Paul V. Paris 1890 p. 31) : « Venio

nunc ad quaestiones meas, quarum prima ac praecipua illa est, quid sibi tridentina synodus voluerit, quum in 4. sess. latinam et vulgatam editionem pro authentica habendam esse decreverit. Video enim de re tanta summorum virorum dissimillima esse iudicia, quum alii palam affirment, ipsam latinam et vulgatam editionem ita esse a concilio approbatam, ut non liceat ullo pacto nunc asserere aliquam esse in hac editione sententiam, quae vel falsa sit vel mentem primi scriptoris non contineat; qui etiam malint hebraicorum graecorumque codicum auctoritatem contemnere, quam ullum in latino interprete lapsum agnoscere, ac demum verum et germanum Scripturae sensum non minus in hac editione habere nos doceant, quam si ipsa sacra primorum scriptorum autographa haberemus : alii vero contra nihil unquam tale a concilio decretum esse contendant, sed illud solum, hanc veterem et vulgatam editionem ut omnium optimam esse retinendam, nec ulli fas esse aliam aliquam vel in gymnasiis vel in concionibus tractare, vel in sacris publicisque officiis legendam aut canendam introducere, quin etiam nihil omnino in hac editione reperiri, quod fidei puritati vel morum honestati sit adversum; ceterum negari non posse, quin interpres latinus huius editionis auctor nonnunquam more ceterorum hominum dormitaverit et non semel a vero Scripturae sensu aberraverit ». Sirleti responsio nobis non est conservata.

4. *Ioan. Mariana* S. I. Pro editione Vulgata. Coloniae 1609 (Migne Curs. compl. S. S. 1, 587-698); cfr de erudita hac dissertatione *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. ch. 18, p. 463.

5. *Dom. Bannez* Scholastica commentaria in 1. part. S. Thomae. Salmanticae 1584. Qu. 1. art. 8.

6. *Mariana* l. c. (M. l. c. 1. 590).

172. — Decretum tridentinum vix promulgatum vehementer aggressi sunt novatorum sectatores Scripturas primigenias et antiquas versiones a tridentinis reiectas esse contemtuique expositas conclamantes. Quae obiectio, quamvis innumeris vicibus a theologis catholicis refutata, quotidie adhuc repetitur, atque vix ulla Introductio in S. Scripturam a protestantico auctore in lucem editur, quae illam non recoquat[1]. Excusari quidem aliquatenus possunt; suae enim sententiae patronos invocare possunt nonnullos scriptores catholicos, qui ipsi quoque Scripturas primigenias et alias praeter Vulgatam antiquas versiones theologo catholico tantum non prohibitas et solam Vulgatam ei relictam esse, tridentino decreto non satis attente examinato, videntur arbitrari. Quo referendi sunt theologi hispani non pauci saec. 16.[2] et aliqui moderni, qui solam Vulgatam « Scripturam theologi dogmatici » esse declarant[3]. Quos a vero longissime aberrare certum est, nam *decreto suo Patres tridentini nec textibus primigeniis nec antiquis versionibus, quae semper in Ecclesiae usu erant, Vulgatam praetulerunt; nec Vulgatam authenticum revelationis fontem esse declarantes ullo modo textuum primigeniorum versionumque antiquarum authentiam negarunt.*

1. Cfr ex. gr. *Keil* Einl. p. 579, qui hoc decreto textum primigenium, etsi non

reiectum, tamen superfluum declaratum esse tenet (« Mit diesem Decret war zwar der Grundtext nicht ausdrücklich verworfen aber doch für ganz überflüssig erklärt und die Uebersetzung kanonisirt worden »); *de Wette Schrader* Einl. p. 145, qui decreto omnem inquisitionem exegeticam prohibitam esse vult (« Was man auch zur Milderung dieses Decretes sagen mag, immer ist damit der exegetischen Forschung der Eingang in die öffentliche Kirchenlehre verschlossen »); aliis alio modo eadem repetentibus prudentior *Ed. Koenig* (Einl. 1893 p. 126) id unum adnotat, ipsos catholicos de decreti amplitudine non plane inter se consonare.

2. *Melch. Canus* O. Praed. (Loci theolog. II. 13) has statuit theses : « 1. Editio haec vetus et vulgata fidelibus est retinenda in his omnibus, quae ad fidem et mores pertinent. 2. Si qua morum et fidei quaestio inter catholicos exoriatur, *eam definiri oportet per latinam hanc veterem editionem.* 3. In fidei ac morum disputationibus non est nunc temporis ad hebraica graecave exemplaria provocandum *nec ex eis certa controversiarum fides est facienda.* 4. In his, quae ad fidem et mores pertinent, non sunt latina exemplaria per hebraica et graeca corrigenda ». Ulterius progressus *Lud. de Teña* (Isagoge in totam S. S. Barcinonae 1620 I. 6, 3. p. 30 b.) statuit : « Latina editio vulgata *in omnibus suis locis et partibus* ita authentica est, ut non solum nullum contra fidem errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem et Spiritus S. mentem *in omnibus suis partibus quantumvis minimis*, non minus quam originalis Scriptura, unde fuit desumta. Neque ut fidem faciat, indiget recursu ad illam vel aliam, sed adhuc, quando ab hebraea nunc exsistenti dissentit, est vera regula fidei neque priori originali ullo modo contraria ». Atque hoc tam late extendit, ut « non solum in his, quae gravia sunt ac pertinent ad fidem et mores, sed etiam in omnibus aliis quantumvis levibus nullum errorem habere Vulgatam » asserat (l. c. p. 32. b.). Similia dicta hispanorum theologorum non pauca afferri possunt. — Media quoque aetate, quum aliqui hieronymianae versionis auctoritatem negarent, nonnulli theologi in asserenda eius auctoritate iustos limites transgressi sunt; ex. gr. *Petrus Aliacus* in sua Epistola ad novos Hebraeos (cfr *L. Salembier* Une page inédite de l'histoire de la Vulgate. Amiens 1890 p. 3-68) probare conatur « propter auctoritatem Ecclesiae catholicae translationem Hieronymi ex hebraeo in latinum firmiter credendam esse de necessitate salutis »; S. Hieronymum in nulla plane re a veritate aberrasse in sua versione; quod si autem SS. Augustinus et Hieronymus recursum ad textum primigenium permiserint, illorum verba « referenda esse ad Scripturas nondum receptas seu per Ecclesiam approbatas », nunc vero, postquam continuo suo usu Ecclesia versionem hieronymianam approbaverit, nullius amplius esse auctoritatis.

3. Ex. gr. *Dieringer* Dogmatik Ed. 5. p. 8 : « Die Vulgata ist die Bibel des katholischen Dogmatikers ». Quid vero, si catholicus ille theologus est Graecus vel Syrus vel Armenus etc.? Numquid omnes isti, antequam theologiae studio vacare possunt, linguam latinam addiscere cogentur, ut argumenta sua ex Vulgata desumant? Neque inter iustos limites, nisi omnia nos fallunt, sese continuit *P. Kleutgen* S. I. (Institut. theolog. De ipso Deo. Ratisbon. 1881 p. 35), qui, quamquam editiones, « quarum authentia nullo quidem sollemni decreto, longo tamen usu in Ecclesia nec non argumentis criticis et hermeneuticis probetur », theologis concedit, « argumenta *prorsus invicta* sumenda esse ex Vulgata » censet, « quamvis efficax esse possit etiam ex aliis editionibus depromptum argumentum, ex iis praesertim, quas adversarii admittunt ». Nam non tantum argumenta, quae ad hominem vocantur, sed absoluta ex aliis editionibus hodie desumi posse putamus, sicut ante tridentinum desumi potuerunt. Neque satis recte, opinor, *I. B. Heinrich*

(Dogmat. Theol. Mainz. 1873. I. p. 845) : « Obwohl durch diesen partialen Gebrauch (sc. aliarum versionum in ecclesiis orientalibus) und diese partiale Duldung der Kirsche genügend anerkannt ist, dass diese Texte keine gegen die Glaubens « und Sittenlehre verstossenden Verfälschungen enthalten, so sind sie doch seit der allgemeinen Annahme der dermaligen Vulgata nicht mehr der authentische Bibeltext der katholischen Kirche, dessen sie sich in Uebung ihres allgemeinen Lehramtes und in Fällung ihrer Glaubensurtheile bedient ». Sine ullo dubio non sunt « *der* authentische Bibeltext », sed sunt authentici textus eodem modo, quo ante conc. trid. fuerunt : nec quidquam obstare censemus, quominus etiam in futuro aliquo concilio adhiberi possint, uti in florentino et in antiquis conciliis adhibiti sunt et hodie in particularibus ecclesiarum unitarum conciliis adhibentur.

Decreto tridentino textibus primigeniis et antiquis versionibus Vulgatam non esse praelatam nec illis auctoritatem, quae antea eis debebatur, esse negatam satis facile probatur hisce argumentis.

1.) Praeprimis *ipsum decretum* inspiciamus. Lex latius non est explicanda, quam eius verba vel postulant, vel permittunt, nec ad illa, quorum mentio nec explicita nec implicita fit, extendi potest. Iam vero nec de textibus primigeniis nec de antiquis versionibus loquuntur Patres tridentini, sed « *ex latinis versionibus, quae eo tempore* (potissimum ab haereticis confectae et a quibusdam catholicis arbitrarie mutatae multae) *circumferebantur* » unam pro authentica eligendam censent. Tantum igitur abest, ut Vulgata textibus primigeniis vel aliis versionibus non latinis anteponatur, ut cum illis ne comparetur quidem. Manet igitur illis eadem prorsus, quam antea habuerunt, auctoritas et *intrinseca* et *extrinseca*, et illorum usus, qui ante concilium theologo laudi erat, hodie non minori laudi est.

2.) Nec minus clare idem elucet *ex decreti occasione et origine*. Etenim in deputatorum, qui abusus circa Scripturam sacram collegerunt, relatione, quam supra adscripsimus, tria sunt notanda : *a.*) textuum primigeniorum mentionem non fieri, *b.*) alexandrinam versionem commendari, quia illam « nonnunquam » Apostoli adhibuerint; unde iure inferimus, iuxta deputatorum sententiam multo maiore commendatione dignos esse textum hebraicum Veteris Test., quo usus *semper* est ipse Dominus, et graecum Novi textum, quem *scripserunt* Apostoli; *c.*) ita esse approbandam Vulgatam, ut aliae versiones non reiiciantur. Summam eorum, quae de hoc abusu eiusque remedio in congregationibus acta sunt, bene comprehendit *Pallavicinius :* « communis erat sententia, vulgatam editionem cunctis reliquis (sc. latinis) esse praeferendam; sed in hoc postulabat Paceccus ceteras esse repudiandas, *praesertim eas, quae ab haereticis essent confectae,* quod etiam postea ad septuaginta interpretum versionem ampliavit (ergo ne ille

quidem ad textus primigenios aut ad versiones antiquas extendi decretum censuit). Contra disputabat Bertramus, versionum varietatem semper apud fideles S. Patribus comprobantibus usitatam fuisse. Quisnam ausurus prohibere septuaginta interpretum translationem, qua utimur in Psalmis, quos decantat Ecclesia?... Versionem unam ut legitimam agnoscendam quidem esse, reliquas neque comprobandas neque improbandas »[4]. Omnium demum sententiis auditis *Card. de Monte*, unus ex praesidibus, disputationem hisce verbis terminavit : « discussa et praeparata materia deveniendum est ad formam. Maior pars sentire videtur, ut vulgata editio recipiatur, sed advertendum est, ne aliae videantur *tacite* reiectae »[5]. Si tanta igitur fuit Patrum sollicitudo, ut nullo modo versionem aliquam vel *tacite* decreto suo reiicerent, quisnam textuum primigeniorum usum ab illis esse proscriptum dixerit? Occasionem decreto dedit abusus, quem novarum versionum *latinarum* varietas creavit continuis excitatis disceptationibus; num hic abusus forte postulavit, ut textus primigenii et versiones non latinae reiicerentur? Cum deputatis *Card. Polus* non latinam tantum, « sed hebraeam et graecam approbandam esse censuit, ut omnibus ecclesiis consuleretur », atque alii singulis in linguis unum exemplar authenticum declarari desiderarunt[6]. Quorum vota, etsi impleta non sint, satis tamen probant, quid de aliarum editionum utilitate et auctoritate senserint tridentini. Verum quoque est, illorum desiderio non esse satisfactum, qui decreto verba « salvis aliis versionibus » inseri voluerunt, at ideo tantum verba haec omissa sunt, quia ex ipsius decreti verbis secundum legatorum declarationem subintelligenda essent.

3.) Genuinum hunc esse decreti sensum constat etiam *ex theologorum auctoritate*, qui quum concilio interessent, quaenam Patrum mens fuerit, omnium optime cognoverunt. « Iam secundo loco (inquit *Alph. Salmeron* S. I., qui unus ex Summi Pontificis eo tempore theologis in concilio fuit) ostendamus non ita fuisse Vulgatam Hieronymi editionem probatam, ut reiecta propterea sint intelligenda vel graeca vel hebraica volumina. Nihil enim de graecis vel hebraicis agebatur; tantum inter tot *latinas* versiones, quot nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat. Liberum reliquit omnibus graecos et hebraicos consulere, quo nostram vitio librariorum vel temporum iniuria corruptam emendare valeant, quo etiam eam dilucidius explicare atque explanare possint. Licebit itaque nobis salva concilii auctoritate sive graeci sive hebraei exemplaris lectionem variam producere eamque ut *verum Bibliorum textum* expendere et enarrare, nec tantum mores per eam aedificare, *verum etiam fidei*

dogmata comprobare atque stabilire atque adeo sumere ab illis efficax argumentum tamquam ex textu S. Scripturae »[7].

Idem testatur *Andreas Vega* O. Min., qui in concilio tridentino « tametsi inter theologos consiliarios, non vero inter Patres suffragia ferentes recenseretur, fuit tamen magna cum sapientiae opinione auditus » [8]. Integrum eius testimonium adscribimus, quia ad alia nostra asserta comprobanda non parvae est auctoritatis : « Ne erres, inquit, Calvine, circa approbationem Vulgatae, audi obiter pauca, quae et Philippo (Melanchthoni) dicta velim, qui ante te graviter de hoc accusat Patres. Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti et in sacris literis mediocriter versati in ea deprehendunt. Nec eam tamquam de coelo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis fuerit, sciebat non fuisse prophetam nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in Spiritu S. sacras literas a propria et nativa lingua in alienam transfuderit. Ac proinde nec cohibet nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent, melius potuisse aliqua verti et uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum S. sensus, vel certe alios commodiores, quam e Vulgata versione possent haberi. Sed in honorem vetustatis et honoris, quem ei iam a multis annis detulerant concilia *latina,* quae ea sunt usa, et ut certo scirent fideles, quod et verissimum est, *nullum inde haberi perniciosum errorem et tuto illam et citra periculum posse legi,* ad coercendam etiam confusionem, quam affert *multitudo translationum,* et ad temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas translationes, sapienter statuit, ut ista uteremur in publicis lectionibus, disputationibus et expositionibus. *Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset,* atque ideo statuit, ne quis illam quovis praetextu reiicere auderet. Et hanc fuisse mentem Synodi *neque quidquam amplius statuere voluisse* ex verbis ipsis et ex aliis consuetis approbationibus concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissimum tibi possum allegare testem amplissimum et observandissimum Dom. S. Crucis Cardinalem, qui illis sessionibus et aliis omnibus praefuit (Card. Cervinum, qui postea Marcellus II.). Ac pridie quidem, quo illud decretum firmaretur, et postea non opinor semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quisquam alius propter hanc vulgatae editionis approbationem impeditur, quominus ubi haesitaverit ad fontes recurrat et in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo iuventur et locupletentur Latini, et Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quae sensui Spiritus S. et ipsis fontibus sunt magis consentanea assequantur » [9].

Tertius testis sit *P. Iacobus Laynez;* allato enim Vegae testimonio haec addit P. Mariana : « Nobis idem sciscitantibus Romae, quum ibi theologicas scholas explicaremus, non aliud responsum dedit Iacobus Laynez, nostri Ordinis Praep. Generalis, quem honoris causa nominare volui, et quoniam tridentini concilii pars magna fuit, quippe cui plurimum a ceteris Patribus deferebatur, et omnibus actionibus interfuit »[10]. Eiusdem sententiae testes citari possunt *Didacus Payva de Andrada* et *Franc. Forerius* O. Praed., qui licet sessioni quartae non adfuerunt, quaenam Patrum mens fuerit, ignorare non potuerunt. Atque prior quidem in suo opere, quo contra Chemnitium concilium trid. defendit, adductis et approbatis Vegae verbis « ita Vulgatae editionis praestantiam et dignitatem tueri nos debere monet, ut hebraeos fontes, unde salutares ad nos rivuli emanaverint, nequaquam obstruamus, atque vicissim ita hebraeorum voluminum antiquitatem venerandamque canitiem colere, ut Vulgatae pondus et maiestatem non opprimamus »[11]. Alter eo tempore, quo gravissimis in concilio negotiis detinebatur, novam Isaiae versionem latinam ex textu hebraico adornavit concilioque dedicavit, quo in labore eum sibi proposuit finem, « ut verbum pro verbo reddens, quoad eius fieri potuit, ostenderet, sententiam, quam vulgatus interpres reddit, ab hebraicis verbis non abhorrere »[12]; latinum igitur textum ex hebraico videtur confirmare voluisse.

4). Sed quid plura, quum *res per se* sit evidens? Etenim Austriae imperatorem toti suo regno novum legum codicem promulgasse supponamus, cuius mox variae versiones hungaricae, polonicae, bohemicae etc. spargi et in tribunalibus adhiberi coeptae sint. Quod si ad iudiciorum in regno hungarico perturbationem evitandam unam ex hungaricis versionibus approbaverit, authenticam declaraverit, solam in regni hungarici tribunalibus adhibendam praescripserit, num ideo quis primigenium legum textum germanicum aut versiones polonicas, bohemicas etc. reiectas esse contenderit?

Cessent igitur tandem aliquando protestantium querelae et catholicorum quorundam exaggeratae et erroneae decreti expositiones, quae solido fundamento carent. Frustra enim hi ad textuum primigeniorum corruptionem provocant, quia eam demonstrare nunquam poterunt[13]; frustra quoque ex eo argumentantur, quod nec in decreto de canone librorum sacrorum nec in hoc nostro ullam textuum primigeniorum mentionem fecerint ac proinde tacite illos reprobaverint Patres tridentini[14]; nam in priore decreto implicitam saltem primigeniorum textuum et antiquarum versionum mentionem fieri statim ostendemus; cur autem in hoc decreto de illis tacuerint Patres, supra iam diximus[15].

4. *Pallavicini* Historia conc. trid. VI. c. 15. n. 1.

5. *Theiner* Acta genuina p. 83.

6. *Theiner* l. c. Postquam Card. Polus sententiam suam dixit, « primus praesidens rogavit sententias, an Vulgata tantum editio recipi deberet et de aliis (latinis) nullam fieri in decreto mentionem. Placuit omnibus propositio. Item *an editiones haereticorum essent expresse reiiciendae;* placuit de his non fieri mentionem. Rogantur deinde, *an placeret haberi unam editionem veterem et vulgatam in unoquoque idiomate, graeco scilicet, hebraeo et latino,* qua omnes utantur pro authentica in publicis lectionibus, disputationibus, interpretationibus et praedicationibus, quodque nemo ei contradicere vel eam respuere audeat. Card. tridentino placet demtis illis verbis : *graeco hebraeo et latino.* Card. giennensi placet demtis verbis : *in unoquoque idiomate, graeco scilicet, hebraeo et latino.* Quumque longe maior probasset sententiam giennensis, ita conclusum fuit ». De qua sententia, quum Romam nuntiata esset, doctissimus Card. Sirletus scripsit Card. Cervino : « Quella parola *quae legi consueverunt* mi pare che risolvi tutto, *intendendosi da qui che niuna cosa di nuovo s'è* determinato. È ben vero che volendo determinare una cosa di tanta importanza, credo che sarebbe stato bene dichiarar meglio la cosa parlando della ebrea, della greca, della latina, e determinando che si abbia a tener quella che per constituzione del concilio sarà proposta emendata ad fidem veterum exemplarium ». *Vercellone* Dissertaz. accadem. p. 81.

7. *Salmeron.* Comment. in Evangel. histor. Prolegom. 3. p. 24.

8. *Pallavicini* Hist. conc. trid. VI. 17.

9. *A. Vega* O. Min. De iustificatione XV. 9. Compluti 1564 p. 613 sq.

10. *I. Mariana* Pro Vulgata 21 (M. C. c. S. S. 1, 669).

11. *Andrada* Defensio trident. fidei. Ulyssipone IV. p. 257.

12. *F. Forerii* O. Praed. Isaiae vetus et nova ex hebr. versio cum commentario. Venetiis 1563. Praef.

13. Cfr *supra* §§ 3. 7. 11.

14. Ita iam *Gregor. Valentia* S. I., teste Serario; *Lud. Teña* l. c. p. 32; *Frassen* Disquis. biblic. II. 2, 2. et multi alii.

15. Ceterum cfr de nostro asserto *Nic. Serarii* S. I. Prolegom. biblic. Moguntiae 1612. c. 19, 12 p. 118 sqq., qui idem iam egregie demonstravit.

173. — Reiecto illorum errore, qui Vulgatam nostram primigeniis libris et reliquis versionibus antiquis a concilio tridentino praelatam esse asseruerunt, aliorum examinanda est opinio, qui illi perfectissimam cum sacrorum auctorum autographis conformitatem attribuunt eamque a mendis quibuscumque etiam in rebus, quae fidei morumque doctrinam non attingunt, immunem liberamque declarant. Cui opinioni praeprimis adhaeserunt omnes illi, qui olim in Hispania « latinum interpretem in prophetarum numero ponebant, quasi numinis instinctu correcta humana imbecillitate opus versionemque perfecisset »[1]. Quod figmentum refutatione non amplius indiget; ex decreto enim tridentino nemo prudens Vulgatae interpretem inspiratum fuisse colliget, atque iam diu antea S. Hieronymus simile figmentum refutaverat : « aliud est, inquiens, esse vatem, aliud interpretem; ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea, quae

intelligit, transfert »[2]. At alii quoque theologi nec pauci nec minimae auctoritatis Vulgatam nostram a quocumque errore etiam fidem non attingente liberam declararunt nostro decreto innixi. Quin etiam *P. Basil. Poncius*, O. S. Aug., qui a. 1626 mortuus est cancellarius univ. salmanticensis, communem suo tempore esse sententiam asserit : « iuxta tridentinum decretum non solum omnia, quae continentur in Vulgata, vera ipsa esse, sed vere et germane Scripturae originali conformia fideliterque, quod ad sententiam attinet, ab interprete reddita, ita ut nec *in levissima aliqua re* lapsus fuerit vel ignorantia vel incuria, sed omnia, *quantumvis minima*, recte conversa »[3]. Veritatis tamen limites videtur esse transgressus doctus vir, quum hanc sententiam communem suo tempore fuisse assereret; licet enim hispani theologi ea aetate ob metum inquisitionis, ut Baños et Mariana, strictiorem quandam Vulgatae cum autographis sacris conformitatem adstruerent, tamen eo usque, quo Poncius, non sunt progressi omnes. Plerique cum *Bonfrerio* potius in genere quidem nihil in Vulgata esse asserebant, quod *aperte* falsitatis vel contradictionis alicuius posset revinci, etsi ad fidem vel mores nihil pertineret, nihil tamen obstare, quominus in minimis, uti in animalium, plantarum etc. nominibus, aliquid humani passus et errorem admisisse diceretur[4]. At ne haec quidem mitigata sententia menti et decreto Patrum tridentinorum respondet; e contra pro certo tenendum est *Vulgatam ab omni prorsus mendo vel errore fidem morumque regulam non attingente liberam non esse declaratam.*

Atque 1° quidem id clare elucet *ex ipsius decreti historia.* Namque quum Romam approbationis gratia missum esset, theologi romani illud « acriter initio damnaverunt obiicientes multa Vulgatae menda nec amanuensibus nec typographis tribui posse, ac certo debuisse in decreto denuntiari eam esse recognoscendam et emendandam. Tantumque ea de re obmurmuratum est, ut deliberatum fuerit de impressione illius decreti tantisper retardanda, dum nonnullis adiectis reconcinnaretur ». Quod quum legatis nuntiatum esset, responderunt, nihil a romanis theologis opponi, quod a concilio non esset mature perpensum : « Tridenti quoque animadversa esse Vulgatae menda, se tamen noluisse idcirco eam *universe* pronuntiare mendosam »[5]. Quare Patres tridentini, si ipsi haec menda, quae interpreti attribuenda sunt, animadverterunt iisque non obstantibus Vulgatam declararunt authenticam, nec perfectissimam eius cum autographis, quae ab omnibus mendis immunia fuerunt, conformitatem definire, nec authentiam ad illa quoque, quae Scripturae substantiam non attingunt, extendere voluerunt vel potuerunt.

Quod si quis vero menda haec ex nostra editione clementina iam

nunc esse ablata, atque ideo authentiam etiam ad minutiora illa extendi debere putaret, gravissimo in errore versaretur; etenim *a.*) concilium non futurae alicuius editionis, sed Vulgatae tum exsistentis authentiam declaravit, nec prophetico spiritu praevidit, quaenam tandem post quadraginta annos editio in lucem esset proditura; *b.*) nostrae quoque clementinae praefatio asserit, quaedam, quae mutanda videbantur, immutata esse relicta ob populi offensionem vitandam aliasque ob rationes; ergo clementina ipsa suos retinet naevos.

2). Iterum provocamus ad *testimonia theologorum* illorum, qui concilio interfuerunt, iuniorumque interpretum auctoritatem. *Priorum* sententias (*supra* 176), iam attulimus. Sane *Vega* non dubitavit asserere, concilium nec approbasse menda, « quae linguarum periti et in sacris literis mediocriter versati, in Vulgata deprehendunt », nec quemquam impedivisse « quominus ad fontes recurreret et in medium proferret, quidquid haberet, quo ea, quae sensui Sanctorum et ipsis fontibus magis sunt consentanea, assequeremur ». Quod testimonium, uti *supra* retulimus, a *Card. Cervino, P. Laynez* aliisque confirmatum est. *P. Salmeron*, qui ipse quoque concilio interfuit, postquam desiderium suum, ut romana correctio Vulgatae mox terminaretur, expressit, ita pergit : « Interim dum haec in lucem prodit, nemo vetat, quin apertos errores ex hebraeis vel graecis codicibus, vel ex varia veterum Patrum lectione vel ex constanti et aperta ratione (? traditione ?) corrigere et emendare valeamus, si tamen Ecclesiae Dei et meliora sentientibus, in re praesertim tanti momenti, iudicium nostrum, ut par est, subiiciamus »[6]. Quibus Pallavicinius *Canum* quoque et *Andradam* adiungit, quos tamen quartae sessioni non interfuisse diximus[7].

Ad theologorum, qui post tridentinum floruerunt, sententiam quod attinet, inter Hispanos quidem strictiorem conformitatem Vulgatae cum autographis defendi solitam esse, non negamus; at quomodo hic consensus exortus sit, indicat *Mariana* : « Omnino fregit ea res, inquit, multorum animos alieno periculo considerantium, quanta procella immineret libere affirmantibus quae sentirent. Itaque aut in aliorum castra transibant frequentes, aut tempori cedendum iudicabant. Plerique inhaerentes persuasioni vulgari libenter in opinione illa perstabant, iis placitis faventes, in quibus minus periculi esset, haud magna veritatis cura » [8]. Mariana ipse prudenter quidem sed satis aperte nostram sententiam tuetur[9], atque eandem etiam vix non omnes theologi catholici sunt secuti, qui inde a concilii tempore ad nostram usque aetatem Scripturas interpretati sunt, quum haud raro relicta Vulgatae lectione aut hebraicam aut graecam praeferant.

3.) Evidentissime demum idem elucet *ex critico Vulgatae nostrae*

examine. Sat multi enim in ea textus inveniuntur paralleli, qui in numeris, nominibus, aliisque id generis, quae omnia fidem non tangunt, tantopere inter se dissentiunt, ut alterutro in loco error quidam admittatur necesse sit. Egregie hoc argumentum explanat *P. Mariana* multis exemplis in medium allatis[10]; nos unum alterumve tantum adscribemus. David Gabaonitis « quinque filios *Michol*, filiae Saul, quos genuerat Hadrieli, filio Berselai, qui fuit de Molathi » tradidisse legitur (2 *Reg*. 21,8); at « *Michol*, filiae Saul, non est natus filius usque in diem mortis suae » (2 *Reg*. 6,23), nec tradita est Michol, postquam David fugit, Hadrieli, sed « Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim » (1 *Reg*. 25,44); quare pro Michol legendum *Merob*, quae a Saul data est Hadrieli Molathitae uxor (1 *Reg*. 18,19). Ceterum in alexandrino textu et in massorethico idem error invenitur. Ochozias secundum 4 *Reg*. 8,26 viginti duos annos, secundum 2 *Paral*. 22,2 autem quadraginta duos habuit, quando regnare incepit; Ioachin ex 4 *Reg*. 24,8 duodevicesimo aetatis anno, ex 2 *Paral*. 26,9 autem octavo anno ad thronum ascendit. In utroque loco cum Vulgata consentiunt Massorethae, dissentiunt autem in Paral. Alexandrini. Graviores quaedam sunt differentiae inter Vulgatae V. T. versionem et inter eorundem textuum citationes in N. T.

1. Cfr *Mariana* Pro Vulgata c. 22 (M. Curs. compl. 1, 675 sq.); *Lud. de Teña* Isagoge l. c. p. 30 b.

2. *S. Hier*. Praef. in Pentat. (cfr *supra* 134).

3. *B. Poncii* Quaestiones expositivae i. e. de S. Scriptura exponenda. qu. 3, 2. (M. Curs. compl. 1, 878).

4. *Bonfrerii* Prael. 15, 3; cfr ex. gr. *Greg. de Valentia* De obi. fidei qu. 8. § 13; *Suarez* De fid. disp. V. s. 10. n. 3.

5. *Pallavicini* Hist. Conc. Trid. VI. 17, 15. 16. Epistolas Cardinalium et Legatorum, quibus haec Pallavicinii narratio innititur, edidit *Vercellone* (Dissert. academ. p. 79-89), ex iisque clarius etiam elucet, et Tridenti et Romae agnita fuisse Vulgatae menda, quae nec librariis nec typographis adscribi possint. Hinc etiam Tridenti iam ab aliquibus dubium motum erat, num non obstantibus mendis authentia Vulgatae sit declaranda (*Theiner* Acta genuina p. 80).

6. *Salmer*. Proleg. 3. p. 24.

7. *Pallavicini* l. c. VI. 17, 10.

8. *Mariana* Pro Vulg. 1 (M. Curs. compl. 1, 589).

9. *Mariana* l. c. 21 (M. l. c. 1, 664 sqq.).

10. *Mariana* l. c. (M. l. c. 1, 671 sqq.).

174. — Duobus tribusve argumentis perfecta Vulgatae cum autographis conformitas defendi solet. Nam *a*.) ad ipsa decreti verba provocant. « Concilium, inquiunt, prohibet, quominus sub ullo praetextu Vulgatae lectio in publicis disputationibus etc. reiiciatur. Disputatio igitur incidat, utrum Ionas ex. gr. sederit sub hedera, uti Vulgatus habet, an sub cucurbita, ut alii vertunt; licebitne reiicere Vulgatae interpretationem? Minime sane; li-

ceret autem, si versio non esset sincera; concilium enim nec potuit nec voluit falsam interpretationem stabilire: atqui cavet, ut Vulgata lectio nullo praetextu reiiciatur; sentit ergo neque in levioribus eam ab originali sincero deviasse ». Ita fere *Poncius*, qui multis verbis argumentum hoc suum amplificat, quemque sequuntur *Goldhagen* aliique [1].

b.) Deinde nostro decreto non contenti ad alterum quoque refugiunt, quo sub anathemate iubemur « libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina habentur, pro sacris et canonicis » accipere; atqui singula vocabula sunt partes; ergo usque ad ultimum vocabulum, immo usque ad ultimam literam integra Vulgata pro sacra et canonica accipienda est.

c.) Quod argumentum demum confirmant declaratione quadam, quam S. Congregatio interpr. conc. tridentini die 12. Ianuarii 1576 edixisse fertur: « censuit generalis congregatio nihil posse asseverari, quod repugnet Vulgatae editioni, etiamsi esset sola periodus, sola clausula vel membrum, vox sive dictio sola, vel syllaba iotave unum ».

Ut ab hac confirmatione exordiamur, declarationem illam contra nostrum assertum haud recte urgeri, facile demonstratur, etsi illam a consultoribus congregationis istius profectam esse non negemus [2]. Etenim « congregatio interpretum concilii trid. » a. 1564. quidem a Pio IV. iam est instituta, sed dumtaxat ad decretorum trident. exsecutionem urgendam; non nisi a. 1586. a Sixto V. facultatem obtinuit *authenticae* interpretationis decretorum disciplinarium, decretorum *dogmaticorum* autem interpretationem Sixtus sibi suisque successoribus verbis disertis reservavit. Declarationi igitur illi, quae a. 1576. prodiit, antequam congregatio ullam authenticae interpretationis facultatem acceperat, quaeque praeterea circa decretum dogmaticum versatur, siquidem verba explicata (*cum omnibus suis partibus*) in sollemni canonis definitione leguntur, publica auctoritas non competit; nihil est nisi privata sententia theologorum, qui tum tempòris consultores congregationis erant, nec plus valet, quam similes opinationes theologorum illorum, quos in nostro asserto impugnamus. Ceterum si declarationi auctoritatem publicam competere daremus, nihil efficeretur contra nostrum assertum. Namque nihil obstat, quominus eam prohibere dicamus, ne quid *in rebus fidei et morum* contra Vulgatam asseratur. Quin etiam hoc sensu declarationem, si genuina censeretur, esse intelligendam Pius IX die 1. Augusti 1859 vivae vocis oraculo theologo interroganti respondit [3].

In hoc Pii IX. responso nobis etiam iam indicatur distinctio, qua primum adversariorum argumentum infirmatur : concilium affirmat in rebus fidei et morum Vulgatam nullo praetextu esse reiiciendam *Tr.* vel *C.*, in aliis quoque quaestionibus ab ea recedere non licere *N.* Nec opus est, ut cum Serario inquiramus, quidnam iurisconsulti nomine praetextus intelligant, et num ille cum praetextu aliquid audere vel praesumere dicendus sit, « qui bona cum legislatoris venia veraque legis intelligentia modeste quidpiam quaerit aut facit » [1]. Exemplo allato alterum opponamus : disputatio incidat in chronologiam antediluvianam et aetatem patriarcharum; licebitne a

Vulgata dissentire eiusque numeris alios praeferre? Negabunt adversarii nostri, ecclesia autem romana affirmat, quae in martyrologio (die Nativ. Domini) chronologiam septuagintaviralem retinet.

Obiectioni demum secundae respondemus, *a.*) immerito supponi unam a concilio statui notam, qua canonicae Bibliorum partes dignoscantur; duas enim indicari arbitramur, quas particula *et* coniunctas et eodem in ordine positas is solus identicas dicet, qui tautologia tridentinos Patres in ferenda lege usos esse sibi persuaserit. Usus autem Ecclesiae catholicae constans (« in Ecclesia catholica legi consuevisse ») tempore et spatio latius patet, quam lectio Vulgatae (« in veteri Vulgata haberi »); atque evidens est, concilium in quaestione de Scripturarum canone, quae sola traditione definiri potuit, neque continuum ecclesiarum orientalium, quae Vulgatam nostram ignorant, neque sex priorum saeculorum Ecclesiae occidentalis, quae a saec. 7. tandem Vulgatam in usum communem recepit, testimonium negligere voluisse [5]. *b.*) Immerito porro supponitur, *partium* nomine intelligi particulas quascumque, quae per se fidem non attingunt, aut singula vocabula. Ex decreti enim historia, quam *supra* (53) enarravimus, tridentinos Patres proxime et directe illas Evangeliorum pericopas tueri voluisse constat, quae illo tempore a nonnullis impugnabantur, indirecte autem reliquas quoque deuterocanonicas aliasque omnes Utriusque Test. partes defendisse, quae ad substantialem librorum sacrorum integritatem pertinent [6]. Quare omnino quidem tenendum censemus, omnes textus, qui per se fidem ac morum regulam attingunt, definitione hac contineri, dummodo eos « in Ecclesia catholica legi consuevisse et in veteri Vulgata latina haberi » constet; de reliquis autem, qui per se fidem et mores non attingunt, nihil statui arbitramur.

1. *B. Poncius* Quaestiones expositivae qu. 3. a. 2. (Migne C. c. S. S. 1, 880); *Goldhagen* Introd. I. p. 393 etc.

2. De declarationis huius authentia diu dubitatum est; eam numquam authentica forma promulgatam esse sed primum innotuisse ab haereticis Francofurti a. 1608, editam, monuit iam *P. Serarius* (Prolegomena biblica. Moguntiae 1612. p. 118); atque *Card. Franzelin* (De Trad. et Script. p. 568; Ed. 3. 1882 p. 563) testatur, « in archivis romanis ultimis his annis diligenter quaesitum, nuspiam hoc documentum repertum esse ». Sed dubio non amplius est locus; etenim a *Card. Ant. Carafa* († 1591), qui a S. Pio V. congregationi concilii praefectus est, in manuscripto quodam commentario allegatur, quo singula concilii trid. decreta interpretatus est; nam ad verba *cum omnibus suis partibus* adnotat : « propter huiusmodi verba S. C. C. censuit, incurri in poenas, vel si sola periodus, clausula, membrum, dictio, syllaba, iotave unum, quod repugnat vulgatae editioni immutatur, acriterque reprehendendum Vegam l. IV. 9. de iustific. audacter hac de re locutum » (cfr *Pierre Batiffol* La Vaticane de Paul III à Paul V. d'après des documents nouveaux. Paris 1890. p. 73; codex quem allegat signatur *Vat. lat.* 6326). Ita confirmatur quidem testimonium *Brunati* a Card. Franzelin (l. c.) allatum, quo se aliquid simile « olim in manuscripto quodam vidisse » asserit, sed manet quoque eius responsum, sententiam illam esse *privatam* « alicuius (vel si mavis : complurium) e Cardinalibus eorumque anagnostis vel theologis ».

3. *Card. Franzelin* l. c. p. 569 (Ed. 3. p. 563).

4. *Serarius* Prolegom. 19, 12. p. 120.

5. Sunt quidem, qui illud « *et* » pro particula explicativa habeant, ita ut illud « in Ecclesia legi consuevisse » per alterum membrum « in Vulgata haberi » explicetur, atque solum proin *recentioris* ecclesiae latinae testimonium afferatur. Quae sententia ob rationes supra allatas probabilitate caret. Nonnulli non duas conditiones, sed unam dumtaxat a Patr. tridentinis rencenseri putant, quia in vaticano conc. verba illa « *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt* » sint omissa (*Vatic.* constit. *Dei Filius* cp. 2. De revel. et de revel. can. 4.). At parum recte; Patres enim vaticani decernentes, ut « Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus, prout illos s. tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis » susciperentur, illas conditiones a tridentino appositas in memoriam legentibus revocare voluisse sunt dicendi. Quod si sensum canonis tridentini non satis clarum esse aut a nonnullis prave explicari existimassent, id disertis verbis indicassent, quemadmodum revera eodem in loco (de revel. cp. 2) tridentinum decretum de interpretatione Scripturarum, « quia a quibusdam hominibus prave exponatur », explicandum duxerunt.

6. *Theiner* Acta genuina p. 71 sqq., 84 sq.

175. — Ut accuratius iam quid de Vulgatae auctoritate sentiendum sit, determinemus, erroneis decreti tridentini explicationibus genuinam opponamus. Atque praeprimis ab omnibus catholicis omnino tenendum asserimus, *eo sensu Vulgatam esse declaratam authenticam, ut verus et genuinus revelationis fons dici possit et debeat, ita quidem ut non tantum nulla falsa doctrina fidei vel morum regula erronea ex illa legitime deduci possit, sed ut etiam omnia illa, quae ad verbi divini scripti substantiam pertinent, fideliter exprimat.*

Namque hoc omnino tenendum esse 1.) *ipsa authentici documenti ratio* nos docet. Authenticum enim documentum, uti *supra* (100) iam monuimus, iurisperitis, a quibus technicum hunc terminum mutuati sunt theologi, illud dicitur, quod in iudicio prolatum per se fidem facit nec alterius confirmatione indiget. Varia quidem in variis documentis est authentiae ratio, alia est autographi, alia apographi, alia versionis vel interpretationis; illud vero in omnibus requiritur, ut relate ad illam rem, de qua agitur, legentem in errorem non inducat omniaque saltem, quae ad substantiam documenti pertinent, fideliter referat. Quod si hanc definitionem ad S. Scripturam adhibemus, illud solum exemplar posse vocari authenticum patet, quod ab omnibus erroribus in re fidei et morum liberum est doctrinasque fidei et morum in autographis contentas, quae potissimum ad verbi divini substantiam pertinent, fideliter exhibet : ut enim fidem doceant moresque instruant, datae sunt nobis Scripturae. Ergo Patres quoque tridentini decreto suo, quo Vulgatam declararunt authenticam, omnem ab ea errorem doctrinalem exsulare eamque autographorum dogmata fideliter exprimere docuerunt.

Atque idem 2.) *ex motivo* eruitur, cui decretum tridentinum innititur. Ideo enim ex omnibus latinis editionibus, quae eo tempore circumferebantur, Patres Vulgatam elegerunt, quam authenticam declararent, quia « *longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est* ». Atqui divina providentia permittere nequit, ut Ecclesia per tot saecula adhibeat usuque suo quotidiano, et liturgico et dogmatico, approbet editionem, quae aut perniciosos errores continet aut autographis, quod ad eorum substantiam attinet, conformis non est. Optime in hanc rem *Bellarminus :* « neque enim temere per annos fere mille, i. e. a tempore B. Gregorii, omnis Ecclesia latina hac una editione usa est, omnes concionatores hanc explanaverunt et populo proposuerunt, omnia concilia ex hac editione testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Porro Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturae interpretatione caruisse atque in iis, quae ad fidem et religionem pertinent, errores interpretis nescio cuius pro verbo Dei coluisse, mirum est, si cui mirum et absurdum non videatur, praesertim si ex Apostolo didicerit, eam esse columnam ac firmamentum veritatis »[1].

Neque minus clare 3.) *finis,* quem in suo decreto prosecuti sunt Patres, idem declarat. Consideraverunt enim « *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae* », si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferebantur, librorum sacrorum, quaenam pro authentica habenda esset, innotesceret; atque Vulgatam elegerunt, ut hanc non parvam utilitatem Ecclesiae pararent. Atqui si falsum dogma aut perversa morum regula legitime ex Vulgata deduci posset, aut si doctrinas fidei et morum in autographis contentas non fideliter exhiberet, decreto suo potius nocuissent Ecclesiae quam profuissent; quod impium est dicere.

Demum 4.) hunc esse sensum decreti docent *testimonia legatorum,* qui concilio praesederunt, et theologorum, qui ei interfuerunt. Etenim quum romanis theologis decretum non placeret, responderunt legati, omnes Patres consensisse, tutissimam versionem esse Vulgatam « quippe cui tam diuturno tempore nunquam haereseos nota fuerit inusta »[2]. Testimonium Andreae Vegae, a Card. Cervino, uno ex concilii praesidibus, et a P. Laynez aliisque concilii theologis confirmatum *supra* (172) laudavimus : « eatenus voluisse concilium Vulgatam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset ».

1. *Bellarm.* De verbo Dei II. 10.

2. *Pallavic.* Histor. Conc. Trid. VI. 17, 15; cfr epistolam legatorum ad Card. Farnes. die 26. Apr. 1546 (*Vercellone* Dissertaz. accad. p. 82) : « Li altri... son ben convenuti *uno omnium consensu*, che la edizione quale ha usata la chiesa romana,

sia più sicura, *come quella che non è stata mai imputata d'eresia*, non ostante che paia diversa in qualche loco dal testo ebreo e greco ». Similia *Card. Cervin.* ad Bern. Maff. d. 24. Apr. 1546 (l. c. p. 84 etc.).

176. — Illud igitur allatis argumentis ceu doctrina certa demonstratum est, Vulgatam nostram omnia illa, quae ad verbi divini scripti substantiam pertinent, ac proin potissimum doctrinas fidei et morum, quas per inspiratos scriptores Deus nobiscum cummunicare voluit, *fideliter* exhibere. Altera nunc exoritur quaestio, num *omnes* quoque et *singuli textus*, quibus dogma vel morum regula continetur, perfectissimo modo autographis sacris sint declarati conformes. Ad quam solvendam iuverit haec adnotasse :

1.) Tridentini Patres illam conformitatem Vulgatae cum autographo, quae *modalem* quamcumque discrepantiam a textibus dogmaticis excludat, declarasse non videntur. Modalem autem differentiam intelligimus non eam solam, qua clarius vel obscurius, magis minusve diserte et explicite dogma aliquod verbis Vulgatae, quam verbis autographis, enuntiatur, sed illam quoque, qua idem quidem dogma in utroque textu, sed sub diverso aspectu aliaque ratione exprimitur; ita quidem ut quae in autographo directe de Messiae regno et indirecte tantum de eius persona intelligenda sunt, in versione directe ad eius personam referantur et indirecte de regno intelligantur etc.

Cur modali hac discrepantia authentici documenti rationem non destrui arbitremur, perspicuum clarumque erit textus parallelos in Vulgata nostra vel omnino in Scriptura attente perlustranti. Nemo enim negabit Novi Test. scriptores *authentico* modo verba Veteris allegasse Dominique sermones *authentice* retulisse; at nemo quoque ignorat, quantae in textibus Veteris Test. laudatis et in verbis Domini relatis differentiae inveniantur. Innumeris fere vicibus S. Paulus textui adhibito ipsam suam interpretationem inserit, ut argumentationem suam clariorem reddat[1]; haud raro Evangelistae in vaticiniis messianicis allegatis neque cum textu hebraico neque cum alexandrino plane consentiunt[2]; atque ut unum tantum dictum Domini commemoremus, quam diverso modo verba, quibus SS. Eucharistia instituta est, referuntur a SS. Matthaeo et Marco et iterum a SS. Luca et Paulo[3].

Eiusmodi differentiae igitur, si rationem authentiae non tollunt, etiam Vulgatam inter et autographa adesse possunt, nec quidquam nos cogit, ut perfectissimam etiam modalem conformitatem Vulgatae cum autographis statuamus. Quare concedere possumus, *Gen.* 3, 15 (« *ipsa* conteret caput tuum ») versionem « *ipsum* » solam esse textui primigenio conformem, *Is.* 45,8 (« nubes pluant *iustum*, terra germinet *salvatorem* ») nomina abstracta (*iustitiam, salutem*) esse prae-

ferenda, *Luc.* 22,20 (« qui pro vobis *fundetur* ») praesens (*funditur*) aptiorem et pleniorem sensum reddere etc.

1. Cfr ex. gr. 1 *Cor.* 1, 31 : « qui gloriatur, in Domino glorietur »; quibus verbis comprehendit Paulus ea, quae leguntur apud *Ierem.* 9, 22 : « non glorietur sapiens in sapientia in sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus »; 1 *Cor.* 2, 9 et *Is.* 64, 4; 1 *Cor.* 3, 20 : « Dominus novit cogitationes *sapientium*, quoniam vanae sunt » et *Ps.* 93, 11 « Dominus scit cogitationes *hominum*, quoniam vanae sunt »; 1 *Cor.* 14, 21 et *Is.* 28, 11; 1 *Cor.* 15, 54 et *Is.* 25, 8 (*Os.* 13, 14?); *Hebr.* 10, 5 « hostiam et oblationem noluisti, *corpus* autem aptasti mihi », *Ps.* 30, 7 « *aures* autem perfecisti mihi » etc.

2. Ex. gr. *Matth.* 2, 6. « Et tu Bethlehem terra Iuda, *nequaquam minima* es in principibus Iuda : ex te *enim* exiet dux, qui regat populum meum Israel ».

Mich. 5, 2. « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus (quidem) es in millibus Iuda; ex te (autem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel ».

Matth. 27, 9 : « Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus ».

Zach. 11, 13. « Et dixit Dominus ad me : Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis; et tuli triginta argenteos et proieci illos in domum Domini ad statuarium.

3. *SS. Matth. et Marc.* : « Hoc est corpus meum »; *S. Luc.* « Hoc est corpus meum, quod pro vobis *datur* », *S. Paul.* : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur* ». *SS. Matth. et Marc.* : « Hic est *sanguis meus Novi Testamenti*, qui *pro multis effundetur* » (Matth. addit : « in remissionem peccatorum »); *S. Luc.* : « Hic est *calix Novum Testamentum in sanguine meo*, qui pro vobis fundetur »; *S. Paul.* : « Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine ». Omitto differentias, quae ex textu primigenio afferri possunt, sed in ipsa Vulgata quam diverso modo idem dogma proponitur : S. Lucas (*datur*) innuit praesens sacrificium incruentum, S. Paulus (*tradetur*) futurum sacrificium cruentum; SS. Matthaeus et Marcus directe id, quod est in calice et indirecte eius effectum, SS. Lucas et Paulus directe effectum et indirecte eius causam enuntiant etc.

2.) Neque decreto suo tridentini Patres textus dogmaticos illos, qui iam antea erant critice dubii, autographis conformes declarare illisque maiorem, quam eo usque habuerunt, auctoritatem attribuere voluerunt. Namque nec in decreti ipsius verbis nec in eius historia quidquam hanc Patrum intentionem manifestat, immo, ni fallimur, contrarium ex decreti motivo colligitur. Ideo sc. Vulgatam omnibus aliis latinis editionibus anteponunt, quia « longo tot saeculorum usu in ecclesia probata est », ergo etiam *quatenus* eodem usu probata est. Duplici enim via versionis alicuius Scripturarum cognoscitur authentia, aut eius diligenti examine et comparatione cum alia editione authentica (atque hac ratione de conformitate novarum illarum versionum constat, quae a S. Pontifice approbantur), aut usu constanti

ecclesiae alicuius particularis, quae cum Ecclesia apostolica fidei et communionis unitate est coniuncta (atque hac ratione de veterum maxime versionum conformitate constat). Alteram hanc rationem, longaevum sc. ecclesiae latinae usum, allegant Patres; tam late ergo patet authentia, quam late patet usus, nec usus qualiscumque, sed usus dogmaticus; ad fidei enim et morum doctrinam Patres praeprimis in suo decreto attendisse, supra iam diximus. Illi igitur textus, qui, quia critice erant dubii, non eodem modo in scholis theologis adhibebantur aut omnino relinquebantur, etiam post decretum tridentinum dubii manserunt.

Neque temere haec asseri, vel illorum theologorum testimonio comprobatur, quos decreti ambitum ultra iustos terminos extendere censemus. *Canus* ex. gr., qui omnem fidei et morum quaestionem, quae inter catholicos exoritur, per latinam hanc veterem editionem censet definiendam (176. n. 2), ex 1 *Cor*. 15,51, quamvis inter Latinos versus ille inde ab Augustini et Hieronymi aetate semper eodem modo sit lectus[4], certum argumentum desumere non audet. Adducta enim Graecorum lectione dissentiente, « neutra lectio, inquit, a viris Ecclesiae reprobata est; quin admonuere semper lectionem dubiam et variam esse, nec alterutram ex eis ut certam et exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur, quia neutram partem doctores Ecclesiae tamquam certam et exploratam asseruere. *Quod idem in alia qualibet particula latinae editionis fieret, si idem penitus contigisset*. At ubi doctores *catholici* (attendas velim, eum non de solis doctoribus *latinis* loqui) unam et eandem lectionem sine varietate tenuerunt, nec ancipitem assertionis libravere sententiam, nobis non licet *latinam* editionem in quaestionem vertere »[5]. *Suarez*[6] quoque aliique doctores latini ex textu isto argumentum certum deduci non posse concedunt, nobiscum igitur tenent eatenus textus dogmaticos Vulgatae declaratos esse autographis conformes, quatenus de continuo eorum usu dogmatico constat.

4. 1 *Cor*. 15, 51. Teste S. Aug. (de Civ. D. XX. 20 M. 41, 689) duplex erat latinorum codicum lectio : « omnes resurgemus » vel « omnes dormiemus », quae utraque eandem prorsus doctrinam enuntiat; alia autem lectio in iunioribus quoque codicibus latinis non invenitur. At graecorum codicum et Patrum lectio usitatior est : πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα (cfr *S. Hier*. ad Minerv. et Alex. ep. 119, 2; ad Marcell. ep. 59, 3; in Is. 51, 6 M. 22, 967; 587. 24, 485). De hac quaestione egi in *Comm*. in priorem epistolam ad Cor. (Parisiis 1890 p. 506 sqq.).

5. *Cani* Loc. theol. II. 14. Egregie et verissime haec dicta sunt, sed quomodo nihilominus Canus suam thesin, quod per latinam editionem omnes fidei et morum quaestiones sint definiendae, tenere possit, non videmus.

6. *Suarez* in Sum. III. qu. 56. a. 2. disput. 50. s. 2. Non obstante, quod « vul-

gata lectio (1 *Cor.* 15, 51) veritatem huius sententiae (sc. omnes homines *vere ac proprie* esse resurrecturos et consequenter prius esse morituros) maxime requirat et graecae omnes (secundum Suaresii opinionem) possint ita exponi », Suaresius non audet sententiam hanc nec de fide certam, nec ita certam dicere, ut contraria sit temeraria, sed eam appellat tantum « probabiliorem ».

3.) Neque demum affirmandum videtur, talem declaratam esse Vulgatae cum autographis conformitatem, ut omnes prorsus textus, qui olim in autographis erant, etiam nunc in Vulgata inveniantur. Ex ipsa enim authentici documenti notione hoc necessario non eruitur, et unde praeterea deducatur non apparet. Namque versionem antiquam latinam, quae usque ad saec. 7. in Occidente vulgata erat, aeque atque alexandrinam ipsam, ex qua derivata est, vere authenticas fuisse non licet negare, nisi antiquae Ecclesiae authenticam Scripturam negare velimus : atqui in versionibus istis certe authenticis dogmaticos textus, imprimis vaticinia messianica defuisse, non semel asserit *S. Hieronymus*[7] et levi quoque examine comprobatur. Authentiae igitur ratio absolutam integritatem non postulat, nec omissione alicuius textus dogmatici tollitur. Quare eorum textuum, quibus antiqui Patres in suis cum haereticis controversiis frequenter usi sunt, divinitatem ob eam solam rationem, quod in Vulgata nunc desint, negare non licet[8].

Ex iis, quae diximus, tamquam corollaria derivantur regulae quaedam de usu dogmatico Vulgatae aeque ac textuum primigeniorum versionumque Ecclesiae usu approbatarum.

1.) Tuto semper theologus Vulgatam ceu fontem genuinum revelationis adhibere potest atque ex omnibus textibus dogmaticis, si de eorum constanti usu dogmatico constat, legitimum deducere argumentum.

Neque tamen 2.) textus quoque primigenios antiquasque versiones usu catholicarum ecclesiarum approbatas adhibere prohibetur, et argumenta ex illis legitime desumta eandem, quam argumenta ex Vulgatae verbis derivata, habent certitudinem *intrinsecam*.

3.) Si ex critica investigatione constat textum Vulgatae textui primigenio esse conformem nec ulla est in verbis latinis ambiguitas, ex sola Vulgata legitimum argumentum *scripturisticum* efficitur; verba autem primigenia, si sunt ambigua, secundum sensum Vulgatae sunt interpretanda.

4.) Si vero Vulgata et textus primigenius verbis quidem consentiunt, verba autem latina ambigua sunt, ex textu primigenio, si hic non est ambiguus, desumendus est sensus verborum latinorum[9].

5.) Si forte textus inveniatur in Vulgata, qui in hodierno textu pri-

migenio aliisque versionibus desit, hic quoque legitimum praebet argumentum, atque argumentum hoc erit *scripturisticum*, si constans huius textus in ecclesia catholica usus demonstrari potest.

7. *S. Hier.* ad Aug. ep. 112, 20 (M. 22, 928); Praef. in Pentat., Praef. 1. in Paralip., in Esdr. etc.

8. Eiusmodi textus ex. gr sunt : *Prov.* 8, 35 (Alex.) : « praeparatur voluntas a Domino » (*S. Aug.* de peccat. mer. et rem. II. 30. M. 44, 169 et saepissime); *Is.* 7, 9 : « et nisi credideritis, non intelligetis » (Vulg. « non permanebitis ») etc.

9. Cfr *S. Aug.* Retract. II. 17; Quaest. in Deut. 39 etc. (M. 32, 637; 34, 764); *Can.* Loci theol. II. 15; *Bellarm.* De verbo Dei II. 11 etc.

177. — Restat ut decretum explicatum ab aliis nonnullis obiectionibus vindicemus, quibus protestantes hodie quoque illud carpere non cessant; illegitimum enim illud esse dicunt, iniustum et inopportunum.

At 1.) *legitimum* esse decretum, i. e. concilium suo iure egisse, quum hanc legem ferret, elucet

a.) ex ipsius Ecclesiae, qua societatis perfectae, natura. Unicuique enim societati ius competit, ut documenta sua declaret authentica, quare nec Ecclesiae ius hoc negari potest. Sicut igitur reipublicae alicuius magistratus ex variis editionibus codicis legum suarum unam eligere potest, cui fides in omni tribunali adhibenda sit, ita eodem cum iure concilium ex variis latinis Scripturarum versionibus unam elegit, cui tamquam authenticae fides adhiberetur.

b.) Multo clarius idem efficitur ex Ecclesiae munere et officio. Ut enim omnes gentes docere possit, illis etiam verbum Dei scriptum proponere debet, idque illis in linguis, quas gentes intelligunt. Ad quid enim prodesset, si sciremus quidem Deum Ecclesiae verbum suum scriptum tradidisse, ignoraremus autem, ubi tandem genuinum inveniatur? Magisterio igitur, quod instituit, Deus etiam ius non potuit negare, aliquam Scripturarum versionem fidelibus tamquam certam proponendi.

c.) Res tam clara est, ut protestantes ipsi hoc ius sibi arrogarint. Lutherani versionem Lutheri in conventu quodam lipsiensi a Melanchthone, Pommerano aliisque authenticam declaratam superstitiosa quadam veneratione prosequuntur, ac vix hodie eam mutare audent. Calvinistae Hollandiae in conventu dordracensi diu de versione authentica stabilienda disputarunt, rem autem in medio reliquerunt non quia de iure dubitaverunt, sed quia de eligenda versione dissenserunt. Zwingliani helveti Biblia sua turicensia, Anglicani Biblia sua regia (The royal bible) pro authenticis habent nec privatis ius concedunt textus illius mutandi etc.

2.) *Opportunum* fuisse decretum nemo negabit, qui temporis illius rationem perpenderit. Postquam enim per octingentos annos integer Occidens christianus versione a S. Hieronymo adornata vel emendata usus est, ineunte saec. 16., quum linguarum, quibus Scripturae primitus datae sunt, scientia magis propagari coepta esset, quam plurimi interpretes versione

veteri despecta ad novas translationes faciendas sese vocatos rati tanto tamque difficili operi vix tot menses, quot annos Hieronymus, tribuerunt. At opera haec non tanto fuissent periculo et mox oblivioni essent data, nisi eodem tempore nova haeresis exorta esset, cui, ut novos suos errores stabiliret, summae curae erat, antiquam versionem, qua eousque Ecclesia usa erat, calumniari et criminari, quasi verbum Dei corrupisset. Magnum igitur fidelibus imminebat periculum, atque muneri suo defuissent Patres tridentini, nisi decreto suo veterem versionem tuiti essent.

3.) Nec quisquam hodie negat, Vulgatam omnibus illis versionibus latinis, quae concilii tempore circumferebantur, longe praestare, ita ut Patres illam reliquis praeferentes etiam *iustissimi* fuerint. Usque ad nostri fere saeculi initium quasi moris erat penes acatholicos, ut Vulgatam despicerent, atque pauci admodum fuerunt inter illos, qui aequius de ea iudicarent; hodie autem peritiores interpretes uno ore confitentur, non solum omnium latinarum versionum Vulgatam nostram esse optimam, sed inter reliquas quoque antiquas translationes eam primatum tenere, quum S. Hieronymus et puriore textu primigenio usus sit et eum maiore cum fidelitate reddiderit.

Ut igitur decretum nostrum ab adversariorum cavillationibus vindicemus, opus non est ad divinam Spiritus S. assistentiam provocare; quamprimum enim recte intelligitur, defensione nulla indiget. Ceterum per se patet, tantum abesse, ut hanc quoque legem, aeque atque ceteras, a Patribus tridentinis ex speciali divini Spiritus instigatione et cum eius speciali assistentia latam esse negemus, ut sine illa eam ferri non potuisse censeamus. Sed hoc demonstrare non est huius loci.

§ 19. — *De Vulgatae correctione romana.*

178. — Secundus abusus, cui Patres tridentini remedium afferendum censuerunt, corruptio fuit codicum et editionum Vulgatae, quae quanta tempore concilii fuerit ex paucis illis, quae *supra* (170) retulimus, luculenter patet. Optime autem Patres, sicut suo iam tempore Rog. Bacon, huic abusui mederi non posse viderunt, nisi summae, quae in Ecclesia est, auctoritati munus corrigendae Vulgatae committeretur. Decreverunt igitur, ut Scripturae posthac emendatissime imprimerentur, sed simul etiam Summum Pontificem rogaverunt, ut ipse per idoneos viros emendatissimam editionem curaret, quae omnibus pro exemplari esset. Sed hoc negotium multo facilius esse, quam revera erat, arbitrati sunt; sperarunt enim fore, ut emendatio sedente concilio terminata a se ipsis approbari posset[1]. Quae spes egregie eos fefellit; neque enim nisi plus quadraginta annis postquam suum desiderium Romano Pontifici expresserunt, et triginta fere annis post terminatum concilium Vulgata correcta in lucem prodiit. Nihilominus

toto isto tempore nihil omiserunt Romani Pontifices, ut Patrum tridentinorum desiderio satisfacerent; quanta autem cum diligentia et sollicitudine negotium hoc, quod summi momenti esse non sine ratione iudicarunt, sint aggressi et ad felicem exitum perduxerint, brevis conspectus historiae correctionis romanae docebit[2].

Vix tridentinum decretum de Vulgata emendanda promulgatum est, quum theologi lovanienses, ut novam et emendatam editionem pararent, omnes nervos intenderunt. *Ioannes Hentenius,* O. Praed., a facultate theologica electus, ut operi manum admoveret, tanta cum diligentia munus sibi demandatum exsecutus est, ut post annum iam *Biblia lovaniensia* in lucem emiserit. Ad quae praeparanda Roberti Stephani editionem optimam (*supra* 170) adhibuerat, sed triginta aliorum codicum varias lectiones addidit. Haud parva cum approbatione excepta ac saepius repetita est Hentenii editio[3]; sed post eius mortem facultas lovaniensis *Franc. Lucam Brugensem* elegit, qui a Ioanne Molano aliisque theologis adiutus opus hentenianum retractaret. Qui munere sibi iniuncto ita functus est, ut textu editionis prioris retento apparatum criticum sexaginta fere codicum variis lectionibus augeret[4]. Nova haec Biblia lovaniensia, quae etiam Antwerpiae ex officina plantiniana prima vice prodierunt, magnam quidem sibi acquisiverunt auctoritatem, sed Summorum Pontificum curam non reddiderunt superfluam. Haec tamen praemittenda duximus, quia illa Bibliorum lovaniensium editio, quam Lucas Brug. a. 1586. Antwerpiae typis describendam curavit, correctoribus romanis magno fuit auxilio.

1. In Congregatione generali die 1. April. habita a Patribus desiderium expressum est, ut Summus Pontifex exemplar correctum Tridentum mitteret (*Theiner* Acta genuina conc. trid. I. p. 79); quam facilem autem tridentini Patres hanc correctionem esse arbitrati sint, maxime elucet ex legatorum literis die 26. April. 1546 ad Card. Farnesium datis (*Vercellone* Dissertaz. accadem. p. 83): « La conclusione presa in la ultima congreg. gener. innanzi alla sessione sopra ciò, fu questa: che noi legati scrivessimo, come facemo per la presente, a S. Santità in nome del Sinodo, supplicando che gli piacesse con ogni celerità *di far corregere prima la nostra edizione latina, et poi anco la greca et la hebrea potendosi;* et che il medesimo si facesse ancor qui, senza rumore, da questi valenti homini che ci sono, acciochè poi, conferito l'una et l'altra fatica insieme, con la autorità di S. Santità et con l'approbazione del concilio (come è detto) si publicasse una Bibbia corretta a perpetua conservatione della nostra fede ». Duobus diebus antea Card. Cervinus iam scripserat: « Staremo adunque aspettando che voi ci mandiate *presto* una bella Bibbia corretta et emendata, per poter stamparla » (*Vercellone* l. c. p. 84).

2. *P. P. Ungarellius et Vercellone*, O. Barn., non minus erudite et solide quam fuse historiam hanc adhibitis omnibus, quae in archivis et bibliothecis romanis conservantur, documentis enarrarunt (*Vercellone* Lectiones variae Vulg. I. Prolegom. p. XVII-LXXVIII; cfr *eiusdem* Dissertaz. accadem. p. 57-96.).

3. De *Hentenii* recensione cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des versions du N. T. p. 135; *Le Long-Masch* Biblioth. II. 3. p. 223 sqq., qui viginti sex huius recensionis editiones recenset, quae Antwerpiae, Coloniae, Lugduni, Venetiis etc. typis sunt exscriptae.

4. Cur non satis de henteniana recensione contenti fuerint, lovanienses indicant in Praefat. editionis an. 1573 : « navavit quidem ante annos aliquot in conferendis ad manuscripta et castigandis Bibliis sane laudandam operam nostrae facultatis Doctor Ioan. Hentenius. Verum is, quum multas et non contemnendas Vulgatae editionis lectiones non reperit, tum eas, quas reperit, ad S. Scripturae fontes minime revocavit : ita factum est, ut loca plurima merito corrigenda eius diligentiam fugerint ». Novem huius recensionis editiones, ab anno 1573. usque ad an. 1594. in lucem emissas, enumerat *Le Long-Masch* l. c. p. 240 sqq.

Concilio tridentino vix terminato *Pius IV.* quatuor Cardinales deputavit, qui Vulgatae textum ad pristinam puritatem revocarent. Cui mandato obsecuti atque a Sirleto, qui illo tempore « linguarum hebraicae, graecae et latinae cognitione omnium facile princeps » habebatur [5], adiuti acriter rem sunt aggressi et aliquos codices (potissimum paulinum vel carolinum, quem Sirletus maximi fecit), conferendos curaverunt. Pii IV. successor *S. Pius V.* primo quidem loco libros liturgicos, Breviarium, Missale, Martyrologium, correctioni subiiciendos censuit, at congregatio ad Biblia emendanda per eius praedecessorem instituta ab incepto opere non destitit. Tantae quidem fuerunt difficultates, ut quasi desperabundus eo tempore *P. Salmeron* exclamaverit : « utinam labor in Vulgata recognoscenda et expurganda inchoatus per peculiarem ill. Cardinalium atque doctissimorum virorum deputationem a SS. D. N. Pio V. indictam tandem aliquando perficeretur » [6]! Verumtamen theologi, quibus collatio codicum demandata erat et inter quos praecipui illius aetatis interpretes romani Antonius Agellius et Emmanuel Sa fuerunt, lento gressu progrediendum esse rati sunt, ita ut a die 28. Aprilis ad usque 7. Decembris 1569. non nisi Genesin et Exodum absolverent; haud minus autem quam viginti sex sessiones generales impenderant, ut coram Cardinalibus congregationi praefectis de duorum istorum librorum lectionibus variis conferrent [7]. Tempore igitur S. Pii V. ad finem opus inchoatum perduci non potuit, nec felicius res sub *Gregorio XIII.* processit, qui correctionem librorum liturgicorum a praedecessore coeptam terminavit calendario emendato ac dein corpus iuris revisioni subiecit. Instigante tamen Card. Peretto, qui postea fuit Sixtus V., Gregorius decrevit, ut congregatio iam instituta, novis quibusdam suffectis consultoribus, inter quos Rob. Bellarminus, Petrus Morinus, Flamin. Nobilius praecipui erant, novam alexandrinae versionis editionem adornaret, quae Vulgatae corrigendae inserviret [8].

5. *I. A. Gabutii* De vita et rebus gestis Pii V. Romae 1605. p. 24; cfr *Vercellone* l. c. p. XXI.

6. *A. Salmeron.* Comment. in Evangel. hist. Proleg. 3. Coloniae 1612. I. p. 24.

7. Congregationis pianae membra enumerat *Vercellone* Dissertaz. accadem. p. 88; inter Cardinales praecipui fuerunt M. A. Columna, Gul. Sirletus, Lud. Madrutius, Ant. Carafa; cfr etiam Var. lect. Proleg. p. XXII et Appar. bibl. l. c. p. LXXIX. De codice paulino (carolino) Sirletus iam a. 1549 Card. Cervino scripsit cfr *Vercell.* Dissertaz. p. 89.

8. *Vercellone* Var. lect. p. XXIV.

Gregorium XIII. secutus est *Sixtus V.*, qui brevi suo quinque annorum pontificatu uti multis aliis praeclare gestis, ita etiam zelo, quem S. Scripturis emaculandis impendit, magnam sibi gloriam acquisivit. Postquam enim iam 2. pontificatus anno (8. oct. 1586) alexandrinae versionis editionem, qua meliorem hucusque non recepimus, ex vaticano potissimum codice exscriptam publici iuris fecit (*supra* 133), non minorem diligentiam et sollicitudinem, ut Vulgatae correctio terminaretur, adhibuit. Congregatio autem Cardinalium et theologorum huic negotio praeposita Pontificis ardorem et zelum aemulata est. Codices optimos Romae conservatos (paulin., vallicell., ottobon.), vel in Italiae bibliothecis repertos (amiat., avell., casinatenses), vel ex aliis terris accersitos (toletan., legion., belgicos) aut ipsa contulit aut conferendos curavit. Laelius, theologus Card. Antonii Carafae, lectiones e codicibus collegit, lectiones dubias Agellius cum hebraico et graeco textibus comparavit, seorsim singuli; deinde emendationes faciendae coram omnibus consultoribus (excepto Bellarmino, quem Sixtus honesta missione in Galliam amandaverat) praesidente Card. Ant. Carafa discussae sunt, illis, quae recipiendae videbantur, in margine Bibliorum lovaniensium (edit. a. 1583) adnotatis. Biennium assiduo huic labori est datum, priusquam Card. Carafa opus absolutum Summo Pontifici offerre potuit.

Congregationis sixtinae finis is fuit, ut versio hieronymiana, quoad eius fieri posset, ad pristinum suum statum revocaretur, « talisque prodiret, qualis primum ab ipsius interpretis manu styloque prodierat ». Quem in finem primo loco antiquissimos codices contulerunt easque omnes lectiones receperunt, in quibus vetustiores et meliores consentiebant. Eas vero lectiones, quae codicibus inter se dissentientibus definiri non potuerunt, operibus Patrum veterumque interpretum in auxilium adhibitis determinare conati sunt. Atque in iis demum, quae nec codicum nec Patrum auctoritate satis munitae videbantur, ad hebraeum textum graecumque confugerunt, « non eo tamen fine, ut inde latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum loco, quae, quum apud Latinos ambigua sint, potuissent quo non

oporteret inflecti, certum aliquid et indubitatum sufficeretur, sive ut quod variantibus codicibus inconstans, diversum ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi ipsorum fontium veritate perspecta sanciretur ».

Quae principia sane sapientissima sunt, nec dubium, quin optima evasisset correctio, si accurate observata essent. Sixtus ipse opus a Card. Carafa oblatum attente perlegit, textus, de quorum lectione congregatio certi quidquam statuere ausa non erat, perpensis omnibus rationibus quomodo legendi essent statuit, emendationes a congregatione factas partim approbavit, partim frustra resistente Card. Carafa reiecit. Etenim novum exemplar haud parum ab editione lovaniensi dissentiebat, quam magni faciebat Summus Pontifex, et congregatio praecipuum ducem habuerat codicem amiatinum, quem non tantopere Sixtus aestimabat. Exemplar a se ipso correctum tradidit Aldo Manutio typographo, cuius patrem Paulum iam Pius IV., ut Biblia imprimeret, typographiae vaticanae praefecerat; correctores autem nominavit Angelum Roccam Augustinianum et Franciscum Toletum S. I. ita tamen, ut ipse quoque omnia folia attentissimus perlegeret. Operi tanta cum diligentia instabant omnes, ut a. 1590. iam magnificentissimo volumine sit absolutum[9]. Editioni praecedit Sixti V. constitutio apostolica « Aeternus ille », in qua editionis fine indicato et historia narrata satis fuse explicat, quantam illi auctoritatem attribui voluerit, et quid ipse in ea concinnanda praestiterit. Ad alterum hoc quod attinet, aliorum quidem laborem fuisse asserit in colligendo et consulendo, suum autem in eo, quod ex pluribus optimum esset, eligendo, seque ipsum in hac laboriosissima emendatione « quotidianam operam eamque pluribus horis » posuisse. Auctoritatem vero illi talem attribui voluit, ut pro ipsa illa, quam tridentina synodus authenticam declaravit, haberetur, minime autem eam omnibus numeris censuit absolutam, quum eam « optime, *prout fieri potuit,* emendatam » appellet. Terminatae editionis exemplaria quaedam principibus catholicis dono transmissa sunt; editio vero ipsa nondum in lucem videtur prodisse, quum Sixtus V. mense Augusto 1590 e vivis sublatus est[10].

9. *Vercellone* l. c. p. XXV-XLV.

10. Biblia sixtina hoc duplici titulo sunt insignita : « Biblia sacra Vulgatae editionis tribus tomis distincta. Romae ex typographia apostolica vaticana 1590. » In altero folio : « Biblia sacra Vulgatae editionis ad concilii tridentini praescriptum emendata et a Sixto V. P. M. recognita et approbata. Romae ex typographia apostolica vaticana 1590 »; cfr *Le Long-Masch* Biblioth. II. 3. p. 239 sqq. De sixtina correctione cfr *Vercellone* Variae lectiones Vulg. I. Proleg. p. XXV. sqq.

Operae pretium nobis facere videmur, si integram Sixti V. constitutionem

« *Aeternus ille* » huic tractatui inserimus. Quum enim in Bullarium non sit recepta, satis raro invenitur (*Hodius* De biblior. text. p. 495 sqq. eam exhibet); non parvi tamen momenti est in Vulgatae historia, et theologis etiam utilis esse potest, postquam ultimis his temporibus acatholici quidam ex illa contra infallibilitatem Summi Pontificis argumenta desumere conati sunt. Ex magnifico sixtinae editionis exemplari, quod in museo barberiniano (C. C. C. VI. 20) asservatur, accurate eam transcripsimus, orthographiam et interpunctionem primitivam retinuimus; ad faciliorem tamen eius intelligentiam varias Bullae partes a nova linea inchoavimus eosque textus, qui maioris videntur esse momenti, aliis typis imprimendos curavimus. Num illa, quae in fine constitutionis de eius promulgatione praescribuntur, impleta sint, non constat; in archivo secreto vatic. post diligentem investigationem non repertum est nisi alterum eiusdem constitutionis impressae exemplar, quod Card. Prodatarii et secretarii eius subscriptiones gerit, nihil autem de promulgatione facta continet. Notandum est, constitutionem datam dici *Calendis Martii* 1589, at illo die Bibliorum impressio vix fuit inchoata. Etenim *die* 3. *Iulii* 1589. Sixtus ipse narravit legato Venetiarum, mox se opus esse terminaturum; se in correctione usque ad Apocalypsin pervenisse, librum autem Sapientiae sub typographorum praelo versari (*Hübner* Sixtus V. Leipzig 1871. II. p. 69 sq.); vix igitur dimidia pars mense Iulio terminata fuit. Integrum autem opus impressum non statim in lucem edi potuit, quia satis multa errata erant corrigenda, in singulis autem exemplaribus singula menda aut foliolis agglutinatis aut calamo corrigebantur; quae correctionis ratio multum absumsit tempus. Quocumque autem die data dicitur, constitutionem auctoritatem ante terminatam editionem acquirere non potuisse in aperto est; quatuor igitur et octo illi menses, de quibus in eius fine sermo est, non erant numerandi nisi post illum diem, quo editio publica cum auctoritate in lucem est emissa; maxima vero cum probabilitate asseri potest, Sixtum ultimum suum diem obiisse, antequam editio omni ex parte erat terminata. Constitutionis vero textus est hic :

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Aeternus ille coelestium, terrestriumque rerum omnium conditor, ac moderator Deus, Ecclesiam sanctam, veluti deliciarum Paradisum, sua ipsemet dextera, tanquam providus Agricola, variis plantis, stirpibusque mirifice consevit, simulque uberrimo sacrarum eamdem scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis, in universum terrarum orbem diffuso, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quae sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita a tribus illis potissimum enunciarentur linguis, quae in omnium auribus nationum maxime percrebuerunt, nec non sanctissimae crucis titulo consecratae, Salvatoris nostri regnum, hebraeis, graecis, ac latinis literis praedicarunt. Verum callidissimus ac nequissimus humani generis hostis, cuius invidia mortis aculeus, cuius superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut coelestem divini verbi sementem, quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret, aut exstirparet enatam, aut adultam vitiaret; id vero praecipue omni conatu, ac machinatione tentavit, ut sacrorum quaedam corruptissimae Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque

non in haereticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec plane laudabile studium, et quasi libido scripturas Latine interpretandi, idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta ac multiplici versionum diversitate et varietate sumpta occasione, sic miscere omnia, atque in dubium revocare, et, si fieri posset, rem eo perducere contendit, ut, dum scripturarum verbis diversi interpretes aliam atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc saeculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum Chaos rediremus, de quo B. Hieronymus inquit : Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices : et unus quisque pro arbitrio suo addidit, vel subtraxit, quod ei visum est, et utique non potest verum esse, quod dissonat. Itidemque S. Augustinus dixit, latinos interpretes nullo modo numerari posse. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus et aliquantulum facultatis sibimet ipsi utriusque linguae habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo Sacrosancta Tridentina Synodus mederi cupiens statuit, ut ex omnibus, quae circumferuntur s. librorum Latinis editionibus ipsa Vetus, ac Vulgata, quae longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Haec autem Vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodammodo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut veterum Codicum, aut sanctorum Patrum invexisset auctoritas, plurimae nihilominus vel ex iniuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temere emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Ecclesiae filii cum sint, minus tamen Ecclesiae Doctoribus, quam Iudaeorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt : vel demum ex Haereticorum scholiis ad marginem, captiosisque fallaciis obrepserant. Et, quamvis *in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit quod fidei, et morum causis tenebras offundere potuerit,* verendum tamen fuit, ne crescente magis, ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate haec probatissima scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contra, schismatis, et haeresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quaestionum, discordiarum seges, et piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in septuaginta interpretum Graeca editione B. Hieronymus, in Latina vero S. Augustinus olim accidisse commemorant.

Tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam Editionem nostram manaret, sapienter eadem Oecumenica Synodus Tridentina decrevit, ut haec ipsa Vetus, et Vulgata editio posthac quam emendatissime imprimeretur. Verum quia nihil profuisset huius Editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius quae germana esset lectio

nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tamquam validissimus mucro districtus fuerat, idem et clypeus fieri posset, quo debilitati iam caesique hostis latera tegerentur.

Id igitur nos indigne ferentes, eoque indignius, quod per hosce iam viginti duos annos, qui a dicto Tridentini Concilii decreto ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet huiusmodi opus aliquando coeptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quanto magis et ab omnibus Dei ecclesiis expetitur, et a synagogis Satanae reformidatur : quum primum ad Apostolicam B. Petri sedem divina nos miseratio meritis licet imparibus, evocavit, nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore optatissimam istam Vulgatae editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui S. Scripturarum, S. Theologiae, multarumque linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum usu, acrique cum aliquid discernendum est, iudicio ac solertia praestarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germana, sinceraque s. textus editione perquirenda, strenue laborarent, nobisque adiumento forent.

Nos enim rei magnitudinem perpendentes ac proinde considerantes ex praecipuo, ac singulari Dei privilegio, et ex vera, ac legitima successione Apostolorum Principis B. Petri, pro quo Dominus ac Redemtor noster, ab aeterno Patre pro sua reverentia procul dubio exauditus, non semel tantum sed semper (*a*), rogavit ut eius fides, non humana carne, et sanguine, sed eodem Patre inspirante ei revelata, nunquam deficeret : cui etiam Dominus iniunxit ut ceteros Apostolos in eadem fide confirmaret : qui denique, sicut confidimus, divinam pro nobis opem usque ad consummationem saeculi, Ecclesiae Catholicae promissam implorare non cessat, *ad nos in eiusdem Petri Cathedra, in qua eius vivit potestas et excellit auctoritas, Deo sic disponente constitutos, totum hoc iudicium proprie ac specialiter pertinere*, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato et ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctae Dei Ecclesiae utilitatem *haudquaquam gravati sumus, inter alias Pontificiae sollicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratae lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quae alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, sanctorum Doctorum sententias recognoscere : quae quibus anteferenda essent, diiudicare, adeo ut in hoc laboriosissimae emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo,*

(*a*) Vox « semper » (vel potius abbreviatio : sep) in foliolo agglutinato legitur; prima lectio fuit « *ter* », quae quum sensum aptum non praeberet (ubi enim Christus *ter* pro Petro orasse narratur?) postea mutata est in « semper ». Eandem correctionem agglutinatam exhibet exemplar in archiv. vatic. conservatum.

quod ex pluribus esset optimum, deligendo : ita tamen, ut Veterem multis in Ecclesia abhinc saeculis receptam lectionem omnino retinuerimus.

Novam interea Typographiam in Apostolico Vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnifice exstruximus, atque ad eius curam, Congregationem aliquot S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, et insigne Collegium doctissimorum virorum fere ex omnibus Christiani orbis nationibus, et celeberrimis studiorum Generalium universitatibus, amplis, opulentisque redditibus donatum deputavimus, ut in ea emendatum iam Bibliorum volumen excuderetur; eaque res quo magis incorrupte perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua praelo vitia obrepserant, *et, quae confusa, aut facile confundi posse videbantur, ea intervallo scripturae, ac maioribus notis, et interpunctione distinximus.*

Ceterum ne nostri, hujus consilii, institutique rationes ignorentur, sed potius universae Ecclesiae Catholicae, ipsique posteritati notissimae, ac testatissimae relinquantur, cunctique facile intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quae lex ac methodus inita, quae indagandi veri norma a nobis servata sit, illud sane omnibus certum, ac exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias *nunquam eo spectasse, ut nova Editio in lucem exeat, sed ut Vulgata Vetus ex Tridentinae Synodi praescripto emendatissima pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu, styloque prodierat, quoad eius fieri potest, restituta imprimatur.*

In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum, probatorumque codicum Latinorum fidem, quos tam impressos, quam manuscriptos, ex bibliothecis variis conquirendos curavimus. *In quacunque igitur lectione plures vetustiores atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea iure optimo tamquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus.*

Id vero ad germanam editionem constabiliendam praesidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum *Patrum, veterumque expositorum enarrationes,* quibus diversa scripturarum loca, et libros illustrarunt, *subsidio fuere :* in quibus, quidquid e re nostra observatum fuit, id in huius operis partem adscitum est.

In iis tandem, quae neque codicum, neque Doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebraeorum, Graecorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quae cum apud Latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, et indubitatum sufficeretur, sive ut, quod apud nos variantibus codicibus inconstans, diversum, ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi ipsorum fontium veritate perspecta sanciretur. Sapienter enim B. Hieronymus, in explanandis s. scripturis Doctor maximus, admonebat, ut quemadmodum in novo Testamento, si quando apud Latinos quaestio exoritur, et est inter exemplaria varietas, ad fontem Graeci sermonis, quo novum Testamentum est scriptum, recurri solet : ita si quando inter Graecos, Latinosque diver-

sitas est in veteri Testamento, tunc ad Hebraeam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte profiscicitur, hoc quaeramus in rivulis : quod etiam B. Augustinus iis, qui scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. *Laudabilem itaque S. Patrum consuetudinem religiose secuti sumus, dum in iis, quae apud Latinos nimis ambigue dicta, seu variata habentur, Hebraeae, Graecaeque linguae fidem et codices inspeximus;* sed ne id licentius fieret, quam aequum erat, solers cautio adhibita fuit.

Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque Latinas huius Editionis voces, ac locutiones, proprie, aut eleganter, aut perspicue, aut breviter, aut copiose magis, aut tamquam verbis ad verba demensis, a Latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium, et angusta concertatio videtur : neque enim tanti sunt, ut non iis et antiquioris Ecclesiae religio, et sanctissimorum Patrum iure anteponatur auctoritas; prorsusque indignum est, B. Gregorio teste, ut sub Donati regulis verba coelestis oraculi restringantur; ac tanta per se est Vulgatae Editionis auctoritas, tamque excellens praestantia, ut maiorem desiderare, penitus inane videatur.

Qui namque in ea libri continentur (ut a maioribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi, et antiquissima quadam editione Latina, quam S. Hieronymus Vulgatam editionem, B. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem translationem appellant, quam sanctus itidem Augustinus ceteris, quae tunc plurimae in usu erant, etiam praeferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiae, partim ex S. Hieronymi translatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum Interpretis dignitatem agnoscit.

Fuit enim S. Hieronymus (ut inter ceteros idem B. Augustinus testatur) Graeco, Latino, et Hebraeo eruditus eloquio, et ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, literisque sacris, ad decrepitam usque vixit aetatem : atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Ecclesiastica scripserant, pene vidit, aut legit : eumque non modo Augustinus, Chromatius, Paulinus, ceterique sanctissimi Episcopi, sed etiam Damasus Pontif. Rom. de scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in s. scripturarum praesertim scientia, adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam, nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, et doctissimos quosque in Gallia audiverit : Constantinopoli Gregorium Naz., Alexandriae Didymum, et alios alibi conquisiverit, usus denique clarissimis Hebraeae linguae Magistris : non enim uno aliquo Doctore contentus fuit, sed plurimos, eosque eruditissimos adhibebat : non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quinimo et loca ipsa, quae in scripturis saepe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam scripturarum summopere sibi profuisse testatur.

Quicunque igitur tanti Interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, Magistros, labores, illud, in quo vixit, saeculum, cum linguarum

omnium ac praesertim Hebraeae studia florerent, diligenter spectaverint; facile iudicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, aut etiam meliora, seu paria praestare se posse confidunt. Multo sane rectius S. Isidorus, Ven. Beda presb., S. Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rhabanus Maurus, S. Anselmus, B. Bernardus, Haymo, Richardus et Hugo Victorini, Petrus Cluniac., Rupertus Abbas, aliique complures egregii doctores, qui per mille abhinc annos in Ecclesia claruerunt, qui Hieronymi versione ita in omnibus disputationibus; enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut ceterae, quae pene innumerabiles erant, quasi lapsae de catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideoque legimus apud S. Isidorum, quoniam de Hebraeo in Latinum eloquium sanctus tantummodo Hieronymus s. scripturas convertit, eius Editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, eo quod veracior est in sententiis, et clarior in verbis. Et ante Isidorum B. Gregorius M. fere idem senserat. Nec Latini modo Patres, sed Hebraei quoque Graecique, cum Latinos alios interpretes negligant aut ignorent, Hieronymum tamen amplissimo suo testimonio, et honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebraeis idem Augustinus; de Graecis autem ipsemet S. Hieronymus scribit, a Sophronio viro optime erudito Psalterium et Prophetas, quos Hieronymus ex Hebraeo in Latinum verterat in Graecum eleganti sermone translatos fuisse.

Quemadmodum ergo laudabile est, ubicunque nostri Codices ipsi per se aut conciliari, aut intelligi non possunt, linguarum externarum praesidia quaerere : ita, cum id necessarium non est, levissimis de causis maiorum nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum, vetustissimamque Ecclesiae consuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciaque censenda est. Atque idcirco B. Hieronymus, qui Hebraeos, Graecosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet; idem etiam sentit, eo non nisi parce, et quanto rarius fieri potest (ne quae longe recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Qua de causa, ad novi Testamenti translationem, quamvis hortante Damaso Pontifice, tardior fuit pium appellans laborem, sed periculosam praesumtionem iudicare de ceteris, ipsum ab omnibus iudicandum, senis mutare linguam et canescentem iam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen sumserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare, quod lectitat, non statim erumpat in vocem, falsarium illum clamitans, et sacrilegum, qui audeat in veteribus literis addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Ionae cucurbita, quae in Veteri Editione legebatur; pro qua cum Hieronymus hederam posuisset, quodam in Africa episcopo interpretationem Hieronymi in Ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus in plebe propter unius verbi dissonantiam, ut coactus sit episcopus, ne sacerdotio deiiceretur, damnare quod legerat. Quare merito S. Tridentina Synodus veteris Vulgatae Editionis libros non aliter, quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit.

Nos autem ut haec Vetus Editio, quae nunc prodit nostrô excusa praelo, eiusdem Synodi praescripto modis omnibus responderet, non solum veteres,

et ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam apocrypha reiecimus, authentica retinuimus. Nam tertium et quartum Esdrae libros inscriptos, et tertium Machabaeorum, quos Synodus inter canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc praedictis Cardinalibus Congregationis super Typographia Vaticana deputatae, ab hac Editione prorsus explosimus. Orationem etiam Manassae, quae neque in Hebraeo, neque in Graeco textu est, neque in antiquioribus manuscriptis Latinis exemplaribus reperitur; sed in impressis tantum post librum secundum Paralipomenon affixa est, tamquam insutam, adiectam, et in textu s. librorum locum non habentem, repudiavimus. *Nonnullas etiam aliquando sententias, quae aliunde accersitae Vulgatae Editioni interpositae erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in S. Patrum Commentariis inveniebantur, delevimus.*

Hanc denique Editionem a variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accurate emendavimus, et purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque vero est, quod quisquam miretur, si aliqua s. scripturae loca aliter in sanctis quibusdam Doctoribus legerit, quam in hac Editione conscripta sunt. Nam Ambrosius, Augustinus, et alii plurimi septuaginta Interpretum editionem plerumque secuti fuerunt.

Ad laudem igitur et gloriam omnipotentis Dei, Catholicae fidei conservationem, et incrementum, ac sacrosanctae universalis Ecclesiae utilitatem, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, de eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Typographia Vaticana deputatorum consilio, et assensu, quorum opera, et industria, in hac ipsa Vulgatae Editionis emendatione, in rebus praesertim gravioribus usi sumus, et *ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam sacrae tam veteris, quam novi Testamenti paginae Latinam Editionem, quae pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam, et in Vaticana typographia impressam, in universa Christiana Republica, atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali S. Ecclesiae, ac SS. Patrum consensione, deinde vero Generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apostolica nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, et indubitata in omnibus publicis, privatisque disputationibus, lectionibus, praedicationibus, et explanationibus recipiendam et tenendam esse.*

Districtius vero inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus novae Vulgatae Editionis posthac Bibliorum sine expressa Apostolicae Sedis licentia textus imprimatur : neve quisquam privato aut peculiari suo sensu aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam Veterem Vulgatam a nobis, ut praefertur, restitutam Editionem, intra decem annos a Dat. praesentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi quam in nostra Typographia Vaticana, imprimere audeat, vel praesumat. Elapso autem praefato decennio eam cautionem adhiberi praecipimus, ut nemo s. scripturas typis mandare praesumat, nisi habito prius exemplari in Typographia

Vaticana excuso, eodemque Inquisitoris haereticae pravitatis eius Provinciae vel, si Inquisitor in ea Provincia non sit deputatus, Episcopi eiusdem loci manu propria subscripto, iuxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Postquam vero libri sacri sic fideliter excusi fuerint, nec tunc quidem edantur aut evulgentur, nisi prius delato rursus ad Inquisitorem, vel, deficiente Inquisitore, ad Episcopum exemplari ab eis antea subscripto, iidem libri iuxta illud impressi, cum eo diligenter et accurate collati, et Inquisitoris, vel, in eventum praedictum, Episcopi signo aut chirographo, quod inter se prorsus concordent, fidem faciente, et attestante, approbati extiterint.

Verum, quoniam ex variis, quae hactenus ad marginem adscribi consueverant, lectionibus illud sequitur incommodi ac molestiae, quod, cum primum huiusmodi varietas oculis obiicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quae in Codicibus dissonant, inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate scripturas inoffenso pede percurrere, et ea quasi silva diversitatis oblata, quae quibus praeponenda sint, internoscere; Nos optimum factu, piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiae filii ab his perplexitatibus, *eiusdem Ecclesiae iudicio,* liberentur, utque eos, quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem Spiritus copulare; Auctoritate et tenore praemissis mandamus, ut Vulgatae Editionis Biblia posthac non nisi uniformia imprimantur, nec aliquid a textu diversum in margine scribatur.

Quae vero antehac quibuscunque in locis impressa sunt, iuxta hunc nostrum textum ad verbum, et ad literam corrigantur. Idque tam in impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis B. Mariae V., Psalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Ceremonialibus, et aliis Ecclesiasticis libris, quoad eas tantum scripturae lectiones, et verba, quae ex Vulgata editione sumta, atque in iisdem libris inserta fuisse constat; ubique servetur.

Si quis autem Typographus in quibusque Regnis, Civitatibus, Provinciis et locis tam nostrae et S. R. E. ditioni in temporalibus subiectis, quam non subiectis, Biblia sacramque scripturam intra decennium praedictum quoquo modo; lapso autem decennio aliter quam iuxta huius modi exemplar ab Inquisitore, seu, in eius defectum, ab Episcopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita, vel detracta, aut ad marginem vel in textu adscripta, etiam per modum scholiorum, annotationum, vel glossae, typis mandare aut sic quidem codices impressos, et emendatos, sine tamen signo dicto, et attestatione, quod cum priori exemplari, sibi, ut praefertur, tradito concordent, vendere, venales habere aut alias edere, vel evulgare, aut si quis Bibliopola a se, vel ab aliis quibusvis, etiam ad hunc usque diem, vel in futurum, ante vel post Dat. praesentium litterarum, impressos libros, seu imprimendos, a praefata per nos restituta, et correcta Editione in aliquo discrepantes, vel iuxta eam ad unguem non emendatos, ac simili Inquisitoris, seu Episcopi subscriptione non approbatos, seu cum additionibus,

aut variis lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere vel evulgare praesumserit; is, qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostrae huic Constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum, et alias temporales, arbitrio infligendas poenas, etiam maioris excommunicationis sententiam eo ipso incurret, a qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam pro tempore existente Rom. Pontifice absolvi non possit.

Quod si Inquisitor aut Episcopus aliud exemplar ab eo, quod in Vaticana typographia impressum est, quoquo modo discordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impressum suo signo, aut subscriptione approbaverit, quod revera ab eo discordet; in eum, si Antistes fuerit, etiamsi Archiepiscopali, Primatiali, Patriarchali, vel alia maiori praefulgeat dignitate, interdicti ingressus ecclesiae; si autem inferior, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam ex nunc per praesentes ferimus, ita ut ab alio, quam a Rom. Pontifice absolutionis, aut relaxationis beneficium consequi nequeat. Et nihilominus tam Inquisitor, seu Episcopus ipse, qui huiusmodi libros a praefata impressione Vaticana differentes approbaverit, quam etiam Typographus seu Bibliopola, qui nostris superius expressis praeceptis ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in Congregatione Cardinalium S. Romanae et universalis Inquisitionis adversus haereticam pravitatem pro tempore deputatorum, seu coram Iudice vel Iudicibus ab eadem Congregatione delegatis, de huiusmodi facto in districto iudicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpae severis poenis eiusdem Congregationis seu Iudicis vel Iudicum ab ea deputandorum arbitrio puniatur.

Ceterum *si manuscripta vel impressa Biblia huius etiam Vulgatae Editionis,* ob characterum venustatem, seu ob aliquod insigne codicis ornamentum, sive ob impressionis praestantiam, vel ob notationes ad marginem scriptas *asservantur, et iuxta nostrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quae huic nostrae Editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse decernimus, ac declaramus.*

Mandantes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum et locorum etiam Regularium Praelatis, per universum orbem constitutis, ut praesentem Constitutionem in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, Civitatibus, Dioecesibus, et Iurisdictionibus curent perpetuo firmiter, et inviolate ab omnibus observari, contradictores, et inobedientes per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, atque in Generalibus, Provincialibus vel Synodalibus Conciliis editis, necnon quarumcunque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Universitatum, etiam Studiorum Generalium, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore

pacifice observatis, Privilegiis quoque, Indultis et literis Apostolicis, illis, eorumque vel earum Praelatis, Superioribus et personis per quoscunque Rom. Pontifices, Praedecessores nostros, ac Nos, et Sedem praedictam motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, et alias sub quibuscunque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, et saepius approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi de consensu certarum personarum, vel nisi sub certis modo et forma inibi expressis, derogari possit et alias factae derogationes nullae sint eo ipso, ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret. Tenores huiusmodi pro expressis habentes ad effectum praesentium dumtaxat, derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus praemissa in aliquo suffragari; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem praesentes literas in valvis Basilicae Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae de more publicari et intra quatuor menses, eos, qui citra montes sunt; qui vero ultra montes, intra octo menses a die publicationis huiusmodi numerandos, perinde arctare, et afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent : Decernentes ut earum transsumtis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, ac sigillo Praelati Ecclesiastici obsignatis, eadem ubique habeatur fides, quae ipsis originalibus exhibitis, vel ostensis haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae *MDLXXXVIIII* Kalendis Martii, Pontificatus nostri anno Quinto. »

179. — Sixtina correctio tantum abfuit, ut omnium suffragia ferret, ut vehementissime impugnaretur. Congregationis enim consultores parum fuerunt contenti, quum maiorem emendationum suarum partem a Pontifice neglectam viderent, quippe qui, regulis illis quas ipse dederat spretis, magis ad lovaniensem editionem, quae fere integra a corrupto textu parisiensi dependet, quam ad antiquissimorum codicum fidem textum emendasset. Externa autem species quoque editionis ea erat, quae multos offenderet; in nonnullis enim exemplaribus errata typographica aut schedulis agglutinatis aut literis quibusdam abrasis aut adscriptis calamo literis correcta erant, in aliis relicta[1], ita ut

clare appareret ultimam manum operi nondum esse appositam. Quare postquam Sixti V. successor immediatus Urbanus VII. iam 13. post electionem die morte abreptus eique *Gregorius XIV.* mense Decembri 1590. suffectus est, congregationis sixtinae consultores Pontificem rogarunt, ut rumores, qui de editione spargi coepti erant, aliis praeproperam defuncti Pontificis correctionem accusantibus, aliis typographo quasi indiligenter opus suum absolvisset succensentibus, quomodocumque sedare studeret. Annuens consultorum votis Gregorius ad rem componendam animum applicuit sententiasque rogavit, quid facto esset opus, num libere evulganda sixtina editio, an in meliorem statum redigenda. Ceteris censentibus, opus sixtinum publice esse proscribendum, Bellarminus, qui quamquam congregationis membrum esset eius tamen laboribus non interfuerat, alteram sententiam suggessit, ut ipse in sua autobiographia refert : « Anno 1581, inquit, quum Gregorius XIV. cogitaret, quid agendum esset de Bibliis a Sixto V. editis, in quibus permulta erant perperam mutata, non deerant viri graves, qui censerent ea publice esse prohibenda; sed N. (i. e. Bellarminus) coram Pontifice demonstravit, Biblia illa non esse prohibenda, sed ita corrigenda, ut salvo honore Sixti V. Biblia illa emendata proderentur; quod fieret, si quam celerrime tollerentur, quae male mutata erant et Biblia recuderentur sub nomine eiusdem Sixti et addita praefatione, qua significaretur sub nomine eiusdem Sixti, prae festinatione irrepsisse aliqua errata vel typographorum vel aliorum » [2].

Quod consilium quum placuisset omnibus, Gregorius novam instituit congregationem septem Cardinalium et duodecim theologorum, qui sixtinam editionem ad trutinam criticam revocarent. Praesidebat Card. Marc. Ant. Columna sen., inter theologos praecipui erant Ant. Agellius, Rob. Bellarminus, Petr. Morinus, Franc. Toletus, secretarii munere fungebatur Aug. Rocca. Ter singulis hebdomadis conveniebant, bis quidem consultores soli cum Card. Columna, semel vero generalis habebatur consessus : « in quo legitur textus de verbo ad verbum. In varietate lectionum consuluntur Biblia elaborata et impressa ab universitate lovaniensi, nec non hebraica et graeca, et manuscripta quae in volumen unum collecta sunt in aedibus Card. Carafae bonae memoriae (sc. a sixtina congregatione). Si qua sese offerunt dubia in congregationibus privatis aut minoribus, ad congregationem generalem deferantur. De iis autem, quae deliberari nec item possunt in congregatione generali, fit verbum cum Sanctissimo Domino, cuius est deliberare ac statuere, quidnam agendum sit » [3].

Canones quinque statuit Gregorius, quos correctores in sua textus

recognitione prae oculis haberent; quatuor ex istis solam sixtinam editionem respiciunt, quintus e generalibus criticae artis regulis profluens gregorianae correctionis characterem indicat. Pontifex igitur praescripsit 1) « *ut ablata restituerentur* »; omiserat enim Sixtus monita illa, quae ante deuterocanonicas partes Estheris et Danielis ab ipso S. Hieronymo videntur adiectae, item hebraicos librorum titulos atque versus paucos in Utroque Test.[4]. 2) voluit Gregorius « *ut adiecta removerentur* »; nonnulla enim, quae sixtini correctores relinquenda censuerant, Sixtus ipse, ne sua editio nimium a lovaniensi discreparet, retinuerat contra fidem codicum antiquissimorum et hebraici textus[5]; pleraque ex his novi correctores deleverunt. 3) praescripsit «*ut immutata considerarentur vel corrigerentur* » secundum ea nimirum, quae sixtini correctores iam e codicibus aliisque criticae adminiculis collegerant; 4) « *ut punctationes perpenderentur* »; versuum enim distinctionem, quae a Rob. Stephano in editione an. 1548 invecta iam communi usu recepta erat, mutaverat Sixtus; nova autem congregatio omnibus bene perpensis antiquam retinendam iudicavit. Quintus demum et praecipuus canon hic erat: « Postremo denique deliberatum fuit, ut haec regula in emendandis Bibliis observaretur, hoc est, *ne fieret mutatio, nisi cogeret necessitas*, et praesertim (ne fieret), quum variae voces idem significant, ut v. gr. *ergo* pro *igitur* et id genus alia. Quum vero variant sensum, ut *fortem* pro *fontem* et e converso et alia id genus permulta, tunc ad manuscripta antiquiora, ad codices sc. latinos et graecos atque hebraicos iuxta regulas ab Augustino et ab aliis traditas, nec non ad s. Doctores et Patres confugiendum est »[6].

Quos canones secuta properavit quidem pro viribus opus suum congregatio neque tamen multum profecit; nam et sententiarum varietas et examinis ipsius ratio, quod coram integra congregatione faciendum erat, rem in longum ita protraxit, ut quadraginta integros dies in solius Geneseos emendationem impenderint. Quod aegre ferens Summus Pontifex ex congregationis membris duos elegit Cardinales, Ant. Carafam sen. et Guil. Alanum, et octo theologos, Barth. Mirandam, O. Praed., Andr. Salvener, O. S. Ben., Ant. Agellium, O. Theat., Rob. Bellarminum S. I., Bartholom. Valverdium Hisp., Lael. Landum Suess., Petrum Morinum Gall., Angelum Roccam, O. S. Aug., qui ab Urbe secedentes et in aedes Card. Columnae in oppidum Zagarolo sese recipientes integrum suum tempus corrigendae editioni impenderent. Feliciter res haec processit; quum omnia a praecedentibus congregationibus bene praeparata essent, undeviginti dierum spatio totum opus absolverunt, atque mense Octobri 1591 Romam reduces Gregorio correctum exemplar obtulerunt[7].

1. In exemplari musei barberiniani hae correctiones inveniuntur in Isaiae vaticiniis: *Is.* 14, 11 (16) in foliolis agglutinatis correcta sunt « *inclinentur* » (pro « inclinabuntur ») et ultimae quinque literae verbi « prospiciant » (pro « prospicient »); phrasi enim praemittit coniunctionem « ut »; 26, 16 (19) in vocabulo « tribulationem » ultima litera *m* erasa et dein atramento cooperta est; 40, 11 (12) in verbo « liberavit » litera *e* calamo deleta est. Similia de duobus exemplaribus viennensibus refert *Hug* Einl. I. p. 488; in eo tamen non accurate attendisse videtur, quod *Tit.* 2, 1 primam scriptionem « pudiei » fuisse censet; legebatur enim « pudieci », et litera superflua, quae lineam incipit, in exemplari barberiano atramento cooperta est.

2. Cfr *Vercellone* l. c. p. XLVI.

3. Ex autogr. *Aug. Roccae* conservato in bibl. angelica; *Vercell.* l. c. p. LI.

4. Omissi erant in sixtina editione *Num.* 30, 11. 12. 13; *Iudic.* 17, 3; *Prov.* 25, 24; *Matth.* 27, 35; quorum tamen omissio (excepto *Matth.* 27, 35, de cuius genuinitate non constat, quum quaedam ex *Ioan.* 19, 24 inserta videantur) typographico errori haud dubie adscribenda est.

5. Ex. gr. 1 *Reg.* 24, 7 ex 26, 10. 11 inserti erant duo versus etc.

6. *Vercellone* l. c. p. LI sq.; LIV sqq.

7. *Vercellone* l. c. p. LX; *Kaulen* Gesch. d. Vulg. p. 465 n. Inscriptio in aula aedium zagarolensium memoriam huius correctionis conservat; quum autem non nisi an. 1723. exarata sit, pro documento historico haberi nequit, atque dubitare licet, num undeviginti diebus opus absolvi potuerit.

180. — At Gregorius XIV. eiusdem mensis Octobris die 14. supremum diem obiit eiusque in pontificatu successor Innocentius X. eum iam die 30. Decembris in morte secutus est. Unde novae morae. Demum mense Ianuario 1592 electus est *Clemens* VIII., cui post praedecessorum tot consilia et labores, post iteratas virorum eruditissimorum examinationes, dubitationes, disceptationes contigit Vulgatae versionis emendationem firmare et determinare. Vix enim pontificalem cathedram ascendit, quum duos Cardinales, Fredericum Borromeum et Augustum Valerium, elegit, qui una cum P. Toleto negotium hoc difficillimum ad finem perducerent; Cardinales autem soli Toleto rem reliquerunt. Qui in sixtinae editionis exemplari « spatiosis foliis impresso » ad singulos textus adnotavit, quae priores emendandum censuerant, suamque adiecit de proposita emendatione sententiam, quam non tulit nisi praecipuis codicibus (amiatino et paulino) et editionibus (lovaniensi, complutensi, regia, quae est in polyglottis antwerp., ordinaria i. e. textu illo, qui una cum Glossa ordinaria edi solebat) consultis. Die 28. Augusti 1592 adnotationes suas Cardinalium examini subiecit, approbatasque Toleti et congregationis gregorianae emendationes Ang. Rocca, prioris congregationis secretarius, in aliud exemplar sixtinum transcripsit, quod typographo erat tradendum.

Sed ecce, nova exorta est difficultas. Barthol. Valverde enim, unus e gregorianis consultoribus, quum hebraico textui addictissimus

aegre ferret, non ubique ad massorethici exemplaris fidem latinam versionem esse renovatam, supplicem Clementi tradidit libellum, in quo plus ducentos textus ab omnibus correctoribus neglectos vel non recte diiudicatos esse conquerebatur. Benigne excepit preces Pontifex, sed viris gravibus in consilium adhibitis atque per se negotio diligenter perpenso perpetuum silentium Valverdio imponendum decrevit[1].

Superatis tandem difficultatibus omnibus exemplar correctum typographo tradi iussit Pontifex, « iudicio, inquiens, P. Francisci Toleti S. I. committimus eique nostram hac in re auctoritatem impertimur, emendationem vero typographicam Fr. Angeli Roccensis Augustiniani fidelitati et industriae demandamus »[2]. Tanta vero cum celeritate maturata est eius impressio, ut ante finem an. 1592 in lucem prodierit[3].

Externa novae editionis species eadem prorsus erat, quae sixtinae; namque non tantum ab eodem typographo Aldo Manutio, qui priorem impresserat, iisdem, quibus illa, characteribus est excusa, sed eundem quoque titulum prae se fert : « Biblia sacra Vulgatae editionis Sixti V. Pont. Max. iussu recognita atque edita »; nomen autem Clementis VIII. non nisi ab anno 1638. titulo addi coeptum est[4]; nihilominus rectissime hodie *clementina* vocari solet, quum Clementis VIII. auctoritate nitatur. A priore enim sixtina quam maxime differt; non sola enim menda typographica sixtinae erant correcta, id quod in clementinae praefatione adnotatur, sed fere ter mille textus mutati[5]. Unde haeretici auctoritatis pontificiae impugnandae ansam arripuerunt[6], at difficilis non fuit calumniarum istarum refutatio, quum omnes sixtinam inter et clementinam differentiae fidem et morum doctrinam ne minimum quidem tangant. In genere autem dicendum est, clementinam, si textus puritatem spectas, sixtina multo esse superiorem, quamvis ne ipsa quidem omnibus numeris absoluta et perfecta dici possit, quum haud paucas lectiones textus parisii retineat.

Ingenue hoc ipsa fatetur clementinae praefatio, quae Bellarmino et Toleto auctoribus tribuitur, rationesque simul indicat, cur nonnulla, quae mutanda videbantur, consulto immutata sint relicta; inter quas sane illa maximi est momenti, quod offensionem populorum nimiis mutationibus excitare noluerint correctores[7]. Quare quam primum illa iam non amplius erit timenda, nova quaedam correctio, dummodo legitima ab auctoritate proficiscatur, illas quoque maculas, quae remanserunt, abstergere poterit. Optime igitur monet Bonfrerius bonum esse ab interpretibus ea, quae mutanda censent, adnotari, « ut si quando aliam contingat fieri Bibliorum correctionem, loca haec a correctoribus accuratius inspiciantur »[8]. Etsi igitur clementina prae-

fatione prohibitum sit, quominus in margine editionum Vulgatae lectiones variae adnotentur, ne iterum textus perturbatio et incertitudo exoriatur, minime tamen vituperio, sed magna potius laude digni sunt eruditi illi, qui ex fontibus hucusque aut omnino neglectis aut non satis exploratis genuinam lectionem haurire satagunt[9].

Non obstante autem pleniore illa integritate, ad quam textus Vulgatae novis curis perduci potest, iure nostro optimo affirmamus, aliam non esse Scripturarum, nedum profani alicuius operis antiqui, editionem, quae maiore vel eadem cum diligentia sit praeparata et ad maíorem perfectionis gradum adducta. Multae illae doctorum virorum congregationes, quae inde a Pio IV. usque ad Clementis VIII. pontificatum in emendanda Vulgata nostra operam suam posuerunt, non easdem quidem semper regulas criticas observarunt, at omnes suum quasi lapidem ad aedificium hoc exstruendum attulerunt optimeque de nostra editione meruerunt[10].

1. *Vercellone* l. c. p. LXVII.

2. Literas apostolicas, quibus Clemens VIII. Toleto et Angelo Rocca hoc munus iniunxit, exhibet *Vercellone* l. c. p. LXX.

3. Celeritatis testes etiam sunt menda typographica, quae multo plura numero, quam in sixtina, in prima clementina inveniuntur (plus ducenta relicta esse testatur Vercellone l. c. p. XLVIII *n.*); multa ex illis correcta sed nova quoque addita sunt in altera editione clementina (an. 1593) et in tertia (an. 1598); quare tertiae adiunctum est triplex correctorium; tres autem hae editiones una cum triplici correctorio archetypus sint oportet novarum editionum.

4. *Vercellone* (l. c. p. LXXII *n.* 1.) Novum Testamentum anno 1641 Parisiis editum citat, in quo primo nomen Clementis VIII. titulo additum putat; at prior est editio quaedam coloniensis, cui hic est titulus : Biblia sacra Vulgatae editionis Sixti V. Pont. Max. iussu recognita et Clementis VIII. auctoritate edita. Coloniae Agrippinae sumtibus Haeredum Bern. Gualteri et sociorum MDCXXXVIII.

5. *Vercellone* l. c. p. XLVIII *n.*

6. Ut summi Pontificis infallibilitatem impugnaret *Thomas Iames* edidit suum « Bellum papale, sive concordia discors Sixti V. et Clementis VIII. circa hieronymianam editionem » (Londini 1600), in quo differentias duarum editionum enumeravit. Cui optime respondit *P. Henricus de Bukentop* Ord. Min. opere suo : « אור מאור Lux de luce » (Coloniae vel potius Bruxellis 1710), in cuius prima parte expressiones aequivocas Vulgatae ex primigeniis textibus determinat, in altera Sixtum V. et Clementem VIII. bene elegisse lectiones probatas demonstrat, in tertia utriusque editionis comparatione instituta ne minima quidem in re earum differentias dogma aliquod tangere ostendit. *Bukentop* 2134 differentias enumerat, *Vercellone* autem l. c. eum iam in Pentateucho quinquaginta omisisse asserit, quae tamen omnes minoris, si fieri potest, sint momenti quam enumeratae.

7. Unde merito concludendum, menda illa consulto relicta non esse quaerenda in vocabulorum synonymorum permutatione (ergo pro igitur etc.) sed multo graviora esse.

8. *Bonfrer.* Praeloq. XV. 3. Simili modo *Bellarminus* Lucae Brugensi, « qui am-

plius quater mille loca, quae post Clementis VIII recognitionem emendatione indigerent, aut correxit aut bonis argumentis corrigenda indicavit » (*Vallarsi* Praef. ad S. Hieron. opp. t. IX. M. 28, 14), respondit « utilissimum esse, ut viri docti tum de variis lectionibus tum de iudicio peritorum hominum admoneantur ».

9. Praeter *Lucam Brugensem* (« Romanae correctionis in latinis Bibliis editionis Vulgatae iussu Sixti V. recognitis loca insigniora observata » Antw. 1601. 1603. 1608) et *Henr. de Bukentop* (Lux de luce) utilem in hac re operam posuit hac nostra aetate *C. Vercellone* (Variae lectiones Vulg. lat. Bibliorum editionis tom. I. Pentateuchus; tom. II. Iosue, Iudices, Ruth, Quatuor Regum libri. Romae 1860 et 1864), qui exemplaria omnia, quibus usae sunt congregationes romanae, in bibliothecis romanis reperta una cum multis codicibus et libris impressis ad ditissimum apparatum criticum colligendum adhibuit. Dolendum quam maxime, quod morte praematura abreptus opus absolvere non potuerit. Ad Novum Test. emendandum quam optimum auxilium praestare poterit codex fuldensis, qui romanis correctoribus incognitus saepissime cum amiatino consentit. Quoniam catholici criticas investigationes, ut videtur, parum amant, a protestantibus criticam Vulgatae editionem exspectare debemus; cuius prima particula iam a. 1889 in lucem est edita : Novum Testamentum D. N. Iesus Christi latine secundum editionem S. Hieronymi; ad codicum manuscriptorum fidem recensuit *Ioannes Wordsworth*, in operis societatem assumto *H. I. White*. Partis prioris fasc. primus : Evangelium secundum Matthaeum. Oxonii; a. 1891 secutum est Evang. sec. Marcum. Criticam quoque epistolae ad Galatas editionem iam curavit *Petrus Corssen* (Berolini 1585).

10. Cfr *Lamy* Introductio Lovanii 1867. I. p. 171.

§ 20. — *De versionibus ex Vulgata derivatis.*

181. — Quam plurimarum versionum Vulgata nostra facta est mater et quotidie novae ex ea derivantur, at non eadem auctoritate et utilitate pollent, qua pleraeque, de quibus hucusque locuti sumus; magnum enim inter illas intercedit discrimen. Antiquae scilicet versiones ad unam omnes in liturgicum proxime usum erant adornatae ideoque statim a principio publica quadam auctoritate ornatae sunt et etiamnunc ornantur; praeterea ob ipsam suam antiquitatem primigeniorum textuum eximii sunt testes. Duplici autem hoc privilegio publicae auctoritatis et antiquitatis carent versiones ex Vulgata adornatae; in privatum enim fidelium usum factae sunt nec ulla earum ultra saec. 8. ascendit. Quare ad recognoscendum et restituendum textum Scripturae genuinum inservire nequaquam possunt; omni tamen utilitate non sunt destitutae, quatenus traditionalem Scripturarum interpretationem nos docent. Quamobrem operae pretium erit, aliqualem praecipuarum saltem tradere notitiam; omnes vero enumerare nec volumus nec possumus.

Quamquam omnibus fidelibus, ut per se ipsi Scripturarum lectioni vacent, minime est necessarium, e contra ob multa et gravia damna,

quae ex ea, quando sine debita praeparatione suscipitur, exoriri possunt et frequentissime exorta sunt, sapientissimis legibus Ecclesia usum Scripturarum in linguas vulgares translatarum temperavit et coercuit[1], egregie tamen falluntur protestantes, qui catholicis Scripturarum lectionem absolute prohibitam putant atque a pseudoreformatoribus saec. 16. Biblia in lucem publicam protracta iactare non cessant. Multis enim saeculis, antequam de protestanticis sectis quidquam auditum est, illi libri sacri, qui populo utiliores sunt, in omnes fere linguas translati erant, atque sat magnus integrarum versionum numerus non paucis editionibus propagatus est, quamprimum typographia inventa id fieri potuit. Primo igitur loco antiquiores istas versiones, quae ante exortum protestantismum factae sunt, recensebimus, deinde ad iuniores catholicas versiones transibimus.

1. Egregie prae reliquis quaestionem hanc tractavit *I. B. Malou* La Lecture de la Sainte Bible en langue vulgaire. Louvain 1846. Quonam sensu Patres Scripturarum lectionem tam frequenter commendaverint, optime explicat c. 6 (I. p. 207-328); dein dignissima quoque lectu sunt ea, quae de periculo doctrinae protestanticae, quatenus Scripturae lectionem pro medio necessario propagationis et conservationis fidei habet, docte et fuse exponit cc. 11 et 12 : « L'enseignement de la foi par la lecture de la Bible sous l'empire du libre examen et du jugement individuel, est *impracticable;* appliqué aux peuples chrétiens, *il renverse le christianisme par sa base;* et « l'enseignement de la foi par la lecture de la Bible parmi les infidèles est contraire aux institutions fondamentales du christianisme, impraticable en lui-même et complètement stérile dans ses résultats ». (II. p. 396-519).

I. S. Scripturarum versiones ante a. 1520 factae.

182. — *Angli* primi videntur fuisse, qui libros quosdam sacros ex Vulgata versos sua lingua acceperint[1]. Ineunte enim saec. 8.[2] *Adhelmus* abbas Psalterium in *anglosaxonicam* linguam transtulisse dicitur, *Ven. Beda* autem, teste Cuthberto discipulo eius, Evangelii S. Ioannis versionem ante ultimum suum morbum inchoatam ultimo vitae momento terminavit; eum vero reliquos libros sacros iam antea vertisse, idoneis argumentis non probatur. Saec. 9. *Alfredus M.* quoque Psalterium anglosaxonice transtulit, sed « monendus est lector (inquit I. Spelman, qui primus illud edidit), non hic reperiri integrum aut genuinum sermonis saxonici contextum, sed ad singula verba latina versiones ». Quae interlinearis versio scopo Alfredi M. maxime erat adaptata, quia id potissime spectabat, ut regni sui clerum ad latinae linguae et scientiarum studium excitaret. Insequenti saeculo *Aelfric monachus* heptateuchum aliosque Veteris Test. libros ita anglosaxonice reddidit, ut alia quidem abbreviaret, alia autem accurate verteret. Ad Novum quod attinet, Evangelia plus semel translata sunt, Epistolarum autem translatarum nullum invenitur vestigium. Ceterum omnia, quae ex his versionibus

recenti tempore typis sunt edita aut adhuc in codicibus latent, magis philologis quam Scripturae interpretibus inserviunt. Quibus maioris momenti sunt integrorum Bibliorum versiones saec. 14. concinnatae, quarum una Wiclefi aetate antiquior in codicibus tamen plerumque eius nomen gerit, altera quoque an. 1357. per *Ioannem de Trevisa* facta est, antequam Wiclef suam edidit (1380). Pericopae Evangeliorum et Epistolarum exeunte saec. 15., integrarum Scripturarum versiones non nisi ineunte saec. 16. typis impressae esse dicuntur[3].

1. Ridiculo plane modo *Reuss* (Geschichte des Neuen T. Ed. 5. II. p. 198) : « Ein anderes Volk deutscher Zunge (sc. praeter Gothos) und gerade in dem Lande, welches noch heute eine Heimath kirchlicher Freiheit sein will, durchbrach *wirklich und mit Bewusstsein die Schranke des päpstlichen Sprachenzwanges.* Das waren die in Britannien angesiedelten Angelsaschsen... Seit dem achten Iahrhundert entstanden unter ihnen mehrere Versuche von Uebersetzungen, wovon noch Bruchstücke vorhanden sind : aber leider zerstörte bald auch hier *das Eindringen des romanischen Sprach = und Culturelements* die zarten Keime eines neuen kirchlichen Lebens und liess sie keine Früchte tragen ». Doctissimus vir ignorare se fingit, primos istos interpretes anglosaxonicos fuisse Ecclesiae catholicae filios *obedientissimos* atque simul literis artibusque *romanis* suo tempore eruditissimos. Quod si vero Gallos putat post Britanniae occupationem prima illa germina oppressisse, ignorat Gallos illo tempore, quo sibi regnum illud subiecerunt, suas proprias Scripturarum versiones iam habuisse.

2. Quae de *Caedmone* poetico Scripturarum paraphrasta a *Ven. Beda* (Hist. eccl. angl. IV. 24. M. 95, 214) narrantur, omittimus, quia paraphrases poeticae versionibus adnumerari nequeunt, et quia non satis constat num ea, quae hodie Caedmonis nomine edita sunt, ei iure adscribantur; cfr *B. ten Brink* Gesch. der engl. Literatur. Münster 1877 I. p. 77 sqq.

3. De *Ven. Bedae* interpretatione Evang. S. Ioan. cfr *Cuthberti* Vita Bedae (M. 90, 40); de aliis versionibus in indice operum, quem ipse Ven. Doctor confecit, nihil commemoratur. De reliquis *anglosaxonicis* versionibus cfr *Lelong* Biblioth. S. Paris 1723 I. p. 420 sqq. — *Alfredi M.* Psalterium edd. *I. Spelman* (Londini 1640), *B. Thorpe* (Oxonii 1835); *Aelfrici* Heptateuchum et Iob cum I. Iudith. fragmentis ed. *E. Thwaites* (Oxonii 1699); Evangelia ed. *Fr. Iunius* (Dordrechti 1665), alterius versionis vel recensionis *C. W. Bouterweck* (Güterslohe 1857) etc. Longiorem et pleniorem versionum anglic. catalogum exhibet *Bender* Wicliff als Bibelübers. (Katholik 1884 I. p. 75 sqq.).

Quandonam *Gallia* primam suam versionem acceperit, non constat; in usum S. Ludovici IX. († 1270) et Caroli V. († 1380) integras Scripturas gallice translatas esse, probabile quidem, sed non certum est, atque de versionibus illis quoque, quae a *Iean de Viguier* (1340) et *Iean de Sy* (1350) factae dicuntur, parum vel nihil cognitum est. Nihilominus certum est, in varias Galliae dialectos medio aevo aut omnes aut praecipuos saltem libros versos esse. Satis magnus habetur codicum numerus, qui variis in dialectis aut poetico modo partes Scripturarum tractatas, aut historicorum librorum excerpta, aut etiam proprie dictas versiones librorum quorundam continent; Psalterii translatio ad saec. 11. ascendere dicitur; libri Regum saec. 12.

iam translati sunt, eidemque saeculo versio quaedam Pentateuchi reliquorumque librorum historicorum adscribitur [4]. Magis autem propagata est Historia scholastica *Petri Comestoris* († 1198), quam *Guiars des Moulins* a. 1291-1297 gallice vertit. Petrus Comestor in suo opere historiam sacram suis verbis reddiderat, *Guiars* autem eius textui versionem Vulgatae substituit; quum vero historia scholastica ex V. T. libros historicos et sapientiales et ex Novo harmoniam tantum Evangeliorum contineret, saec. 14. versioni gallicae addita est reliquorum Utriusque Test. librorum translatio literalis, atque totum hoc opus, quod completam quandam Scripturam constituit mox post inventam typographiam typis propagari coeptum est. Novum T. iam 1478 Lugduni impressum est, libri sapientiales 1482, et totius operis editio princeps Parisiis 1487, quam aliae non paucae secutae sunt [5].

Germania multo plures versiones media aetate possedit. Poeticis paraphrasibus (*Otfriedi Wissemburgensis* Krist, *Heliand*, etc.) omissis, cognita hodie sunt fragmenta Evangelii S. Matthaei, quae saec. 8. adscribuntur, harmonia evangelica saec. 9., versio et explicatio Psalmorum et Canticorum V. T. adornatae a *Notkero Labeo* († 1022), *Willirami Abb.* († 1085) versio et explicatio Cantici Cant., versio interlinearis Psalmorum, librorum sapientialium et fragmentorum propheticorum. Quae omnia in vetere dialecto Germaniae superioris, dum Germania inferior Psalmorum versionem saec. 9. accepit etc. Insequentibus saeculis 12-15. aut singulorum librorum aut integrarum quoque Scripturarum versiones variae aut variae saltem eiusdem versionis recensiones concinnatae sunt, quae pleraeque typis nondum sunt editae. — Literarum formis descripta prima biblia germanica prodierunt a. 1462, atque ab eo tempore usque ad an. 1520 *plus viginti* editiones integrae Bibliorum in Germania superiore et *quatuor* in Germania inferiore, circa *nonaginta* Plenaria (i. e. pericopae Evangeliorum et Epistolarum, quae diebus dominicis et festis legi solent), *quatuordecim* Psalteria germanica, *duae* Apocalypses in lucem sunt edita [6]. Num omnes unius versionis recensiones dialectice diversas, an varias versiones contineant, nondum satis constat [7]. — Addamus in *Hollandia* prima biblia Delftae impressa esse a. 1475 et postea saepius repetita.

In *danicam* linguam saec. 14. dominicarum pericoparum versionem factam esse patet ex eo, quod decursu saec. 15 parochi iam saepe monentur, ut fidelibus Evangelia praelegant; integri quidam libri danice translati sunt a. 1470. — *S. Birgitta* († 1373) Scripturas *suecica* lingua translatas legere solita erat, atque hodie supersunt historicorum librorum V. T. et Apocalypseos versiones suecicae exeunte saeculo 15. factae. — *Norvegia* autem ineunte saec. 14. primam suam versionem accepit, quando rex Haco V. (1294-1393) libros V. T. historicos una cum glossa norvegice transferendos curavit [8].

4. Quatuor libros Regum edidit *Leroux de Lincy* 1841; cfr *Reuss* Gesch. des N. T. II. p. 205.

5. Cfr *Rich. Simon* Histoire crit. des versions du N. T. Ch. 28. « Des premières

versions françaises »; *Lelong* Bibliogr. S. I. p. 313 sqq. Biblia gallica. Sect. I. Versiones antiquae; *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 203 sqq. 208.

6. Fragmenta S. Matthaei ediderunt *Endlicher* et *Hoffmann* (Vindob. 1834), harmoniam evangelicam *Schmeller* (Viennae 1841), Psalmos etc. Notkeri *Schilterus* (Thesaur. antiquit. teuton. I Ulmae 1727), Willirami Canticum latin. et germ. *Paul. Merula* (Lugd. Batav. 1598), *Schilterus* (Thesaur. I.) etc. Germaniae inferioris Psalterium edid. Heyne (Paderb. 1867) etc.

7. Cfr praeter *Lelong* Biblioth. S. I. p. 373 sqq. maxime *Kehrein* Gesch. der deutschen Bibelübersetzung vor Luther (Stuttg. 1851) et *Falk* Die Druckkunst im Dienste der Kirche (Köln 1879 p. 80 sqq.).

8. Danicum Heptateuchum ed. *Chr. Molbech* (Havniae 1828); de versione suecica, qua usa dicitur S. Birgitta cfr *Lelong* I. p. 417; quae alia suecica supersunt versionum fragmenta ed. *Klemming* (Stockholm 1848-55); norwegica *Unger* (Christiania 1853-62).

Alphonsum V. Sapientem Castellae regem (c. 1270) Scripturas iam *hispanice* verti iussisse refert Mariana; prima Biblia *hispanica* e praelo prodierunt Valenciae 1478, quae a *P. Bonifacio Ferrerio*, O. Camald. († 1417), translata dicuntur [9]. — Archiepiscopum genuensen, *Iacobum de Voragine*, O. Praed. († 1298), prima Biblia *italica* edidisse tradit Sixtus Sen.; iuniorum versionum non pauci codices conservati sunt, ea vero translatio, quae prima typis impressa est Venetiis 1471 cuiusque novem aliae editiones ante saeculi finem propagatae sunt, debetur *Nicolao Malermi*, O. Camald. [10]. — *Hungari* iam saec. 11. saltem eas Scripturarum partes, quae populo utiliores sunt (Psalmos, pericopas Evangeliorum et Epistolarum) a monachis Ordinis S. Benedicti accepisse dicuntur, et saec. 15. *P. Ludovicus Bathyani* († 1456) omnes libros sacros in hungaricam linguam transtulit [11]. — In linguam *polonicam* instigante Hedwige regina exeunte saec. 14. facta est translatio, cuius hodie superest Psalterium, aliae autem integrae adhuc exstant [12]; *bohemicorum* Bibliorum multi codices cogniti sunt, qui omnes saec. 15. adscribuntur et varias eiusdem versionis recensiones continere perhibentur; Novum T. e typis iam prodiit 1475, integrae Scripturae 1488 [13].

At longiore enumeratione opus non est, ut clare appareat, diu ante ortum protestantismum in omnibus terris abunde esse provisum, ut populus scriptum Dei verbum legere posset, in quantum lectio haec ei utilis esset [14].

9. Cfr *Lelong* biblioth. S. I. p. 361 sq.; *Nic. Antonio* Biblioth. hispan. vetus Romae 1696 II p. 214 sqq. etc.

10. *Sixti Senens.* Biblioth. l. IV. s. n. Iacobus (ed. a P. Milante Neapoli 1742. I. p. 397); *Lelong* Bibl. I. p. 353, qui de Iacobi de Voragine versione dubitat, reliquas recenset; *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 207 etc.

11. *Danko* De Scriptura p. 243 sqq.

12. *Le Long* Biblioth. S. I. p. 439; *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 206.

13. *Le Long* Biblioth. S. I. p. 438; *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 207.

14. Accuratiora de antiquis his versionibus praeter opera citata tradunt *Wetzer und Welte* Kirchenlexicon. Ed. 2. II. 733 sqq.; *Herzog* P. R. E. 2. s. v. Deutsche, Englische, Romanische etc. Bibelübers.

II. Versiones catholicae inde ab an. 1520 factae.

183. — 1.) A GERMANICIS incipimus, quia Germania prima haereticis versionibus novas a catholicis adornatas opposuit. Ne Lutheri enim versio inter fideles propagaretur, statim postquam ille a. 1522. germanicum suum Novum Test. edidit, catholici theologi non tantum antiquam versionem propagandam, sed novas quoque edendas curaverunt. Primus *Iacobus Beringer* solum Novum Test. vertit; Lutheri translationem adhibuisse eiusque dialectum tantum mutasse dicitur; at illa quoque omisit, quae haeresiarcha textui de suo inseruerat et Evangeliorum loco dedit harmoniam evangelicam[1]. Accuratius *Hier. Emser* versionem lutheranam retractavit: postquam enim plus mille quadringentis locis Lutherum aut textum non satis accurate intellexisse aut haeretico modo depravasse ostendit, iussus a Georgio duce Saxoniae ita Novum Test. germanice vertit, ut Lutheri versionem adhiberet quidem, Vulgatam autem sequeretur omnibus in locis, in quibus receptus textus graecus ab ea dissentiret[2]. Paucis annis post secuta est *Ioannis Eckii*, celebris novatorum adversarii, integrorum Bibliorum versio; in Novo Test. Emserum fere secutus, in Vetere solam Vulgatam adhibuit[3]. Quae translationes omnes, quamvis saepius typis sint repetitae, ob duriorem stylum rudioremque sermonem, quo scriptae erant, catholicorum votis non satisfecerunt; magis illis probabatur omnium librorum versio, quam *Ioan. Dietenberger*, canonicus moguntinus, adornavit: Novum Test. quidem fere ex Emsero transsumsisse, in Veteris protocanonicis libris Lutherum et in deuterocanonicis Leonem Iudam secutus esse asseritur, correctis ut patet corrigendis, at eius opus per duo fere saecula sub titulo « *Dietenbergers catholische Bibel* » multis editionibus progagatum est[4]. *Casparus Uhlemberg* coloniensis adhibito textu clementino illud ita retractavit, ut nova quaedam versio fieret, quae iteratis curis a theologis nonnullis moguntinis correcta, sub titulo « *Catholische Bibel* » usque ad finem fere saeculi praecedentis pervulgata erat. Ab ea versiones quoque *Thom. Aq. Erhardi, Benedictinorum etterheimensium, Ignatii Weitenauer* S. I. aliorumque magis minusve dependent[5]. Vere novam autem versionem exeunte saeculo praeterito edidit *Henr. Braun*, cuius editionem secundam emendatam curavit *M. Feder*, tertiam emendatiorem *Fr. Ios. Allioli;* qui sequentes editiones ita retractavit, ut tertiae suo iure suum solum nomen tamquam auctor praefigere potuerit. Notis sufficientibus illustrata atque a S. Pontifice approbata quam maxime in Germania propagata est; idque merito; fideliter enim sequitur Vulgatam, textuum autem primigeniorum discrepantias in notis indicat[6]. Praeter eam altera versio hodie non parum propagatur, quam *V. Loch et W. V. Reischl* concinnaverunt: ipsi quoque Vulgatam sequuntur, interdum vero, ubi Vulgata evidenter aliam lectionem, quam hodiernus textus primigenius, expressit, cum aliqua violentia Vulgatae textum ad primigeniorum sensum trahunt; notae additae multo uberiores sunt alliolianis, at populi captum haud raro superant[7]. Novum

Test. optimo commentario addito vertit *I. H. Kistemaker*; elegantior et accuratior est versio, quam edidit *B. Weinhart* [8].

Ex textibus primigeniis omnes libros sacros vertere coepit *Dom. de Brentano*, post cuius mortem opus terminavit *Th. A. Dereser*, cuius notae rationalismo quodam interdum sunt aspersae; melior est secunda editio, quam curavit *J. M. Scholz* [9]. Vix catholicis his translationibus adnumerari illae possunt, quas ediderunt *Carolus et Leander van Ess* [10].

1. Cfr de his et sequentibus versionibus *Panzer* Gesch. der roem. cath. Bibelübersetzungen. Nürnberg 1781. — *Beringeri* versio prodiit Strassburg et Speier 1526. Ante Beringer iam alii partes quasdam verterant, sed omnes omnino versiones enumerare non est huius loci.

2. *Emser* Auss was Grund und Ursach Luthers Dolmatschung... billich verbotten worden sei. Dresden 1524; *eius* N. T. versio prima vice prodiit Dresdae 1527 et ante finitum saeculum plus vicies repetita est.

3. *Eckii* editio prima prodiit Ingolstadii 1537; ab aliis aliquantum emendata saepius reimpressa est.

4. *Dietenbergeri* versio, cuius prima editio facta est Moguntiae 1534, ab anno 1540-1702 Coloniae viginti quinque editionibus impressa est, et alibi quoque non pauciores habuit.

5. *Ulembergeri* Sacra Biblia etc. Coloniae 1631 et postea viginti duabus editionibus propagata sunt; a *moguntinis* correcta prodierunt Moguntiae 1661 et viginti septem aliis editionibus; a *Benedictinis ettenheimensibus* retractata curante P. Cartier. Constantiae 1751; ed. 3. 1771; a *P. Weitenauer* bono commentario aucta Augsburgi 1777.

6. *Braun* suam versionem edidit Augsburg 1788-1797; emendatam edidit *Feder* Nurnbergi 1803, retractatam *Allioli* Landshuti 1830 et dein saepissime Monaci et Ratisbonae.

7. Prima editio versionis *Loch* et *Reischl* prodiit Ratisbonae 1851-1866; ed. 2. 1867-1870; ed. 3. 1885.

8. *Kistemaker* Neues Testament mit Commentar. Münster 1818-23; ed. 3. 1845; solus textus huius versionis a societate biblica propagatur. — *Weinhart* Neues Testam. München 1865.

9. *Brentano* et *Dereser* Frankfurt 1799-1828; retractatam editionem dedit *Braun* Frankfurt 1828-1837.

10. Novum Testamentum *C. et L. van Ess* Braunschweig 1807, multis editionibus a societatibus biblicis propagatur; Vetus Test. L. van Ess. Sulzbach 1839.

Germanicis adiungimus HOLLANDICAS versiones. Anonymam versionem, quam supra (182) Delftae 1475 prodisse diximus, ineunte saec. 16. adhibuit *Nicolaus van Wingh*, decanus lovaniensis, ad novam translationem concinnandam, quae usque ad saeculi istius finem saepius repetita est. Postquam clementina Vulgatae editio in lucem prodiit, ad eius textum eam retractaverunt *theologi lovanienses*, eorumque retractatio plus centum editionibus propagata est et hodie propagatur [11]. Cui praeferenda quidem dicitur translatio illa, quam *P. Guilelmus Smets*, O. S. Franc., una cum eximio commentario edere coepit continuavitque *P. Petr. van Hove*, O. S. Fr., at incompleta mansit; praeter integrum Novum T. enim etiam desunt Prophetae

et libri Machab. [12]. Hoc nostro saeculo *S. Lipman* Novi T. novam versionem inchoavit, sed non terminavit [13]. Alteram quoque U. T. translationem ab omnibus Belgii episcopis approbatam *Theod. Beelen*, professor lovaniensis, morte abreptus ad finem non perduxit; prodierunt N. T. et libri poetici V. T. [14].

11. Prima editio prodiit Lovanii et Coloniae 1548; retractata lovaniensium Antwerpiae 1599, ultima, quam vidi, Bruxellis 1846.

12. Antwerpiae 1744 sqq. 21 voll.

13. Hertogenbosch 1861.

14. Novum Test. Lovanii 1859-69, 3 voll., Psalmi et reliqui libri poetici Lovanii 1878-1882.

Catholicis Angliae Novi T. translationem dedit *Guil. Allan* eo tempore, quo rectoris collegii anglici, quod Rhemis in Gallia florebat, munere fungebatur, antequam ad Cardinalis dignitatem evectus unus ex praecipuis Vulgatae correctoribus factus est (179). Ab impressionis loco versio haec *The Remish Version* appellatur. Postquam collegium Anglorum Rhemis Duacum translatum est, Veteris quoque Test. translatio catholica prodiit una cum emendatiore Novi textu; editio haec *The Douay Bible* usque ad hodiernum diem catholicis inservit [15]. Emendata est a *Rich. Challoner* (1750), ab universis Hiberniae episcopis approbata (1837), a conciliis baltimorensibus (1810 et 1829) in Americae septemtr. ecclesiis praescripta.

15. Utriusque Testamenti versionem Allano dirigente concinnarunt *Stapleton, Britow* et *Martins*; notas adiecit *Thom. Worthington*. Novi Test. editio princeps Rhemis 1582, Utriusque Test. Duaci 1609; cfr *Cotton's* Rheims and Douay Bible Oxford 1852.

184. — Inter gallicas versiones, quae multae sunt numero, nulla est, quae universalem quandam sibi acquisiverit auctoritatem. Primus post protestantismum exortum Scripturarum gallicam translationem aggressus est *Iacobus Faber Stapulensis* (Jacques Le Fevre d'Etaples en Picardie); Vulgatam ita secutus est, ut aliqua ad textus primigenios mutaret. Opus eius, quod an. 1523-1528 in lucem prodiit, quum in Gallia prohibitum esset, Antwerpiae 1530 iterum editum est cum privilegio Caroli V. et approbatione Inquisitoris. Attamen notae additae, quae novam haeresin sapiebant, effecerunt, ut in Belgio quoque versio prohiberetur, atque *theologi lovanienses* per *Nicolaum de Leuze* eam retractandam et emendandam curarunt. Editio haec Lovanii 1550 prodiit, et illis semper correctis, quae linguae mutatio postulabat, usque ad initium saec. 18. plus quinquagies repetita inter gallicas maiore quadam auctoritate potita est. Ab ea dependent versiones, quas ediderunt *Petrus de Besse* (Parisiis 1606) et *Petrus Frizon* (Parisiis 1621) [1].

Alia translatio, quam adornavit *Renatus Benoist*, doctor sorbonicus, (Parisiis 1566), quum biblia genevensia paucis dumtaxat mutatis fere secutus esset, a facultate theologica parisiensi (1567) et a Gregorio XIII.

(1575) proscripta est. Tertia, quam edidit *Ant. Corbin* (Paris. 1641) approbata quidem est, sed utpote rudiore stylo conscripta minime placuit [2]. Ad stylum dictionemque quod attinet, multo eam superavit ideoque multo magis propagata est versio *Ludovici Is. Le Maistre de Sacy* (Parisiis 1672-85 cum explicatione sensus literalis et mystici ex Patrum operibus excerpta). At venenum iansenisticum, quo auctor ipse imbutus erat, quum in versione tum in notis sese manifestavit, quare opus hoc, quamvis a Card. de Noailles approbatum esset, a Clemente XI. proscriptum est; nihilominus saepe repetitum hodie quoque a societate biblica propagatur [3].

Versionem sacyanam nonnullis in locis correxit, commentariis et praefationibus non spernendis auxit *D. Aug. Calmet*, O. S. Ben.; ipsi autem versioni commentarium inseruit itaque gallicam quandam Scripturarum paraphrasin efformavit *Lud. de Carrières*, Oratorii presbyter; cui paraphrasi dissertationes praefationesque Calmeti aliquantum mutatas et auctas una cum eiusdem commentario abbreviato adiecit *Laur. Steph. Rondet* in opere, quod vulgo *Bible de Vence* nuncupatur [4].

Hoc nostro saeculo integras Scripturas in gallicam linguam transtulerunt *Eug. de Genoude*, cuius opus parum aestimatur, *I. B. Glaire*, cuius versio a. S. Pontifice approbata est, *M. A. Bayle* [5].

Complures quoque solius Novi Test. versiones gallicae prodierunt, quarum aliquae, quia iansenisticam haeresin in textu et in notis manifestant, damnatae sunt. *Franc. Veron* ita lovaniensem editionem mutavit, ut novam translationem se fecisse in titulo operis asserere potuerit (Paris 1648); *Michaelis de Marolles* versio (Paris 1649), quia Erasmi interpretationem latinam fere secutus erat, prohibita est; *Antonium Amelot* primum magna cum sollicitudine Novum T. gallice reddidisse (Paris 1666) asserit Rich. Simon [6]; *Antonius Godeau* paraphrasin potius quam versionem edidit (Paris 1668); versio *P. Dominici Bouhours* (Paris 1697) ob notas additas aestimatur; illa, quam *Rich. Simon* adornavit (Trévoux 1702) a Card. de Noailles et Bossuetio proscripta est, quia sacrum textum risui et despectui exponeret; magnis laudibus ob fidelitatem et elegantiam ornatur versio, quam edidit Iansenista *Nic. Mesenguy* (Paris 1738) [7]. Nostrum quoque saeculum aliquas novas versiones vidit a *Gaume* (Paris 1864), *Delaunay* (Paris 1856) aliisque concinnatas [8].

1. Cfr *Lelong* Biblioth. S. I. p. 326-330; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 332 sq., Hist. des versions du N. T. p. 325 sqq.

2. Cfr *Lelong* l. c. p. 330 sq.; *R. Simon* Hist. des vers. du N. T. p. 342 sqq. p. 353 sqq.

3. *Novum T.* ab. *Antonio Le Maitre* eiusque fratre Lud. Isaac Le Maitre de Sacy gallice redditum et ab *Ant. Arnauld* emendatum iam prodierat 1667, et a nomine urbis, in qua impressum est, vulgo *Le N. T. de Mons* appellatur; a Clemente IX. (1668) et ab Innocentio XI. (1679) damnatum, utpote Vulgatae contrarium et fidelibus periculosum, a *Pasch. Quesnell* auctum est famosis illis « Réflexions morales » (1693), quae a Card. de Noailles fidelibus commendatae (1695, a Clemente XI. proscriptae (1708) et demum Bulla « Unigenitus » damnatae sunt (1713).

Fuse de hac versione agit *R. Simon* Hist. des vers. du N. T. p. 396-483. — De integris Bibliis sacyanis cfr *Lelong* l. c. p. 332.

4. *Calmeti* opus prima vice prodiit Paris 1707-1716; saepius repetitum est gallice, atque commentarius cum dissertationibus et praefationibus etiam latine translatus hodie adhuc aestimatur. — *L. de Carrières* Commentaire littéral inséré dans la traduction française etc. Paris 1712-1716. — La *Bible de Vence* prima vice prodiit Parisiis 1748-1750. « Dans ces derniers temps on a eu l'heureuse idée de joindre au travail du P. de Carrières les commentaires de Menochius, ce qui lui donne un nouveau degré d'utilité pour les ecclésiastiques » cfr *Glaire* Introd. I. p. 265.

5. Versio *Eugenii de Genoude* Paris 1821-24; Ed. 3. 1828; Ed. 3. 1841; versio *I. B. Claire* Paris 1861-66; versio *M. A. Bayle* in commentario, qui nomine *La Bible de Lethielleux* allegari solet (Paris 1871-84).

6. *Rich. Simon* Hist. des vers. du N. T. p. 361 sqq.

7. *Glaire* Introd. I. p. 269.

8. De versionibus gallicis praeter *Lelong* et *R. Simon* praesertim *Claire* Introd. I. p. 262 sqq. et *Vigouroux* Manuel biblique I. p. 194 sqq.

Italia pauciores versiones habet. *Ant. Bruccioli* haereticam editionem, non ex primigeniis, ut ipse asseruit, textibus, sed ex Santis Pagnini latina versione interlineari adornaverat (Venetiis 1530-32), cuius errores ad Vulgatam correxit *Santes Marmochini;* quae emendata versio non paucis editionibus propagata est (Venetiis 1538. 1547. etc.). Circa idem fere tempus Novi quoque solius Testamenti interpretationes nonnullae prodierunt, *P. Zaccariae* florentini, O. Praed. (Venetiis 1542), *Dominici Giglii* (Venetiis 1551) etc[9]. Quae omnes antiquam versionem P. Malermi, de qua supra locuti sumus, loco suo removere non potuerunt; auctoritatem suam illa retinuit usque ad finem saeculi praecedentis, quo tempore *Anton. Martini,* archiep. florentinus, optimam suam translationem edidit (Taurini 1776-1781), quae a Pio VI, approbata et summis laudibus exornata hodie ab Italis catholicis fere sola adhibetur.

Hispania non ante finem saec. 18. novam versionem videtur accepisse; neque id mirum, quum iam in concilio tridentino Card. Paceccus prohibendum censuisset, quominus Scripturae in linguas vernaculas transferrentur, omnesque Hispaniae episcopos secum in hac sententia stare asseruisset[10]. Quare hispanicae versiones saec. 16. et 17 omnes ab haereticis adornatae et extra Hispaniae fines impressae sunt[11]. Exeunte autem saec. 18. catholica versio facta est sufficientibusque notis instructa a *Philippo Scio de S. Miguel* (Madrid 1794), cuius textus solus a societatibus biblicis propagatur. Alteram versionem curavit *F. T. Amat,* qui ad eum fere modum, quo L. de Carrières gallicam paraphrasim concinnaverat, commentarium quendam ipsi textui inseruit (Madrid 1823). Ceterum Amat hanc versionem ex manuscriptis *P. Petisco S. I.* desumsisse dicitur.

Lusitani quoque versionem non nisi exeunte saec. 18. acceperunt ab *Ant. Pereira de Figueiredo* (Lissabon 1784).

Per se patet, et Hispanos et Lusitanos pericopas dominicales, quae populo

legi et explicari solent, suis in linguis possedisse, sed istas versiones enumerare non est huius loci.

9. Cfr *Lelong* Biblioth. S. I. p. 354-358; *R. Simon* Hist. des vers. du N. T. p. 488 sqq.

10. *Theiner* Acta genuina Conc. Trid. I. p. 66 sq. Not.

11. Huc spectant N. T. hispanice redditum a *Franc. Enzinas* (Antwerpiae 1543) et *Ioanne Perez* (Venetiis 1556); integra Biblia translata a *Cassiod. Reyna* (Basileae 1596), cuius translationis emendatiorem editionem curavit *Cypr. de Valera* (Amstelsd. 1602); cfr *Lelong* l. c. I. p. 363 sq., *R. Simon* Hist. des versions p. 496 sqq.

Alii quoque populi catholici post exortum protestantismum novas versiones receperunt; inter SLAVOS BOHEMI sat magnum earum numerum habent, inter quas primum locum tenere dicitur illa, quam Pragae 1677 ediderunt Patres Soc. Iesu; inter POLONICAS vulgatissima hodie adhuc est versio *P. Iacobi Wujek* S. I., quam adornavit mandante Gregorio XIV. quamque approbavit et laudavit Clemens VIII. (Cracoviae 1599 et saepissime), CROATI quoque, SORABI aliique minores populi saltem pericopas dominicales suis linguis possident[12].

HUNGARIS versionem, quae hodie frequentiore in usu est, dedit *P. Georgius Kaldi* S. I. (Vindobonae 1626 etc.)[13].

In gratiam demum eorum populorum, inter quos laborant, missionarii catholici aut pericopas tantum dominicales, aut libros faciliores et utiliores, aut integras quoque Scripturas aut historias biblicas in varias linguas, arabicam, sinicam, indicas etc. transtulerunt; quas versiones cunctas enumerare aeque difficile atque inutile foret[14].

12. De versionibus slavicis cfr *Lelong* l. c. p. 438 sqq.

13. Danko de S. Scriptura p. 247 : « Mutatis, quae linguae profectus exegit, mutandis versio haec his diebus novis curis edita est Agriae 1862-65 ».

14. Recentiores versiones, quae a catholicis Europaeis adhibentur, accuratius enumeratas habes in *Wetzer u. Welte* Kirchenlexicon Ed. 2. II. 731 sqq.

III. De modernis versionibus acatholicis Scholion.

185. — Acatholicorum versiones, quum pleraeque ex primigeniis textibus sint factae, parum apte quidem hic adnectuntur; at quia tamen magis minusve etiam a Vulgata dependent, tamquam tractatus nostri complementum paucas de illis notas subiicere liceat. Medium aevum haeretica biblia variis in linguis iam vidit : Albigenses, Waldenses, Wiclefitae aliique suas versiones habuerunt iisque haereses suas spargere conati sunt; quare non raro in conciliis provincialibus et ab ipsis S. Pontificibus lectio Scripturarum illis in versionibus laicis interdicitur. Quaedam ex illis interisse videntur, aliae in bibliothecis adhuc latent, paucae post inventam typographiam impressae sunt[1]. Quibus omnibus praetermissis celebriores translationes, quae post exortum protestantismum aut in usum publicum sectarum sunt receptae aut auctoritatem quandam inter acatholicos habent, hoc loco recensebimus.

1.) GERMANICAE. *Lutheri* Scripturarum versionem unum ex efficacissimis instrumentis fuisse, quibus nova haeresis propagata sit, nemo ignorat. Reiecta Vulgata, ex qua eousque, etiam ab haereticis medii aevi, versiones factae erant, ad textus primigenios solos recurrendum esse statuit : unde a suis magna laude ornari solet; at parum recte. Etenim in nova sua versione adornanda non solum egregie adiutus est Nicolai Lyrani commentariis, qui differentias Vulgatam inter et hebraicum textum iam adnotaverat (unde notissimum illud adagium : « Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset, vel : Lutherus delirasset »), sed ita etiam ab ipsa Vulgata dependet, ut in difficilioribus locis illam fere semper secutus sit et deuterocanonicos fere integros ex illa verterit; praeterea etiam adhibuit antiquam versionem germanicam, quae ex Vulgata derivata erat, et Santis Pagnini versionem latinam interlinearem, quae iterum magis minusve a Vulgata dependet; demum in librorum quoque ordine Vulgatam secutus est. Novum Testamentum edidit a. 1522; mox Vetus aggressus historicos et morales libros a. 1523 et 1524, propheticos 1532, deuterocanonicos demum 1545 absolverat, quo anno prima editio integra prodiit. Maximi etiam hodie versio haec a protestantibus aestimatur, et ab aliquibus vix non pro inspirata habetur. In genere eam bonam esse negari nequit; non anxius verbum verbo, sed magis sensum reddere studuit, at illum arbitrario quodam modo textum sacrum tractasse et sensum suum privatum sensui Spiritus S. substituisse, etiam certum est : « metaphoras, inquit ipse protestans Fritzsche, propriis verbis reddere (*Ps.* 36 [35], 6), vocem addere (*Rom.* 3,28 « *sola* fide ») aut omittere, aut phrasium ordinem invertere minime refugit »; idemque etiam fatetur Lutherum « multa et varia (mancherlei) menda » admisisse, et « in haud paucis (gar manchen) locis aut omnino non aut saltem non integrum » sensum expressisse[2]; et quamquam a Melanchthone, Bugenhagen aliisque sociis adiutus in sequentibus editionibus multa mutavit, menda ista non sunt diminuta. Statim ab omnibus lutheranis magno cum applausu recepta multis editionibus usque in hodiernum diem propagata est et propagatur; immo tanti eam faciebant, ut in alias dialectos et linguas eam transferrent; in dialectum Inferioris Germaniae translata est 1533, in hollandicam N. T. 1526 et V. T. 1548, in danicam N. T. 1524 et V. T. 1550, in suecicam N. T. 1526 et V. T. 1541, in islandicam N. T. 1540 et V. T. 1584[3]. Post Lutheri mortem multi eius opus emendare coeperunt, at lege lata Augustus Elector Saxoniae praescripsit, ut editio anni 1545, quae ultima ante Lutheri mortem prodiit, in posterum retineretur, atque tanta cum veneratione eam hodie protestantes prosequuntur, ut eas solas mutationes, quae lingua mutata postulat, permittant, sed erroneas eius interpretationes omnes retineant[4]. Reliqua versionis huius fata enarrare nostra non interest, quum interpreti catholico *nulli* sit usui.

Novi Testamenti et librorum historicorum et moralium Veteris versionem lutheranam zwingliani helveti statim adoptarunt et dialectice mutatam Turici imprimendam curarunt; quum vero Lutherus reliquos libros edere cunctaretur, turicenses ipsi opus aggressi sunt : Prophetae translati a

« praedicantibus turicensibus » prodierunt a. 1529, eodemque anno libri deuterocanonici translati a Leone Iuda. Quae Biblia *turicensia* (Zuercher Bibel) zwinglianis helvetis hodie adhuc probantur; anno 1860 et 1868 novae eius correctiones publica praedicantium auctoritate factae sunt [5].

Quum versio lutherana omnibus placeret atque magistratus protestantici eius usum postularent, vix quisquam per duo fere saecula novam versionem edere ausus est; *I. Piscator* tamen a. 1602 translationem quandam adornavit, quae Bernae paucisque aliis in locis in publicum usum recipiebatur [6]. Ineunte saec. 18. duae prodierunt, quarum altera a pietistis adornata est, altera rationalismo praelusit. Prior (*Berlenburger Bibel* 1726-41) miras habet interpretationes, Adamum facit androgynum, peccatum negat, quum nec reatum culpae nec reatum poenae agnoscat; ut hominem ad Dei imaginem creatum esse explicet, supponit aliquam humanitatem coelestem, quae originaliter in Deo fuit (himmliche Menschheit, ursprüngliche Menschheit in Gott) etc. Ceterum arcte sequitur lutheranam, ut dubitatum sit, num inter novas versiones numerari possit. Altera (*Werthheimer Bibel*) omnia miracula naturali modo explicare conatur, quare prohibita est nec integra in lucem prodiit. Praeterea anabaptistae quoque et sociniani suas versiones habent; priores eam acceperunt a *L. Hetzer* (Worms 1529), alteri ab *Ioanne Crellio* (Racoviae 1630).

Exeunte demum saec. 18. interpretes protestantici novas versiones edere coeperunt; inter quos praecipui sunt *I. D. Michaelis* (1769 sqq.), *Moldenhauer* (1774 sqq.), *Grynaeus* (1796 sq.). Nostro saeculo maxime celebrantur versiones, quas ediderunt *M. L. de Wette et J. C. W. Augusti* (Heidelberg 1809-1814), et *Kamphausen et Holtzmann* (Bunsen's Bibelwerk 1858-1868) [7], quibus hoc ultimo decennio plures accesserunt, quas nominare operae pretium non est.

1. De Albigensium et Waldensium verss. gallicis cfr praeter *Lelong* (l. c. I.) praesertim *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 203 sq.; de opere wicleffiano cfr *Lelong* l. c. I. 425 etc.; *Bender* Wiclif als Bibelübers. Katholik 1884. II. p. 147 sqq.

2. *Fritzsche* in Herzog's P. R. E. Ed. 2. III. p. 550 sq. — Vulgo a protestantibus exaggerari solent merita, quae de linguae germanicae evolutione suis sibi Bibliis acquisivit Lutherus; illud ad summum effecit, ut dialectus illa, quae eo tempore a cultioribus saxonibus adhibebatur, dominationem in tota Germania paullatim obtineret, at sibi ipse hanc linguam non efformavit. « Auch nach seiner christlichen Seite hin, inquit Raumer, war der Sprachstoff Luthern im Wesentlichen durchaus gegeben »; cfr *Fritzsche* l. c. p. 551. Atque ad dominationem, quam saxonica dialectus obtinuit, vehementibus suis controversiis potius quam Bibliorum versione videtur contulisse.

3. *Hollandica* lutheranae versionis reproductione hodie adhuc utuntur lutherani Hollandiae; calvinistae autem saec. 17. sibi novam versionem ex textibus primigeniis adornarunt (1637), quae quum publica auctoritate introducta sit, « *Staatenbibel* » vocari solet; *Dani* quoque a. 1607 et *Sueci* 1774 novas versiones textuum primigeniorum in usum publicum receperunt; cfr *Reuss* Gesch. d. N. T. II. 225.

4. De variis emendationis conatibus cfr Evangel. Kirchenzeitung n. 6. Berlin 1859; Fritzsche l. c. 553 sq.

5. Fritzsche l. c. p. 555 sq.

6. *Piscatoris* versio nomine « *Straf mich Gott Bibel* » vocari solet, quia blasphemico modo *Marc.* 8, 12 (Amen, dico vobis : Si dabitur generationi isti signum) vertit : « Wann disem geschlecht ain Zaichen wirdt gegeben werden, so straafe mich Gott. »

7. De versionibus germanicis acatholicorum cfr praeter *Lelong* (l. c. p. 381-426) praesertim *Fritzsche* in Herzog P. R. E. Ed. 2. III. « Deutsche Bibelübersetzungen. »

2.) Gallicae. Calvinistae gallici et helveti primam suam Scripturarum versionem *Petro Rob. Olivetano*, Calvini consobrino, debent. Quamvis ipse e textibus primigeniis se eas vertisse asserat, hodie inter omnes constat, eum Novum T. fere integrum ex gallica Fabri Stapulensis opere (184) desumsisse, in Vetere autem praeter Stapulensem adhibuisse Pagnini versionem interlinearem [8]. Prima vice typis impressa est in pago Serrières an. 1535, postea a Calvino ipso correcta Genevae (1545 et saepius), unde vulgo *La bible de Genève* appellatur; an. 1585 a praedicantibus genevensibus (« la vénérable compagnie ») novis curis emendata in usu publico genevensium usque ad hodiernum diem permanet. Eam inter omnes, quae in usum publicum alicubi receptae sunt, pessimam esse asserit *Reuss*; neque melius iudicat de altera, quam in eius locum substituerunt calvinistae in Gallia; meliore quidem stylo, quam genevensis, scripta dicitur, sed insulsissima et innumeris scatens erroribus; adornata est ab *I. F. Osterwald* an. 1744 [9]. Alias versiones dederunt *Seb. Castalio* (Chatillon; Basileae 1555), quem ne ipsam quidem gallicam linguam calluisse contendit R. Simon [10], et *Dav. Martin* (Amstelod. 1707), cuius versionem retractavit notisque illustravit *Car. Chais* (Hagae 1742-1777). Versio Novi Test. ab *Ioanne Le Clerc* (Amstelod. 1703) adornata et *Caroli le Cène* versio Utriusque Test. (Amstelod. 1741) socinianis favere dicuntur [11]. At nulla ex his in publicum usum recepta est.

8. *Rich. Simon* Hist. des versions p. 329. 331 : « On a déjà remarqué dans l'histoire crit. du V. T. (II. 24. p. 342 sq.), que cet interprète n'entendait point la langue hébraïque, et il y a aussi lieu de douter, qu'il ait assez su de grec pour traduire le N. T. sur l'original. Au moins me parait-il que toute son habileté consiste à réformer quelques endroits de la Bible d'Anvers qu'il suit ordinairement jusqu'à l'orthographe des paroles. Ses corrections ne sont pas même toujours bien fondées... Un des plus grands efforts de ce premier traducteur de Genève est d'avoir dégradé les Évêques, les Prêtres, les Diacres, les Prédicateurs et même les Apôtres et d'avoir substitué en leur place des surveillants, des anciens, des ministres, des hérauts et des ambassadeurs ».

9. *Reuss* in Herzog P. R. E. Ed. 1. XIII. p. 100. 102. Melius tamen de V. T. versione sentit in Gesch. d. N. T. Ed. 5. II. p. 214, at ibi quoque de genevensi asserit : « Bei ihren unzähligen Umwandlungen und Verbesserungen ist sie immer hinter der Sprache und der Wissenschaft zurückgeblieben ». Ceterum cfr *Lelong* Biblioth. s. I. p. 343 sqq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 342-348; Hist. crit. des versions p. 329-337.

10. *Rich. Simon* Hist. des versions p. 338; Hist. du V. T. p. 349; *Lelong* l. c. I p. 346, qui similia iudicia Huetii aliorumque affert.

11. Cfr *Lelong* l. c. p. 351 sq., *Reuss* Gesch. d. N. T. II. p. 225 sqq.

3.) Anglicanae versionis primus auctor est *Guil. Tyndal,* qui haereticis placitis captus sacerdotalisque sui characteris oblitus Wittembergam aufugit ibique Novum T. anglicum edidit (1526); dein cum *Mil. Coverdale* Veteris T. versionem aggressus sed morte violenta abreptus (1536) opus inceptum socio terminandum reliquit. Coverdale igitur versioni ultimam manum imposuit lutheranam praesertim translationem et Vulgatam secutus; num primigenium textum adhibuerit, non constat. Utriusque Testamenti versionem praefationibus notisque a *Thom. Matthew* auctam instigante Cranmero approbavit Henricus VIII. (*Matthew's Bible* 1538). Quum vero praefationes et notae hae parum placerent, Coverdale ipse opus suum revisit et Cranmer eidem novam praefationem dedit (*The great Bible* vel *Cranmers Bible* 1539); tempore Eduardi VI. haec sola inter Angliae protestantes adhibebatur. Regnante Elisabetha *Matth. Parker* cum suis pseudepiscopis illam novae correctioni subiecit (*The Bishop's Bible* 1568); tertia demum correctio ad textus primigenios facta est a congregatione quadam theologorum anglicanorum ex auctoritate Iacobi I., unde editio haec, quae hodie adhuc in usu est, nomine regiorum Bibliorum vocata est (*The rogal Bible* 1611). Ultimis his temporibus nova eius emendatio suscepta est. Ob linguae puritatem merito suo non caret, atque in recentissima Novi Test. emendatione quaedam menda haeretica ablata sunt [12].

Praeter hanc versionem, quae inter anglicanos publica auctoritate potitur, altera commemoratione digna est, quacum diu de primatu concertavit. Quum Eduardo VI. mortuo Maria regina catholicam religionem in Angliam restituere conaretur, Mil. Coverdale, Guil. Wittingham, Ant. Gilbie aliique puritani Genevam aufugientes novam versionem ex ipsis primigeniis textibus composuerunt Genevaeque eam imprimendam curarunt, unde nomen suum traxit (*The Geneva Bible* [13] 1560). Quamvis in notis non pauca invenirentur, quae anglicanae sectae erant contraria, ita ut episcopis anglicanis Biblia genevensia quam maxime essent odiosa, toto Elisabethae regno tamen frequentiore in usu erant, quam Biblia episcopalia, nec ipsa regia Iacobi I. editio eorum usum plane exstirpare potuit. Versiones minoris auctoritatis ediderunt *Humphrey Prideaux* (1722), *Alex. Geddes,* sacerdos apostata (1780) aliique [14].

Ut novam haeresin inter Hibernos propagarent, hibernicam versionem a *King* adornatam *Guil. Bedel,* episcopus anglicanus kilmoriensis, recognovit notisque instruxit [15].

12. Novam hanc versionis receptae (the authorized version) recensionem prae ceteris vehementissime (sed non semper iniuste) impugnavit *J. W. Burgon* The revision revised. London 1883. Quid catholici de illa sentiant, cfr *Mainzer Katholik* 1881. II. p. 249 sqq.

13. The Geneva Bible etiam cognita est nomine « *The breeches Bible* », quia Gen. 3, 7 περιζώματα voce anglica *breeches* (bracae) redditum est.

14. Cfr Lelong Biblioth. s. I. p. 418 sqq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 338 sqq., 532 sq.; Hist. des versions p. 509 sqq.; *Schoell* in Herzog P. R. E. Ed. 2. IV. p. 242 sqq.; *Wetzer u. Welte* Kirchenlex. Ed. 2. II. 765 sqq.; *Mombert*, A Handbook of the English Versions of the Bible (New York 1883) etc.

15. *Lelong* Biblioth. I. p. 445.

4.) ITALICAM versionem Scripturarum haereticam primus edidit *Ant. Bruccioli* (*supra* 184), quae, quum in Italia prohiberetur, Genevae et Lugduni saepius typis est repetita; alteram Novi T. haereticam versionem adornavit *Maximus Theophilus*, benedictinus apostata (1551); at utraque adhiberi desiit, postquam *Ioan. Diodati* suam translationem in lucem edidit (1607). Hodie adhuc a protestantibus propagatur et apud Waldenses italos publicam auctoritatem habet; iuniores autem versiones protestanticae ab ea dependent[16].

At operae non est pretium omnium nationum versiones protestanticas recensere. Protestantes enim, quum Scripturas unicum revelationis fontem agnoscant omnesque christianos ad eas legendas lege quadam, cuius vestigium quidem nullum invenitur, obstrictos esse contendant, quin etiam propagatis et divenditis Bibliis ipsam christianam religionem inter Iudaeos, Mahummetanos, Ethnicos propagare se posse inepti censeant, hoc nostro praesertim saeculo summo cum ardore translationes novas in fere omnes linguas, quarum nomina hucusque vix cognita erant, et dialectos elaborare coeperunt; societas biblica londinensis circa centum quinquaginta diversas versiones edidisse dicitur aliaeque societates biblicae eam aemulatae sunt. At plurimae ex hisce versionibus, utpote ab hominibus non solum linguarum illarum, in quas vertere volunt, suaeque ipsius, ex qua vertunt, fere omnino ignaris sed etiam ipsas Scripturas neutiquam intelligentibus elaboratae, nullum prorsus habent valorem atque saepissime dogmata christiana risui et despectui christianorum et ethnicorum exponunt. Ad quid igitur eiusmodi opera recensebimus[17]?

16. Cfr *Lelong* Biblioth. s. I. p. 359; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 340 sqq., Hist. des versions p. 491 sqq.

17. Cfr *Malou* De la lecture de la Bible II. p. 460 sqq. qui multorum protestantium verba citat severissime hanc vertendi libidinem vituperantium; *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 5. II. p. 239 qui interpretum istorum opera appellat « wohlgemeinte aber nothwendig unvollkommene Fabrikarbeit » et adnotat societates biblicas, quarum ope sinicae versiones adornatae sunt, vehementer inter se concertare, quum ne in nomine Dei quidem exprimendo consentiant; similes controversias de turcica N. T. versione exortas esse etc. Quomodo istae versiones adornentur, narratur in periodico Journal asiatique (Paris 1823. II. p. 180. Malou l. c. p. 471) : « Dans la salle de l'établissement des missionnaires Baptistes de Singapour, où se font les traductions indiennes, les différents *Pandits*, ou hommes habiles dans les langues de l'Asie, sont placés de manière à former un cercle, au centre duquel est placé un *Pandit* versé dans l'*hindoustani*, langue avec laquelle on suppose que les autres sont bien familiarisés, et dans l'*anglais*, dont le Pandit doit lui-même avoir une connaissance approfondie. Aussitôt que les *Pandits* Mahrattes, Seikh, Guzarate,

Orissa, Barmah, etc., ont préparé ce qui leur est nécessaire pour écrire, un missionnaire, ou tout autre Européen ou Anglo-Asiatique, lit un verset dans le *texte anglais*, et ce verset lu mot à mot par l'Anglais est répété mot à mot en hindoustani par le *Pandit* du centre, et, en l'entendant, les différents *Pandits* qui l'entourent le mettent mot à mot dans leur langue ou dialecte particulier; et c'est ainsi que l'ouvrage se complète ». Risum teneatis, amici!

CAPUT VI.

DE USU CRITICO TEXTUUM PRIMIGENIORUM ET VERSIONUM ANTIQUARUM.

§ 21. — *Criticae sacrae praecepta praecipua.*

186. — « Codicibus emendandis, inquit S. Augustinus, primitus debet invigilare sollertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant »[1]. Ex iis, quae hucusque de textuum primigeniorum et antiquarum versionum historia narravimus deque eorum auctoritate disputavimus, illud, nisi omnia nos fallunt, satis clare elucet, omnes, quotquot habemus, divinarum Scripturarum editiones non paucis foedari erroribus, qui, quamquam fidei morumque doctrinam atque ipsam proinde S. Scripturae substantiam non attingunt, nos tamen, quominus multis in locis genuinum sacri scriptoris textum atque adeo ipsius Spiritus S. verba cognoscamus, non parum impediunt. Quare illud S. Augustini praeceptum hodie quoque valet; S. Scripturae igitur interpres ante omnia ex innumera illa variarum lectionum multitudine veram et genuinam seligat oportet, ut ex ea genuinum sacri scriptoris sensum percipere possit. Procul quidem arcenda est effrena illa licentia, qua hodie non pauci interpretes acatholici integrum sacrum textum diiudicare et, uti ipsi aiunt, emendare, revera autem corrumpere et evertere arrogantes audent. Libros enim hos tanquam divinitus inspiratos et sacros ex manibus recipimus Ecclesiae, quae infallibili suo magisterio de eorum substantiali integritate certos nos reddit. Absit igitur, ut illos textus crisi alicui subiicere, aut quod peius foret in dubium vocare audeamus, de quibus in Ecclesia nunquam dubitatum est, et in quibus textus primigenii et antiquae versiones omnino consentiunt. Longe maxima ergo Scripturarum pars omni crisi subtracta est, atque critica interpretis ars circa illos solos textus versari potest, de quorum genuinitate in Ecclesia non constat. Ad hosce autem quod attinet, « ut iam Bellarminus indicavit Lucae Brugensi, laude digni sunt viri docti, qui scientia ceterisque praesidiis satis comparati suam conferunt operam ad genuinas lectiones in minutissimis quibuscumque explorandas et

stabiliendas » [2]; ipsa enim haec, quae homini leviter erudito et Scripturas negligenter perlustranti minutissima videntur, haud raro pleniori et perfectiori sensus intelligentiae et explicationi quam plurimum inserviunt. Quam ob causam utilissima ducimus praecepta quaedam, quibus in seligenda genuina lectione duci possimus.

1. *S. August.* Doctr. christ. II. 14 (M. 34, 46).
2. *Card. Franzelin* De divina Traditione et Scriptura Ed. 2. Romae 1875 p. 566.

187. — Criticus, id quod nomen ipsum indicat, *iudicis* munere fungitur, qui antequam sententiam suam ferat, partium testes audire et examinare tenetur. Litis autem partes lectiones variae constituunt, quae omnes pro veris et genuinis agnosci et velut primitus ab auctore conscriptae locum sibi debitum in sacro textu occupare volunt. De facto igitur historico agitur, quaenam nimirum ex illis variis lectionibus revera a manu sacri auctoris sit profecta; iam vero facta historica historicis sunt demonstranda testimoniis, neque a priore, ut ita dicamus, diiudicari possunt. Attamen in iudiciis quoque, quae de facto quodam aguntur, illae partes iure a contestatione excluduntur, contra quas tam gravia militant praeiudicia, ut plane indignae sint, quae ad causam dicendam admittantur. Simili modo etiam lectiones nonnullae a limite reiici possunt et debent, omnes illae nimirum, quae, quum interna veritate aut verisimilitudine careant, indignae sunt, quae inter varias lectiones recenseantur. Ad quas dignoscendas inserviunt haec :

1.) Nullo modo supponi potest, sacrum scriptorem vel absurdi aliquid scripsisse vel quod certis veritatibus sive rationis sive revelationis lumine cognitis contradicit. Quare lectio quaecumque, quae aut nullum prorsus sensum aut certo erroneum exhibet, aut contradictionem in S. Scripturam inducit, prorsus est reiicienda, non attenta testium auctoritate qua nititur [1].

2.) Neque supponi potest, sacrum scriptorem logicas regulas violasse; omnis igitur lectio, quae contextui aperte contradicit, tuto reiici potest. Caveas tamen, ne a priore apud temet ipse statuas quidnam scriptor dicere debuerit, et contextum aliquem *fingas*, ad quem lectiones diiudicare velis [2].

3.) Neque in genere supponi potest, sacrum scriptorem praecepta grammaticorum et rhetoricorum (uti parallelismum in poesi etc.) violasse; quare lectio illa, quae contra istas regulas peccat, minorem saltem habet probabilitatem et plerumque reiicienda videtur. At probe adnotes *a.*) nos hebraicae linguae non nisi pauca possidere documenta, ex quibus omnes eius loquendi modos et grammaticas licentias cognoscere non possumus; *b.*) graecum Novi Testamenti versionisque alexan-

drinae aeque atque latinum italae et vulgatae sermonem non ex grammaticis classicis esse diiudicandum; suos enim loquendi modos suaque grammatica praecepta habent linguae biblicae. Magna igitur cautione opus est, ne ob grammaticas, et maiore, ne ob rhetoricas difficultates lectionem aliquam reiiciendam putemus, quae multis et gravibus testimoniis externis est munita[3]. Iure tamen omnia illa reiiciuntur, quae oscitantia et negligentia vel etiam humana fragilitate librariorum in omnes codices irrepserunt menda et errata; nullo enim modo lapsus calami etc. variis lectionibus adnumerari possunt.

4.) Suum quisque habere solet stylum, suam dictionem, suos loquendi modos, nec inspiratio hanc diversitatem in sacris auctoribus abstulit aut minuit : unde contra illas lectiones, quae cum consueto scriptoris stylo pugnant aut parum concordant, grave praeiudicium adesse iure censemus. Sed tantum abest, ut hoc praeceptum pro summa habeamus norma, ad quam omnes lectiones diiudicari debeant[4], ut illud rarissimis in locis solidum praebere argumentum arbitremur. Nullum enim iudicium maiori erroris periculo expositum est, quam quod de peculiari alicuius scriptoris dictione fertur; quis enim ignorat ea, quae unus cum stylo alicuius scriptoris pugnare asserit, saepissime ab altero eius dictioni prorsus consona et conformia declarari? Multo maiori autem erroris periculo expositus est, qui de Scripturae lectione aliqua ex sacri alicuius scriptoris dictione iudicium ferre praesumit; plerique enim libri sacri tam breves sunt, ut de eorum stylo certi quidquam vix ac ne vix quidem statuere liceat[5].

5.) Critici profani difficiliorem lectionem faciliori plerumque praeferendam esse statuunt, idemque in critica sacra valere non pauci interpretes censent; at parum recte. In libris enim profanis magnus variarum lectionum numerus ex emendandi pruritu grammaticorum exortus est, qui ea, quae non satis aut omnino non intellexerunt, faciliori lectione substituta magis perspicua reddere non verebantur. In Scripturis vero, quas ceu sanctas et a Deo ipso datas magna veneratione Iudaei et Christiani semper prosecuti sunt, idem facere plerique librarii religioni sibi duxerunt, et longe maior lectionum numerus oscitantiae et ignorantiae debetur[6]. Etsi igitur criticae huic regulae non omnem auctoritatem negemus, eam tamen satis rari usus esse arbitramur[7]. Fieri enim potuit aliquoties, ut aliqua textus genuini vocabula casu quodam corrupta a diligenti librario bona fide sint correcta vel suppleta, magis obviis ideoque explicatu facilioribus lectionibus substitutis.

1. Ex hoc capite ex. gr. reiicienda videtur lectio massorethica *Ps.* 109 (110), 3, maxime verba לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, pleraeque quoque lectiones, in quibus לא et לו confusae sunt, ex. gr. 1 *Reg.* (*Sam.*) 2, 3. 16; 20, 2 etc.

2. Ex. gr. 1 *Cor.* 1, 26 lectio οὖν, quam praebent aliqui boni codices, reiicienda est, et γὰρ relinquendum, quum S. Paulus eo in loco assertum suum ex facto cognito demonstrare velit; num vero 7, 7; 11, 31 γὰρ an δὲ legendum sit, e contextu diiudicari non potest.

3. Huc ex. gr. spectant illae lectiones, quae ἵνα aliasque coniunctiones finales cum indicativo coniungunt, cuius loco byzantini codices frequenter coniunctivum exhibent, atque similia; huc quoque lectiones illae, quas Samaritanus invexit, ut formas suae dialecto accommodaret, et alia eiusmodi.

4. De Wette-Schrader Einl. p. 236 « Die *Eigenthümlichkeit* des Schriftstellers in Denkweise, Sprache und Vortrag... ist eigentlich die oberste Richtschnur, nach welcher der Kritiker wie der Exeget Alles (!) zu beurtheilen hat ».

5. Quaedam tamen ex hoc principio decernere licet; si ex. gr. videmus in Pentateucho ubique הוא et נער etiam pro feminino adhiberi, paucissimi illi loci, in quibus היא et נערה leguntur, tuto corrigi possunt, et immerito Samarit. omnibus prioribus in locis formas femininas scripsit.

6. Cfr *Himpel* in Tüb. Quartalschr. 1870 p. 685.

7. Ex. gr. *Matth.* 27, 9 lectio Ἱερεμίου pro Ζαχαρίου omnino est retinenda, quia altera haec ad removendam difficultatem invecta videtur; e contra *Gen.* 2, 2 lectio ששי, quam Alex., Sam., Syr. sequuntur, massorethicae lectioni שביעי, quam sequitur Vulg., praeferenda videtur, quamvis sit facilior; item *Gen.* 4, 8 verba « egrediamur foras » in textu sunt relinquenda cum Alex., Samar., Syr., quamvis eorum omissio textum massorethicum reddat difficiliorem etc. Mirum est, quantum huic praecepto tribuat *Griesbach* (Nov. Test. graece. Ed. 3. Berolini 1827. I. Proleg. p. LIX sqq.). Postquam enim primo loco statuit, breviorem lectionem verbosiori esse praeferendam (quae regula, ut per transennam hoc dicamus, erronea est, quum alii quidem librarii ad glossas in textum recipiendas sint proni, alii autem etiam ea, quae necessaria sunt, omittant, ita ut singulorum codicum character accurate sit examinandus), quinque praecepta de difficiliore lectione affert: « 2.) *Difficilior* et obscurior lectio anteponenda est ei, in qua omnia tam plana sunt et extricata, ut librarius quisque facile intelligere ea potuerit... 3.) *Durior* lectio praeferatur ei, qua posita oratio leniter suaviterque fluit... 4.) *Insolentior* lectio potior est ea, qua nihil insoliti continetur... 5.) Locutiones *minus emphaticae*, nisi contextus et auctoris scopus emphasin postulant, propius ad genuinam scripturam accedunt, quam discrepantes ab ipsis lectiones, quibus maior vis inest aut inesse videtur... 6.) Praeferatur aliis lectio, cui sensus subest apparenter quidem falsus, qui vero re penitius examinata verus esse deprehenditur ». Quae regulae ne tum quidem, si variae lectiones, quae sub hoc respectu in contentionem veniunt, *aequali* prorsus externorum testimoniorum auctoritate fulcirentur, *certitudinem* aliquam parere possent, multo minore autem attentione sunt dignae, si facilior et lenior et minus insolens et magis emphatica lectio maiore externa auctoritate nititur. Etenim supponunt omnes fere varias lectiones ex corrigendi libidine librariorum esse exortas; quod erronee supponi diximus.

188. — Repudiatis igitur illis lectionibus, quae ob intrinsecas rationes, si ita loqui fas est, genuinae esse nequeunt, inter reliquas vera aut saltem probabilior seligatur oportet, ideoque singularum testes examini sunt subiiciendi; non eadem enim omnes potiuntur auctoritate, quare non numerentur, sed ponderentur necesse est.

Certissimum argumentum genuinae lectionis praebere *locos parallelos* facile quis putaverit, at vix unquam certum testimonium nobis praebent. Etenim duo scriptores, qui idem factum referunt, nec eadem verba adhibere, nec eadem semper adiuncta et circumstantias commemorare solent; scriptor vero, qui praedecessoris verba laudat, illa saepius e memoria sua, quam ex codice affert, ad sensum multo magis quam ad verba attendens. *S. Hieronymus* iam conqueritur, quod ex locis parallelis Evangeliorum textus non sit emendatus, sed corruptus : « magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint addiderunt; vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat ad eius exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos » [1]. Ad illam igitur criticam, de qua hoc loco agimus quaeque, quibus *verbis* usus sit sacer scriptor, examinat, loci paralleli, etsi ad genuinum sensum determinandum plurimum conferant, vix unquam adhiberi possunt.

1.) Primum igitur examinandi sunt *codices,* qui lectionem aliquam tuentur : quo in examine potissimum attendatur oportet ad tempus et locum, quo conscripti sunt, ad diligentiam, qua librarius et corrector muneribus suis functi sunt; inquirendum deinde ex quonam fonte profluxerint. Haud raro enim multos codices ex uno solo descriptos esse ex singularibus quibusdam lectionibus, quas omnes exhibent, deprehenditur; quo in casu patet, illos omnes non nisi unum solum testem repraesentare. In varias igitur familias, quantum eius fieri potest, codices sunt dispertiendi, atque familiae potius quam singula familiarum membra ad testimonium admittantur oportet. Omnes ex. gr. codices hebraici, quos superstites habemus, unam solam, aut ad summum duas familias (orientalem et occidentalem) constituere videntur; etsi enim eos omnes ex uno solo codice iuniore descriptos esse non admittamus (96), omnes tamen secundum eadem principia massorethica sunt correcti et emendati, ita ut ex primitivis suis fontibus paucas tantum lectiones conservaverint, quae emendatorum attentionem effugerunt. Massorethica igitur lectio, quamquam maximo codicum numero asseritur et defenditur, plerumque tamen unum solum pro se habet testem, nimirum Massoretharum auctoritatem [2]. Ceteris tamen paribus in genere, uti iam *S. Augustinus* monuit, antiquiores codices iunioribus, emendatique non emendatis praevalent auctoritate [3].

2.) Secundo loco veniunt *antiquae versiones*, atque proxime illae, quae immediate e textibus primigeniis factae sunt, dum mediatae versiones matrici emaculandae directe, sed textui primigenio emendando remote

tantum et indirecte inserviunt. Ut vero ex versionibus de lectione aliqua diiudicemus, *a.*) nobis constare debet de ipsius versionis genuina lectione; eidem enim fato, cui textus primigenii, ipsae quoque subiectae, purae et integrae ad nos non pervenerunt; *b.*) ita deinde comparatae sint versiones oportet, ut certo ex illis cognosci possit, quid interpres in suo exemplari legerit; haud raro enim interpres explicationis gratia voculas nonnullas addunt, aut omittunt, aut verbis neglectis solum sensum exprimunt, aut metaphoras mutant etc. Quod si ad haec attenderimus, iure statuimus, « priscas versiones vices nunc gerere vetustissimorum codicum, ex quibus sunt haustae, tantoque praestantiores habendas esse earum lectiones, quanto propius illarum codices ad sacrorum autographorum tempora accedebant »[1]. In Vetere Test. igitur alexandrina, Peschito, Vulgata et fragmenta versionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis, summam habent auctoritatem, qui omnibus superstitibus codicibus hebraicis multo sunt antiquiores; in Pentateucho etiam Onkelosi paraphrasis et versio samaritana in considerationem veniunt, minoris vero pretii aliae sunt paraphrases, quia nimia cum libertate textum sacrum tractaverunt. In Novo Test. Itala et Vulgata, Peschito, copticae antiquissimis nostris codicibus graecis saltem sunt aequiparandae, atque aethiopica quoque, gothica, armeniaca magna sua auctoritate non carent.

3.) *SS. Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum allegata* in hoc iudicio non parvi sunt momenti. Attendendum quidem est, SS. Patres, praesertim antiquissimos, e memoria potius quam e codicibus suis Scripturas allegare, atque sciolos quosdam librarios haud infrequenter eorum allegationes codicibus suis conformasse. At ex ipsis Patrum argumentationibus aut explicationibus, quamnam lectionem secuti sint, cum certitudine non raro deprehendimus, illorumque testimonia, uti diximus, magnae sunt auctoritatis, quia codices nostris superstitibus plerumque antiquiores adhibuerunt, immo antiquissimorum Patrum codices ipsam quodam modo apostolicam aetatem attingunt. De Veteris Test. utique textu primigenio, praeter Originem et S. Hieronymum, qui soli linguam hebraicam callebant, directum testimonium ferre non possunt; graecus autem quis fuerit suo tempore Novi textus et quisnam status alexandrinae versionis, graeci Patres directe testantur, et ex latinis non raro SS. Hieronymus et Augustinus; reliqui Latini demum antiquas latinas lectiones nos docent.

1. *S. Hieron.* ad Damas. Praef. in Evang.

2. Samaritanum tamen Pentateuchum cum suis codicibus familiam separatam constituere, opus non est ut dicamus. Ceterum cfr ea, quae de hebraicis codicibus

diximus *supra* 99, de graecis N. T. *supra* 113, de alexandrinis *supra* 133, de latinis 138. *n*. 9. et 169, etc.

3. *S. August.* de doctr. christ. II. 14 (M. 34, 46).

4. *De Rossi* Variae lectiones V. T. I. Proleg. p. XXIX.

189. — Ex iis, quae diximus, sua quasi sponte haec fluunt praecepta :

1.) Lectio, quae omnium codicum, versionum, Patrum auctoritate munitur, pro vera et genuina admitti potest ac debet. Quod quum in longe maiore Utriusque Test. parte obtinet, de substantiali Scripturarum integritate dubitandi nullus est locus, etiamsi ad sola argumenta critica attendimus.

2.) Illa quoque lectio, quae fere omnium codicum, praesertim si antiquissimi sunt et ad diversas familias pertinent, aeque ac plerorumque antiquiorum Patrum et versionum testimonio fulcitur, pro genuina admittenda est, etsi forte iuniores aliqui codices et Patres aut una alterave versio dissentiant.

3.) Textus hodierni hebraici lectionem, etsi omnium codicum massorethicorum testimonio nitatur, reiiciendum esse arbitramur, si contra eam pugnant unanimia alexandrinae, syriacae, vulgatae testimonia, idque maxime si etiam chaldaeus dissentit et in Pentateucho samaritanus. Illa vero lectio, quam unanimi suo testimonio editiones hae tuentur, tuto recipi potest, etsi in paucissimis tantum hebraicis codicibus inveniatur. Dissentientibus enim codicibus, versiones praeprimis definiunt, quae sit lectio praeferenda; quin etiam tum videtur esse recipienda, si nullo in codice massorethico invenitur.

4.) Graeca quoque N. T. lectio, quae omnibus antiquis interpretibus et graecis Patribus ignota fuit, genuina esse non potest; si quae vero omnium aut plerarumque antiquissimarum versionum testimonio fulcitur nec omni antiquorum codicum graecorum auctoritate destituitur, recipienda esse videtur, quam primum gravium nonnullorum Patrum testimonia accedunt.

5.) Inter duas lectiones, quae ex codicum familiis, versionibus, Patribus aequalia fere habent testimonia, ea seligatur, quae orationis contextui magis consona aptiorem gignit sensum, aut si ex contextu definiri nihil potest, quae magis cum stylo dictioneque istius scriptoris consentit.

6.) Quod si neque ex externis illis testimoniis neque ex contextu et dictione certi quidquam erui possit, videndum est, ex quanam lectione reliquarum origo facilius explicatur, eaque probabilior censenda, quae cum maiore probabilitate reliquarum creditur esse mater[1].

7.) « Omnis autem emendatio, uti recte monet *De Rossi*, ex auctoritate communium sacrae criticae fontium fiat, *non ex sola coniectura*,

nisi textus sit aperte falsatus ac mendosus, hocque urgens et extrema cogat necessitas »[2]. Evidens enim est, nos coniecturis nostris in textum sacrum insertis, nisi nos ipsos inspiratos absurdi dicere velimus, humana divinis commiscere, id quod ne urgens quidem necessitas excusare poterit; quare illis in casibus nostram ignorantiam confiteamur oportet, textum autem illo in statu relinquamus, in quo nobis traditus est, donec forte documentis antiquis hucusque ignoratis e bibliothecarum pulvere erutis res definiatur.

At fusius haec explicare innumerasque varietates enumerare et definire, quae dissentientibus inter se codicibus, codicum familiis, versionibus, Patribus exoriuntur non est huius loci[3]; pauca enim, quae tradidimus, praecepta critica quotidiano usui sufficiunt. Illud unum praeprimis semper prae oculis habeat, quicumque S. Scripturarum lectiones varias diiudicat, de re agi maximi momenti; genuina enim Spiritus S. verba cognoscere eaque ab humanis discernere vult : quare magna cum prudentia magnam coniungat textus sacri venerationem necesse est magnamque pietatem. Procul sit enim animus ille non minus stultus quam improbus et scelestus, quo Griesbach statuit « lectionem, quae prae aliis sensum pietati (praesertim monasticae) alendae aptum fundat », suspectam esse aeque atque illam, « quae orthodoxorum dogmatibus manifeste prae ceteris faveat »[4]. Num forte ad impietatem alendam et haeretica placita stabilienda datas esse censet Scripturas? Etsi igitur libentissimi concedamus, « codices hodie superstites plerosque, immo omnes, exaratos esse a monachis aliisque hominibus catholicorum partibus addictis », non videmus ullam rationem, ob quam codices ab illis exaratos pro falsificatis aliquis habere possit. Asserit quidem « lectiones quascumque, etiam manifesto falsas, dummodo orthodoxorum placitis patrocinarentur, inde a tertii saeculi initiis mordicus defensas seduloque propagatas, ceteras autem eiusdem loci lectiones, quae dogmati ecclesiastico nihil praesidii afferrent, haereticorum perfidiae attributas temere fuisse »; at impudentissimi huius asserti nec ullum argumentum attulit nec afferri potuit; si enim invenitur lectio, quae *inde a tertii saeculi initiis* mordicus a catholicis Patribus defensa et propagata est, ea apud omnes prudentes criticos tanta potitur auctoritate, ut nemo illam temere confictam dicere audeat. Sed ad quid insolentiis et calumniis his immoremur?

1. *Tischendorf* (Nov. Test. gr. Ed. 7. Proleg. p. XLII) praeceptum hoc : « probabilis prae ceteris ea est lectio, quae reliquarum ansam dedisse vel etiam earum elementa in se continere videtur, » vocat « omnium regularum principium »; immerito autem, ni fallor; ipse enim fateri cogitur, principium hoc « eiusmodi esse, quod alius aliter, iure quidem suo, ut cuique videtur, definiat sequaturque »

atque suo ipsius agendi modo docet, quam lubricus et incertus sit eius usus. Ut enim doceat, quomodo adhibendum sit, affert duo « idonea exempla », inter quae prius est *Matth.* 24, 38, quo in loco secundum hoc principium legere vult : ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ κατακλυσμοῦ, quamvis unus tantum codex uncialis (L.) hanc lectionem habeat. At paucis annis post melius, ut videtur, edoctus dimisso illo « omnium regularum principio » in edit. 8. ad meliorum codicum et versionum auctoritatem reversus legit ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ.

2. *I. B. de Rossi* Lectiones variae V. T. I. Proleg. can. 92. 93. p. LVI. Relate ad Nov. T. cfr *Scrivener* Introduction to the Crit. of the N. T. p. 490 : « It is now agreed among competent judges that Conjectural Emendation must never be resorted to, even in passages of acknowledged difficulty; the absence of proof, that a reading proposed to be substituted for the common one is actually supported by some trustworthy document, being of itself a fatal objection to our receiving it »; cfr etiam *Westcott and Hort* The New Test. Introd. p. 277.

3. Fusius regulas criticas exponunt relate ad Vet. Testam. *De Rossi* Variae lect. I. Proleg.; relate ad N. T. *Tischendorf* Nov. Test. gr. Ed. 7. Proleg.; *Westcott et Hort* The New Test. Introduct.; *Scrivener* Introd. to the Criticism. of the N. T. aliique.

4. *Griesbach* Nov. Test. gr. Ed. 3. Proleg. Sect. III. Reg. 6 et 8. p. LXI.

§ 22. — *De sacrae criticae subsidiis.*

190. — Ex dictis apparet, quam difficilis sit critica sacra, et quot quantasque praesupponat et requirat cognitiones. Nisi quis enim in diiudicandis variis Scripturae S. lectionibus maximo errandi periculo exponere sese velit, ante omnia universae theologiae scientia instructus sit oportet, ut a limine illas discernat lectiones, quae quomodocumque revelatae doctrinae repugnent; neque minore indiget Scripturarum cognitione, non solum ut videat, quae lectio contradictionem aliquam contra alium textum certum ingerat, sed ut singulorum quoque scriptorum dictione, quantum fieri potest, optime perspecta, quid magis cum illa consentiat, dignoscat et eligat. Linguarum igitur hebraicae, graecae aliarumque, quarum versiones examinandae sunt, scientia requiritur non communis et ordinaria, sed illarum certo quodam modo natura intima imbutus sit oportet; quum enim decurrentibus saeculis mutationi continuae fuerint subiectae, quaenam singulis aetatibus habuerint propria, discernendum illi est. Vastissima dein et accuratissima illi necessaria est codicum et editionum notitia, quorum aetas, origo, familia distingui debent; patristicorum operum eorum saltem, quae de Scripturis agunt, lectio et intelligentia praerequiruntur, immo, si de Vetere Testamento agitur, rabbinorum quoque tractatus cognitos habeat necesse est. Profecto hominis vita longissima non sufficeret, si quis per se solus omnes varias lectiones colligere vellet, et quotusquisque invenietur tanta scientia instructus, ut eas

omnes diiudicare possit? Quam plurimi studiorum suorum fructus in unum conferant oportet, nec tamen sperare licet fore, ut textum sacrum omni ex parte certum et absolutum unquam recipiamus.

A tribus ultimis saeculis novo quodam cum ardore multi viri docti et eruditi omnem suam operam in eo collocarunt, ut ad genuinum sacrorum librorum textum perveniretur. Codices antiquos ex bibliothecarum pulvere erutos aut ex dissitis terris conquisitos perlustraverunt, antiquas versiones attentissimo examini subiecerunt, Patrum opera omnia pervestigarunt et excusserunt, atque ex omnibus his fontibus tantam variarum lectionum multitudinem congesserunt, ut vix sperandum sit fore, ut novis detectis codicibus vel Patrum operibus nova quaedam lectio, quae speciali attentione digna sit, detegatur. Quare praecipuum studium nunc iam eo dirigendum est, ut ex sanis criticae artis principiis cognitae lectiones diiudicentur. In superioribus praecipua illa principia indicavimus; restat ut illa subsidia indicemus, quibus hodie in difficillimo critici munere fungendo adiuvamur.

Primo loco, uti per se patet, huc referendi sunt *apparatus critici*, i. e. insignia illa opera, in quibus varias lectiones omnes collectas habemus additis illis fontibus, ex quibus haustae sunt, et testimoniis omnibus, quibus confirmantur. In historia textuum primigeniorum et versionum passim praecipuos nominavimus, et quidnam hucusque desideretur ostendimus. Opus igitur non est, ut hoc loco fusius de iisdem agamus. Huc quoque praecipuorum *codicum editiones* spectant, quas etiam plerasque iam nominavimus[1]. Eidem fini demum inserviunt etiam *Biblia polyglotta*, quo nomine illae Scripturarum editiones designantur, quae earum textus primigenios una cum antiquis versionibus aut omnibus aut praecipuis exhibent. Sat magnus eorum est numerus, sed inter ea quatuor ita eminent, ut speciali descriptione sint digna.

1. De textu hebr. 99. et *n*. 9.; de graeco N. T. 116; de alexandrina versione 131 *n*. 12; 133; de itala et vulgata 138 *n*. 8; 174 *n*. 8; de aegypt. 141 *n*. 3.; de aethiopica 143 *n*. 6.; de gothica 144 *n*. 7; de armeniaca 145 *n*. 9.; de syriacis 147 *n*. 7; 158 *n*. 10 etc.

191. — 1.) *Complutensia*[1]. Cardinalis Ximenes primus fuit, qui edendorum polyglottorum consilium cepit et exsecutus est. Quem sibi in hoc opere finem praefixerit, ipse in primo prologo, qui totum opus Leoni X. dedicat, satis clare explanat: « Multa sunt, beatissime Pater, quae ad excudendas impressoriis formis originales sacrae Scripturae linguas nos incitarunt. Atque haec imprimis, quod quum uniuscuiusque idiomatis suae sint verborum proprietates, quarum totam vim non possit quantumlibet absoluta

traductio prorsus exprimere, tum id maxime in ea lingua accidit, per quam os Domini locutum est... Accedit quod ubicumque latinorum codicum varietas est, aut depravatae lectionis suspicio (id quod librariorum imperitia simul et negligentia frequentissime accidere videmus), ad primam Scripturae originem recurrendum est : sicut B. Hieronymus et Augustinus ac ceteri ecclesiastici tractatores admonent; ita ut librorum Veteris Testamenti sinceritas ex hebraica veritate, Novi autem ex graecis exemplaribus examinetur ». Exegeticum igitur simul et criticum finem sibi praefixit; criticus autem ille praecipuus fuit, ut latinae editionis genuina lectio dignosceretur; unde iam satis patet, quam absurda sit eorum criticorum opinio, qui eum ad latinum textum graecum conformasse olim opinati sunt. Ceterum quanta fuerit apud eum Vulgatae auctoritas, in Prol. 2. ad lectorem clare enuntiat : « Mediam inter has (hebraicam et graecam V. T. editiones) latinam B. Hieronymi translationem posuimus, tamquam duos hinc et inde latrones, medium autem Iesum, i. e. romanam ecclesiam collocantes. Haec enim sola supra firmam petram aedificata, reliquis a recta Scripturae intelligentia deviantibus, immobilis semper in veritate permansit ».

Anno 1502 Cardinali Ximene impensas ministrante doctissimi viri aliqui Hispaniae opus praeparare coeperunt; hebraicum et chaldaicum textum curarunt tres Iudaei conversi, *Alphonsus Medicus* complutensis, *Paulus Coronellus, Alphonsus de Zamora,* graecum et latinum *Demetrius Ducas* cretensis, *Aelius Antonius* nebrissensis, Iacobus *Lopez Astuniga* (Stunica), Ferdinandus *Nonnius de Gusman* pintianus. Ineunte anno 1514 Novi Testamenti impressio iam erat absoluta in urbe complutensi (Alcala de Henares); tribus annis post etiam Vetus typis erat excusum; ad opus tamen in lucem edendum approbationem Summi Pontificis exspectavit Cardinalis, sed e vivis sublatus est, antequam Leonis X. diploma, quod datum est 22. martii 1520, in Hispaniam advenerit. An. 1522 demum approbatione hac munita *Polyglotta complutensia* in lucem prodierunt.

Prima quatuor volumina inscripta sunt : *Vetus Testamentum multiplici lingua nunc primum impressum.* Volumen 1. Pentateuchum quatuor linguis exhibet; superior enim paginae pars in tres columnas est divisa, quarum prima hebraicum textum vocalibus signis instructum sed sine accentuum notis (excepto Athnach) exhibet, media vulgatam, tertia alexandrinam, quae et accentibus est ornata et latina versione interlineari aucta. Singulae voces hebraicae et vulgatae literas latinas superscriptas habent, quibus ea vocabula, quae sibi in utroque textu correspondent, indicantur. Inferior pars paginae aramaicam Onkelosi paraphrasin una cum versione latina habet duabus columnis. Tria sequentia volumina reliquos libros protocanonicos hebraice, graece et latine, deuterocanonicos graece et latine tradunt; graecus textus ubique versione interlineari instructus est, in Psalterio tamen Vulgata ipsa ei pro interlineari inservit, et Vulgatae locum media in columna occupat Hieronymi Psalmorum versio. Volumen 5. « Vocabularium hebraicum atque chaldaicum totius Veteris Testamenti cum aliis tractatibus », sc. grammatica aliqua hebraica; Volumen 6. demum Novum

Testamentum graece (sine accentibus) et latine continet, duplicique vocabulario terminatur, priore vocabula hebraica in N. T. occurrentia explicante, altero graeco-latino. Quum sexcenta tantum huius operis exemplaria sint impressa, admodum raro inveniuntur; graecum autem eius et latinum textum in re critica non parvi esse pretii diximus.

2.) *Antwerpiensia* seu *regia*. Medio saeculo postea alterius Hispani, ipsius sc. Philippi II. regis, munificentia alteram polyglottorum editionem orbi catholico dedit, quae versionum numero et praesertim apparatu ditiore priorem longe superavit. Ab anno enim 1569-1572 Antwerpiae ex celeberrimi typographi Christ. Plantini officina octo magnis voluminibus prodierunt : « Biblia sacra hebraice, chaldaice, graece et latine, Philippi II. Regis catholici pietate et studio ad sacrosanctae Ecclesiae usum ». Inter editores primum locum tenuit *Bened. Arias Montanus* hispalensis, qui « pro munere sibi a rege demandato postremam semper adhibuit perlustrationem, examinationem atque approbationem » ; adiutores habuit aliquos, qui scientia et eruditione illum aequabant, immo forte superabant, *Andream Masium, Franc. Lucam Brugensem, Ioannem Harlemium* S. I., *Guidonem Fabricium Boderianum* eiusque fratrem *Nicolaum, Franc. Raphelengium, Ioannem Livincium, Guilelm. Canterum*. Priora quatuor volumina ad ea, quae in complutensibus exstant, etiam reliquorum librorum paraphrases aramaicas addunt una cum earum versione latina; vol. 5. graeco et latino N. T. textibus syriacum adiungit tum propriis tum hebraicis literis excusum. Tria reliqua continent apparatum biblicum; vol. 6. grammaticam hebr. et epitomen thesauri hebr. Sanctis Pagnini a Raphelengio concinnatam, grammaticam syriacam et lexicon syro-chaldaicum auctore Guidone Boderiano, atque Masii quoque grammaticam et lexicon syriac., demum grammat. et lexic. graec.; vol. 7. hebraicum exhibet Veteris et graecum Novi Test. textum cum Pagnini versione interlineari correcta ab Aria Montano; vol. 8. demum praeter catalogum idiotismorum hebraicorum multas Ariae Montani de antiquitatibus hebraicis complectitur dissertationes. Textus hebraicus est complutensis cum bombergiano collatus, textus graecus V. T. item complutensis, et graecus N. T. complutensis cum aldino collatus. Ex complutensi etiam desumta est paraphrasis Onkelosi, eius versio tamen ab Aria Montano recognita; reliquae paraphrases sunt ex bibliis bombergianis desumtae eiusque versiones partim ex codicibus Alphonsi de Zamora Compluti asservatis desumtae, partim ab Aria Montano et Raphelengio additae.

3.) *Parisiensia* omnium polyglottorum splendidissima quidem sunt, sed non eiusdem, cuius reliqua, auctoritatis. Impensas subministravit *Guido Mich. Le Jay*, advocatus curiae regiae, editores praecipui fuere *Ioannes Morinus* et duo Maronitae, *Gabriel Sionita* et *Abraham Echellensis*. An. 1629 volumen primum prodiit hoc titulo : « Biblia hebraica, samaritana, chaldaica, graeca, syriaca, latina, arabica; quibus textus originales totius Scripturae S., quorum pars in editione complutensi, deinde in antwerpiensi regiis sumtibus exstat, nunc integri ex manuscriptis toto fere orbe quaesitis

exemplaribus exhibentur »; ultimum volumen 10. non nisi anno 1645, litibus quae inter Jayum et Sionitam agitabantur, impressionem retardantibus, in lucem est editum. Duabus quasi partibus integrum opus constat, quarum prior quinque tomos sex voluminibus comprehendens nihil est nisi editionis antwerpiensis iteratio; in eo solo distinguitur, quod loco syriacae Novi Test. editionis, quae hebraicis literis impressa inferiorem paginam antwerpiensem occupat, arabicus textus cum versione sit positus, quodque syriacam quoque quatuor minorum epistolarum catholicarum et Apocalypseos versionem, quae in antwerpiensi volumine desiderabatur, ex Pocockii et Ludovici de Dieu editionibus receperit. Altera dein pars quatuor ultimis voluminibus editionem principem Pentateuchi samaritani et versionis samaritanae continet et syriacam arabicamque versionem omnium Veteris Test. librorum protocanonicorum.

Non immerito editores vituperantur ob negligentiam, qua in textibus biblicis eligendis usi sunt. Illo enim tempore, quo opus suum coeperunt, iam diu in lucem prodierant sixtina alexandrinae versionis et clementina Vulgatae editiones; paraphrasin aramaicam antwerpiensem ex bombergiana mutarunt et interpolarunt, versionem vero antwerpiensem intactam reliquerunt, ita ut textus et versio dissentiant. Eiusdem dein libri versiones in varios tomos ab invicem separaverunt, nec ullum dederunt apparatum; quare parisiensis editio, etsi externa specie antwerpiensem superet atque ob additos samaritanos, syriacos et arabicos textus sua auctoritate non plane careat, in genere tamen duobus prioribus polyglottis inferior dicenda est.

Paucis annis postea, exemplaribus non paucis terminati operis bibliopolae aliqui novum titulum praefixerunt: « *Biblia alexandrina heptaglotta* auspiciis SS. D. Alexandri VII. anno sessionis eius XII. feliciter inchoata. Lutetiae Parisiorum apud I. Janssonium etc. 1665 ». Polyglotta alexandrina igitur eadem sunt ac parisiensia.

4.) *Londinensia* vel *waltoniana* omnium polyglottorum, quae hucusque sunt edita, optima sunt, quum plures et accuratiores textus contineant atque amplo et egregio apparatu sint instructa. Quaenam complectantur, titulus sat longus indicat: « Biblia sacra polyglotta, complectentia textus originales, hebraicum cum Pentateucho samaritano, chaldaicum, graecum versionumque antiquarum samaritanae, graecae LXX interpretum, chaldaicae, syriacae, arabicae, aethiopicae, persicae, vulgatae latinae quidquid comparari poterat, cum textuum et versionum orientalium translationibus latinis; ex antiquissimis manuscriptis undique conquisitis optimisque exemplaribus impressis summa fide collatis. Quae in prioribus editionibus deerant, suppleta; multa antehac inedita, adiecta, omnia eo ordine disposita, ut textus cum versionibus uno intuitu conferri possint. Cum apparatu, appendicibus, tabulis, variis lectionibus etc. Opus totum in sex tomos distributum edidit *Brianus Walton* S. T. D. Londini 1657 ». Quibus additi sunt duo alii tomi continentes « Lexicon heptaglotton, hebraicum, chaldaicum, syriacum, samaritanum, aethiopicum, arabicum coniunctim; et persicum separatim. Cui accessit brevis et harmonica (quantum fieri potuit) grammaticae

omnium praecedentium linguarum delineatio. Auctore *Edmundo Castello* S. T. D. Londini 1686. »

Praeter Waltonium et Castellum alii ex doctissimis Anglis eximio huic operi diligentiam studiumque suum impenderunt; in fine praefationis Walton coadiutores suos nominat [: *Edm. Castellum*, qui in samaritanis, syriacis, arabicis, aethiopicis nullam non adhibuit diligentiam et Canticum Cant. aethiopicum latine vertit, *Alexandrum Hussium*, qui textibus graeco et latino invigilavit et codicis alexandrini varias lectiones collegit, *Sam. Clericum*, qui hebraicum et aramaicum textus curavit et Evangelia persica latine vertit, *Thomam Hyde*, qui Pentateuchum persicum persicis literis transcripsit et latine vertit. In titulo novem quidem linguae enumerantur, sed nullus est liber, qui omnibus istis linguis sit impressus; Pentateuchus est octaglottus, Psalterium heptaglottum; reliqui libri protocanonici V. T. (praeter Esther) et Evangelia hexaglotta, Esther et reliqui libri N. T. pentaglotti; deuterocanonici V. T. plerique tetraglotti, sed libri Iudith et duo Machab. triglotti et fragmenta deuterocanonica Estheris diglotta. Versionem septuagintaviralem desumsit ex sixtina editione additis variis lectionibus codicis A et fragmentis Italae a Flaminio Nobilio collectis; graecam N. T. textum expressit ex editione Steph. 1550, additis iterum variis lect. cod. A; vulgatam Clementis VIII. dedit. In appendice tomi 4. exhibentur etiam Targumim Ps. Ionathanis et Ieruschalmi; integer autem tom. 6. apparatum criticum continet, in quo ad omnes textus variae lectiones afferuntur, et tomo 1. praefixae sunt variae dissertationes de antiquitatibus biblicis et optima Waltonii ipsius prolegomena, quae in historia textus et versionum saepius allegavimus.

Etsi opus hoc omnibus numeris absolutum dici non possit, iure tamen censet Masch : « londinensis editio quoad formam externam parisiensi inferior illam, si oeconomiam, recognitionem et emendationem spectas, longo post se relinquit intervallo »[2].

Praeter quatuor haec maiora nonnulla prodierunt minora et multo plura, quae aliquos tantum libros variis linguis continent[3]; quoniam scientifica auctoritate carent, ea non recensebimus, id unum addentes, usui interpretis quotidiano valde accommodata esse Biblia illa polyglotta, quae a *R. Stier* et *K. G. W. Theile* edita quinque voluminibus textus hebraicum, graecum, latinum exhibent, quibus accedit Lutheri versio germanica cum variis lectionibus aliarum versionum germanicarum[4].

1. De quatuor his bibliis polyglottis cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 514 sqq.; *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 333 sqq.; *Lelong-Masch* Biblioth. sacr. I. p. 332 sqq. etc.

2. *Lelong-Masch*. l. c. p. 382.

3. Minora polyglotta sunt : *lipsiensia* (Biblia sacra quadrilinguia V. T. curante Christ. Reineccio. Lips. 1750), *Bertrami* (S. Biblia hebraice, graece et latine. Heidelbergae 1586), *Wolderi* (Opus quadripartitum S. Scripturae. Hamburgi 1596), *Hutteri* (Biblia S. ebraice, chaldaice, graece, latine, germanice, slavonice [vel ita-

lice, vel saxonice, vel gallice] Norimbergae 1599. Editio haec ultra librum Iudicum et Ruth non progreditur). — Prima alicuius libri editio polyglotta est « Psalterium hebraeum, graecum, arabicum et chaldaicum cum tribus latinis interpretationibus et glossis », quod an. 1516 Genuae edidit *August. Iustiniani.*, O. Praed., episc. nebiensis.

4. Polyglottenbibel zum prakt. Handgebrauch, bearbeitet von *R. Stier* und *K. G. W. Theile.* Bielefeld 1847 sqq. Ultima editio stereotypa (1875) in appendice exhibet etiam varias lectiones cod. sinaitici. Dolendum quam maxime, quod simile opus a catholico interprete non sit editum.

DISSERTATIO TERTIA.

DE INTERPRETATIONE S. SCRIPTURARUM.

---

192. — De fine, divisione, fontibus huius tractatus. — Canonis Scripturarum, quem Ecclesia nobis tradit, historia enarrata fontibusque, ex quibus genuinus earum textus hauriri potest ac debet, indicatis restat, ut viam monstremus, qua ad sensum eorum germanum perveniamus. Quidquid enim olim iactaverunt et hodie iactant protestantes de Scripturarum perspicuitate, illud certum est, quam plurima in illis inveniri, quae obscurissima sunt (cfr *supra* 2). Quodsi *S. Augustinus*, postquam haud paucos iam annos in episcopali munere versatus erat, « se in Scripturis multo plura nescire quam scire », aperte fateri non erubuit[1], atque *S. Hieronymus* acriter in eos invehitur, qui sine ulla praeparatione ad Scripturas legendas et explicandas accedunt[2], facile apparet, quam necessaria sit theologo institutio, qua regulas edocetur, quibus in germano librorum sacrorum sensu dirigatur. Regulas has disciplina tradit, quae hodie *hermeneutica sacra*[3] appellatur. Iuxta *S. Aug.* duplex quidem est huius disciplinae argumentum, quum « duae sint res, quibus nitatur omnis Scripturarum tractatio: modus inveniendi, quae intelligenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt »[4]. Verum praecepta de proponendo sensu intellecto hodie in *rhetorica sacra* exponuntur, ita ut hic de solo modo inveniendi, quae intelligenda sunt, agendum sit.

Tractatum nostrum in duas sectiones distribuemus, quarum prior erit didactica, altera historica. In priore enim genuinum interpretationis systema exponemus atque variis sensus speciebus, quae distingui solent, explicatis regulas trademus, quae ad germanum sensum literalem inveniendum nos manu ducunt. In altera brevem exhibebimus conspectum historiae exegeseos, quo una ex parte clarius appareat, nostrum systema inde a Patrum aetate a catholicis interpretibus semper esse adhibitum, acatholicorum vero systemata varia divitem errorum messem produxisse, altera ex parte

subsidia insignia, quae ad intelligendas Scripturas tota antiquitas christiana nobis reliquit, accuratius innotescant.

Fontes porro, ex quibus praecepta hermeneutica haurimus, praeprimis sunt Ecclesiae ipsius decreta de sensu et explicatione Scripturarum; secundo in loco veniunt Patrum opera exegetica et homiletica, in quibus frequenter eiusmodi praecepta indicant aut explicant; tertio illa Patrum et theologorum opera, in quibus de Scripturarum interpretatione ac studio diserte agunt. Huc *Origenis* de Princip. l. IV., in quo de Scripturae sensibus eiusque interpretandi ratione satis fuse loquitur, ac praesertim *S. Augustini* tres priores libri de doctr. christ. spectant, quorum primus est de rebus in Scriptura tractatis, alter de verbis ac signis in ea adhibitis, tertius de causis obscuritatis librorum sacrorum. Multo minoris momenti sunt *S. Eucherii Lugd.* et *Adriani* opuscula, quae in solis fere figuris figuratisque expressionibus explicandis versantur [5]. Iuniores a S. Augustino fere dependent [6], usque ad S. Thomam aliosque scholasticos, qui accuratiorem theoriam de sensibus Scripturae statuerunt. Ceterum media aetate interpretes quaestiones hermeneuticas in suis prolegomenis leviter tantum attingunt; ab exorto autem protestantismo interpretes catholici eas accuratius explanare coeperunt. Quum omnes hic enumerare neque vacet neque iuvet, paucos in nota indicamus, quorum opera hodie quoque cum fructu consuluntur, praecipuosque modernos eis addimus [7].

1. *S. August.* ad Ianuar. ep. 55, 21 (M. 33, 222).

2. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 6. 7 (M. 22, 544).

3. Ἑρμηνευτικὴ (διδαχή) = disciplina interpretativa; ἑρμηνεύειν enim idem est quod « interpretari », sive alienae linguae verba in propriam transferuntur (*Ioan.* 1, 38. 42 etc., pro quo etiam μεθερμηνεύειν *Matth.* 1, 23 etc.), sive sensus dicti alicuius obscuri explicatur (i. q. διερμηνεύειν *Luc.* 24, 27). Altero hoc sensu coincidit cum verbo ἐξηγεῖσθαι (*Ioan.* 1, 19), ita ut ἑρμηνευτική et ἐξηγητική idem significent; hodie tamen nomina ita fere distinguuntur, ut priore systema aliquod regularum interpretationis designetur, altero earum applicatio practica.

4. *S. August.* de doctr. christ. Praef. M. 34, 18.

5. *Orig.* de princ. IV. 8-27 (M. 11, 356 sqq.); *S. August.* de doctr. christ. I-III. (M. 34, 15); libro IV. agit de modo, quo intellecta proponenda sint; de reliquis cfr *supra* 4 *n.* 1.

6. Inter quos *Rhaban. Maur.* De clericor. instit. III. 8 sqq. (M. 107, 384), *Hugo a S. Vict.* Eruditionis didascal. liber V. (M. 176, 789) etc.

7. *A. Salmer.* Prolegom. 7-20; *Sixt. Senens.* Biblioth. sacr. p. III ; *Bellarmin.* de verbo Dei III. 1. sqq.; *Bonfrer.* Pracloqu. 20; *Nic. Serarii* Prolegom. c. 21-23; *Frassen* Disquisit. Bibl. V. 5 et 6; *Ulloa* Decades quinque principiorum ad intellig. S. Script. (Tyrnaviae 1717). Ex recentioribus conferri merentur *Franc. Xav. Patritii* S. I. De interpretatione Bibliorum institutio (Romae 1844. Ed. 2. 1876); *I. Ranolder* Hermeneuticae bibl. principia (Budae 1838 Ed. 2. 1859); *I. Kohlgruber* Hermeneutica biblica generalis (Viennae 1850); *T. I. Lamy* Introd. in S. Script. (Lovanii 1866. I. p. 219 sqq.); *Danko* De S. Scriptura Commentar. (Viennae 1867 p. 252 sqq.); *Fr. Xav. Reithmayr* Lehrbuch der bibl. Hermeneutik (Kempten 1874), *U. Ubaldi* Introductio in S. S. Vol. 3. Hermeneutica biblica (Romae 1881) etc.

SECTIO PRIOR.

SYSTEMA HERMENEUTICUM.

CAPUT I.

DE S. SCRIPTURARUM SENSIBUS.

§ 1. — *De sensus definitione et speciebus.*

193. — Quum integer huius tractationis finis in eo sit, ut quomodo germanus e Scripturis eruatur *sensus* doceamus, ante omnia opus est, ut quidnam illo nomine intelligatur accurate definiamus, varias quae enumerari solent sensus species describamus, quid de eis sentiendum sit statuamus.

Sensus enim vocabulum latissime patet; proxime ipsam sentiendi vim facultatemque designat, transit deinde ad organa illa designanda, quos « interpretes et nuntios rerum » appellavit Tullius, ac postea ut ait Quintilianus, « consuetudo obtinuit, ut mente concepta sensus vocaremus »[1]. Quia vero ea, quae mente concepimus, verbis sive ore prolatis sive scriptis plerumque manifestare solemus, illis quoque *sensum* attribuimus illisque subesse dicimus cogitationes mentisque conceptiones, quas per ea manifestare et cum aliis communicare intendimus. Patet autem eodem iure omnibus signis rebusque externis, quibus internus animi conceptus manifestatur, *sensum* esse attribuendum. Atque haec est nominis illius in hoc tractatu vis et potestas, ut illas cogitationes designet, quas aliquis externis signis, maxime verbis, manifestat, quatenus ex illis cognosci possunt.

Signi vero cuiuscumque, maxime autem vocabuli, *sensus* probe distinguendus est ab eius *significatione*. « *Significatio* vocabuli (et signi cuiuscumque), inquit *Card. Franzelin,* est valor, quem ex institutione et usu habet, ut loquens per illud manifestet et audiens concipiat determinatam ideam »[2] vel potius est notio illa, quae vocabulo vel signo *in se spectato* ex usu et institutione subest; sed iisdem vocabulis vel signis varia indicare possumus et solemus, quare significatio plerum-

que est multiplex. *Sensum* vero vocabuli vel signi dicimus mentis conceptum, quem hic et nunc in his circumstantiis per illud manifestare volumus; quare, nisi ambiguitate uti volumus, unicus semper est.

Sensus librorum sacrorum igitur in genere sunt illae veritates, quas Spiritus S., qui primarius eorum est auctor, per scriptores sacros immediate vel mediate docere nos voluit, vel accuratius : *sensus S. Scripturarum est omne illud, quod earum verba ex intentione Spiritus S. immediate vel mediate significant et manifestant.*

Qua ex definitione elucet, duplicem sensus scripturistici speciem a nobis distingui, prout nimirum Scripturarum verba aut *immediate* veritatem a Spiritu S. intentam nobis manifestant, aut *mediate;* Deus enim « multifariam multisque modis » nobiscum loqui dignatus est, non solis usus verbis, sed aliis quoque signis, personis scilicet et rebus, quas verba quidem sacra immediate nobis manifestant, quae ipsae autem veritates a Deo intentas nos docent.

Praeclare haec explanat *S. Thomas :* « S. Scriptura, inquit, ad hoc divinitus est ordinata, ut per eam veritas nobis manifestetur necessaria ad salutem. Manifestatio autem vel expressio alicuius veritatis potest fieri de aliquo *rebus* et *verbis*, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter : uno modo secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit *sensus literalis;* alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus *spiritualis* » [3].

Quae nomina ex 2 *Cor.* 3,6 (« litera occidit, Spiritus vivificat ») videntur esse derivata, quo textu non infrequenter (etsi minus recte) usi sunt Patres aliqui, ut spiritualem sensum literali praestare docerent; quum autem in usum communem abierint, omnino retinenda sunt. Aliis quoque nominibus a Latinis et Graecis designantur, quae infra recensebimus, ubi de singulis sensus speciebus recurret sermo. Porro « quum ea, quae Scripturae complectuntur, vel leges sint, vel historiae (res gestae), vel religiosa dogmata, vel prophetiae, vel morum praecepta atque instituta, utile erit animadvertere, duo priora (leges et res gestas) directe semper verbis esse expressa, reliqua modo directe modo oblique » [4].

1. *Cic.* de nat. Deor. II. 56; *Quinctil.* Instit. VIII. 5.

2. *Card. Franzelin.* Tract. de Eucharistia Ed. 2. Romae 1873. Thes. 6. p. 67.

3. *S. Thom. Aq.* Quodl. VII. qu. 6. a. 14 in 0; cfr Sum. theol. I. qu. 1. a. 10 in O. Ceterum S. Thomas his verbis communem tantum Patrum doctrinam exponit, ut ex infra dicendis patebit; cfr etiam *S. Bonav.* Breviloq. Procm. 5 (Edit. Friburg. 1881. p. 12).

4. *Patrizi* De interpretat. Bibl. p. 2; qui inter omnes optimus hanc de sensibus quaestionem tractavit, quare illum praecipuum ducem sequemur.

194. — Praeter quos duos sensus tertius saepe enumeratur, *accommodatus* vel *accommodatitius;* quem adesse volunt, quando sacra verba ad rem aliquam exprimendam adhibentur vel adaptantur diversam ab illa re, quam sacer scriptor expressit, quando igitur aliquid alieni in textum sacrum inducimus (εἰσηγούμεθα), non vero scriptoris conceptum ex illo educimus (ἐξηγούμεθα). Immerito ergo nomen *sensus* usurpari, si mera accommodatio adest, per se est clarum; sensus enim relationem ad scriptoris intentionem implicat; rectius igitur *significationis* accommodatae nomen adhiberetur.

195. — Parum accurate alii interpretes *sensum consequentem* statuunt, quo nomine textus alicuius scripturistici consectaria intelligunt. Quae si legitima argumentatione ex iis, quae sacer textus docet, eruuntur, non est dubium, quin a S. Spiritu (ut S. Augustini verbis utamur) fuerint « praevisa et provisa, ut recurrerent », etsi scriptores sacri ea non perspexerint; attamen quum verba ipsa nec directe nec indirecte illas consequentias significent, definitio *sensus* illis non nisi aegre adaptatur[1]. Et accommodationum et consectariorum frequens est apud Patres et interpretes usus, nec raro iisdem, quibus sensus spiritualis, nominibus appellantur; quapropter in eorum explicationibus sedulo attendamus oportet, quemnam sensum singulis in locis nominibus suis indicare voluerint; infra autem quid de consectariis et accommodatione sentiendum sit, uberius evolvemus.

Trita fuit apud antiquiores interpretes et scholasticos hæc quadrifarii sensus enumeratio : *Litera* gesta docet; quid credas *allegoria; Moralis* quid agas; quo tendas *anagogia*[2]. Erraret vero, qui versu hoc memoriali quatuor sensuum species ab antiquis traditas esse arbitraretur; quomodo enim intelligendus sit, *S. Thomas,* scholarum princeps, hac ratione explanat : « S. Scriptura veritatem, quam tradit, dupliciter manifestat per verba et per rerum figuras. Manifestatio autem, quae est per verba, facit sensum *historicum* seu *literalem;* unde totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur. Sed sensus *spiritualis,* ut dictum est, accipitur vel consistit in hoc, quod quaedam res per figuram aliarum rerum exprimuntur, quia visibilia solent esse figurae invisibilium, ut Dionysius dicit. Inde est, quod sensus iste, qui ex figuris accipitur, spiritualis vocatur. Veritas autem, quam S. Spiritus per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur, sc. ad recte credendum et ad recte operandum. Si ad recte operandum, sic est sensus *moralis,* qui alio modo tropologicus dicitur. Si autem ad recte credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium : ut enim Dionysius dicit, status Ecclesiae medius est inter statum synagogae et statum Ecclesiae triumphantis. Vetus ergo Testamentum fuit figura Novi, Vetus simul et Novum figura sunt coelestium. Sensus ergo spiritualis, ordinatus ad recte credendum, potest fundari in illo modo fi-

gurationis, quo Vetus Testamentum figurat Novum, et sic est *allegoricus* sensus vel typicus, secundum quod ea, quae in Veteri Testamento contigerunt, exponuntur de Christo et Ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis, quo Novum simul et Vetus significant Ecclesiam triumphantem, et sic est sensus *anagogicus* »[3]. Sine ullo dubio versus illi, si accuratam partitionem et definitionem sensuum tradere vellent, « quam plurima peccare » recte dicerentur[4]; species enim superior (sensus literalis) et species inferiores (tres subspecies sensus spiritualis) eodem in ordine collocari et singularum specierum argumenta arctius, quam par est, definiri videntur; at eo modo intellecti, quo cum S. Thoma tota schola eos intelligi voluit, cum iis, quae supra exposuimus, amice consonant.

Neque a nostra sententia abludit *S. Augustinus*, quando ipse quoque sacros libros *quadrifariam exponendos* docet « secundum historiam, secundum aitiologiam, secundum analogiam, secundum anagogiam »[5]. Ad quae explicanda S. Thomas : « illa tria, historia, aitiologia, analogia, ad unum sensum literalem pertinent; nam historia est, ut ipse Augustinus exponit, quum simpliciter aliquid exponitur, aitiologia vero, quum dicti causa assignatur, analogia, quum veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare »[6]. At non putandum est, sicut in scholarum versu memoriali tres species sensus spiritualis literali opponuntur, ita in Augustini dicto tres species literalis sensus opponi spirituali; vigilanti enim verbo usus est Angelicus, quum eos ad sensum literalem *pertinere* diceret, quatenus illis scilicet elucidatur et perficitur; aitiologica enim expositio causam reddit sensus literalis, et analogica difficultates solvit, quae ex altero textu contra sensum literalem proferri possunt.

Maiorem difficultatem creat, quod Patres plerique *Origenem*[7] secuti *triplicem* Scripturarum sensum videntur agnovisse. « Triplex, inquit *S. Hieronymus*, regula Scripturarum est; prima ut intelligamus eam iuxta historiam, secunda iuxta tropologiam, tertia iuxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum, quae scripta sunt, ordo servatur; in tropologia de litera ad maiora consurgimus et quidquid in priore populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum et ad animae nostrae emolumenta convertimus; in spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et coelestibus disputamus, ut praesentis vitae meditatio umbra futurae beatitudinis sit »[8]. Similia ex aliis Patribus testimonia afferri possunt; at haec divisio, quamvis non sit dubium, quin apud Origenem ad Scripturarum sensum referatur, a reliquis ad utilem potius expositionem Scripturarum trahitur, ita ut specie magis quam re eorum sententia a nostra dissonet. Uti enim infra videbimus, plerique Patres de duplici tantum sensu loquuntur, nec plures sane, quam duos, *S. Hieronymus* quoque agnoscit, si « simplici Scripturarum sensui, qui *caro* est », i. e. literali, eius « *spiritum* » opponit[9]. Revera explicationes illas, quas tropologicas appellant Patres et interpretes, aut mere literales sunt, aut vere spirituales, aut quia ex consectariis eruuntur vel nihil nisi accommodationes quaedam sunt, ad sensum proprie dictum non pertinent. In le-

gendis enim Patrum atque etiam multorum interpretum operibus quam maxime, uti supra iam innuimus, cavendum est, ne nominibus, quibus utuntur, in errorem nos abduci sinamus; in nominibus enim, quibus duplicem Scripturae sensum designant, magna apud eos invenitur varietas. Sed de his infra saepius recurret sermo.

1. De altera *sensus consequentis* definitione, quae aliis placeat, *infra* (119) dicemus.

2. Easdem quidem quatuor sensus species scholastici iuniores quatuor versibus describere videntur : « Dicitur *historicus*, quem verba expressa designant; — Et *allegoricus*, priscis qui ludit in umbris; — *Moralis*, per quem vivendi norma tenetur; Quid vero speres, *anagogicus* altius effert »; sed fortasse ea sola exprimere voluerunt, quae *S. Aug.* (de Gen. ad lit. I. 1, 1 M. 34, 247) non tam de quadruplici sensu, quam de quadruplici argumento Scripturarum habet : « in libris omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi *aeterna* intimentur, quae *facta* narrentur, quae *futura* praenuntientur, quae *agenda* praecipiantur vel moneantur ».

3. *S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 15. in O; Summ. theol. I. qu. 1. a. 10. Simili modo *S. Bonaventura* (Breviloq. Prooem. § 5. Ed. Friburg. p. 12) sensum literalem tribus aliis opponit : « Habet ipsa s. Scriptura profunditatem, quae consistit in *multiplicitate mysticarum intelligentiarum*. Nam *praeter literalem sensum* habet in diversis locis exponi tripliciter, sc. *allegorice, moraliter* et *anagogice* ».

4. *Patrizi* De interpretatione p. 3.

5. *S. August.* de utilitate cred. 3 (M. 42, 68). Ceterum *duplicem* sensum in Scripturis adesse, literalem (eumque aut proprium aut translatum) et spiritualem, exemplis allatis ostendit *S. August.* Serm. 89, 4 sqq. (M. 38, 556 sqq.).

6. *S. Thom.* Summ. theol. I. q. 1. a. 10 ad 2; cfr *Paul Burg.* in Addit. super Prolog. utrumque Postillae lyranae (M. 113, 41).

7. *Orig.* de princip. IV. 11 sq. (M. 11, 364).

8. *S. Hieron.* ad Hedib. ep. 120, 12 (M. 22, 1003) atque eodem fere modo in Ezech. 16, 30 (M. 25, 147); at paulo aliter in Am. 4, 6 (M. 25, 1027) : « debemus enim Scripturam sanctam primum secundum literam intelligere, facientes in ethica, quaecumque praecepta sunt; secundo iuxta allegoriam, i. e. intelligentiam spiritualem, tertio secundum futuram beatitudinem ». Vix autem quis ambiget, eum hoc in loco tres species spiritualis sensus solas enumerare voluisse; fatendum tamen est, expressiones « secundum literam » et secundum « spiritualem intelligentiam » parum esse accuratas.

9. *S. Hieron.* in Gal. 5, 13 (M. 26, 407).

§ 2. — *De sensu literali.*

196. — Sensum Scripturae literalem diximus illam esse veritatem, quam eius verba immediate ex intentione Spiritus S. manifestant. *Historicus* saepe vocatur a Latinis; Graeci eum κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὸ ῥητόν vel etiam κατὰ τὴν ἱστορίαν appellant. Priora nomina illum immediate ex verbis desumi innuunt, alterum autem (historicus) directe eum opponit prophetico insinuatque, praeter eum,

quem verba immediate indicant, alterum adesse, qui ex rebus, quae verbis manifestantur, desumendus est[1]. Moderni interpretes ad leges, quae in illo eruendo observandae sunt, attendentes interdum grammatico-logico-historicum illum appellant.

Iam vero « per literalem sensum, inquit *S. Thomas*, potest aliquid significari dupliciter, scilicet secundum proprietatem locutionis, sicut quum dico : homo ridet, vel secundum similitudinem, sicut quum dico : pratum ridet. Utroque modo utimur in S. Scriptura, sicut quum dicimus, quantum ad primum, quod *Iesus ascendit*, et quum dicimus, quod *sedet a dextris Dei*, quantum ad secundum. Et ideo sub sensu literali includitur parabolicus vel metaphoricus ». Revera verba metaphorica vel tropica ipsa quoque loquentis conceptum immediate exprimunt; uti enim rectissime iterum monet *S. Thomas* : « quum Scriptura nominat Dei brachium, literalis sensus non est, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operativa »[2]. Hoc solum enim Spiritus S. directe et immediate vocabulo *brachii* manifestare vult, nec ullo modo in propria istius vocabuli significatione animum nostrum sistere vel morari permittit; quare si Lyranus S. Thomam carpens metaphoricum sensum sub literali contineri negat, quia vocibus non immediate significetur, ad differentiam, quae significationem inter et sensum intercedit, non attendit[3].

Negari quidem nequit, Patres interdum nomen *literae* tam arctis restringere limitibus, ut solum proprium sensum designet; inter alios enim prohibet *S. Augustinus*, « ne figuratam locutionem *ad literam* accipiamus », et docet « servilis infirmitatis esse *literam sequi* et signa pro rebus, quae illis significantur accipere », « illud, quod *ad literam* nisi absurde non possit intelligi, procul dubio figurate dictum accipiendum esse »[4] etc., similique loquendi modo interdum utuntur *Hieronymus* aliique Latini[5]. Atque Graeci quoque haud raro illis locis, in quibus tropice loquitur Scriptura, spiritualem sensum inesse dicunt[6]. Unde factum est, ut aliqui *sensum literae* a *sensu literali* distinguerent. Quae prorsus inutilis est distinctio nec ullo fundamento solido innititur; immo si germana sensus definitio retinetur, distinctionem erroneam esse evidens est. Quare antequam usus theologicus vocabula haec determinavit, Patres quidem illis parum accuratis locutionibus uti potuerunt, verum multorum errorum ansam hodie praeberet, qui tropicum sensum nominibus altioris, spiritualis, mystici etc. designaret.

Metaphorici autem sensus appellatione omnia illa comprehendi, quae tropis vel figuris quibuscumque exprimuntur, vix opus est ut moneamus : huc igitur praeter alia trahendae sunt *allegoria*, quae habetur,

quando metaphora per integram sententiam continuatur (*Matth.* 5,13: vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit etc.; *Luc.* 3. 9: iam securis ad radicem arboris posita est; omnis arbor etc.), et *parabola*, quae est narratio rei confictae tamquam vere factae eo consilio proposita, ut veritas aliqua vividius proponatur, efficacius commendetur aut prohibeatur[7]. Attendatur autem oportet, metaphoricum vel allegoricum vel parabolicum, uno verbo figuratum et tropicum sensum disparere, quamprimum similitudinis particula apponitur; tum enim simplicem habemus comparationem, et sensus est literalis proprius.

Sensus literalis, sive proprius est sive translatus, si ad res signficatas attendimus, distribui potest in historicum, qui res gestas narrat, in propheticum, qui vaticinia continet, in tropologicum, qui mores efformat, in allegoricum vel dogmaticum, qui credenda tradit, in anagogicum, qui speranda docet etc. : sed haec secundum argumenta divisio nulli usui est, nisi forte inserviat, ut aliqua interpretum dicta, qui nominibus his interdum abutuntur, accuratius intelligantur.

1. Graeci Patres nominibus his uti vix solent, nisi quando literali sensui opponunt spiritualem, quem κατὰ τὴν διάνοιαν, κατὰ τὸν νοῦν, κατὰ τὴν ἀναγωγήν, κατὰ τὴν θεωρίαν appellant. Exempla ex eorum operibus afferre superfluum est, quum multa exhibeat *Suiceri* Thesaurus ecclesiast. (Amstelodami 1682) s. v. ἀναγωγή, διάνοια etc.

2. *S. Thom.* in Gal. 4. lect. VII; Summ. theol. I. qu. 1. a. 10. ad 3.

3. *Lyran.* Prolog. in moralitates Bibl.; cfr *Pauli Burg.* Additiones ad utrumque Prol. (M. 113, 34. 39. 48). Cum S. Thoma sensum figuratum sub literali contineri praeter multos alios docent *Salmer.* Proleg. 7; *Sixt. Senens.* Biblioth. s. III. 2; *Bellarmin.* De verbo Dei III. 3; *Vasquez* ad I. qu. 1. a. 10. disput. XV. 3; *Bonfrer.* Proleg. 20, 2; *Frassen* Disquisit. bibl. V. 6, 2 etc.; moderni vix non omnes.

4. *S. August.* de doctr. christ. III. 5; de Genes. ad lit. XI. 1 (M. 34, 68. 430) etc.

5. *S. Hieron.* adv. Lucifer. 26 (M. 23, 182) : « si *literam sequimur*, possumus et nos quoque novum dogma nobis componere, ut asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint et duas tunicas habeant »; cfr etiam *S. Ambros.* in Luc. V. 93 (M. 15, 1661); *S. Gregor. M.* Moral. IV. 1. 2 (M. 75, 633).

6. *Origen.* de princip. IV. 12 sqq. (M. 11, 365); *S. Gregor. Nyss.* in Cantic. Prol. (M. 44, 756 sq.) etc.

7. *Ranolder* Princip. hermen. p. 38. Nimis vago modo *S. Thomas* (In Is. 14, 4) parabolam dicit « similitudinarium sermonem, qui aliud dicit, aliud significat ».

197. — Quibus de sensus literalis definitione praemissis solvendae sunt quaestiones nonnullae, quae de eo proponi solent. Atque I.) quidem ex erronea eius definitione exortum videtur *dubium, singulisne Scripturarum enuntiationibus subsit sensus literalis.*

Inter Patres recensentur aliqui, qui aliquibus in locis spiritualem sensum solum agnoscendum docuerint, atque primum inter eos locum tenet *Origenes.*

Secundum quem triplex sensus distinguendus est : « quemadmodum enim

homo constat corpore, anima et spiritu, ita etiam Scriptura »; *corpus* autem Scripturae vocat « obvium eius sensum » (τὴν πρόχειρον ἐκδοχήν), quo textus aliqui careant (εἰσί τινες Γραφαὶ τὸ σωματικὸν οὐδαμῶς ἔχουσαι). Ex eius enim mente Scripturae maxime nobis datae sunt ob earum spiritualem sensum; quod autem « ipsum quoque spiritualium indumentum, i. e. quod in Scripturis corporeum est, in multis non sit inutile, sed multos possit, quantum capaces sunt, meliores reddere », id per accidens habent. Quid obvio suo sensu intelligat, exemplis illustrat : « Quis sanae mentis existimaverit, primam et secundam et tertiam diem, vesperam et mane, sine sole, luna et stellis, et eam, quae veluti prima fuit, diem sine coelo fuisse? Quis adeo stolidus est, ut Deum more agricolae plantasse hortum in Eden ad orientem crediderit, ubi lignum vitae posuisset, quod sub oculos et sensus caderet, ut qui corporeis dentibus fructum gustasset, vitam inde reciperet, et rursus boni et mali particeps fieret, qui fructum ex hac arbore decerptum comedisset? Et quum Deus meridie in paradiso ambulasse dicitur, neminem arbitror dubitare his *tropice per fictam* (?) *historiam, quae tamen corporaliter non contigit,* quaedam indicari mysteria (οὐκ οἶμαι διστάζειν τινὰ περὶ τοῦ αὐτὰ τροπικῶς διὰ δοκούσης ἱστορίας καὶ οὐ σωματικῶς γεγενημένης μηνύειν τινὰ μυστήρια). Cain quoque recedens a conspectu Dei manifeste prudentem lectorem monet, ut requirat, quid facies Dei sit, et quo sensu exire quis possit ab ea. Sed quid attinet plura dicere, quum innumera eiusmodi scripta quidem quasi gesta sint, non gesta vero, ut litera sonat (οὐ γεγενημένα δὲ κατὰ τὴν λέξιν), quivis modo non plane hebes sit colligere possit »? Eodem modo legum quarundam sensum literalem negat : « Si ad leges mosaicas veniemus, plurimae, si eas nude observari oportet, absurdum, aliae impossibile praecipiunt. Absurdum est vulturum esum prohiberi, quum nemo ne extrema quidem urgente fame eo adducatur, ut isto animali vescatur. Octo dierum infantes non circumcisi iubentur exterminari e genere suo, quum potius si quid de his ad literam servandum lege sanciendum erat, praecipi oportebat, ut eorum parentes vel tutores interficerentur ». Inter impossibiles leges enumeratur lex, quae tragelaphum, quamvis in rerum natura non inveniatur, inter munda animalia recenset, et altera, quae Iudaeos sabbathis e loco suo vetat exire. Inter novas leges absurdum dicit, si sensus literalis spectatur, quod Apostoli neminem per viam salutare sint iussi, quod « dextera maxilla percuti » dicatur, « quum omnis, qui percutit, nisi natura mancus fuerit, dextera manu sinistram maxillam feriat » etc. [1].

Ex his aliisque exemplis, quae affert, satis elucere puto, Origenem « obvio sensu », quo aliquas Scripturas carere asserit, non solum proprium, uti aliqui putant [2], sed translatum quoque intellexisse, ac proin textibus aliquibus *omnem* sensum literalem abiudicasse, Philonem aliosque Iudaeos imitatum, de quibus *infra* (227) dicemus. Eandem sententiam etiam alicubi *S. Hieronymus* videtur expressisse; nam de « secunda circumcisione » (*Ios.* 5,2) loquens : « hoc, inquit,

si iuxta literam accipimus, penitus stare non potest. Si enim duplex haberemus praeputium vel excisa pellicula iterum nasceretur, recte secunda circumcisio haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Iesus cultello Evangelii populum, qui per desertum venerat, circumcidit »[3]; atque similia ab aliis Patribus dicta afferuntur[4]. Quos omnes eiusdem, cuius Origenes, sententiae non fuisse, non est ambigendum, quum illis in locis proprium tantum, non vero omnem literalem sensum excludere velint; Origenem vero ipsum erronea textuum explicatione ad miram suam sententiam esse adductum, exempla allata demonstrant.

Dubitari autem non potest, quin Spiritus S., si per homines humano sermone ad homines loquatur, verbis humanis illam, quam ex usu et institutione habent, significationem relinquat; quare eodem modo, quo scriptoris alicuius profani, etiam scriptorum sacrorum enuntiationibus omnibus literalis sensus subsit necesse est. Actum profecto esset de tota nostra Scriptura, nec unquam ex illa argumentum solidum deduci posset, si hominum arbitrio relictum esset iudicium, utrum eius verba literali sensu intelligi deberent annon : omni enim textui, qui contra haereticos afferretur, exceptio opponeretur, sensum literalem, utpote absurdum vel impossibilem, istis verbis non inesse.

Quocirca Patres praeter Origenem, etsi sensum spiritualem magni faciant eumque non raro literali praeferre videantur, literalem tamen primo loco quaerendum esse exemplo suo et disertis verbis docent, nec spiritualem agnoscunt, quin literali innitatur; ab illa igitur Origenis sententia satis longe absunt. « *Verborum* S. Scripturae, inquit *S. Hieronymus,* intelligentia imprimis quaerenda est et constituenda, non quia tropologicam intelligentiam condemnemus, sed *quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiae,* quod plerique ignorantes lymphatico in S. Scriptura vagantur errore »[5]; atque gravissimis verbis *S. Augustinus :* « admonemus et quantum possumus praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis, quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae quasi in aere quaeratis aedificare »[6]. Quibuscum consentit *S. Gregorius M. :* « hoc magnopere petimus, ut qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat, a veneratione historiae non recedat »[7]. Communem autem Patrum doctrinam brevissimis verbis complectitur *S. Thomas :* « sensus spiritualis *semper* fundatur super literalem et procedit ex eo »[8]. Ex qua Angelici sententia consequens est, ut textus illi scripturistici, qui sensu literali carere dicuntur, omni prorsus sensu dicantur destituti; quod quum absurde et impie dici appareat, restat, ut omnibus omnino

enuntiationibus Scripturae literalem sensum sive proprium sive translatum inesse dicamus.

1. *Origen.* de princ. IV. 11. 12. 16-18 (M. 11, 365. 376 sqq.).
2. *Patrizi* De interpret. Bibl. p. 11 censet eum, qui vel obiter legerit integrum Origenis locum, perspecturum esse, corporeum sensum ab illo intelligi *proprium*, translatum vero nomine spiritualis comprehendi. At exempla, quae Origenes ex historia desumit, ita explicari omnia forsitan possint, nequaquam vero exempla e legibus desumta.
3. *S. Hieron.* c. Iovin. I. 21 (M. 23, 239); cfr ad Nepotian. ep. 52, 2 (M. 22, 527 sq.); *S. August.* de Civ. XV. 27 (M. 41, 474) adversarios eodem modo sentientes impugnat.
4. *S. Ambros.* Expos. Ed. Luc. V. 93, 94 (M. 15, 1661); *Ioan. Cassian.* Collat. VIII. 3 (M. 49, 725); *Lyran.* Prol. 3 (M. 113, 34) etc.
5. *S. Hieron.* in Is. 13, 19 (M. 24, 158).
6. *S. August.* de tentat. Abrah. serm. 2, 7 (M. 38, 30).
7. *S. Gregor. M.* Moral. I. 37 (M. 75, 554).
8. *S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 14. ad 1.

198. — Gravior et difficilior II.) altera est quaestio, quam S. Augustini auctoritas in scholarum disputationes invexit, *num in Scripturarum verbis multiplex sensus literalis sit admittendus.*

Post S. Augustinum, qui omnium primus sensum Scripturarum literalem multiplicem esse posse statuit[1], atque S. Thomam, qui cum Augustino eadem in sententia fuisse *credebatur*[2], multi theologi iuniores propositam quaestionem affirmandam duxerunt, quamvis plerique simul docuerint, multiplicem illum sensum « passim in Scripturis locum non habere »[3]. Rationes vero, quibus ad admittendam hanc sententiam adducti sunt, tres plerumque afferri solent; *a.*) aliquos scilicet Veteris Test. textus in Novo multiplici sensu allegari; *b.*) Patrum et scholasticorum auctoritatem huic sententiae favere; *c.*) ad Scripturae dignitatem pertinere, ut paucis verbis plures exprimat sensus[4].

Communis vero hodie omnium fere interpretum et theologorum sententia est, libros sacros, quod ad literalem sensum attinet, a libris profanis non differre eosque unum solum literalem sensum admittere. Priusquam eam stabiliamus iuverit adnotasse :

a.) sensus non multiplicari multiplici alicuius textus expositione, sive expositio sit probabilis Patrum, sive contorta haereticorum vel aliorum interpretum; tum solum enim de facto constaret, verba quaedam multiplicem sensum habere, si authentica interpretatione alterius scriptoris inspirati vel infallibilis Ecclesiae magisterii multiplex ille sensus literalis esset declaratus;

b.) nec multiplicari sensus, si verba nonnulla per se sumta plures quidem res significent, a loquente autem una sola intendatur (*Ioan.*

6,52), nec si in metaphoris et parabolis sensus proprius verus esse possit aut sit (*Luc.* 3,9), nec si una cum sensu literali spiritualis admittendus sit, aut alia consectaria e textu legitima argumentatione deducantur. Haec omnia in Scripturis locum habere libentissimi concedimus, *negamus autem unum eundemque textum plures sensus literales a Spiritu S. intentos admittere*[5].

1. *S. Aug.* Confess. XII. 31 (M. 32, 844), postquam varias *Gen.* 1, 1 explicationes adduxit : « ita quum alius dixerit : hoc sensit, quod ego, et alius : immo illud, quod ego; *religiosius me arbitror dicere :* cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum de te non meruisse credam. Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit, quum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest »; cfr etiam de doctr. christ. III. 27 (M. 34, 80).

2. *S. Thom.* de potent. qu. 4. a. 1 in O : « ne quis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent et possunt, salva circumstantia literae, Scripturae *aptari*, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinent, ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quis ex S. Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus (!!). Unde *non est incredibile*, Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie literae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. *Unde* (?) si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae literae *aptentur*, quae auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus S. intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas quae, salva literae circumstantia, potest divinae Scripturae *aptari*, est eius sensus »; Summ. theol. I. qu. 1. a. 10 in 0 : « quia sensus literalis est, quem auctor intendit, *non est inconveniens*, ut dicit Augustinus, si etiam secundum literalem sensum in una litera S. Scripturae plures sint sensus ».

3. *Bonfrer.* Praeloq. c. 20. s. 5 (M. Curs. compl. 1, 211); a Bonfrerio patroni huius sententiae laudantur ex antiquioribus scholasticis solus *S. Thomas*, ex iunioribus scholasticis et interpretibus *Driedo* de eccl. dogm. 2; *Canus* de loc. theol. II. 11. in 7; *Alph. a. Castro* c. haeres. I. 3; *Catharinus* de clavibus S. Script.; *Bellarminus* De verbo Dei III. 3; *Serarius* Prolegom. 21, 12; *Salmeron* Proleg. 8; *Molina, Valentia, Vasquez* in Summ. I, 1. 10; quibus alii nonnulli eiusdem aetatis addi possunt.

4. *Bonfrer.* l. c. (M. Curs. compl. 1, 212 sq.).

5. Cfr *Patrizi* S. I. De interpret. Bibl. p. 15-51, quocum consentimus; eandem sententiam defendit *I. Th. Beelen* Dissertatio theologica, qua sententiam, esse

S. Scripturae multiplicem interdum sensum literalem, nullo fundamento satis firmo niti, demonstrare conatur. Lovanii 1845. Recentissime tamen *Fr. Schmid*, professor brixinensis, in opere aliis nominibus praeclaro ac summa commendatione digno (De inspirationis Bibliorum vi et ratione. Brixinae 1885) a modernorum sententia discessit; postquam enim « multiplicem sensum literalem in abstracto esse possibilem » ostendit (p. 239-245), hanc assertionem stabilire conatur : « perpensis in quaestione de admittendo multiplici sensu hinc inde rationibus, neutra ex duabus sententiis contrariis omnino certa videtur; nobis *ex auctoritate* affirmativa, *ex rationibus internis* negativa probabilior apparet » (p. 248). Sed in satis longa eius argumentatione (p. 249-282) nihil fatemur nos invenisse, quo a sententia communi modernorum recedere cogamur; auctore ipso fatente praeter S. Augustinum, quem multiplicem sensum admisisse damus, nullus est Pater, qui in eadem sententia fuisse demonstrari possit; S. Thomam immerito inter illius propugnatores recenseri, statim ostendemus; reliquos scholasticos antiquiores longe ab ea abfuisse, certum est; auctoritas vero interpretum saec. 16. et 17. tanta non est, ut sententiam affirmativam reddat probabilem.

Etenim 1.) uti optime argmentatur *P. Patrizi*[6] : « vocum ac locutionum natura in Scriptura alia non est ac in ceteris libris; quare ergo aut quomodo alia erit in Bibliis natura sensus literalis, qui ex ipsis dumtaxat vocibus et locutionibus exstat »? Profecto Spiritus S., si per homines hominibus humano sermone loquitur, nulla prorsus apparet ratio, cur sermonem humanum natura sua privasse dicatur.

2.) Regulae hermeneuticae ab omnibus interpretibus et ab ipso S. Augustino eum in finem traduntur, ut earum ope genuinus sensus eruatur; iam vero si quis regulis his rite et debito modo adhibitis ad unum sensum certum pervenerit, a regulis ipsis aberrare deberet, si alterum praeter eum investigare vellet. Ad quid igitur regulae illae inserviunt?

3.) Quum de re extraordinaria et supranaturali agatur, quae tota quanta a libera Dei voluntate dependet, illa asseri non potest, nisi argumenta solida ex revelationis fontibus, ex Scriptura dico et ex traditione, illam adstruant et stabiliant. Atqui argumenta haec prorsus desunt; ea enim, quae invenisse sibi videntur multiplicis sensus patroni, infirma sunt. Namque

a.) ut a traditione incipiamus, etsi concedere deberemus SS. Augustinum et Thomam illi sententiae favisse, nondum traditionale argumentum haberemus, siquidem multiplex hic sensus omnibus Patribus ante Augustinum florentibus prorsus incognitus est, atque post Augustinum oblivioni est datus, donec a recentioribus scholasticis iterum sit propositus. *Vasquez,* quamquam eum « adhibita quadam moderatione » defendit, « nullum Patrem praeter Augustinum » eum tenuisse fatetur, eumque « propter Augustini auctoritatem apud scholasticos *recentiores* et interpretes » invaluisse[7]. Revera aliorum Patrum testimonia non

afferuntur[8], S. Augustinus ipse vero doctrinam hanc non velut certam et ex traditione haustam, sed tamquam piam et probabilem opinionem proponit, immo aliis in locis contrarium videtur sentire[9], antiquiores autem scholastici omnes unum solum esse sensum literalem claris verbis asserunt[10]. Immerito autem ad S. Thomae auctoritatem provocatur; in uno quidem loco, in quo Augustinum secutus prima verba Geneseos exponit, sensui multiplici cum illo favet; at ibi quaestionem hanc obiter tantum attingit nec data opera agitat; e contra in Summa theologica nostram sententiam tenet. Etenim etsi ibi quoque cum S. Augustino « non inconveniens esse censeat, si etiam secundum literalem sensum in una litera Scripturae plures sint sensus », probe tamen attendatur oportet, ibi « sensum literalem » latissime sumi : « sensus literalis est, *quem auctor intendit* », qua definitione etiam spiritualis sensus comprehenditur; ideoque etiam in primae obiectionis solutione monet, non ideo plures sensus in Scriptura esse admittendos, « *quia una vox multa significet*, sed quia *ipsae res* significatae per voces aliarum rerum possint esse signa ». Doctrina igitur, quae multiplicem sensum literalem statuit, in traditione *solidum* fundamentum non habet.

6. *Patrizi* l. c. p. 41.

7. *Vasquez* in Summ. I. 1, 10. disp. XVII. 3.

8. *Bonfrerius* l. c. quidem affert *S. Hier.* (ad Paulin. ep. 53, 8. M. 22, 349) de Apocalypsi dicentem : « in verbis singulis multiplices latere intelligentias »; fatetur autem haec de sensu spirituali intelligi posse, uti revera intelligi debent. Atque idem valet de altero textu, quem affert ex *S. Chrys.* (in 1 Cor. hom. 7, 3 M. 61, 58) : « Praeterea etiam sunt duplices prophetiae, sapientioribus facile cognitae, ex quibus occulta multa possunt percipi ». Alios similes textus *Beelen* (l. c. II. 2) nihil adversarios iuvare ostendit.

9. *S. August.* Serm. 7, 5 (M. 38, 63) exponens *Exod.* 3, quo in loco ille, qui Moysi in rubo apparuit, Angelus Domini et Dominus vocatur : « Duae, inquit, sunt sententiae, quae hinc proferri possunt, quarum quaelibet vera sit, ambae secundum fidem sunt. Quod dixi : quaelibet earum vera sit, hoc dixi : quidnam eorum senserit ille, qui scripsit. Nam quando nos inquirentes Scripturam sentimus aliquid, quod forte scriptor non sensit, non tamen hoc sentire debemus quod abhorret a fidei regula. Ergo ambas sententias propono; sit fortassis et tertia, quae me latet : ex his autem duabus propositis, eligatis quam volueritis ». Si ambas a Spiritu S. intentas credidisset, electionem auditoribus non potuisset permittere; cfr etiam de doctr. christ. I. 36 (M. 34, 34).

10. *Alex. Halens.* Summ. I. qu. 1. membr. 4. a. 2. ad ultim : « hic modus est in Scriptura sacra, ut sit *unicus sensus literae*, multiplex vero in mysterio »; *S. Bonav.* in IV. Sent. dist. 21. p. 1. dub. 1 : « una Scriptura multis modis potest exponi; *unus tamen est literalis et principalis intellectus* »; *B. Albert. M.* Summ. I. tr. 1. qu. 5. membr. 2. ad 5 : « *theologia unam vocem refert ad unum significatum* »; *Petrus de Aliaco* Epist. ad novos Hebr. (cfr *Salembier* Une page inédite de l'hist. de la Vulg. Amiens 1890 p. 25) : « *unius Scripturae non est nisi unus sensus literalis* ». Alia testimonia multa affert *P. Patrizi* l. c. p. 35-38.

b.) Neque magis ex Scriptura demonstrari potest : afferuntur quidem textus aliqui Veteris Test., qui in Novo diversimode adhibentur; at inde nondum sequitur sacros scriptores illis plures sensus literales attribuisse.

Praecipui, qui in testimonium adducuntur, sunt hi :

Ps. 2,7 ter a S. Paulo affertur (*Act.* 13,33; *Hebr.* 1,5; 5,5); sensu autem literali non adhibetur nisi *Hebr.* 1,5, quo in loco S. Paulus demonstraturus, quantum Christus Angelos superet, ex illo probat, Christum esse verum Dei Filium aeterna generatione a Patre procedentem. In aliis duobus locis legitima huius doctrinae consectaria deducit; quia verus Dei filius erat, ideo a Patre erat clarificandus aeterno, quod obtinuit, sacerdotio secundum ordinem Melchisedech (*Hebr.* 5,5); ideo etiam non resurgere non potuit (*Act.* 13,3)[11].

Is. 53,4 a S. Matthaeo intelligi dicitur de languoribus et morbis corporis (*Matth.* 8,17), a S. Petro autem de morbis spiritus, i. e. de peccatis (1 *Petr.* 2,24). Verum S. Petrum eundem locum respicere, quem S. Matthaeus laudavit, negamus; S. Petrus enim *Is.* 53,12, S. Matthaeus 53,4 allegat. Si quis vero ideo duplicem sensum esse admittendum contendat, quia contextus vaticinii necessario postulet, ut versus adhibitus de morbis spiritualibus intelligatur, S. Matthaeus autem illum ad morbos corporales applicet, respondebimus cum *Cornelio a Lapide* : « sicut peccata nostra in cruce portavit et expiavit, sic consequenter et morbos, adeoque inde habuit potestatem eos curandi, quia eos in se luendos suscepit : ita S. Chrysost., Theophyl., Origenes etc. »[12]; consectarium igitur ex nostro textu deducit Matthaeus, quod in Christo adimpletum esse probat.

Dan. 9,27 aliter ab auctore 1 *Mach.* 1,57, aliter ab ipso Domino (*Matth.* 24,15) intelligi immerito asseritur, quia vaticinium illud in Antiochi Epiph. persecutione impletum esse non dicitur, sed auctor libri Machab. verba quaedam ex illo desumta narrationi suae per accommodationem quandam inseruit.

Quod si Patres alii *Is.* 53,8 (« generationem eius quis enarrabit? ») de aeterna generatione Verbi, alii de Christi generatione in tempore, alii de utraque, alii de neutra explicant, aut si prima Geneseos verba ab aliis alio modo explicantur, nihil aliud sequitur, nisi ex Patrum testimoniis nullam ex istis expositionibus certam demonstrari, minime autem omnes illas a Spiritu S. esse intentas[13].

Scrupulum aliquem verba Caiphae (*Ioan.* 11,5) videntur ingerere, quum negari nequeat, duplicem illis sensum ab Evangelista adscribi. Attamen uterque a Spiritu S. intentus non dicitur. Namque eodem modo illud dictum se habet, quo Domini verba : « solvite templum hoc » etc. (*Ioan.* 2,19), quae ipsa quoque duplicis sensus per se erant capacia; at unum solum a Iudaeis intelligi *voluit* Dominus, alterum intelligi *permisit*. Ita Spiritus S., qui Caiphae tamquam pontifici illa verba inspiravit, illum solum sensum intendebat, quem Evangelista nobis indicat, sed verbis usus est, quibus

Caiphas suum sensum exprimere potuit. Ceterum, ut recte monet *P. Patrizi* : « ratio, qua Spiritus S. tunc usus est, nihil habet commune cum illa, qua agebat scriptores sacros, quum hi non alia ab iis, quae Spiritus S. intendebat, scriberent » [14].

Ex dictis elucet, quam infirma sint duo priora adversariorum nostrorum argumenta; tertium vero, quod ex Scripturarum origine et dignitate desumunt, multo minus, si fieri potest, probare censemus. Deum utique verba dictare *posse*, quae diversas veritates significant, negare nolumus; at non quaeritur, quid Deus facere potuerit, sed quid fecerit. Praeterea cum *P. Vasquez* liceat adnotare, Deum videri parum decere, ut scriptoribus sacris tamquam instrumentis irrationabilibus utatur, seu tamquam amanuensibus, qui quae scribunt ipsi non intelligant; atqui ita dicendus esset adhibuisse illos, si praeter illum sensum, quem ipsi intellexerunt atque Deo inspirante scripserunt, alios sensus intendisset [15]. Ab illis vero, qui instabunt et scriptores sacros ipsos quoque sensus illos omnes intellexisse et verbis suis exprimere voluisse asserent, petemus asserti probationem; praeter consuetudinem enim recte scribentium est, ut uno verbo dicant multa diversa [16].

11. Ita quidem ad *Act.* 13. optime responderi potest, si cum Vulgata et multis modernis interpretibus ἀναστήσας Ἰησοῦν vertimus : « *resuscitans* (sc. a mortuis) Iesum »; contextus autem potius postulare videtur, ut vertamus : « constituens Iesum » sc. tamquam salvatorem (ἀνίστημι = הֵקִים cfr *Act.* 8, 22. 26.). At nullo modo admitti potest, S. Paulum directe illud « ego genui te » voluisse explicare « ego te resuscitavi a mortuis ». De hoc et de sequentibus textibus cfr etiam *Vasquez* in Summ. I. qu. 1. a. 10. Disp. XVIII, qui ipse quoque illis omnibus unum tantum sensum literalem attribuit.

12. *Cornel. a Lap.* in Is. 53, 4; cfr *Knabenbauer* Der Prophet Isaias p. 547 et *eiusdem* Comment. in S. Matthaei Evang. 1892 p. 320.

13. Cfr *Knabenbauer* Comm. in Isaiam. Paris. 1887. p. II. 310 sqq.

14. *Patrizi* De interpret. Bibl. p. 52.

15. *Vasquez* l. c. Disp. XVII. 3.

16. Eandem sententiam praeter Patres et antiquiores scholasticos ex iunioribus theologis et interpretibus defenderunt *Michael de Medina* De recta in Deum fide VI. 25; *Maldonatus* In Is. 53, 4; Ier. 31, 15 etc.; *Ribera* in Os. 11, n. 3-13; *Pererius* in Genes. I. reg. 1 etc.; *Estius* in Hebr. 1, 5. etc.; cfr *Patrizi* l. c. p. 39.

199. — Sensui literali pauca de *consequente* qui dicitur adiungamus. « Est hoc insitum atque innatum mentibus nostris, quum alicuius scripta legimus aut loquenti aures praebemus, simul ex dictis auditisque ratiocinari aliaque ex aliis colligere, atque ea, quae rerum scriptarum aut dictarum consectaria esse intelligimus, ipsis qui haec dixere vel scripsere attribuere tamquam ipsorum sententias » [1]. Duplici autem ratione ex dictis vel scriptis alia videntur colligi. Interdum enim

sola verba sunt evolvenda et explicanda, ut nova quaedam vel uberior idea hauriatur; interdum aliud simul est assumendum, ut legitimo quodam syllogismo ad novam ideam perveniatur. Unde duplex sensus consequentis definitio, vel, si mavis, duplex eius species.

Revera, ut a priore inchoemus, idem praedicatum, si de duobus diversis subiectis edicitur, pro subiectorum natura aut arctiorem aut latiorem vel uberiorem et abundantiorem sensum exprimit. Homini enim alicui potentiam, sapientiam, sanctitatem interdum attribuimus, sed Deum quoque et Christum dicimus potentem, sapientem, sanctum. Quanta autem sit idearum diversitas, quae iisdem verbis alterutro in casu exprimatur, nemo non videt; in priore enim non nisi imperfectam, limitatam, finitam, in altero perfectissimam et infinitam intelligimus. Iam vero, quum hi sensus non primarie quidem voci illi subsint, sed secundarie et consequenter ad eius cum hoc subiecto coniunctionem exoriantur, aliqui accuratiorem et *pleniorem* hunc sensum vocant consequentem, monentque hac ratione explicari multa, quae ab aliis multiplicem sensum habere dicuntur; id enim, quod de aliquo subiecto praedicatur, interdum tam *abundantem* sensum habet, ut in plures quasi partes eum dispescere debeamus, si sensum quaeramus plenum. Qui hac ratione sensum consequentem definiunt, dubium non est, quin iure nomen *sensus* usurpent; omnia enim, quae vi et potestate vocis alicuius in genuino suo contextu consideratae continentur, a dicente vel scribente intenta sunt dicenda (193). Nescio vero, num eodem cum iure *consequens* vocetur, quoniam ea, quae vocis in suo contextu consideratae vim exhauriunt quidem, sed non excedunt, etiam limites sensus *literalis* non transgrediuntur. Omnino igitur plenum et abundantem hunc sensum admittendum et diligenter interpreti investigandum esse concedimus, neque a Patribus interdum eum nomine *spiritualis* exornari negamus[2]; at accuratiorem hanc et *pleniorem* vocis alicuius *explicationem* a sensu literali distingui et *sensum consequentem* iure vocari non arbitramur.

Aliter se res habet relate ad alteram speciem, quae a plerisque *sensus consequens* appellatur, quamvis de ea quoque nomen hoc recte usurpari negemus. Ad duo enim animum advertamus oportet :

1.) sensum verborum, quae audimus vel legimus, nobis non praebere nisi unam ex duabus praemissis syllogismi, quo ad consectaria pervenimus, alteram a nobismet ipsis addi; unde eorum veritatem etiam a veritate praemissae a nobis additae et a syllogismi legitimitate dependere patet; efficitur igitur, ut consectaria illa *sensus* dictorum vel scriptorum dici non possint, quum e verbis solis non eruantur; ad sensum tamen literalem pertinere dicenda sunt;

2.) consectaria illa in eo solo casu scriptori recte attribui, si ipse quoque praemissam a nobis additam habuit cognitam illamque additum iri praevidit aut saltem praevidere potuit ac debuit. Quam ob causam, si de libris profanis sermo est, saepe saepius consectaria illa, etiamsi legitima sint, nullo pacto scriptoribus attribuere licet. Aliter tamen res se habet in divinis Scripturis; praemissae enim illae, quas addimus, licet scriptoribus, quibus ceu instrumentis vivis usus est Spiritus S., incognitae forsitan fuerint, ipsum tamen Spiritum S., primarium Scripturarum auctorem, nequaquam latuere; quare in hoc casu valet illud S. Augustini dictum : « Spiritum Dei, qui per scriptorem inspiratum haec verba operatus est, etiam hanc sententiam lectori vel auditori occursuram sine dubitatione praevidisse, immo ut occurreret, quia et ipsa veritati esset subnixa, providisse »[3]. Rectissime igitur consectaria haec legitima Spiritui S. attribuuntur, quia ab ipso praevisa et intenta sunt; atque inde est, quod sacri scriptores interdum eiusmodi consectaria diserte velut dicta Spiritus S. afferant (1 *Cor.* 1,31 ex *Ierem.* 9,23. 24), interdum alteram praemissam requisitam simul indicent (1 *Cor.* 9,10. 11 ex *Deut.* 25,4), interdum sola verba Scripturae allegantes lectori conclusionem eruendam relinquant (1 *Tim.* 5,18 ex *Deut.* 25,4).

Secundum S. Pauli doctrinam « *quaecumque* scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt « *Rom.* 15,4), et « *omnis* Scriptura (πᾶσα γραφή) divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia » (2 *Tim.* 3,16); atqui in Scripturis satis multa leguntur, quae si in nudis verbis haeremus et solum sensum literalem attendimus, nullam ex his ab Apostolo enumeratis utilitatibus praestant; consectariis igitur suis legitime deductis utilia sint oportet, atque quonam modo utilitatem istam haurire possimus, ipsi sacri scriptores exemplo suo nonnullis in locis nobis ostendunt, et maxime Patres continuis suis practicis applicationibus nos docent. Re enim vera, illa explicatio, quam ipsi plerumque tropologicam appellant, haud raro etiam nominibus allegorici, mystici, spiritualis etc. sensus designant, vix quidquam aliud est, quam practica conclusio ex verbis Scripturae derivata; cuius practicae conclusionis, uti diximus, S. Paulus iam exemplum nobis dedit[4].

Quidnam in iis deducendis necessario sit observandum, iam indicavimus; altera praemissa, quam ipsi addimus, vera sit oportet, et conclusio secundum logicae naturalis principia legitime deducatur. Ad illas autem sive theoreticas sive practicas applicationes inveniendas et deducendas pia potius meditatio, quam abstracta ratiocinatio iuvabit.

1. *Patrizi* De interpret. Bibl. p. 265. Non satis accurate *Vasquez* (in Summ. I qu. 1. a. 10. Disp. XIV. 6 sq.) consectaria haec ad accommodationem trahit.

2. Cfr *S. Hilar.* in Ps. 134, 7 (M. 9, 758).

3. *S. August.* De doctr. christ. III. 27 (M. 34, 80).

4. *S. Paulus* 1 *Cor.* 9, 10. 11. satis clare ostendit, se non typico sensu (ac si « boves » essent typi operariorum apostolicorum, uti aliqui opinantur) legem in *Deut.* 25, 4 datam explicare, sed se a minore ad maius concludere. Quod si Deus, quamvis *speciali* providentia animalibus non invigilet, tamen providit, ut ipsis quoque fructu laboris sui frui liceret, multo magis voluit, ut operarii apostolici, quos speciali providentia custodit, ea accipiant, quibus indigent; vel, uti ipse 1 *Tim.* 5, 18 verbo Dominico allato ait : dignus est operarius mercede sua.

§ 3. — *De sensu typico (spirituali).*

200. — « Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, quum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia (theologia), quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est literalis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur eumque supponit »[1]. Ex qua S. Thomae doctrina *sensus spiritualis,* qui rectius *typicus,* saepius etiam mysticus, allegoricus etc. a Latinis, a Graecis autem κατὰ τὴν θεωρίαν, κατὰ τὴν διάνοιαν, κατὰ τὴν ἀναγωγήν etc. appellatur, a literali in eo differt, quod non immediate e verbis ipsis, sed sensu literali supposito e rebus per ipsum significatis hauriatur; mediantibus enim personis aut rebus, quas verba immediate significant, a Spiritu S. nobis manifestatur.

Fundamentum igitur sensus spiritualis vel typici praebent illae personae vel res (i. e. actiones, eventus, res gestae, sacrificia, instituta etc.), quas admirabili sua providentia Deus ita disposuit, ut futuras personas vel res significarent easdem praefigurantes et praedicentes. « Sic ordinantur res, inquit *S. Thomas*, in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subiectarum »[2]. Personae porro vel res, quas Deus hac ratione ad significandum ordinavit, a S. Paulo *typi, exemplaria* et *umbrae, allegoriae, parabolae,* personae autem vel res significatae a S. Petro *antitypi* vocantur, quo nomine tamen S. Paulus ipsas quo-

que res significantes appellat[3]; hodie usus invaluit, ut *typos* nuncupemus res significantes, *antitypos* res significatas.

Tres distinguuntur typorum species; Veteris Test. enim personae vel res ita a Deo sunt dispositae, ut Messiam eiusque vitam aut alias personas vel res ad regnum messianicum pertinentes praefigurent (*typi prophetici*, allegorici), aut Utriusque Test. personae et res ita sunt dispositae, ut coelestia annuntiantes animos nostros supra hanc terram elevent (*typi anagogici*), aut ut regulas quasdam, quibus mores nostros regi oporteat, indicent (*typi tropologici*). Frequentissimi nobis typi prophetici a Novi Test. scriptoribus proponuntur, immo integra vetus oeconomia quodam modo novae est typus. Adam iam vocatur τύπος τοῦ μέλλοντος, i. e. secundi Adami, Christi (*Rom.* 5,14); Melchisedech sic describitur, ut « assimilatus Filio Dei » appareat (*Hebr.* 7,3). At personae interdum etiam res futuras praefigurant; Sara enim et Hagar cum filiis suis « sunt duo testamenta » (*Gal.* 4,24), et altera ex parte res etiam praefigurant personas, nam agnus paschalis, uti reliqua sacrificia, typi fuerunt Christi in cruce morientis seseque pro nobis offerentis (*Ioan.* 19,36); frequentius tamen res rebus praesignificantur (1 *Cor.* 10,2 ssq.). Rariores in Scripturis adhibentur et explicantur typi anagogici (*Apoc.* 21,2) et tropologici (*Sap.* 16,27 sqq.), frequentiores vero in Patrum operibus[4].

Ex illis, quae diximus, consequens est, ut typos a *symbolis* probe distinguamus. Non raro in Ieremia, Ezechiele aliisque Prophetis occurrunt actiones quaedam symbolicae, quae etiam aliquid futuri praesignificarunt, sed totam suam exsistendi rationem ita in hac praefiguratione habuerunt, ut ea sublata iam non essent factae. Contra vero typi suam exsistendi rationem in seipsis habent; quod autem praefigurant, illis est superadditum. Quae *Ezech.* 12,2 sqq. a propheta iussu Dei facta narrantur, ideo *tantum* facta sunt, ut futuram Sedeciae sortem praefigurarent; quae autem de transitu Israelis per mare narrantur (*Exod.* 14,22 sqq.), quamvis etiam mysteria futura praefigurent, minime tamen ad ea sola indicanda facta sunt, sed hunc sensum superadditum habent. Unde symbolicae actiones, aeque ac symbolicae visiones, sensus literalis metaphorici limites non transgrediuntur, nec satis accurate sensum typicum vel spiritualem habere dicuntur. Optime de his *S. Thomas* : « Hircus (*Dan.* 3) vel alia huiusmodi, per quae aliae personae a Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae *ad hoc unum* ostensae, ut illae personae significarentur; unde illa significatio, qua per illas similitudines personae illae aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum (literalem) sensum. Sed ad Christum designandum etiam illa, quae in rei veritate contigerunt, ordinantur sicut umbra ad veritatem; et ideo talis significatio, qua per huiusmodi res Christus aut eius membra significantur, facit alium sensum praeter historicum,

scilicet allegoricum (typicum vel spiritualem). Si alicubi vero inveniatur, quod Christus significatur per huiusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum literalem »[5].

At ab *allegoriis* quoque, prout haec appellatio hodie usurpari solet, typos distinguamus oportet. Ab antiquissimis temporibus multos Scripturarum interpretes res sensibiles, de quibus in libris sacris sermo est, ad invisibilia et intelligibilia transferre videmus, ita ut personae, eventus, res quaecumque illis sint figurae quaedam rerum spiritualium, vel involucrum quoddam, sub quo Deus altiores veritates nobiscum communicare voluerit. Sensibilia autem ad insensibilia transferre sibi licere putant, quia similitudinem inter figuras istas sensibiles et inter figurata spiritualia deprehendisse sibi videntur. Iam vero similitudinis ratio inter typum quoque et eius antitypum habetur; attamen quam maxime typi ab allegoriis vulgari sensu intellectis in eo differunt, quod in prioribus similitudo haec a Deo ipso est intenta nobisque manifestata; in alteris autem de Dei intentione saltem nobis non constat, quin etiam frequentissime tota illa similitudo arbitrarie excogitata atque haud raro conficta est; quare allegoriae ad accommodationis genus potius pertinent, quatenus verba Scripturae de rebus explicantur, quas auctor illis exprimere noluit. Sine ullo dubio allegoriae in Scripturis adsunt, si appellatione hac nihil nisi metaphora continuata intelligitur; integrum Canticum Canticorum ex Patrum orthodoxorum unanimi doctrina solam hanc allegoricam admittit explicationem; allegorias autem hoc sensu intellectas, quae ad litteralem sensum pertinent (196), nihil cum typis habere commune perspicuum est.

1. *S. Thom.* Summ. theol. I. qu. 1. a. 10.

2. *S. Thom.* Quodlib. VII. qu. 6. a. 16.

3. *Rom.* 5, 14; 1 *Cor.* 10, 6; *Hebr.* 8, 5; *Gal.* 4, 24; *Hebr.* 9, 9; 1 *Petr.* 3, 21; *Hebr.* 9, 24.

4. Cfr *P. Tailhan* Christologia Veteris Testam. (Autograph.), in qua typos a Patribus expositos collectos habes.

5. *S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 15. ad 1; cfr *S. August.* Serm. 89, 5, 6 (M. 38, 557 sq.), qui exemplis allatis differentiam inter « factum figuratum » (symbolicam actionem) et inter factum, « quod proprie gestum est et significat figuratum » fuse explicat.

Triplici typorum speciei triplex correspondet *sensus typicus* (spiritualis) : propheticus (allegoricus), anagogicus, tropologicus (194); triplex autem typi ratio, ac proin triplex sensus typicus in uno eodemque obiecto diversimodo considerato locum habere potest : « Eadem enim Ierusalem, inquit *Cassianus*, quadrifariam potest intelligi : secundum historiam (i. e. sensu literali) civitas est Iudaeorum, secundum allegoriam (i. e. typico sensu prophetico) Ecclesia Christi, secundum anagogiam civitas illa coelestis, quae est mater omnium nostrum, secundum tropologiam anima hominis, quae frequenter cum homine aut increpatur aut laudatur a Domino »[6]. Quae igitur de Ierusalem in

Scripturis dicuntur, ea proxime sensu literali de urbe Iudaeae intelligenda sunt, interdum autem, illo sensu literali supposito, simul de Ecclesia, vel de anima fideli, vel de coelo intelligi possunt ac debent. Neque id mirum est, quod una persona vel res plura significare possit; uti enim vocabula, quibus nos ad cogitationes nostras exprimendas utimur, pleraque multas et diversas significationes habent, ita res, quibus Deus nobis nonnulla manifestat, varias significationes admittunt. Ad significandum enim a Deo adhibentur propter similitudinem quandam, quae inter rem significantem et inter rem significatam intercedit; similitudinis autem ratio varia esse potest et multiplex[7]. Bene porro animadvertendum et tenendum est, typi rationem et sensum typicum *non semper* illis rebus inesse; quod enim illam habent, id unice pendet a Dei intentione, qui summa sua libertate hanc vel illam rem ad aliud quidpiam significandum ordinavit et disposuit : « qui ex parte, inquit *S. Hieronymus*, typi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo eius fecisse credendi sunt; typus enim partem indicat (i. e. similitudinem, non identitatem) : quod si totum praecedat in typo, iam non est typus sed historiae veritas appellanda est » (i. e. pertinet ad sensum literalem)[8].

Ex dictis id quoque consequitur, inter sensum typicum et inter sensum spiritualem vel allegoricum per se esse distinguendum, quamvis nomina haec ab antiquis Patribus et theologis promiscue adhibita sint et hodie saepe confundantur. Usus enim fert, ut spiritualis vel allegorici nomine omnes illae expositiones comprehendantur, quae in solo sensu literali non subsistunt, sed altiores et occultiores rationes ex eo eruunt, sive consequentias logicas ex eo deducunt, sive verba auctoris ad rem ab eo non intentam accommodant, sive demum veri typi rationem exhibent. Ex quo appellationum promiscuo usu non parva interdum exorta est idearum confusio, et ob incautum suum loquendi modum interpretes nonnulli, qui nimias tantum accommodationes reiicere voluerunt, ipsos typos et typicum sensum reiecisse interdum creduntur. Quare praemonemus, nos *typici sensus* nomen semper stricte et proprie adhibere; spiritualis autem et allegorici et mystici sensus nomina latius nobis patere, ut omnes expositiones illas altiores vel occultiores comprehendant, quas Patres iisdem appellationibus designarunt.

6. *Cassian.* Collat. XIV, 8 (M. 49, 928).

7. Cfr *S. August.* Serm. 32, 6 (M. 38, 198) : « ea quae ponuntur allegorice in Scriptura, non semper hoc significant : non semper mons Dominum significat, non semper lapis Dominum significat, non semper bonum, non semper malum, sed pro locis Scripturarum, quo pertinent cetera circumstantia istius lectionis »;

Serm. 73, 2 (M. 38, 471) : « in rebus visibilibus via via est, saxosa loca loca saxosa, spinosa loca loca spinosa sunt; quod sunt, hoc sunt, quia proprie nominantur; in parabolis autem et similitudinibus potest una res multis nominibus nominari... Nonne agnus Christus, nonne et leo Christus? Inter feras et pecora qui agnus agnus, qui leo leo : utrumque Christus. Illa singula per proprietatem, iste utrumque per similitudinem. Plus etiam est, quod accidit, ut per similitudinem multum a se res distantes vocentur uno nomine. Quid enim tam distat ab invicem, quam Christus et diabolus? Tamen leo et Christus est appellatus, et diabolus... ille leo propter fortitudinem, ille leo propter feritatem; ille leo ad vincendum, ille leo ad nocendum » etc. Hanc regulam, quam frequenter in sermonibus suis inculcat, S. Doctor vocat « dominicam et apostolicam disciplinam » (in Psalm. 8. n. 13. M. 35, 116).

8. *S. Hieron.* in. Os. II, 1. 2 (M. 25, 916).

201. — Quibus de typi sensusque typici definitione explicatis facile solvuntur quaestiones, quae de iis proponi solent. Quaeritur autem I. *sintne revera typi sensusque typici in Scripturis admittendi.* Plerique protestantes *hodie* veros typos sensumque typicum eo modo, quo illos descripsimus, in Scripturis inveniri negant atque ad summum accommodationem quandam agnoscunt; antiquiores vero protestantes, uti hodie illi quoque, qui orthodoxi vocari amant, vix a catholicis dissentiunt[1], qui omnes unanimi consensu et typos et sensum typicum Scripturarum statuunt ac plerique cum *Molina, Bañez, Vasquez* aliisque non paucis[2] omnino ad fidem pertinere tenent, *in S. Scriptura typos inveniri, ita quidem, ut ea, quae de typis dicantur, simul de antitypis sint intelligenda.*

Namque 1.) id *ex ipsa S. Scriptura* iam elucet. Quae enim literali sensu de agno paschali dicta sunt (*Exod.* 12,46; *Num.* 9,12), ea in Christo impleta esse docet Evangelium (*Ioan.* 19,36); atqui immerito ita locutus esset evangelista, nisi ex positiva Dei voluntate agnus paschalis fuisset typus Christi, ita ut ea, quae de non confringendis agni ossibus praescripta sunt, simul eminentiore quodam sensu de Christo intelligenda essent. Quare aut neganda omnino est inspiratio, atque dicendum, errasse evangelistam haec verba in Christo impleta docentem, aut veri typi verusque sensus typicus statuendi sunt.

Eodem modo S. Paulus variis Veteris Test. historiis allatis de Israelitarum transitu per mare rubrum, de nube populum comitante, de miraculoso, qui ei datus est, cibo et potu etc. addit : « haec autem in figura facti sunt nostri » (ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν), « haec omnia in figura contingebant illis (ταῦτα πάντα τύποι συνέβαινον αὐτοῖς), scripta autem sunt in correptionem nostram » (1 *Cor.* 10,1 sqq.). Quae Pauli verba iterum aut sensu prorsus carent, aut illum in ea persuasione fuisse docent, admirabili sua providentia Deum ita illas res disposuisse et ordinasse, ut altiorum donorum, quae in nova oeconomia danda erant, essent figurae propheticae.

Populum israeliticum ex Aegypto reducem typum esse Christi ex Aegypto revertentis docet S. Matthaeus (*Matth.* 2,15), duas uxores Abrahami typos esse duorum foederum S. Paulus (*Gal.* 4,22, 23), aquas diluvii et arcam Noe typum baptismi S. Petrus (1 *Petr.* 3, 20, 21); Adam vocatur typus Christi (*Rom.* 5, 14), Melchisedech et Salomon typi Christi fuisse supponuntur (*Hebr.* 7, 3 et 1, 5) etc. etc. Porro animadvertas velim, Evangelistas et Apostolos, si haec et similia testimonia afferunt, non semel asserere, in vita Christi etc. aliquid factum esse « *ut adimpleretur* » (ἵνα πληρωθῇ) vaticinium eiusmodi typicum : unde evidens est illos credidisse, revera verba illa ad Christum pertinere : atqui sensu literali et immediato de Christo dicta non sunt; ergo sensu mediato et typico de illo intelligantur oportet.

1. Verbis potius quam re ipsa dissentire antiquiores protestantes apparet ex hac definitione, quam *D. Hollaz* (Examen theologicum. Lipsiae 1718) tradit : « sensus mysticus dicitur, qui non significatur proxime per verba θεόπνευστα, sed qui *ex re verbis* θεοπνεύστοις *significata* fluit atque deducitur; dicitur autem improprie et abusive sensus dicti biblici, quum non sit *immediatus sensus verborum* θεοπνεύστων, sed quia Deus *per rem aut factum* verbis iisdem descriptum aliam rem aut aliud factum oculis hominum considerandum sistere voluit »; cfr etiam *Wittakeri* sententiam apud Serarium (Proleg. c. 21. qu. 5); *Glassius* (Philolog. sacra. Ed. noviss. Lips. 1705 p. 350) : « sensus mysticus est ille, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed per rem ipsis verbis significatam »; eum adesse probat in Scriptura iisdem fere, quibus nos, argumentis. A fine autem saeculi praecedentis typos typicumque sensum impugnare coepit *I. G. Rau* (Untersuchung über die Typologie. Erlangen 1784), quem secuti sunt plerique protestantes.

2. *Gr. de Valentia* Comm. in Summ. I. qu. 1. Disp. I. qu. 1. p. 5. § 3 assertionem hanc « certissimam ex fide » vocat; cfr *G. Vasquez* In Summ. I. qu. 1. Disp. 13, 3 et reliquos commentatores Summae S. Thomae.

2.) Tam clare Scriptura hanc veritatem docet, ut mirum non sit, quod *omnes antiqui Patres et theologi eandem tenuerint.* Patres apostolici frequenter typis utuntur. « Ipse (Dominus), inquit *S. Barnabas*, pro peccatis nostris vas spiritus oblaturus erat in hostiam, ut etiam impleretur figura facta in Isaac, qui super altare fuit oblatus » (ἵνα καὶ ὁ τύπος τελεσθῇ); idem capri emissarii, vaccae rufae, circumcisionis Abrahae etc. rationem typicam fuse exponit[3]; *S. Clemens Rom.* funiculum coccineum a Rahab meretrice e domo suo demissum, quo ipsa cum familia sua servata est, prophetasse (πρόδηλον ποιοῦντες) ait per sanguinem Domini redemtionem fore omnibus[4].

Immediate post apostolicorum Patrum aetatem *S. Iustinus* duplicem modum vaticiniorum veterum iam disertis verbis explicat : « interdum, inquit, Spiritus S. efficiebat, ut clare et aperte aliquid fieret, quod quidem typus erat futuri (ἔσθ' ὅτε τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐναργῶς πράττεσθαί τι, ὃ τύπος τοῦ μέλλοντος γίνεσθαι ἦν, ἐποίει); interdum autem et sermones pronuntiavit de futuris rebus, ita eas praenuntians quasi iam tunc res fierent vel etiam factae

essent »; atque alio in loco : « cetera omnia a Moyse instituta enumerans demonstrare possum illa figuras (τύπους) et signa et praenuntia fuisse tum eorum, quae Christo eventura erant, tum eorum, qui in eum credituri praenoscebantur » [5]. Cum S. Iustino consentit *S. Irenaeus*, qui contra Valentinianos disputans nullo modo typos pro argumento adhiberi posse negat, quum ex illis eos argumenta desumere videret, sed non veris eos typis uti demonstrat, ipse autem haud raro ex eis ratiocinatur; etenim « si quis, inquit, intentus legat Scripturas, inveniet in iis de Christo sermonem et novae vocationis praefigurationem; hic est enim thesaurus absconditus in agro... absconsus vero in Scripturis Christus, quia per typos et parabolas significabatur » [6]. At longum est omnium Patrum catalogum retexere, qui typos et sensum typicum in Scripturis adesse aut disertis verbis tradunt aut tota sua explicandi ratione docent [7]; ne unum quidem ex celebrioribus sive orientalibus sive occidentalibus inveniri puto, quin hanc doctrinam teneat. Unum addam *Theodori Mopsuesteni* testimonium, qui arctioribus quidem, quam reliqui fere omnes, finibus typorum usum restrinxit, eos autem adesse aperte professus est. Secundum Theodorum enim Deus « plurima in Vetere Testamento ita administravit, ut gesta illa tum eius temporis hominibus maximam praeberent utilitatem, tum etiam significationem haberent futurarum rerum... Hoc modo invenitur, vetera esse typos quosdam posteriorum, quum simul habeant similitudinem cum illis (futuris) et idoneam utilitatem suis ipsius temporibus, ita tamen ut simul demonstrent, quantopere illa futuris minora fuerint » [8]. Patres aliquos, praesertim scholae alexandrinae (231) asseclas, typorum sensusque typici usum latius, quam par erat, extendisse, neque raro typici vel spiritualis sensus nomine etiam metaphoricas significationes aut consectaria sensus literalis aut ipsas accommodationes comprehendisse, non negamus; verum haec omnia non impediunt, quominus germanam quoque typorum sensusque typici rationem illos tenuisse dicamus.

Iuniorum demum theologorum et interpretum testimonia afferre supervacaneum est; omnibus enim catholicis interpretibus gravissimo crimini id praecipue a rationalistis imputatur, quod praeter literalem sensum agnoverint typicum.

3.) Pro confirmatione asserti nostri adduci etiam potest antiquae synagogae testimonium; Iudaei enim antiqui omnes in ea erant sententia, quidquid magnum, eximium, mirabile de certis quibusdam hominibus in Scripturis dictum sit, id multo magis et sensu quodam eminentiore ad Messiam eiusque regnum pertinere. Revera tota argumentandi ratio, qua Novi Test. scriptores utuntur, eorum adversarios, Iudaeos dico et palaestinenses et hellenistas, typos et sensum typicum agnovisse supponit.

Quae quum ita sint, nulli dubitamus asserere, sine fidei detrimento typos sensumque typicum non posse negari, atque adeo cum Novi Testamenti inspiratione totum fundamentum divinitatis religionis christianae destrui et everti ab illis, qui eos impugnare ac pro meris figmentis declarare audeant. Utique ob magnam, quam erga Scripturas habent, reverentiam se

ita agere asserunt; confusionem enim et ambiguitatem typico illo sensu creari humanasque opiniones in divinam Scripturam induci. Verumtamen sensus typicus ille non est, quem homo arbitrarie sibi effingit, sed quem a Deo intentum esse constat. Certe omnes illas allegoricas explicationes, quas in Patrum quorundam et iuniorum non paucorum interpretum operibus legimus, approbare in animo non est; quam plurimas arbitrarie excogitatas esse fictiones libentissimi concedimus; sed quid? num abusus rei alicuius bonae et verae unquam prudentem hominem adduxerit, ut rem bonam ac veram esse neget? Ad ambiguitatem porro et confusionem quod attinet, quam parere sensus typicus dicitur, audiatur S. Thomas : « Sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces signa esse possunt aliarum rerum. Et ita etiam nulla confusio sequitur, quum omnes sensus fundentur super unum, i. e. literalem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quae secundum allegoriam (typice) dicuntur »[9].

3. *S. Barn.* Epist. 7. 8. 9. 12. etc.
4. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 12.
5. *S. Iustin.* c. Tryph. 114. 42 (M. 6, 737. 565).
6. *S. Iren.* c. haeres. II. 24, 2 sqq.; IV. 26, 2 (M. 7, 791. 1052).
7. Cfr *Tailhan* Christolog. V. T. p. 5-15; *Patrizi* De interpret. Bibl. p. 189 sqq.
8. *Theodori Mopsuest.* Comment. in Ionam. Prol. (M. 66, 317 sqq.); de Theodori sententia fuse et egregie agit *Kihn* Theodor von Mopsuestia. Freib. 1880 p. 128-157.
9. *S. Thom.* Summ. I. qu. 1. a. 10. ad 1.

202. — Ultima verba, quae ex S. Thoma attulimus, nos monent, ut II. quaeramus, *possitne ex sensu typico efficax desumi argumentum ad demonstrandam aliquam veritatem.* Eodem fere modo, quo S. Thomas id videtur negare, asserit etiam S. Hieronymus « nunquam parabolam et dubiam aenigmatum intelligentiam posse ad auctoritatem dogmatum proficere »[1]. Altera vero ex parte Apostolos typicum sensum eadem prorsus, qua literalem, ratione ad dogmata demonstranda adhibuisse constat; etenim S. Paulus nulla omnino cautione adhibita in eadem argumentatione textus, qui solo sensu typico probant, aliis intermiscet, qui sensu literali intelligendi sunt, et S. Matthaeus Iesum esse Messiam in Lege promissum frequenter contra Iudaeos ex typis demonstrat.

At oppositio inter SS. Thomae et Hieronymi doctrinam et inter Apostolorum agendi modum non est nisi opinata et imaginaria: nemo enim sibi persuaserit, doctores illos sensui typico, cuius aeque atque literalis auctor est ipse Deus, auctoritatem probandique vim denegasse. At eatenus sensui typico (uti etiam literali) auctoritas haec competit, quatenus eum a Deo intentum esse constat; iam vero Apostolis, utpote scriptoribus inspiratis, hac de re immediate ex illustratione Spiritus

S. constitit, ideoque illis typos typicumque sensum in argumentationibus suis adhibere licuit. Nobis vero, num persona vel res aliqua sit typus, cum omnimoda certitudine constare nequit, nisi ex alterius scriptoris inspirati aut ex infallibilis Ecclesiae testimonio : tota igitur argumenti vis potius testimonio illi inspirato vel infallibili innititur, quam verbis ipsis, quae typico sensu explicamus. Ut ex Dei ad Davidem verbis (2 *Reg.* 7,14) Christi divinitatem demonstremus, necessario S. Pauli auctoritate (*Hebr.* 1. 5) indigemus, qui ea de Christo intelligenda esse certos nos reddit[2]. Haec est doctrina ipsius S. Thomae : « non est propter defectum auctoritatis, inquit, quod ex sensu spirituali (typico) non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus; una enim res pluribus similis esse potest, unde non potest ab illa, quando in Scriptura proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate »[3], nisi, uti per se patet, haec determinatio aliunde innotuit.

Attamen haec, quae diximus, de sola demonstratione stricte theologica valent; liberior enim typorum sensusque typici usus in concionibus permittitur, atque fertilissimus hic patet concionatoribus campus, in cuius frugibus colligendis tantum non omnes praeiverunt Patres atque Sancti omnes. Cavendum quidem, ne ludere videamur aut nostris explicationibus Scripturam ipsam despectui exponamus aut illas velut solida argumenta auditoribus obtrudamus; verum si debitae cautiones adhibentur, vix alius locus fertilior est in amplificationibus. Cautiones porro adhibendae duae sunt, *a.*) ut vera adsit figuram inter et figuratum congruentia nec levissima iam similitudinis ratio sufficere credatur, *b.*) ut spiritualis typicaeque explicationis fundamentum praebeat vel ipsa Scriptura vel Ecclesiae Patrumve praecipuorum usus (203). Quia ex Scriptura ex. gr. constat, Salomonem esse typum Christi (*Hebr.* 1,5), fundamentum sufficiens adest, ut multa, quae de Salomone narrantur nec tamen in Scriptura Christo applicantur, nos ipsi de Christo explicemus, Salomonis sapientiam cum sapientia sive increata sive infusa Christi comparantes, salomonici regni opes et magnificentiam cum supranaturalibus divitiis regni messianici, templum a Salomone propriis sumtibus exstructum cum Ecclesia sumtibus Christi, i. e. eius meritis et sanguine aedificata etc. Quia S. Paulus transitum Israelitarum per mare rubrum fuisse baptismatis typum innuit (1 *Cor.* 10), nihil obstat, quominus ad particularia descendentes aquas maris comparemus cum baptismi aquis, Israelitas transitu salvatos cum baptizandis, qui salvati ex baptismi aqua emergunt, Moysen baculo suo aquas dividentem cum Christo cruce sua aquis baptismi virtutem tribuente, Pharaonem et Aegyptios in mare demersos cum Satana et daemonibus etc. [4].

1. *S. Hier.* in Matth. 13, 33 (M. 26, 92).
2. Egregie *Ribeira* Comment. in Proph. min. Prael. 1. n. 11. (Romae 1590 p. 8) :

« at non valet spiritualis sensus ad confirmanda dogmata, sicut literalis! Non infitior, verum id non ex rei ipsius natura, sed ex accidente oritur, quoniam de literali melius nobis constare potest ex vocum significatione, quam de spirituali, qui ex rerum inter se similitudine capitur, quae incertior est et obscurior. Sed idem et in literali accidit; nam si loci alicuius sensus dubius sit, certum ex eo argumentum desumi non potest. Contra si de sensu spirituali constet aut per Scripturam aut per Ecclesiae sanctorumve Patrum communem expositionem, firmiter ex eo argumentari licet » etc.; cfr etiam *Salmer.* ad Hebr. disput. VII. (Tom. 15, 671); *Vasquez* l. c. disp. XVI. c. 5 et reliquos commentatores Summae S. Thomae.

3. *S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 44. ad 4.

4. *Bonfrer.* Praeloqu. c. 20. s. 4.

203. — Quaeritur III. *num omnia, quae in Vetere Foedere adfuerunt, sint typi, numque omnibus Veteris Testamenti sententiis insit sensus typicus.* Origenes illa in opinione videtur fuisse : « sic enim, inquit, de universa Scriptura statuimus, sensum ubique eam habere spiritualem, non autem ubique corporeum », atque « si Evam feliciter Apostolus ad Ecclesiam retulit, nihil mirum est Cainum ex Eva progenitum et deinceps omnes, qui ad Evam referuntur, figuras esse Ecclesiae »; « si prophetiae, quae de Iudaea et Ierusalem et de Iuda, Israel et Iacob prophetatae sunt, dum non carnaliter intelliguntur, mysteria quaedam divina significant, consequens est etiam illas prophetias, quae de Aegypto et Aegyptiis, vel de Babylonia et Babyloniis, vel de Tyro et Tyriis, vel de Sidone et Sidoniis et de aliis populis praedictae sunt, non de solis terrenis (σωματικῶν) Aegyptiis, Babyloniis, Tyriis, Sidoniis prophetare, sed etiam de spiritualibus » (περὶ τῶν νοητῶν)[1]. Eadem quoque in opinione interpretes quidam protestantes saec. 17. fuerunt, figuristae ideo appellati[2].

Integrum Vetus Foedus typum esse Novi ex argumentandi ratione Apostolorum constare censemus, neque vero inde consequens est, ut haec typi ratio ad omnia et singula extendatur, multo minus autem asserere licet, omnibus Veteris Test. sententiis inesse sensum typicum. Ad hoc alterum enim quod attinet, risui sese exponeret, qui praeceptum Domini: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo » etc. (*Deut.* 6,5) et alia similia praeter sensum suum literalem etiam typicum admittere assereret. Ut autem affirmare possemus, typicam rationem sese ad minima quaeque extendere, positiva deberemus argumenta habere, quia de libera Dei dispositione et ordinatione agitur, quae a priore demonstrari nequit; sed eiusmodi argumenta nec in Scriptura inveniuntur nec in traditione, et Origenes ob singularem suam sententiam a reliquis Patribus vituperatur.

« Mihi, inquit *S. Augustinus,* sicut multum videntur errare, qui

nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt »[3]. Regulam porro Scripturae statuit *S. Hieronymus,* « ubi manifestissima prophetia de futuris texatur, per incerta allegoriae non extenuare quae scripta sunt », frequenterque carpit Origenem « allegoricum semper interpretem, qui historiae veritatem fugiat », eumque « delirare », « somniare » etc. asserere non dubitat[4]. Ipsa quoque reverentia Scripturae debita vetat, ne omnia et singula in typos allegoriasque vertamus; ridiculis enim suis, non typicis sed allegoricis, expositionibus figuristae illi ex Cocceii schola exorti libros sacros ipsos risui exposuerunt; quis enim a cachinnis abstinere poterit, si ex. gr. *Salomonem van Til* in sua « de tabernaculo Moysi » dissertatione omnibus etiam minutissimis instrumentis typicam significationem affingere viderit et didicerit forcipes vel emunctoria (*Exod.* 27,23) typos esse rationis sanctificatae, quae 1.) veritates ex S. Scripturae eruit efficitque, ut prophetarum sapientia quotidie magis luceat, et 2.) falsas interpretationes destruit et errores exortos removet; aut si alium, qui demonstrare vult aram quadratam holocaustorum esse typum Christi, graviter quaestionem agitare audierit, « quomodo Christus quadratus fuerit » [5]?

1. *Orig.* de princ. IV. 20 sqq. (M. 11, 385 sqq.).

2. De *Cocceio* eiusque schola figuristarum cfr *infra* 261.

3. *S. August.* De civit. D. XVII. 3 (M. 41, 526); cfr c. Faust. XXII. 94 (M. 42, 463) : « sicut in cytharis et huiusmodi organis musicis non quidem omnia quae tanguntur canorum aliquid resonant, sed tantum chordae, cetera tamen in toto cytharae corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde et quo tenderentur illae, quas ad cantilenae suavitatem modulaturus et percussurus est artifex : ita et in his propheticis narrationibus, quae de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid iam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit unde illa significantia tamquam sonantia connectantur ».

4. *S. Hieron.* in Malach. 1, 10; in Ierem. 27, 3. 9; 29, 14 (M. 25. 1551; 24. 849 851. 862). Eadem est doctrina aliorum Patrum cfr *S. Epiph.* haer. 33, 9 (M. 41, 573); *Tertull.* de resurr. carn. 20 (M. 2, 821); *S. Hilar.* in Ps. 63, 9 etc.

5. *Van Til* De tabernaculo Mosis (*Ugolini* Thesaur. antiquit. sacr. VIII. Venetiis 1747 p. XXXVIII.). — *S. August.* c. Faust. XII. 39 (M. 42, 274) iam Philonis quandam ridiculam explicationem allegoricam ridet.

204. — Quaeritur IV. *Novumne quoque Testamentum typos contineat sensumque typicum admittat.* Patres nonnullos negare hanc quaestionem censent aliqui interpretes, quia de differentia, quae inter Utrumque Test. adsit, loquentes Vetus a Novo sicut umbram a veritate distare dicant, figuras cessasse, quando Christus, qui finis Legis est,

advenerit, imperatoris imagines adveniente imperatore evanuisse et ablatas esse etc. Addi potest typum antitypo suo esse imperfectiorem et inferiorem (corpus enim umbrae suae praestat et imagini res ipsa), at rebus in nova oeconomia revelatis aliae non sunt perfectiores aut sublimiores. Immerito omnino et parum recte loqueretur, qui Christi resurrectionem resurrectionis nostrae typum diceret, quum illius sit causa exemplaris, nullo autem modo exemplar et typus confundi debeant.

Quae rationes sufficienter quidem explicant, cur aliqui interpretes Novo Test. omnes typos sensumque omnem typicum abiudicaverint, at rem ipsam non evincunt. Illud quidem, quod ab omnibus conceditur, extra dubitationem ponunt, typos scilicet *messianicos* in N. T. non adesse, nec quidquam aliud verba a Patribus adhibita, si accurate perpenduntur, excludunt; atque cavendum quoque esse monent, ne ea, quae Christus exemplo suo nobis imitanda proposuit, in typos convertamus; aliud enim est exemplum imitandum, aliud typus praefigurans. At rectissime docet *S. Thomas*, uti Vetus T. figura sit Novi, ita Vetus et Novum figuram esse coelestium rerum[1], atque *S. Chrysostomus* Christum, quum veterem prophetiam impleret, novae prophetiae initium dedisse, « quum gestis suis futura praesignificaret »[2]. Annon S. Paulus ipse in illa circumstantia, quod Christus « extra portam passus sit », indicatam vidit rationem typicam (*Hebr.* 13,1-13)? Quare non est mirandum, quod Patres aliqua, quae in Evangelio narrantur, pro typis habent : *S. Chrysostomus* « impurarum gentium vocationem » praefiguratam videt, quando Dominus asinae insidens urbem et templum ingreditur[3]; navicula Petri fluctibus iactata aliis Patribus typus est Ecclesiae persecutionibus agitatae; Christus ex Petri navicula docens illis praefigurat continuum eius in Ecclesia supra Petrum fundata magisterium; destructio urbis Ierusalem ita a Domino praedicta dicitur, ut eius eversio simul sit finis mundi praesagium[4]; morborum corporalium sanationes, mortuorum resuscitationes aliaque eiusmodi miracula Christi aptissime asseruntur praesignificare morboborum spiritualium curationes, peccatorum resuscitationes a morte spirituali etc.

1. *S. Thom.* Summ. I. qu. 1. a. 10. in O. Cum quadam cautione illud videtur accipiendum, quod ibi docet Angelicus : « in nova lege ea, quae in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quae nos facere debemus »; nam haec exemplaria rectius quam typos appellari monuimus; cfr *Bonfrer.* Prael. 20, 3.

2. *S. Chrys.* in Matth. hom. 66 (al. 67), 2 (M. 58, 627).

3. Cfr *S. August.* in Ioan. tract. 122, 7 (M. 35, 1962), qui in duplici miraculosa Petri piscatione typum videt conversionis gentilium.

4. Cfr *Bellarm.* de verbo Dei III. 3; *Serar.* Proleg. 21 qu. 8, 3; *Vasquez* l. c.

disp. XVI. c. 6 etc.; bene quoque hanc quaestionem tractat *Fr. Schmid* (De inspirationis Bibliorum vi et ratione. Brixinae 1885 p. 213 sqq.): licet integra eius doctrina de sensu mystico nobis non probetur.

205. — Non raro a theologis agitata est quaestio V. *uter sensus, literalis an typicus, praeferendus sit.* In comperto est, Patres haud raro spiritualem (typicum) vocare altiorem, illum velut medullam et fructum cortici et radici literalis opponere; literalem autem eis esse carnalem vel corporalem etc. Neque illud ignoratur, multos et egregios ex antiquioribus interpretibus literali sensu magis minusve neglecto totam suam operam in quaerendis spiritualibus interpretationibus collocasse. Unde nonnemo coniecerit, eos spiritualem (typicum) sensum absolute praetulisse literali; sed procul dubio erraret, qui hanc sententiam teneret.

Ex parte enim auctoris, quum utriusque auctor sit Deus, illos eiusdem esse dignitatis patet; nec etiam ex modo, quo manifestantur, dignitatis differentiam exoriri apparet; num enim verbis an rebus tamquam signis manifestantibus utatur Deus, nihil interest. Sola igitur differentia ex parte obiecti haberi potest; ad illud autem quod attinet, fatendum est, res, quae typico sensu manifestantur, altioris esse dignitatis, quam eae, quas eodem in loco verba immediate exprimunt; typi enim antitypis suis sunt inferiores et minus digni. Nemo dubitat, quin agnus paschalis infinities Christo, cuius typus fuit, sit inferior; et quin multo altioris dignitatis sit doctrina, quae verbis « os non comminuetis in eo » exprimitur, si verba haec ad Christum, quam si ad agnum referuntur. Verba : « ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium » relate ad Salomonem non exprimunt nisi adoptionem quandam, relate ad Christum veri et proprii filii rationem etc. Hoc igitur sensu rectissime Patres typicam significationem altiorem nuncuparunt eamque ceu medullam cortici opposuerunt. Atque illud quoque concedere possumus ac debemus, nonnullis in locis typicum sensum esse praecipue a Spiritu S. intentum per modum quasi finis, quum literalis non tam ratione sui quam ad spiritualem indicandum sit intentus : prohibitio enim confractionis ossium agni paschalis alium finem non videtur habuisse, nisi ut quomodo tractandum sit antitypicum sacrificium manifestaretur.

Quae omnia, etsi concedantur, minime efficiunt, typicum sensum absolute praestare literali; etenim « sensus literalis, inquit *Bonfrerius,* res aeque praestantes et divinas complectitur, quam spiritualis; immo vero potest (ac debet) sensus literalis omnibus consideratis absolute praeferri, tum quia ubique in omni Scripturae sententia est, tum quia ut plurimum est certior et ad probandas res fidei easque confir-

mandas revincendosque errores maiorem vim habet, tum quia potior et praestantior pars Scripturae, Novum sc. Testamentum, literali sensu circa res praestantissimas et sublimissimas et divinissimas versatur »[1]. Atque id addendum, sensum typicum non haberi nisi supposito literali; unde satis elucet, quid de illis interpretibus sit censendum, qui literali neglecto spirituales explicationes sectantur, atque interdum ita non iam typis, sed allegoriis suis insistunt, ut literalem labefactent ac destruant. Absit ut omnem spiritualem explicationem respuamus; omnium enim aetatum praestantissimi interpretes catholici hanc explicandi rationem magni semper fecerunt; verum illi non ea ratione incumbamus, ut nostra figmenta pro Scripturae sensu aliis venditemus, caveamusque, ne illius criminis rei simus, cuius *S. Hieronymus* Origenem accusat, « qui liberis allegoriae spatiis evagatur et ingenium suum facit Ecclesiae sacramenta »[2].

Interpretis est, ut praeprimis accurate sensum literalem investiget illumque stabiliat, tum autem etiam sensum typicum explicet, si quis eximius sese offert, qui probabilibus saltem argumentis demonstrari potest; argumenta autem haec ei praebebunt :

a.) ipsi libri sacri, quum vel disertis verbis aliquam personam vel rem typum esse asserunt, vel id supponunt, verbis illis, quae de veteris oeconomiae rebus dicta sunt, ad novae res relatis;

b.) SS. Patres, quoties nimirum unanimi consensu aliquid typum esse declarant aut textum aliquem typico modo exponunt; caveat autem, ne unius alteriusve Patris, qui Origenis principia hermeneutica tenet, auctoritatem iam pro sufficienti argumento habeat;

c.) usus liturgicus Ecclesiae, qui non paucarum explicationum typicarum fundamentum haud infirmum nobis offert;

d.) analogia demum manifesta, si quae inter Utriusque Test. personas et res invenitur, nobis nonnullos manifestat; caute tamen in hoc argumentorum fonte exhauriendo esse procedendum iam monuimus. « Ut autem literam sequi et signa pro rebus, quae iis significantur, accipere servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari male vagantis erroris est. Qui autem non intelliget, quid significet signum, et tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute. Melius est autem vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere »[3].

1. *Bonfrer.* Praeloq. 20, 3; cfr etiam *Serar.* Prolegom. 21, 10; *Vasquez* l. c. disp. XVI. qu. 6. etc.
2. *S. Hier.* in Is. Prol. l. V. (M. 24, 154).
3. *S. August.* De doctr. christ. III. 9 (M. 34, 71).

§ 4. — *De S. Scripturae accommodatione.*

206. — Scripturarum accommodationem adesse diximus, quando earum verba ad rem, quam sacer scriptor indicare noluit, praeter eius intentionem adaptantur (194); duplici autem ex capite oriri potest similitudinis ratio, quae fundamentum quasi est huius adaptationis, unde etiam duae accommodationis species distingui solent[1].

Illud enim, quod Scriptura de una determinata persona vel re pronuntiat, etiam in alia persona vel re, quam sacer scriptor prae oculis non habuit, quodam modo inveniri potest, ac proin eius verba ad alteram illam personam vel rem extendi possunt, quatenus etiam in ea quoquo modo verificantur. Accommodatio haec *per extensionem,* quae in ipsarum rerum similitudine fundatur, haud infrequens in Officiis ecclesiasticis invenitur. Quae de Noe Siracides dicit : « inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio », de Isaac : « benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus » etc., de Moyse : « similem illum fecit in gloria sanctorum » etc., de Aarone : « statuit ei testamentum aeternum » etc.[2], illa omnia Ecclesia ad celebrandas laudes sanctorum Confessorum transfert, quia de illis etiam vera sunt, quamvis illos sacer scriptor nullo modo in mente habuerit, quando Patrum laudes celebravit.

Altera species accommodationis habetur, quando similitudinis ratio non in re significata, sed in solis verbis significantibus invenitur, ita ut verba Scripturae propria sua significatione privata ad rem omnino diversam significandam detorqueantur et merus habeatur verborum lusus. Exempla accommodationem hanc, quae *per allusionem* appellatur, illustrabunt. A Psalmista dicitur « Deus mirabilis *in sanctis suis* » (*Ps.* 67,36); quae verba iuxta textum hebr. et integrum contextum sine ullo dubio de manifestatione mirabili Dei *in sanctuario eius* intelligenda sunt, saepe vero ita accommodantur, ut Deus miro modo sese manifestasse in *sanctis hominibus* dicatur. Ut exprimat Deum erga homines pro eorum moribus et meritis sese gerere, Psalmista utitur verbis : « cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris » scilicet « tu, Deus » (*Ps.* 17,27); a propria autem sua significatione deflectuntur, si hominem quendam istis verbis allocutus mones, ut perversorum hominum consuetudinem evitet, ne ipse pervertatur.

Quin prior accommodationis species alteri multo praestet, nemini est dubium, quum Scripturae verbis genuinum, quem habent, sensum relinquat, dum altera verborum significationes detorqueat et pervertat; at ne ipsa quidem accommodatio, quae per extensionem fit,

sensum mentemque scriptoris exprimit, ideoque interpretes et theologi parum accurate de *sensu accommodato* loquuntur.

1. De accommodatione cfr *Vasquez* l. c. disp. XIV. 1. sqq.; *Serar.* Prolegom. 21, 14; *Frassen* Disquis. bibl. IV. 6, 3; *Patrizi* de interpret. Bibl. p. 273 sqq. etc.

2. *Eccli.* 44, 17. 25; 45, 1. 8. Quam plurimae eiusmodi accommodationes etiam aliis in Officiis occurrunt.

207. — Accommodationis definitione exposita, quid de eius usu censendum sit, inquiramus iam oportet. Ecclesiam priorem speciem adhibuisse et adhibere vidimus; at eandem etiam ipsa adhibuit Scriptura. Velut impiam quidem ac falsam reiicimus assertionem rationalistarum, qui a Novi Test. scriptoribus omnia vaticinia suo argumento dumtaxat accommodata esse dicunt; neque enim tantum futura a prophetis divinitus praevisa ac praedicta esse aut praevideri ac praedici potuisse negant, sed etiam evangelistarum inspirationem negare coguntur. Namque sacer scriptor, si *eo fine,* « ut adimpleretur » (ἵνα πληρωθῇ) vaticinium quoddam, aliquid factum esse refert, non tantum similitudinem indicare vult inter rem praedictam et rem gestam, sed de eadem re prophetam ac se ipsum loqui clare insinuat. Quod quum sit evidens, fatendum est, aut sacros Novi Test. scriptores errasse, i. e. non fuisse inspiratos, aut rationalistas errare ac blasphemare[1].

Ab omni errore etiam nonnulli interpretes catholici haud satis excusari possunt, qui multa quidem vaticinia aut literali aut typico sensu in Christo vere impleta esse concedunt, nonnulla tamen ad Christum ab evangelistis accommodari arbitrantur. Inter quos ex gr. *Corn. Iansenius Gand.* de *Matth.* 2,15 haec habet : « Quod evangelista ait : secessit in Aegyptum et erat ibi usque ad obitum Herodis, *ut adimpleretur,* quod dictum est a Domino per Prophetam : *ex Aegypto vocavi filium meum,* perinde est ac si dixisset : ut de puero Iesu illud prophetae *verificaretur,* ex Aegypto vocavi filium meum. Ut si quis verba faciens de patre aliquo mire sollicito pro filio diceret : Vidisses amore desiderioque filii non posse consistere, omnia negligere, omnia posthabere, ut in eo impleretur illud Maronis : Omnis in Ascanio cari stat cura parentis »[2]. Verum doctissimus vir non attendit, coniunctionem finalem ἵνα ab evangelista adhiberi, omnino autem aliud esse, si dico, hoc *eo fine* esse gestum, ut in eo adimpleretur vel verificaretur dictum prophetae, et aliud si dico : hoc *tali modo* gestum est, ut in eo verificatum vel adimpletum sit dictum poetae. Alter enim hic loquendi modus latiorem illam Iansenii explicationem, quae de rebus dumtaxat similibus agi supponit, omnino admittit, etiamsi eam non absolute postulet; sed prior loquendi formula eam plane excludit[3].

Dubitare quis possit, num alia formula : « *tunc* adimpletum est, quod dictum est per prophetam » (ex. gr., *Matth.* 2, 17 τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν κτλ; 27,9), vaticinia pro accommodatis accipere permittat; at nisi verbis vim

inferre velimus, illa quoque formula ita comparata dicenda est, ut accommodationem excludat. Duo tamen sunt vaticinia, quae *Vasquez* « ita in sensu accommodatitio recipienda censet, ut a literali non multum distet, immo ex illo ita mirabili quadam ratione deducatur, ut non parum habeat energiae contra Iudaeos, quibus hypocrisin et cordis duritiem Christus exprobravit » [4]. In priore loco (*Matth.* 13, 14) Dominus verba Isaiae (6,9) adducit hoc modo : « et *adimpletur in eis prophetia* Isaiae dicentis : Auditu audietis et non intelligetis » etc.; in altero (*Matth.* 15,7) iterum Dominus pharisaeos et scribas alloquitur : « Hypocritae, bene *prophetavit de vobis* Isaias (29,13) dicens : Populus hic labiis me honorat » etc. Quamvis autem concedendum sit, Isaiam utroque in loco proxime et directe suos auditores allocutos esse de iisque verba fecisse, nulla est ratio, cur eius verba simul etiam prophetiam fuisse negemus : altera formula certe tam determinata est, ut meram accommodationem excludat; prior vero *potest* quidem ex communi usu loquendi latiore quodam sensu explicari, sed lex, quam Isaias iussus a Deo in laudato loco promulgat, non solos patres attingit (*Act.* 28,25), sed etiam filios (*Matth.* 13,14) [5]. Quare nullum omnino vaticinium accommodari in Evangeliis dicendum videtur.

Aliter autem se res habet, si ad aliorum textuum usum animum advertimus; non paucos enim accommodatos esse attenta Scripturarum lectio demonstrabit. Neque id mirum; cur enim Spiritui S. non liceret sua ipsius verba de alia re adhibere, de qua prius ea non protulerat? S. Paulus sine dubio, quum fidelibus scriberet : « sint mores sine avaritia, contenti praesentibus, ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam » (*Hebr.* 13,5), dicere noluit, haec verba, quae Deus Iosuae dixerat (*Ios.* 1,5), singulis christianis directe esse dicta, aut Iosuen typum esse singulorum fidelium, sed per extensionem ea singulis accommodavit. Simili modo ea, quae de manna dicuntur, ut qui plus collegerat, non haberet amplius, et qui minus paraverat, non haberet minus (*Exod.* 16,18), Apostolus ad eleemosynas extendit (2 *Cor.* 8,15), quibus caritas christiana id efficit, quod miraculoso modo Deus fecit in manna. Verba *Apoc.* 11,4 : « Hi sunt duae olivae et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes », iure desumta dicimus ex *Zach.* 4,14; apud prophetam autem secundum probabiliorem expositionem Zorobabel, summus dux populi, et Iosue, summus sacerdos, intelligendi sunt, a S. Ioanne vero accommodantur duobus testibus, qui antichristo primi resistent etc. [6].

1. Num Theodorus Mopsuest., qui a Vigilio et Conc. V. oecumenico (*Mansi* Coll. Conc. IX. 69 sqq.) condemnatus est, quia non pauca vaticinia κατ' ἔκβασιν in Christo impleta dixerat, etiam solam eorum accommodationem docuerit, an typico sensu illa vaticinia explicaverit, quae literali exponenda erant, non satis liquet; *Kihn* (Theod. v. Mopsuest. p. 155 sqq.) Theodorum ab accommodationis

accusatione liberare conatur; certum est, ab antiquioribus omnibus Theodorum inter eos enumerari, qui vaticinia accommodari ab Evangelistis docuerunt; cfr *Vasquez* l. c. disp. XVI. 4; *Serar.* Proleg. 21. qu. 14, 3 et auctores ab illo citatos; *Frassen* Disquis. bibl. I. p. 402 etc.

2. *Corn. Iansen. Gand.* Comment. in Concordiam Evangel. c. 11 (Venetiis 1586 p. 127). Huc etiam trahit *Matth.* 2, 17. 18; 13, 14; 13, 35 etc.; contra quae cfr *Knabenbauer* Comm. in Matth. I. (Parisiis 1892) p. 101. 108 etc.

3. Cfr *Vasquez* l. c. XIV. 4.

4. *Vasquez* l. c. XIV. 5. Etiam *Maldonatus* (in Matth. 15, 7) Christum verba Isaiae censet accommodasse ad scribas et pharisaeos, « quasi dicat, adeo id, quod Isaias de toto populo Iudaeorum, qui tunc erat, accusando dixerat, in scribas et pharisaeos convenire, ut non praesentem accusasse populum, sed de futuris scribis et pharisaeis prophetasse *videatur* ». Atque cum Iansenio etiam consentit in *Matth.* 2, 15. 17; 13, 35 etc. exponendis : « Evangelista, *ut solet*, quod a Davide alio sensu dictum erat, non ad eundem, sed ad similem sensum accommodavit ». Durus est hic sermo.

5. Cfr *Knabenbauer* Erkl. des Propheten Isaias p. 109.

6. Alia exempla sint : *Amos* 8, 10 et 1 *Mach.* 1, 41 (*Tob.* 2, 6 est citatio); *Dan.* 9, 27 et 1 *Mach.* 1, 57; *Ps.* 6, 9 et *Matth.* 7, 23; *Mich.* 7, 6 et *Matth.* 10, 36; *Os.* 10, 8 et *Luc.* 23, 30 etc.

208. — Quum scriptores sacri ipsi accommodatione interdum utantur eiusque frequentissimus sit usus in liturgia ecclesiastica et in operibus patristicis, nullus est dubitandi locus, quin nobis quoque textus scripturisticos accommodare liceat; idque laudabiliter fieri nec sine pietatis emolumento censemus, dummodo debitae cautiones ne negligantur. Namque omnibus iis, qui Deum ipsum Scripturarum auctorem esse credunt, phrases ac voces paene singulae scripturisticae aliquid sancti habent atque divini, quod ad pios animi affectus excitandos mirum in modum iuvat. Teste enim *S. Hieronymo* « nihil ita percutit, uti exemplum de Scripturis sanctis et testimonium rotatu oris emissum »[1]; luculentissimum autem asserti huius argumentum Patrum opera, atque maxime S. Bernardi homiliae praebent, quae quum Scripturarum verbis quasi sint contextae, nescio quid unctionis et pietatis spirant.

Debitae autem, quas diximus, cautiones quatuor sunt numero.

1.) Nunquam accommodatos textus in dogmatum demonstrationem vel confirmationem afferre licet. Quamobrem *S. Bernardus,* quamvis exemplo suo ad Scripturae verba accommodanda nos exhortetur, quamprimum Abaelardi vel Gilberti Porretani errores aggreditur, longe alio modo sacros libros adhibet. « Seria sunt haec, inquit, quae fidem tangunt, neque admittunt ludendi licentiam illam, quam minime respuit fide bene fundata devotio aut etiam eruditio liberalis » [2]. Multo minus autem sensum, quem per accommodationem verbis Scripturae inferimus, pro vera et genuina Spiritus S. sententia aliis licet obtrudere.

Gravissime *S. Hieronymus* de illis conqueritur, « qui si forte ad Scripturas sanctas post saeculares literas venerint et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, *quid prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia;* quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus, *depravare sententias et ad voluntatem suam trahere Scripturas repugnantes.* Quasi non legerimus homerocentonas et virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere christianum, quia scripserit :

> Iam redit et virgo, redeunt saturnia regna;
> Iam nova progenies coelo demittitur alto;

et Patrem loquentem ad Filium :

> Nate, meae vires, mea magna potentia solus;

et post verba Salvatoris in cruce :

> Talia perstabat memorans, fixusque manebat..

Puerilia sunt haec »[3]. Pueris autem puerilia relinquamus.

2.) Illis solis accommodationibus uti licet, quae caritati et veritati inserviunt. Optime *S. Bernardus* : « non sane a prudente, inquit, de diversitate sensuum iudicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur, et caritas, cui Scriptura servire oportet, eo aedificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros erudierit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos, verbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum usus? Ita unusquilibet divinus sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus diversis animorum necessitatibus et usibus accommodandos »[4]. Scriptura igitur abutuntur, qui errores suos et impia quaecumque Scripturae verbis fucare conantur; peccant autem illi quoque, qui frivola atque inania textibus scripturisticis involvunt ac contegunt. Sancta non nisi sanctis usibus inserviant.

3.) Accommodatione etiam illi abuti dicendi sunt, qui rebus nimis disparibus et dissimilibus ab ea, quam expressit sacer scriptor, eius verba adaptare et accommodare voluerint[5]. Quam ob causam singularis prudentia ei opus est, qui per allusionem verbis scripturisticis utitur; qui enim hac accommodationis specie delectatur, vix ac ne vix quidem scopulum illum evitabit, atque facillime eveniet, ut gravissimum scandalum praebeat populo christiano[6].

4.) Diligentissime demum animum advertat, qui Scripturas accommodare voluerit, ad illa, quae sapientissime et piissime statuerunt Patres tridentini : sancta synodus « temeritatem illam reprimere vo-

lens, qua *ad profana quaeque* convertantur et torquentur verba et sententiae S. Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemtum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur »[7]. Ad quod praeceptum gravissimum explicandum bene adnotat *P. Patrizi :* « Tanti criminis rei traducendi non sunt, qui quaedam Scripturarum proverbia aut quasdam similitudines rebus aliis accommodant ita, ut levem aliquem lusum minimeque turpem exhibeant, praesertim si ipsa verba tale quid prae se ferant etiam accepta in eum sensum, quem habent in ipsis Scripturis, multo vero magis, si verba sint perditorum hominum »[8] a sacro sc. scriptore relata, uti ex. gr. illud Iscariotae : « Ut quid perditio haec »?

1. *S. Hier.* in Zach. 10, 15 (M. 25, 1488).
2. Cfr *Frassen* Disquis. bibl. IV. 6. § 3, 16.
3. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 7 (M. 23, 544).
4. *S. Bernard.* in Cant. serm. 51, 4 (M. 183, 1027).
5. *Guerrici Abb.* (S. Bernardi discipuli) in Nat. SS. Petri et Pauli serm. 1, 1 (M. 185, 177) verba *Zach.* 4, 14 ad Apostolorum principes accommodans : « interpretentur alii, ut volunt aut possunt unusquisque pro sensu suo, sive Enoch et Eliam..., sive Moysen et Eliam..., sive duos ordines praedicatorum Novi sc. et Veteris Testamenti... Ego quidquid a regula fidei non discrepat aut *a contextu lectionis non nimium dissonat*, suscipio, veneror, amplector ».
6. Vix non blasphemum est, si SS. Cordis Iesu imagini subscribitur : « Accedet homo ad *cor altum* et exaltabitur Deus » (*Ps.* 63, 8), aut si nova scholarum aedes verbis Salomonis celebratur : « Sapientia aedificavit sibi domum ». Ex concionatorum quorundam sermonibus non pauca eiusdem fere generis exempla colligi possunt.
7. *Conc. trid.* sess. 4. decr. de edit. et usu SS. SS.
8. *Patrizi* de interpret. Bibl. p. 220.

CAPUT II.

LEGES HERMENEUTICAE IN SENSUS LITERALIS INVESTIGATIONE OBSERVANDAE.

§ 5. — *Interpretationis grammatico-historicae leges.*

209. — S. Scripturarum interpretatio triplex distingui solet, authentica, scientifica, traditionalis. *Authenticam* vocamus illam libri alicuius interpretationem, quam auctor ipse tradit; illam reliquis omnibus praestare, non est opus ut demonstremus, quum suorum quemque verborum optimum esse interpretem pateat. Quod multo magis in libris sacris obtinet, quorum primarium auctorem, Spiritum S., plenus perfectusque verborum suorum sensus nullo modo latet aut latere potest. Spiritus S. porro alia quidem in ipsis Scripturis iam interpretatus est aut directe, verborum quorundam sensu aliis in libris patefacto, aut indirecte, errore, qui ex male intellectis verbis exoriri potuit vel exortus est, correcto[1]; alia autem continuo suo et vivo in Ecclesia magisterio explicare non cessat, iterum aut directe, verba quaedam explicans, aut indirecte, proponens doctrinam, ex qua varii textus diiudicandi sunt[2]. *Scientificam* illam vocamus interpretationem, quae adiumentis praeceptisque hermeneuticis rite adhibitis sacrarum literarum sensum investigat, *traditionalem* demum illam, quam a maioribus traditam accepimus. Sed maiores nostri, i. e. SS. Patres et catholici interpretes antiquiores, suam quoque explicationem aut ex traditione apostolica hauserunt, aut ceu doctores privati adhibitis principiis hermeneuticis invenerunt; priore in casu ad authenticam, in altero ad scientificam explicationem reducitur traditionalis; quare rectius duae tantum interpretationis species, authentica et scientifica, distinguuntur. De scientifica sola sermonem esse, si praecepta hermeneutica statuuntur, evidens est; quia vero haec authenticae nunquam repugnare debet nec potest, necessario etiam erit explicandum, quae et quanta illius ratio sit habenda.

Namque verbum Dei scriptum, uti saepius iam innuimus, duobus

quasi elementis constat, altero divino, quatenus Deus librorum sacrorum auctor dicitur et est, humano altero, quatenus ab hominibus humano sermone hominum gratia sunt conscripti. Ad utrumque elementum attendat opportet, qui genuinum Scripturarum sensum investigat. In quantum enim humano sermone ab hominibus, sicut reliqui libri, sunt exaratae, iisdem, quibus illi, legibus subiacent ac proin secundum eadem praecepta sunt explicandae; in quantum autem sunt Dei verbum Ecclesiae custodiendum et explicandum traditum, praeceptis specialibus indigent. Vehementer enim erraret, qui profana hermeneutica contentus ad plenum et integrum divinorum librorum sensum semper se perventurum speraret; sed erraret is quoque, qui communibus illis regulis neglectis ab Ecclesiae magisterio omnes explicationes se obtenturum confideret. Nam sapientissimis quidem legibus Ecclesia praecavit, ne in interpretatione sacrorum librorum a vero tramite aberraremus; infallibili autem suo iudicio eos solos textus explicare solet, quorum sensum aut ob exortos errores aut ad eos praecavendos definiendum censet.

Primo igitur loco illa praecepta exponemus, quae grammatico-historicae interpretationi inserviunt, quandoquidem libri nostri sacri humano sermone conscripti communibus legibus subiacent; in sequenti paragrapho illa trademus, quae ad catholicam interpretationem requiruntur, quia iidem libri simul sunt verbum Dei [3]. Utraque tamen paucis absolvemus sapientissimi illius memores proverbii, longam esse viam per praecepta, brevem per exempla. Bonorum enim commentariorum sollers et attenta lectio utilior erit tironi interpreti, quam diuturnum minutissimorum praeceptorum studium. Quare etiam in altera huius tractatus sectione praecipuos indicabimus commentatores, a quibus quomodo regulis nostris sit utendum addiscatur.

1. Non paucorum vaticiniorum messianicorum sensum indicant evangelistae et Apostoli eorum impletione narrata; S. Paulus ea, quae de vitandis peccatoribus in prima (deperdita) epistola Corinthiis scripserat, explicat in secunda (1 *Cor.* 5, 9 sqq.); quae de secundo Christi adventu docuerat (1 *Thess.* 4, 12 sqq.), ea accuratius, quum non bene intellecta essent, determinat in altera epistola (2 *Thess.* 2, 1 sqq.); S. Ioannes praecavet erroneas interpretationes eorum, quae Synoptici retulerant, S. Iacobus erroneam interpretationem fidei iustificantis etc.

2. Exempla infra afferemus (223).

3. Regulas, quae ad solam poeticorum aut propheticorum librorum explicationem inserviunt, easque, quae ad certas Evangeliorum difficultates enodandas requiruntur, in Introd. spec. fusius explicavimus (cfr *Introd. spec.* in V. T. II. p. 30 sqq.; 288-305 etc.; *Introd. spec.* in N. T. p. 189 sqq. etc.)

210. — Ut aliquis libri profani sensum intelligere, i. e. illas ideas, quas eius auctor verbis suis manifestare voluit, penitus cognoscere

possit, tria necessario requiruntur. Etenim 1.) vocabulorum, quibus auctor ad exprimendas suas cogitationes usus est, variae significationes legenti cognitae sint necesse est; 2.) ex illis deinde eam eligat oportet, quam communibus loquendi regulis spectatis in hisce circumstantiis et in hoc contextu solam cum vocabulo adhibito auctor coniungere potuit; 3.) ex personarum demum, locorum, temporum adiunctis, i. e. ex historia, ideam ab auctore intentam et propositam pressius definiat et determinet. Triplici hac investigatione, quae, quia grammaticae et historiae praecipue innititur, grammatico-historica non inepte vocatur, eo perveniet, ut easdem ideas, quas auctor, quum scriberet, in mente habuit, in mente sua legens reproducat, i. e. plene et perfecte, quantum eius fieri potest, intelligat (« *intus* in mente auctoris *legat* »). Iam vero etiam « sacram Scripturam legentes, inquit *S. Augustinus,* nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatemque illorum, a quibus conscripta est, invenire et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus »[1]. Quare illi quoque, qui Scripturas intelligere vult, tria haec praestanda sunt; pauca igitur de hisce disseremus.

1. S. Aug. De doctr. christ. II. 5. (M. 34, 38).

211. — I. Primo loco cognoscendas esse adhibitorum VOCABULORUM SIGNIFICATIONES diximus. Quem in finem evidens est praeprimis requiri *sacrarum linguarum scientiam;* nec quisquam sibi blandiatur, se ad plenam Scripturarum intelligentiam perventurum, si solam linguam latinam calleat. « Contra ignota signa, inquit *S. Augustinus,* magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instituendos suscepimus, duabus aliis ad divinarum Scripturarum cognitionem *opus habent,* hebraica scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas »[1]. Quibus verbis non solam utilitatem, sed necessitatem quandam scientiae linguarum a S. Doctore inculcari perspicuum est.

At, inquies, post editam Vulgatam clementinam, sublata iam infinita illa latinorum interpretum varietate, reliquis textibus non amplius indigemus. Cuius obiectionis solutio ex illis, quae de Vulgatae nostrae auctoritate disseruimus, hauritur; egregiam esse versionem nostram nemo prudens negabit, sed eam tam perfecte primigenios textus exprimere, ut ex ea sola ubique germanus sensus plene percipiatur, nemo quoque prudens asseret. Non semel *S. Hieronymus* de linguae latinae paupertate conquestus est, quae impedivit, quominus minutias quasdam, « quae tamen aliquid momenti habent », exprimeret, quaeque ipsum, « quum verbum de verbo

transferre impossibile esset », coegit, ut « vim verbi quodam explicare circuitu *conaretur* »; aperte quoque fassus est, « multa verba esse, quae nec de graeco in latinum transferri valeant, nec de hebraico in graecum, uti reciproce nec de latino in graecum, nec de graeco in hebraeum » [2]. Sed quid plura? Uti enim rectissime monuit *Andreas Vega*, tridentini Patres Vulgatam « tamquam de coelo delapsam adorari noluerunt; interpretem illius, quisquis fuerit, sciverunt non fuisse prophetam nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in Spiritu S. sacras literas a propria et nativa lingua in alienam transfunderet » [3]. Vulgata nostra igitur, sive ob linguae latinae penuriam, sive ob interpretis humanam infirmitatem, non semper integram textus primigenii vim exprimit, interdum verbis ambiguis utitur, aliquoties lectiones erroneas sequitur, de quibus omnibus iudicium certum ferri non potest, nisi versio latina cum textibus primigeniis conferatur. Catholicus igitur theologus et interpres saltem tres linguas sacras calleat oportet [4].

Porro scientia qualiscumque linguarum bono interpreti non sufficit; singulorum enim *scriptorum sacrorum loquendi modum* perspectum habeat necesse est. Auctores enim omnes proxime a coaevis suis et contribulibus intelligi voluerunt, ideoque illis solis vocabulorum significationibus sive propriis sive translatis uti potuerunt, quas suae aetatis suaeque gentis usus approbaverat. Atqui nemo ignorat, quantopere vocabulorum significationes non tantum pro temporum et locorum adiunctis varient, sed etiam pro ipsorum scriptorum charactere et stylo diversae esse soleant.

A Moyse usque ad Esdram mille circiter anni defluxerunt; quamvis autem linguis occidentalibus multo stabiliores sint orientales, dubium tamen non est, quin longo illo temporis spatio satis multas magnasque mutationes subierit lingua hebraica; quare non est credendum, omnibus vocabulis easdem ab Esdra attribui significationes, quas Moyses eisdem attribuerat. In variis quoque eiusdem regni provinciis pro dialectorum varietate variant vocabulorum significationes : quare nemo mirari posset, si scriptores regni Iudae a regni Israelis scriptoribus differre videret; multo minus vero mirum, quod Veteris Testamenti interpretes graeci et scriptores Novi non eadem lingua, qua auctores classici, sint usi multasque novas significationes antiquis graecis vocabulis attribuerint. Accedit, quod metaphoricus et tropicus vocabulorum usus facilius, quam proprius, pro temporum et locorum varietate mutetur, quod alias significationes vocabula habeant in vita communi, alias in philosophorum scholis, alias apud rusticos, apud aulicos alias, alias apud historicos, apud poetas alias.

1. *S. Aug.* De doctr. christ. II. 11. (M. 34, 42); cfr II. 16 (M. 34, 47), ubi alteram necessitatis rationem indicat : « ad solvenda Scripturarum aenigmata », quae in nominibus propriis latent.

2. *S. Hier.* in Gal. 5, 18; in Eph. 1, 4; 2, 14 (M. 26,413. 446. 457); cfr in Philem. 20 (M. 26, 615) : « proprietatem graecam latinus sermo non explicat; quod

enim ait : ναὶ ἀδελφέ, ναὶ quoddam quasi adverbium blandientis est; nos autem interpretantes : Ita, frater, *aquatius* et *dilutius* nescio quid magis aliud, quam id, quod est scriptum, sonamus »; in Is. 40, 14 (M. 24, 407) : « multa sunt nomina, quae ita leguntur in graeco, ut in hebraico posita sunt, *propter interpretandi difficultatem* et ad comparationem linguae hebraicae tam graeci quam latini sermonis *pauperiem* » etc. etc. Cfr etiam *S. August.* De doctr. christ. II. 11 (M. 34, 42) : « sunt quaedam verba ceterarum linguarum, quae in usum alterius linguae per interpretationem transire non possunt ».

3. *A. Vega* De iustific. XV. 9. (cfr *supra* 172. 3).

4. Cfr *Salmer.* Proleg. 9. can. 13 : « Linguarum trium cognitio et earum phrases et idiotismi bene noti magnum ingerunt lumen studiosis Scripturarum lectoribus, non solum ad ignorantiam propriarum significationum, quas nomina et verba, praepositiones et adverbia habent, propulsandam et clarius literam intelligendam, proverbia et voces ambiguas et aequivoces distinguendas, et cavendas textus et nominum corruptiones, et similitudines et aenigmata percipienda, verum etiam ad sensus mysticos et spirituales suavius accommodandos et stabiliendos, qui sine literali sensu plane comperto et explorato nonnisi dure et violenter applicantur ».

212. — Quod si quis interrogat, undenam hic loquendi usus quum Scripturarum in genere tum singulorum librorum discendus sit, respondebimus :

1.) *ex frequenti librorum sacrorum lectione.* Haud raro enim se ipsi explicant, vim potestatemque vocabuli in contextu exponunt, aut argumento, quod tractant, fine, quem prosequuntur, aliisque, de quibus infra recurret sermo, adiunctis innuunt, aut in locis parallelis eodem vocabulo clarius determinato declarant. Iure enim ad omnes linguas, quae interpreti necessariae sunt, extendere possumus id, quod de nativa lingua docet *S. Augustinus :* « si ipsius linguae nostrae aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt; nulla sane sunt magis mandanda memoriae, quam illa verborum locutionumque genera, quae ignoramus : ut quum vel peritior occurrerit de quo quaeri possint, vel *talis lectio, quae vel ex praecedentibus vel consequentibus vel utriusque ostendat, quam vim habeat quidve significet quod ignoramus,* facile adiuvante memoria possimus advertere et discere ». Ideo etiam S. Doctor rectissime monet : « prima observatio est, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, *legendo tamen* vel mandare memoriae vel omnino incognitos non habere... Tum vero *facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum,* in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant »; addit vero : « in qua re memoria valet plurimum : quae si defuerit, non potest his praeceptis dari »[1].

2.) *ex continua antiquarum versionum comparatione.* Alterum hoc est *S. Augustini* monitum : « Plurimum hic quoque iuvat *interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa* »; « nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum saepe manifestavit inspectio ». Cui fini magis inserviunt versiones « eorum, qui se verbis nimis obstrinxerunt, non quia sufficiunt, sed ut ex eis veritas vel error detegatur aliorum, qui non magis verba quam sententias interpretando sequi maluerunt »[2]. Qui vel obiter S. Hieronymi commentarios pervolutaverit, non ignorat, quantum ex Aquilae, Theodotionis, Symmachi versionibus, quas continuo allegat, profecerit.

3.) *ex studio operum SS. Patrum.* Continua enim librorum sacrorum lectione Patres ad biblicum loquendi usum dictionem suam stylumque efformarunt; quare ex eorum operibus multae phrases dictionesque scripturisticae illustrantur. Proxime utique lectio operum patristicorum ad graecam latinamque Scripturarum dictionem cognoscendam iuvat, remote vero etiam ipsi hebraicae linguae studio inservit. Innumeras enim metaphoras idiotismosque quam plurimos in hebraica lingua usitatiores sed ab Occidentalium loquendi usu abhorrentes Patres in suis operibus continuo adhibentes civitate, ut ita dicam, graeca et latina donaverunt. Nam uti iterum docet *S. Augustinus :* « non solum verba singula sed etiam locutiones saepe transferuntur, quae omnino in linguae latinae (vel graecae) usum, si quis consuetudinem veterum, qui latine (vel graece) locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt ». Atque « tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias lectiones mirentur easque minus latinas (vel graecas) putent, quam illas, quas in Scripturis didicerunt, neque in latinae (vel graecae) auctoribus reperiuntur »[3]. Inter Patrum opera utiliores esse commentarios, quibus libros sacros exposuerunt, per se patet; in illis enim data opera vocabulorum significationes explicant. Eiusdem autem, vel etiam maioris hunc in finem utilitatis sunt iuniorum interpretum commentarii, quippe qui accuratius et diligentius singula vocabula excutere soleant.

4.) *ex collatione operum eiusdem aetatis et gentis.* Ad dialectum enim Novi Test. et versionis alexandrinae cognoscendam sat multum conferunt Philonis et Fl. Iosephi opera, qui non tantum Apostolorum fuerunt coaevi, sed historiam quoque doctrinamque suae gentis eadem lingua hellenistica, qua usi sunt Apostoli, tractaverunt. Neque minore cum fructu apocrypha antiquiora graece conscripta ad hellenisticorum vocabulorum significationes cognoscendas interdum adhibentur.

5.) *ex etymologia.* Non dubito sat multos fore, qui fontem hunc,

qui primarius videtur esse, ultimo in loco positum esse mirentur; at non tanti eum esse faciendum putamus, quanti hodie plerumque aestimatur. Notandum enim est, vocabula derivata omnibus in linguis saepissime tam longe a radicis forma et significatione recedere, ut quomodo ad eam pertineant vix ac ne vix quidem perspiciatur. Ad formam quod attinet, nemo qui vel leviter linguarum studiis imbutus est, ignorat, quot quantisque mutationibus radices in derivationibus subiaceant. In semiticis quidem linguis multo facilius, quam in illis, quae hodie mediterraneae vocantur atque ab India per mediam Asiam ad Europae occidentales limites sese extendunt, radices derivatorum cognoscuntur; attamen non rara sunt hebraicae linguae vocabula, de quorum derivatione certi vix quidquam statui potest. Cognita autem radice significatio derivati nondum innotuit. Nam multorum vocabulorum hebraicorum radices in paucis, quae habemus, monumentis hebraicis nobis conservatae non sunt; ad dialectos igitur affines, aramaicam et syriacam, arabicam et aethiopicam, assyriacam et punicam confugiamus oportet, ut radicis significatio eruatur. Qua in linguarum affinium collatione maxima cum prudentia et circumspectione procedendum est; etenim si ulla in re, in linguis obtinet tritum illud proverbium « usum esse tyrannum », et magna illa significationum varietas, quam eadem radix in dialectis affinibus recipit, sufficienter nos docet, non sine continuo erroris periculo vocabuli alicuius significationes ab una dialecto ad alteram transferri. Supponamus autem de radice eiusque significatione constare, num ideo etiam derivati sensus nobis iam innotuit? Minime vero. « A proprietatibus enim exterioribus, uti iam monuit *S. Thomas,* plerumque nomina imponuntur ad significandas rerum essentias » [4]; in nominandis autem rebus non ad easdem proprietates populi omnes attendunt, ac frequentissime accidit, ut in una lingua res ab aliqua proprietate denominetur, quam aliae gentes vix observarunt; unde fit, ut saepe saepius nexus logicus inter radicis significationem primariam et inter derivati significationem nos lateat. Sed quid plura? Pervolutentur lexica, examinentur derivationes, et quid valeant significationes ex etymologia petitae, continuae lexicographorum controversiae demonstrabunt. Etsi igitur etymologiae suam auctoritatem non denegemus, tantum tamen abest, ut eam praecipuum fontem habeamus, ut illius usum arctis limitibus definiendum censeamus. Quin etiam quotiescumque hebraicorum vocabulorum radices ex dialectis affinibus desumendae sunt, illos, qui dialectos illas ipsi non callent, minori errandi periculo sese esse expondituros arbitramur, si omnes significationes ex hoc fonte desumtas reiiciant, quam si omnibus caecam fidem adhibeant.

6.) Ut autem facilius et citius, quum ex fontibus indicatis non omnes directe hauriri possint, variae vocabulorum significationes inveniantur, magno adiumento hodie sunt *concordantiae* et *glossaria*.

Concordantiarum nomine collectiones vocabulorum, quae in Scripturis occurrunt, vocantur, alphabetico ordine ita dispositae, ut unicuique omnes textus, in quibus legitur, sint adscripti. Earum igitur ope varietas significationum, quae ob contextus adiunctorumque varietatem vocabulo attribuendae sunt, facili negotio invenitur. SS. Patribus, qui frequenti lectione integras quasi Scripturas memoria tenebant, concordantiarum usus incognitus et superfluus fuit; Card. *Hugo a S. Caro* O. Praed. († 1263) primas ad Vulgatam adornasse dicitur, atque tanta est earum utilitas, ut etiam ad textus primigenios et praecipuas Scripturarum versiones sint exaratae[5]. *Glossariorum* vero, quae vocabulis alphabetico ordine enumeratis significationes altera lingua expressas addunt, usus Patribus non prorsus fuit incognitus; eorum enim initia quaedam, licet valde imperfecta, antiquissimo iam tempore invenimus. *S. Hieronymi* enim « liber de nominibus hebraicis », in quo Philonis simile opus imitatus est, eiusdemque « liber de situ et nominibus locorum hebraicorum », in quo Eusebii simile opus latinitate donavit, lexica quaedam biblica fuerunt, quae tamen sola nomina propria complectebantur[6]. Lexicographiae biblicae vera initia grammaticis iudaicis debemus, qui saec. 11. et 12. floruerunt quorumque opera etiam hodie non sine fructu adhibentur; sed huius loci non est, integram glossariorum biblicorum historiam tradere[7].

1. *S. August.* de doctr. christ. II. 14. 9. (M. 34, 45. 42). Ob eandem rationem frequentem Scripturarum lectionem commendant *S. Chrys.* (de Laz. hom. 3, 3. M. 48, 995 et saepius) aliique Patres.

2. *S. August.* de doctr. christ. II. 14. 12; cfr etiam III. 4 : « rarissime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptoris intentio, aut *interpretum collatio* aut *praecedentis linguae* solvat *inspectio* ».

3. *S. August.* de doctr. christ. II. 13. 14.

4. *S. Thom.* Summ. theol. I. qu. 18. a. 2.

5. *Quetif* et *Echard.* Scriptores O. Praed. Paris 1719. I. p. 207) : « Haec est tota et certa concordantiarum sacrae Bibliothecae historia. *Hugo de S. Caro* primas aggressus est et ope suorum sodalium perfecit locis tantum indicatis; *Ioannes de Derlingtonia* et *Rich. de Stavenesby* et alii angli sodales auxerunt ad loca indicata adiectis Scripturae sententiis, sed plerumque longioribus : hae duae priores editiones dictae sunt *concordantiae S. Iacobi*. *Conr. de Halberstadt* tertiam suscepit brevioribus capitibus per quatuor tantum literas distinctis et sententiis Scripturae ex parte recisis, sicque commodiorem et leviorem reddidit. Saeculo autem 15. *Ioannes de Ragusio* particularum indeclinabilium in prioribus omissarum alteras concordantias tentavit et ope amanuensium perfecit; adeo ut, si quae utilitas ex hoc opere, quae quidem fuit maxima, tota Ordini Praedicatorum debetur ». Post

inventam typographiam quam plurimae concordantiarum latinarum factae sunt editiones; princeps prodiit Bononiae 1479. *Robertus Stephanus* in sua editione (Paris 1555) singulis locis numeros versuum adscripsit; *Lucas Brugensis* suam ad clementinam Vulgatam adaptavit (Antw. 1617); ab ultima hac dependent nostrae modernae editiones, inter quas eminent eae, quas *M. Dutripon* (Bar-le-Duc 1869 et saepius) curavit. *Concordantiarum manuale* editum a *PP. de Raze et Lachaud* (Lugd. 1851 et saepius) concionatori quam interpreti est utilior.

Ad latinarum instar concordantiarum *hebraicas* adornavit *R. Mardoch. Nathan* (vel Isaac Nathan) medio saec. 15, quae e praelo bombergiano prodierunt Venet. 1523; versionem vocabulorum latinam (vitiosissimam) adiecit *A. Reuchlin* (Basil. 1556); multo meliorem editionem additis non tantum literali versione latina sed etiam variantibus lectionibus Vulgatae et alexandrinae curavit *Marius de Calassio*, O. Min. (Romae 1621; Londini 1747); in meliorem formam eas redegit latina versione omissa *Ioan. Buxtorf* (Basil. 1632. Ed. nova Berolini 1862). Particularum indeclinabilium concordantias confecit *Chr. Nolde* (Kopenh. 1679). Cfr *Lelong* Biblioth. sacr. p. 454.; *R. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 359; de Calasii opere agit *Hurter* Nomenclator literar. theolog. Oenip. 1871. 1. p. 365 sq. Ed. 2. p. 201. — Optimam demum concordantiarum hebr. editionem curavit *Iul. Fürst*, adiuvante *F. Delitzsch* (Lipsiae 1840).

Ad *versionem alexandrinam* binae quidem habebantur concordantiae, quarum priores concinnavit *Conr. Kircher* (Francof. 1607), alteras multo locupletiores additis hebraicis vocabulis correspondentibus *Abrah. Trommius* (Amstelod. 1718); sed non amplius sufficiebant, quare Angli quidam novas concinnare coeperunt, quarum prima particula recenter in lucem prodiit : A concordance to the Septuagint and the other greek versions of the O. T. (including the apocryphal books [i. e. deuterocanonica]) by the late *Edwin Hatch* and *Henry A. Redpath*. Part. I. A-βωρίθ. Oxford 1892.

Euthalius quidam, cretensis monachus S. Basilii, Card. Hugonem imitatus concordantias *graecas* V. et N. T. circa a. 1300 collegisse dicitur (*Sixt. Senens.* Biblioth. sacr. IV. Ed. Milante. I. p. 365), sed eius opus hodie disparuit. Primae enim, quae graeci Novi T. prodierunt, auctorem habent *Xistum Betulejum* (Basil. 1546), quas novis curis correxerunt et auxerunt *Henr. Stephanus* (Paris 1594), *Erasm. Schmidius* (Wittemb. 1638), *Sam. Cyprianus* (Gothae 1717) etc.; omnium autem optimas, quae vix quidquam desiderandum relinquunt, hodie debemus *C. H. Bruder* (Lips. 1842; ed. 4. stereot. 1888).

Syriacarum Novi Testamenti concordantiarum loco satis apte inservire potest *Car. Schaafii* Lexicon syriac. concordantiale N. T. Lugd. Batav. 1708.

6. Cfr *S. Hieron.* Praefationes in hos libros (M. 23, 771. 859). Graeca quoque nomina propria S. Doctor ibi ex hebraicis radicibus explicare conatur; quam violenter vero id fiat, lectori perspicuum esse censet (M. 23, 849).

7. De hebraicae lexicographiae initiis ac progressu fuse agit rabbinus *W. Bacher* (Die hebr. Sprachwissenschaft vom 10. bis zum 16. Iahrh. Trier 1892), iuxta quem primus *Saadias Gaon* c. a. 913. alphabeticum vocabulorum hebraicorum catalogum confecit, quibus postea arabicam versionem addidit. Primum Novi Test. lexicon graecolatinum polyglottis complutensibus adiunctum est.

Etsi omnia glossaria biblica enumerare non possimus, operae tamen pretium erit praecipua nominare, quae hodie in usu sunt. Inter *hebraica* adhuc primum tenet locum *Guil. Gesenii* Thesaurus philolog. crit. linguae hebr. et chald., cuius tertium volumen post Gesenii mortem supplevit *Em. Roediger* (Lipsiae 1835-53). Quotidiano usui inservit *G. Gesenii* Lexicon manuale hebr. et chald. (Lips. 1833), cuius secundam editionem curavit *A. G. Hoffmann* (Lips. 1847) et *catholicam* editionem confecit

P. L. B. Drach (Paris 1848). Eiusdem *Gesenii* exstat hebraico-germanicum lexicon, cuius *undecimam* editionem curaverunt *F. Muhlau* et *W. Volck* (Lipsiae 1890), quodque anglice versum ab *Ed. Robinson* saepius in lucem prodiit atque ad recentissimas editiones germanicas recenter correctum est a *Fr. Brown* collaborantibus *S. R. Driver* et *Car. A. Briggs* (Oxford 1892). Simile lexicon hebraico-germanicum edidit *I. Fürst* eiusque *tertiam* editionem curavit *V. Ryssel* (Lipsiae 1876). Praeterea antiquiora nonnulla adhuc adhibentur : *Ioan. Buxtorfii* Manuale (Basil. 1602) et lexicon hebr. ac chald. (Basil. 1670) hoc nostro saeculo aliquoties Romae prodierunt; *Ioan. Simonis* lexicon manuale (Halae 1756) retractatum est a *G. Winer* (Lipsiae 1828); exegetarum usui non sufficiunt compendiosa lexica, quae hebraice-latine *F. Leopold* (nova impr. Lipsiae 1878), hebraice-germanice *D. Cassel* (1871) etc. ediderunt. — Synonyma hebraica explicant *Girdlestone* (The Synonyms of the O. T. London 1871), *M. Tedeschi* (Thesaurus synonym. linguae hebr. Patavii 1880) etc.

Aramaicis paraphrasibus interpretandis inserviunt *Ioan. Buxtorfii* Lexicon chald., thalmud., rabbin. (Basil. 1639), cuius novam editionem paravit *B. Fischer* (Lips. 1865 sqq.), et *I. Levy* Chaldaeisches Wœrterbuch über die Thargumim. (Lips. 1876).

Versionis alexandrinae glossarium satis utile est *I. F. Schleussneri* Novus thesaurus philolog. critic., sive lexicon in LXX et reliquos interpretes graecos ac scriptores apocryphos (i. e. deuterocanonicos) Veteris Testamenti (Lips. 1820 sqq.). Quod opus retractatio quaedam est similis operis ab *I. Chr. Bielio* (Hagae 1779) editi, et Trommii concordantiis innititur.

Novi Testamenti graeci inde a medio saec. 17. non pauca prodierunt glossaria : *Lutzii* (Basil. 1640), *Suiceri* (Tigur. 1659), *Leusdeni* (Amstelod. 1699) etc. Hodie adhiberi solent *Bretschneider* Lexicon manuale in N. T. (Lips. 1824. Ed. 3. 1840), *C. A. Wahl* Clavis N. T. philolog. (Lips. 1822. Ed. 3. 1843), *G. Wilke* Clavis N. T. philologica ed. *C. L. W. Grimm* (Lips. 1864), quae novis curis retractata prodiit sub titulo : *C. L. W. Grimm* Lexicon graeco-latin. in libros N. T. (Lips. 1879; ed. 3. 1888). Operis editi a *G. Wilke*, qui versus vitae finem ad catholicam Ecclesiam rediit, catholicam editionem curavit *V. Loch* (Ratisbonae 1858, sub titulo : « Lexicon graeco-latin. in libros N. T. usibus scholarum et iuvenum theologiae catholicae studiosorum accommodatum »). — Completum quidem lexicon non est, sed potius theologicam plerorumque difficiliorum vocabulorum Novi Test. explicationem exhibet *H. Cremer* Biblisch-theologisches Wörterbuch der neutest. Graecität. Gotha 1883. Ed. 4. 1886; opus utile sed magna cum prudentia consulendum.

Ad *Vulgatae* dictiones cognoscendas inserviunt *Ign. Weitenauer* S. I. Lexicon biblicum Vulgatae (August. Vindel. 1758 et saepius), et *Fr. Kaulen* Handbuch zur Vulgata (Mainz 1870 sqq.).

Syriaca lexica, quae Bibliis potissimum interpretandis inserviunt, ediderunt *E. Castellus* (Lexicon syriac. cum adnotat. *I. D. Michaelis* Gottingae 1787), *C. Schaafius* (Lexicon concord. Lugd. Batav. 1708) etc.; completum Thesaurum syriacum edere coepit sed nondum terminavit *R. Payne Smith* (Oxford 1868).

Reliqua glossaria, quae speciali modo libris sacris non inserviunt, enumerare supersedemus; illud tamen addamus oportet, pleraque opera, quae recensuimus, acatholicos habere auctores; quare qui illis uti voluerit, caute et accurate philologicas eorum explicationes a theologicis assertionibus discernat oportet, memorque semper sit praeiudicia protestantica saepe saepius ipsi quoque philologiae esse perniciosa.

213. — II. Variis vocabulorum significationibus cognitis determi-

nandum iam est, quamnam ex illis auctor indicare voluerit seu quis sit in hoc loco adhibiti VOCABULI SENSUS. Quum vero multae voces praeter proprias etiam translatas significationes habeant, adnotemus oportet, a propria ad translatam non esse recurrendum, quamdiu una ex propriis sententiae apte convenit. Quae regula a *S. Augustino* hisce verbis exprimitur : « servabitur in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tamdiu versetur diligenti consideratione, quod legitur, donec ad regnum charitatis perducatur; si autem hoc iam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio » [1]. Quam fusius explanat *Salmeron* in hunc modum : « a propria vocum significatione non est recedendum, nisi valida aliqua ratio occurrit, quae ad figuratam locutionem cogat. Alias enim tota Scriptura sacra periret haberetque tantum varias allegorias atque importunas intelligentias, quas quisque pro suo arbitrio et voluntate illis affingeret, et sic semper Scriptura diceret, quod nos volumus, non quod Spiritus S. nos intelligere vult. Hinc iurisprudentes, quorum est de verborum significatione iudicare, non aliter a recepta verborum proprietate recedendum docent, quam si mens loquentis alia fuisse vel ex ipsarum rerum absurditate vel ex aliis manifestissimis indiciis deprehendi possit » [2]. Hinc etiam contra nimium allegoriarum et sensus translati studium disputans, « qui suas interpretationes ad proprium scopum accommodant », *S. Basilius* « equidem, inquit, quum foenum audio, foenum intelligo, et plantam et piscem et bestiam et pecus, omnia, uti dicta sunt, sic accipio; non enim erubesco Evangelium » [3].

Quibus praemonitis ad ea explicanda transimus, quibus legenti innotescit, quamnam ex variis alicuius vocabuli significationibus sive propriis sive translatis exprimere voluerit scriptor. Quoniam omnis qui loquitur vel scribit a suis auditoribus vel lectoribus intelligi vult, necessario sequitur, illum aliam significationem cum vocabulo adhibito coniungere non potuisse, nisi quae logicis rhetoricisque regulis aliisque orationis adiunctis, quae sensum vimque verborum determinare solent, apprime consonat. Ad haec adiuncta igitur interpres attendat necesse est, qui scriptoris sensum percipere desiderat. Quam plurimae eiusmodi circumstantiae sunt, quare iam Patres et antiquiores interpretes eas ad certa capita revocare studuerunt. « Ante omnia, inquit *S. Cyrillus Alex.*, quando locum Scripturae aliquem recte intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt : *res*, de qua aut propter quam dicitur, *persona*, quae dicit, vel per quam aut de qua dicitur, *tempus*, quando scriptum est, quod dicitur; sic enim absque errore sensum poterimus verum investigare » [4]. Antiquiores interpretes ad septem capita omnia adiuncta revocarunt versibus memorialibus :

« Quis, scopus, impellens, series, tempusque, locusque, Et modus : haec septem Scripturae attendito lector » [5]. Quibus in enumerationibus ea, quae ad sensum definiendum inserviunt, cum illis, quae ad eum historice explanandum accuratiusque evolvendum iuvant, commixta sunt; quamobrem illis seiunctis hoc loco, ubi de sensu determinando sermo est, quatuor haec consideranda censemus, argumentum, occasionem et finem, contextum orationis, ac demum locos parallelos.

1. *S. August.* de doctr. christ. III. 15 (M. 34, 74); cfr III. 11 : « iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas ».

2. *Salmer.* Proleg. 9. can. 33.

3. *S. Basil.* in Hexaem. hom. 9, 1 (M. 29, 188); cfr *Tert.* de carne Christi 13. (M. 2, 776) : « certe perversissimum est, ut carnem nominantes animam intelligamus, et animam significantes carnem interpretemur... *fides nominum salus est proprietatum* ».

4. *S. Cyr. Alex.* Thesaur. VIII. 2; cfr *S. Chrys.* in Ioan. hom. 40, 1. (M. 59, 229) : « qui divinarum Scripturarum *contextum* (ἀκολουθίαν) non norunt neque proprietates et leges eius explorant... nunquam repositum in illis thesaurum invenient... Ita enim haeretici errant, dum neque *scopum dicentis*, neque *audientium affectum* explorant. Nisi ergo haec adiiciamus, immo alia quoque, ut *tempora*, *loca*, *auditorum animum*, multa consequentur absurda »; similiter *idem* in Ierem. 10, 23 (M. 56, 156) : « non enim hunc locum solum excutiemus, sed et *contextus* seriem, et *pro quibus* dicta sint, *a quo, ad quem*, *quam ob causam*, *quando* et *quomodo* ».

5. Cfr *Hugo a S. Caro* Proleg. in l. Iosue (Opera omnia in V. et N. T. Lugduni 1669 I. p. 178) : « ad maiorem intelligentiam breviter inquiramus illa sex, quae in exordiis cuiuslibet libri solebant antiquitus praelibari, quae maxime totius operis *seriem* pandunt et lectorem maxime dirigunt in legendo : Quae materia, quis auctor, quae intentio, quae utilitas, quis modus agendi (divisio), quis titulus ».

214. — 1. *Argumentum orationis* illa dicitur res, quam sive in toto libro sive in maiore minoreve eius parte scriptor sibi tractandam proposuit. Sicuti autem subiecto alicuius phraseos cognito facilius apparet, quo sensu sumendum sit praedicatum, ita cognito orationis alicuius argumento, quod quasi illius partis subiectum est, multa etiam vocabula ad unam solam significationem determinantur. Pro regula generali statui potest, omnem significationem, quae auctoris argumento repugnat, esse reiiciendam, eam, quae sola argumento conformis est, pro vera esse admittendam, haud raro quoque ex argumento esse definiendum, quam late verba sint extendenda, quaenam in comparationibus et similitudinibus sint necessaria, quae vero alia ornatus causa addita, etc.

Quid S. Paulus nomine Legis et operum Legis intelligat, ex toto argumento, quod in epistolis ad Rom. et ad Gal. tractat innotescit; quo sensu

sit intelligenda expressio « spiritus Dei, sapientia et intelligentia et scientia in omni opere » (*Exod.* 31,3), facile apparet, quam primum vidisti, de qua re eo in loco agatur; si argumentum attenderis, quod S. Paulus 1 *Cor.* 8,1-11, 1 explanat, nunquam tibi in mentem veniet, eum 1 *Cor.* 9,20 de accommodatione ad *doctrinas* Iudaeorum loqui; in parabolis Domini haud pauca ornatus causa esse addita, etiam argumentum earum docet etc. Porro quia argumenta, quae in libris sacris tractantur, ab iis, quae a scriptoribus ethnicis Graecorum et Latinorum tractata sunt, plane differunt, perspicuum est, vocabulis quoque iisdem non easdem esse significationes; unde errant illi, qui ad profanos semper scriptores recurrunt, ut sacrorum librorum sensum investigent.

2. *Occasio dicendi* illa vocatur circumstantia, quae vel scriptorem totius libri ad illum exarandum vel auctorem alicuius sermonis in libro relati ad eum habendum permovit, atque cum hac occasione coniungendus est *finis,* quem scriptor vel auctor in scribendo vel loquendo prae oculis habuit et attingere studuit. Argumentum orationis ex ipsis libris frequente eorum lectione cognoscitur, occasio autem et finis interdum quidem ex libris ipsis, interdum vero etiam ex aliorum testimoniis nobis innotescunt. Etenim Evangelistae occasiones saepe indicant, quibus permotus est Dominus, ut sermones suos haberet, S. Ioannes (20,30) quoque finem indicat, ob quem Evangelium suum scripsit; quem scopum vero S. Paulus aliique Apostoli in epistolis suis habuerint, plerumque sat facili negotio ex argumento, quod tractant, eruitur; aliis in libris minutae quaedam circumstantiae, quae diligentem et attentum lectorem non fugiunt, finem et scopum manifestant. Quem in finem vero Matthaeus Evangelium scripserit, aut qua occasione Marcus ad illud scribendum se accinxerit, Patrum quoque testimonia nos docent.

Iamvero qui viderit, qua occasione Dominus permotus fuerit, ut verba de manducatione carnis suae repeteret (*Ioan.* 6,54. 56), non dubitabit, quin proprio sensu ibi sint sumenda; occasio, qua Christus Apostolis dixit, ne in viam gentium abirent neve in Samaritanorum civitates intrarent, nos monet, ne hanc legem absolute de omni futuro tempore datam intelligamus. Ex fine, quem S. Paulus ad *Hebr.* 1. prosequitur, ut Christum Angelis infinite praestare doceat, apparet, et quo sensu intelligenda sit expressio « filius Dei » (1,5), et quae significatio attribuenda voci « spiritus » (1,7); quia finem primi Evangelii illum esse constat, ut Iudaeis persuadeatur Iesum Nazarenum esse Messiam in Lege promissum, necessario concludimus, S. Matthaeum non accommodasse vaticinia messianica. Ex fine legis de non ligando ore bovis terentis (*Deut.* 25, 4) concludit S. Paulus ad mercedem operario debitam (1 *Cor.* 9, 9). Qui Domini scopum attenderit illam temporalium rerum curam prohibentis, quae coelestia negligit et impedit,

minime ex eo, quod aves coeli et lilia campi nec serere nec metere nec quidquam laborare dicuntur, deducere audebit, hominibus pigritiam et desidiam esse commendatam etc.

3. *Contextus orationis*, i. e. vocabulorum et phrasium tum inter se tum cum antecedentibus et consequentibus nexus, in genuini sensus investigatione supremum locum occupat, ac dici fere potest ab eo solo dependere veram alicuius textus intelligentiam. « Prudentem semper admoneo lectorem, inquit *S. Hieronymus*, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus et quae commatice pro fingentium dicuntur arbitrio; *sed consideret priora, media et sequentia*, et nectat sibi universa quae scripta sunt »[1]; ac revera iuxta *S. Hilarium* « dictorum intelligentia aut ex praepositis aut ex consequentibus derivanda est »[2], et rectissime censet *S. Chrysostomus*, non sufficere, ut dicatur aliquid scriptum esse in Scriptura, sed totam seriem esse legendam, quandoquidem, si contextum et nexum, quo inter se coniuncta sunt, interrumpere vellemus, multa prava dogmata crearemus[3]; quibuscum consentiens *S. Augustinus* putat non esse librum sacrum, qui non possit quibusdam sententiis sibi ipsum contradicentem demonstrari, « nisi eius tota contextio diligentissima lectoris intentione tractetur »[4]. Similia alii Patres et interpretes praecipientes pro variis nexus rationibus varias contextus species distinguunt.

a.) *Contextus grammaticus* ille est, quem syntactica constructio indicat, quatenus nimirum ex linguae regulis vocabula suis formis terminationibusque, qua ratione inter se coniungenda sint, manifestant, et particulae rationem declarant, qua inter se phrases cohaereant. Sine ullo dubio, sicut in libris profanis, ita in sacris quoque anomaliae illae inveniuntur, quas anacoluthorum nomine complectuntur grammatici; sed exceptiones hae admodum rarae neque eiusdem sententiae vocabula pro arbitrio inter se connectere neque syntacticum nexum, quem inter phrases adesse particulae coniunctivae docent, aut negligere aut permutare permittunt. Summam potius regulam sibi statuat interpres, ante omnia quaerendum esse grammaticum nexum neque unquam constructionis perturbationem aliamve anomaliam esse admittendam, nisi evidentes rationes id postulent[5].

Ad contextum grammaticum in poesi rhythmus quoque sententiarum pertinet, qui *parallelismus poeticus* vocatur. Solent enim poetae sacri rhythmico modo interdum eandem sententiam mutatis verbis bis terve exprimere (parallelismus synonymus), interdum illam opposita sententia illustrare (parallelismus antitheticus); prior in Psalmis, Iobo, Prophetis, alter in Proverbiis frequentissimus est, uterque ad significationes ab auctore intentas investigandas haud parum iuvat, quum uno membro cognito alterius paralleli sensus facile pateat[6].

b.) *Contextus logicus* ex observatis legibus logicae naturalis exoritur.

Omnis scriptor non tantum in singulis alicuius sententiae membris aut in propositionibus, quae immediate sese excipiunt, coniungendis, sed, nisi aphorismata tantum tradere velit, etiam in toto opere omnibusque operis partibus sive magnis sive parvis logicas regulas observasse censendus est, donec demonstretur contrarium. Unde duplex contextus logicus, *proximus*, qui membrorum singulorum propositionumque immediate connexarum rationes logicas spectat, et *remotus*, qui in maiore aliqua libri parte vel in toto libro apparet. Prior plerumque grammatica constructione indicatur, ideoque saepe cum contextu grammatico coincidit; attamen quum lingua hebraica paucas habeat particulas coniunctivas iisdemque ad varias rationes logicas indicandas utatur, scriptores autem hellenistici interdum particulas, quas lingua graeca multas habet, adhibere neglexerint, interdum ob rhetoricas rationes asyndetis, brachyologiis, ellipsibus etc., utantur, ex sola grammatica de contextu logico proximo non semper iudicari potest, sed aliunde definiendum est, utrum propositiones sint coordinatae, an subordinatae, num una alterius sit probatio, an conditio, an expositio, an oppositio etc. Contextus remotus, si latissimo sensu sumitur, omnia ea quoque comprehendit, quae de argumento orationis deque eius scopo et fine diximus, quum his maxime tota libri alicuius vel orationis etc. contextio et divisio determinentur. Sive autem de remoto sive de proximo contextu logico agitur, quam maxime est cavendum, ne illum quasi a priore statuere velimus, ita ut nostras ideas in verba scriptoris ingeramus.

c.) Illud quoque animadvertatur oportet, in vivida oratione nexum mere et stricte logicum haud raro negligi eiusque in loco nexum quendam *psychologicum* adhiberi. Fieri enim solet, ut vehementiore quodam animi affectu abrepti ea coniungamus, quae, si ad meras logicae artis regulas attendatur, immediate quidem non cohaerent, temporis tamen vel loci adiunctis, aut similitudine aliqua interna vel externa in mente nostra ita sunt associata, ut uno conceptu excitato alter simul excitetur. Quod quidem maxime locum habet in poesi lyrica, in orationibus vehementioribus, in dialogis etc.; unde nec in Psalmis nec in prophetarum exhortationibus nec in dialogis relatis ordo stricte et mere logicus semper invenietur. Verum caveatur, ne hanc ob causam omnis prorsus nexus omnisque ordo illis deesse censeatur; psychologicus enim quidam deficiente logico aderit, eiusque fundamentum est quaerendum, ut ad auctoris genuinam sententiam perveniamus.

Ad quem psychologicum nexum ille quoque contextus trahi potest, qui *opticus* appellatur atque in vaticiniis nonnullis invenitur. Prophetae enim haud raro ea immediate coniungunt et quodam modo permiscent, quae longo temporum et locorum spatio ab invicem separata etiam interno nexu carere videntur. Quando nimirum in visionibus suis totum regnum messianicum unico quasi conspectu complectebantur, ea, quae saeculorum decursu paullatim adventura erant, describebant, ac si eodem tempore eodemque in loco simul adessent. Quare non inepte vaticinia illa imaginibus depictis comparantur, in quibus scenographiae regulis neglectis ea, quae utpote propiora in pictura eminere debuerunt, non magis apparent,

quam alia, quae utpote longinquiora recedere debuerunt. At de nexu hoc, quum a modo, quo prophetis futura monstrabantur, totus dependeat, fusius alio in loco egimus [7].

1. *S. Hier.* in Matth. 25, 13 (M. 26, 186).
2. *S. Hilar.* de Trin. IX. 2 (M. 10, 282).
3. *S. Chrys.* Hom. in Ierem. 10, 23 (M. 56, 156); cfr ibid. n. 3 : « non oportet Scripturae sententias temere arripere atque *a serie sermonis et argumenti affinitate avellere;* neque nuda verba sumenda sunt eorumque subsidio destituta, quae sequuntur aut praecedunt... Ac legem quidem regiam nemo temere et inconsiderate recitabit, sed nisi tempus notet ac legislatorem designet et integram illam atque illibatam proponat, castigatur gravissimaque poena mulctatur : nos vero dum non legem humanam sed supernam ac de coelo delapsam recitamus, tantam prae nobis negligentiam feramus, ut eius partes ac membra discerpamus? Quis hoc venia dignum censeat? » etc.
4. *S. Aug.* Serm. 50, 13 (M. 38, 332) et saepissime.
5. Ad quod praeceptum non satis attendentes non pauci interpretes frequenter enallagen praepositionum, coniunctionum aliarumque particularum statuerunt, ac si pro libitu sacri scriptores eas adhibuissent.
6. Cfr *Introd. spec.* in Vetus Test. II. p. 3 sqq.
7. Cfr *Introd. spec.* in Vetus Test. II. p. 298 sqq.

4. Ad sensum vocabulorum determinandum *loci paralleli* quoque inserviunt, quo nomine illi intelliguntur textus sacri, qui quamvis ab invicem distent, quum tamen aut eadem vocabula in eodem contextu contineant aut eandem doctrinam vel narrationem aliis verbis tradant, magnam inter se habent similitudinem seque invicem illustrant. « Facilius, inquit *Origenes,* in S. Scriptura quod quaeritur agnoscitur, si ex pluribus locis, quae de eadem re scripta sunt, proferantur »; et *S. Augustinus :* « ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant » [8].

Duplex, uti ex definitione data apparet, est textuum parallelorum species, alii enim ad res pertinent, alii ad vocabula. In quibus adhibendis haec sunt observanda :

a.) Maioris utilitatis esse solent paralleli rerum, quam verborum; attamen monente *S. Hieronymo* « in omnibus Scripturis sanctis observare debemus, ubi videtur aliqua similitudo esse sententiae, non in omnibus *eadem* dici, sed vel subtrahi pleraque vel addi et singulorum inter se verborum discrepantium habere rationem » [9]; non enim eadem plerumque continent sed similia, quare erraret saepe, qui ubique ex locis parallelis eundem prorsus sensum excutere vellet.

b.) Utiliores quoque et ad interpretationem aptiores sunt paralleli, qui vel ex eodem libro vel ex aliis eiusdem scriptoris libris desumti sunt; Paulus e Paulo, Ioannes ex Ioanne etc. illustrandus est. Sed haec regula fere

in solis verborum parallelis locum habet, quum inspiratio characterem scriptorum non destruat nec impediat, quominus suum quisque loquendi usum retineat. Ad rerum vero parallelos quod attinet, prae oculis habeamus oportet, S. Spiritum omnium omnino librorum sacrorum esse auctorem primarium; pulcherrime enim *S. Augustinus :* « ita sibi omnia in canonica auctoritate concordant, ut tamquam uno ore dicta iustissima pietate credantur, et serenissimo intellectu inveniantur et solertissima diligentia demonstrentur » [10]; atque *S. Chrysostomus :* « Scriptura sancta haeret sibi tota et uno spiritu copulata est, et quasi una catenula est, atque ut circulus circulo innectitur, et si quid desumseris, aliud late pendet » [11]. Quare nihil omnino obstat, quominus ad res illustrandas ex omnibus omnino libris textus desumantur.

c.) Atque illud quoque addamus, illos textus, qui obiter tantum rem attingunt, ex illis esse explicandos, qui data opera rem exponunt et breviores plerumque longioribus esse illustrandos [12].

8. *Orig.* in Num. hom. 24, 3; *S. Aug.* de doctr. christ. II. 9 (M. 34, 42) cfr III. 28 : « Scripturas verbis translatis opacatas quum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam, aut si habet *ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus* terminetur »; cfr *S. Bonav.* in Hexaem. serm. 19 : « tota Scriptura est quasi una cithara; et sicuti chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis, similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loca. »

9. *S. Hier.* in Ezech. 33, 1 (M. 25, 318).

10. *S. Aug.* c. Faust. XI. 6 (M. 42, 249; cfr in Ps. 150. 2; de cons. Evang. III. 30 (M. 37, 1962; 34, 1175) : « hoc de prophetis sanctis intelligendum, ut omnium libros tamquam unius unum librum accipiamus, in quo nulla rerum discrepantia credatur, sicut nulla invenitur, et in quo maior sit constantia veritatis, quam si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loquatur ».

11. *S. Chrys.* in Matth. hom. 4, 5 (M. 57, 42).

12. Qui quid sit donum linguarum intelligere desiderat, ad 1 *Cor.* 14 recurrat necesse est; apparitiones Domini post resurrectionem, quas *indicat* S. Marcus, ex aliis Evangelistis, qui eas *narrant*, elucidandae sunt etc.

215. — III. Sensus alicuius textus scripturistici utcumque cognitus ex HISTORIA accuratius est enarrandus. Etenim auctorem aliquem plene et perfecte a nobis esse intellectum asserere non possumus, nisi eandem plane ideam, quam ipse in mente habuit et exprimere voluit, nos quoque in mente efformaverimus. Ideae autem, quae iisdem verbis a variis personis exprimuntur, pro personarum istarum varietate non parum variare solent; alia haud dubie est notio, quam ethnicus cum vocabulo Dei coniungit, alia, quam Iudaeus vel Mahometanus, alia, quam Christianus eodem vocabulo exprimit; aliam ideam in mente habuerunt pharisaei, quando de Messia et Messiae regno loquebantur, aliam Dominus ipse et Apostoli his vocabulis designant. Atque idem quoque in rebus ordinariis et quotidianis obtinet; בַּיִת οἶκος *domus*

designant habitationem, verum aliam habitationis humanae ideam habet homo barbarus, aliam homo ad civilem cultum perductus. Ut igitur librum aliquem intelligamus, accurate determinemus oportet, quae ipsa fuerit auctoris idea; in ea vero definienda solam historiam ducem habemus[1]. Notio enim, quae historiae repugnat, erronea est habenda; quae historiae testimonio destituitur, dubia plerumque manet; *ea demum, quae loquendi usu, contextu, historiaque confirmatur, pro vera et genuina* sine erroris formidine admittatur.

Quam plurimum in libris profanis antiquorum explicandis saepe ab illis erratur, qui nostrae aetatis mores, institutiones, cogitationes, consilia, studia a tota antiquitatis ratione maxime differre non attendentes antiquis auctoribus ideas nostras attribuunt; atque idem errandi periculum sacrorum quoque librorum interpreti imminet, nisi ad historiam attendat. In Scripturis explicandis revelationis et inspirationis rationem esse habendam evidens est; sed S. Spiritus scriptoribus sacris non est usus ceu instrumentis inanimis et mortuis; saepissime monent Patres, prophetas ea, quae viderunt et intellexerunt, dixisse[2], idemque de omnibus omnino scriptoribus inspiratis valet; unde consequens est, scriptores illos plerumque saltem cum vocabulis adhibitis alias notiones non coniunxisse, nisi quas ipsi intellexerunt et a coaevis suis intelligi sciverunt. Unde intelligitur, cur ab omnibus semper interpretibus inquisitum est, quis alicuius libri sacri esset auctor, quandonam compositus, quibusnam lectoribus destinatus esset, quaenam istius aetatis fuissent conditiones etc[3].

1. Cfr *S. Hier.* ad Ephes. Prolog. (M. 26, 440) : « necesse est, ut iuxta diversitates locorum et temporum et hominum, quibus scriptae sunt, diversas et causas et argumenta et origines habeant » epistolae. Haud male *Wetstein* (De interpret. Novi Test. in Novum Test. graece cum lectionibus variantibus etc. opera ac studio *I. I. Wetstenii* II. Amstelodami 1752. Append. p. 878) : « si libros Novi Test. [et etiam Veteris] planius et plenius intelligere cupis, indue personam illorum, quibus primum ad legendum ab Apostolis [vel aliis sacris scriptoribus] traditi fuerunt; transfer te cogitatione in illud tempus et in illam regionem, ubi primum lecti sunt : cura ut, quantum fieri potest, illorum hominum ritus, mores, consuetudines, opiniones, sententias receptas, proverbia, parabolas, sermones quotidianos, modum et rationem aliquid alteri persuadendi et causis fidem faciendi, [uno verbo totam eorum vitam privatam et publicam, domesticam et religiosam] cognoscas ».

2. *S. Hier.* in Is. Prol. (M. 24, 19) : « neque enim, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in ecstasi sunt locuti, ut nescierint quid loquerentur, et quum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent... Si enim sapientes fuerunt prophetae, quod negare non possumus... quomodo sapientes prophetae instar brutorum animantium quid dicerent ignorabant? » *S. Chrys.* in Ps. 44, 1 (M. 55, 184) : « quando daemon animam invadit, orbat mentem et cogitationem et rationem obscurat, et ita omnia illi ore suo loquuntur, mente nihil intelligente eorum quae loquuntur, non secus ac si tibia aliqua inanimata loquatur...; sed non ita facit S. Spiritus, sed permittit, ut cor cognoscat quae dicuntur »; cfr in 1 Cor.

hom. 29, 1 (M. 61, 241); *S. Epiph.* haer. 48, 3 : « verus Propheta quum sui compos, tum ea, quae dicebat, intelligens futura pronuntiabat » etc. Alia utique est quaestio, num perfectissimam eorum, quae vaticinati sunt, intelligentiam habuerint prophetae, at hanc, quum ad propositum argumentum non faciat, hoc loco omittimus; cfr *Introd. spec.* in Vetus Test. II. p. 294 *n.* 14.

3. Cfr *supra* 213 et auctores ibi laudatos.

216. — Quapropter ad historicam hanc idearum accuratam definitionem requiritur, ut cognoscatur

1. *quis sit* vel integri libri *auctor* vel quae persona verba ab auctore relata protulerit, quo tempore vixerint, quodnam eorum ingenium, quis character, qui mores etc. Omnia enim haec quantum fieri eius potest cognoscenda sunt, quum praeprimis omne dictum ex mente eius, qui illud profert, sit intelligendum. At multorum librorum V. T. auctores, qui fuerint, ignoramus aut saltem cum certitudine definire non possumus; multarum quoque personarum, quarum verba referuntur, ingenii cultura, character etc. nobis ignota sunt : quem defectum aliquo modo supplere licet tempore et loco, quibus vixerunt, determinatis.

2. *quibusnam proxime liber sit destinatus* vel quinam fuerint auditores, ad quos verba relata sunt dicta : ab his enim proxime intelligi voluerunt scriptor et orator, quare suis vocabulis illas solas ideas, quas ab his intelligi sciverunt, subdidisse censendi sunt. Omnis igitur Scriptura vel Scripturae pars explicanda est etiam ex mente eorum, quibus primitus est destinata. Omnino alio modo Dominum N. locutum esse videmus cum pharisaeis scribisque ierosolymitanis, alio cum piscatoribus et agricolis Galilaeae, alio cum discipulis.

3. quisnam fuerit status rerum non solum populi israelitici, de quo praesertim agunt libri sacri, sed etiam populorum finitimorum, qui commemorantur. Innumera enim coaevis suis cognita a scriptore quocumque supponuntur : quot allusiones, expressiones, metaphorae etc. ex populi alicuius historia, patria, religione, moribus, consuetudinibus, disciplina, educatione explicandae sunt!

Idcirco *integrae historiae et archaeologiae sacrae studium* interpreti absolute est necessarium; reliquorum autem populorum historiam statumque politicum, religiosum, civilem eatenus cognoscat oportet, quatenus Israelitarum historiam attingit. De qua historiae aliarumque scientiarum necessitate fuse disserit *S. Augustinus*[1], ac diu ante eum *Origenes* monuit S. Gregorium Thaumaturgum, ut τὰ ἐγκύκλια μαθήματα, geometriam, musicam, grammaticam, rhetoricam, astronomiam addisceret, quia ad interpretandas Scripturas conferrent[2]. Patrum vero de scientiis praerequisitis sententias complectitur *Salmeron* his verbis : « ad intelligentiam sacrarum literarum plurimum adiumentum afferunt omnes bonae artes et disciplinae : dialectica, rhetorica, utraque philosophia tam naturalis quam moralis, musica, arithmetica, geometria et astronomia; historia quoque animalium, plantarum, aromatum, lapillorum pretiosorum, quibus quam plurima mysteria

in Scriptura comparantur, commoditatem non modicam praestant. Addam etiam chronicon, i. e. historiam temporum et annalium, locorumque geographiam. Profecto sine dialectices praesidio vim argumentorum et disputationum Christi et Apostolorum cum adversariis vix capere valemus; sine cognita animantium natura, quis librum Iob assequi queat, non video; sine historia plantarum aut arborum etc., quis similitudines, quae ab eis petuntur in tòta Scriptura, apprehendet? sine historia temporum, quis non videt omnia caeca caligine involvi? Denique sine medicinae, agriculturae aut pasturae aut mercaturae peritia aut aliis etiam vilioribus artibus, quibus regnum coelorum simile perhibetur, quis parabolarum Domini aut libri Proverbiorum sententias et aenigmata evolveret? Merito igitur Scripturae tamquam reginae ceterae omnes artes, disciplinae atque scientiae ancillari debent »[3]. Quae omnia verissime dicta esse apparet, si ea non de hodierno statu artium disciplinarumque tantum intelligamus, sed maxime de illo istarum rerum statu, qui erat quando libri sacri scripti sunt[4].

1. *S. August.* de doctr. christ. II. 29 sqq. (M. 34, 54 sqq.).
2. *Orig.* Ep. ad Gregor. Neocaes. (M. 11, 88).
3. *Salmeronis* Prolegom. 9. can. 14.
4. Ea, quae de scriptoribus librorum sacrorum eorumque primis lectoribus scitu necessaria vel utilia sunt, in Introductione speciali traduntur; in tironum autem gratiam non erit superfluum nonnulla hoc loco indicare opera, ex quibus illa, quae ad historiam et archaeologiam pertinent, haurire poterunt. Recenti enim tempore de historia, geographia, antiquitatibus sacris multa prodierunt opera, quorum nonnulla illas quoque res collegerunt, quae ex hieroglyphicis et cuneiformis inscriptionibus explicandae Scripturae aptiora sunt. Antiquiores tractatus praecipuos collectos habes a *Blasio Ugolini* (Thesaurus Antiquitatum. Venetiis 1744-69. voll. 34). Ex recentioribus usui quotidiano inservient *a.*) ad historiam sacram: *D. B. Haneberg* Gesch. der Offenb. (Ed. 4. Regensb. 1876); *Schuster-Holzammer* Handbuch zur bibl. Gesch. (Ed. 5. Freiburg 1890-91; 2 voll.); *I. Danko* Historia revelationis V. et N. T. (Viennae 1866), *F. Vigouroux* La bible et les découvertes modernes (Ed. 5. Paris 1889; 4 voll.); *eiusdem* Le Nouv. Test. et les découvertes archéol. (Paris 1891); *F. Kaulen* Assyrien u. Babylonien (Ed. 4. Freib. 1891.) etc.; *b.*) ad geographiam sacram : *Gratz* Schauplatz der h. Schrift (Ed. 2. München 1858); *Riess* Biblische Geographie (Freib. 1872); *eiusdem* Bibelatlas in 10 Karten (Ed. 2. Freiburg 1887; ed. 2. gallica. Freiburg 1892); *V. Guerin* La terre sainte (Paris 1882 sqq.) etc.; *c.*) ad res naturales : *P. Cultrera* Flora biblica (Palermo 1861); *eiusdem* Fauna biblica (Palermo 1880); *L. Cl. Fillion* Atlas d'histoire naturelle de la Bible (Lyon 1884); *d.*) ad antiquitates religiosas : *Haneberg* Religiöse Alterthumer der Bibel (Ed. 2 München 1869); *Paul Scholz* Die heil. Alterth. des Volkes Isr. (Regensb. 1868); *e.*) praeter religiosas etiam politicas et civiles tractant *Iahn* Archaeolog. bibl. in epitomen redacta (Ed. 2. Viennae 1814. Opus hoc in indicem relatum correxit *Ackermann* et correctam editionem recepit Migne in Cursum completum S. S.); *V. L. de Biasi* Archaeologia sacra (Ratisbon. 1865); omnium optima hodie est *P. Schegg* Bibl. Archaeologie (Freiburg 1887). — Huc quoque spectat *Fillion* Atlas archéologique de la Bible (Lyon, 1883). Opera haec catholicos habent auctores; protestantes quoque sua non spernenda habent, quorum infra (267) nonnulla indicabimus; hoc autem loco nominamus eorum dictionaria, quae ordine

alphabetico antiquitates sacras tractant : *B. Winer* Bibl. Realwœrterbuch (Ed. 3. Leipz. 1847); *Schenkel* Bibel Lexicon (Leipz. 1869-75); *Riehm* Handwœrterbuch des bibl. Alterthums. (Bielefeld 1877-84); *Smith* A dictionary of the Bible; its Antiquities, Biography etc. (London 1870), cuius duo compendia : a concise dictionary etc. et a smaller dictionary etc. — Nos hucusque non habuimus nisi *Calmet* Dictionnaire historique, critique, chronologique, géographique de la Bible (Paris 1722), cuius versionem latinam edidit I. D. Mansi; novum eiusmodi opus catholicum gallice conscriptum ultimis his annis *F. Vigouroux* edere coepit (Dictionnaire de la Bible. Paris 1891 sqq.).

§ 6. — *Interpretationis catholicae leges.*

217. — Si Scripturae sacrae non essent nisi humani ingenii foetus, praecepta hucusque tradita ad eas explicandas sufficerent; sed libri sacri nostri, etsi ab hominibus conscripti sint, Deum tamen primarium auctorem habent, qui eos non hominum quorumcumque arbitrio reliquit, sed suae Ecclesiae custodiendos et interpretandos tradidit. Quare praeter regulas interpretationis grammatico-historicae, quarum compendium tradidimus, peculiares quaedam observandae sunt, eaeque duplicis generis, quatenus nimirum libri Deum ipsum auctorem habent, et quatenus Ecclesiae authentica eorum interpretatio commissa est. Nostrum hoc loco non est, eorum inspirationem argumentis demonstrare aut ostendere, quousque sese inspiratio extendat; tamquam doctrinam catholicam supponimus omnes nostros libros canonicos, prout ex scriptorum sacrorum manu prodierunt, non tantum revelationem Dei incontaminatam et sinceram continere, sed integros secundum omnes suas partes ipsum Dei verbum esse, ac proin inspirationem sese non tantum ad doctrinas fidei et morum stricte dictas, sed ad omnia prorsus et singula, quæ sacri scriptores tradiderunt, extendere [1].

1. Cfr *nostrum* Commentariolum de inspiratione, quem secundae editioni *Compendii* hist. et crit. introductionis in U. T. libros sacros (Paris 1891) addidimus; fusius de inspiratione dogmatici agunt, ex quibus praesertim cfr *Em. Card. I. Franzelin* De divina Trad. et Script. (Ed. 3. Romae 1882) et *Fr. Schmid* De inspirationis Bibliorum vi et ratione (Brixinae 1885).

218. — I. Primo igitur loco statuemus, quaenam praecepta ex eo, quod LIBRI SACRI DEUM HABEANT AUCTOREM, sua sponte deriventur.

1.) Iamvero libri a Deo ipso hominibus traditi SACRI ideoque non velut scriptura quaecumque sed tamquam res sacra tractandi sunt; quare animos debito modo praeparemus oportet, antequam ad eos legendos et interpretandos accedamus; quomodo autem animus sit praeparandus, docent nos SS. Patres.

Libros sacros nobis non esse datos, ut ingenia nostra exerceamus, aut vanam quandam curiositatem sectemur, tempusque nostrum otiosi in eis evolvendis teramus, per se patet. Sunt enim teste *S. Athanasio* salutis fontes, quorum eloquiis omnis, qui iustitiam sitit, impleatur, et ex quibus pietatis doctrina hauriatur [1]. Altiorem igitur *finem* in eorum studio prosequamur oportet, et uti optime monet *S. Augustinus* « ad commemorationem fidei nostrae, et ad consolationem spei nostrae, et ad exhortationem caritatis nostrae libros propheticos et apostolicos legamus » [2].

Quem finem ut assequamur utque Scripturae nobis veri salutis fontes fiant, illud potissimum praeceptum observandum est, quod *Origenes* discipulo suo S. Gregorio Thaum. tradidit : « tu igitur, domine fili, praecipue attende divinarum Scripturarum lectioni, sed attende : magna enim attentione nobis, qui divina legimus, opus est, *ne de iis aliqua inconsideratius dicamus aut sentiamus,* et attendens rerum divinarum lectioni *cum fideli et quae Deo placeat mente pulsa, quae in iis clausa sunt,* et aperietur tibi a ianitore » [3]. Quibuscum consentiunt ea, quae docet *S. Augustinus :* « honora Scripturam Dei, honora verbum Dei etiam non apertum; differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse, noli accusare aut obscuritatem aut quasi perversitatem Scripturae. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est, non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, medicus ille fecit, ut pulses : voluit ut exercereris in pulsando; voluit ut pulsanti aperiret. Pulsando exerceberis, exercitatus latior efficieris, latior factus capies quod donatur. Ergo noli indignari quod clausum est; noli recalcitrare adversus obscura et dicere : Melius diceretur, si sic diceretur. Quando enim tu potes sic dicere aut iudicare, quomodo dici expediat? Sic dictum est, quomodo dici debuit. Non corrigat aeger medicamenta: novit ea medicus modificare; ei crede, qui te curat » [4]. Quibus magnorum doctorum verbis fere omnia continentur, quae ut recto animo Scripturarum studio vacemus observanda sunt.

a.) Scripturae sunt verbum Dei; ab eo igitur, qui earum est auctor, germanus sensus expetendus est. « Semper, inquit *S. Hieronymus,* in exponendis Scripturis Spiritus S. indigemus adventu » [5]; quem ut accipiamus, pulsandum est, nam teste *Origene :* « ad divinas Scripturas intelligendas quam maxime necessaria est *pia precatio* » [6]; quocum iterum consentiens *S. Augustinus :* « admonendi sunt, inquit, studiosi venerabilium literarum, ut in S. Scripturis non solum genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat vigilanter advertant memoriterque teneant, verum etiam, *quod est praecipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant* » [7].

b.) Piae deinde orationi adiungenda est *humilitas,* ne « inconsideratius aliqua de Scripturis sentiamus aut dicamus ». Quam necessaria haec sit humilitas, proprio suo exemplo proposito docet *S. Augustinus :* « quum primo puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quam pietatem quaerendi, ego ipse contra me perversis moribus claudebam ianuam Domini mei; quum pulsare deberem, ut aperiretur, addebam, ut clauderetur; superbus enim audebam quaerere, quod nisi humilis non po-

test invenire...; ego miser, quum me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum et prius cecidi, quam volarem » [8]. Solus humilis securus esse potest, ne proprias suas ideas Scripturis reluctantibus ingerat, et alterum illud *Augustini* monitum observabit : « in rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si quae inde scripta etiam divina legimus, quae possunt salva fide qua imbuimur alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus; non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quae nostra est, quum potius eam, quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus » [9]. « Ubi humilitas, ibi et sapientia » (*Prov.* 11,2).

c.) Tertio porro « *cum mente fideli* » vacandum est Scripturarum studio, monente Spiritu S. ipso « si non credideritis, non intelligetis » (*Is.* 7,9 sec. LXX). « Multum superbus et praeceps est aeger, qui et medicum monere audet, etiam hominem. Consiliumne audebit dare aeger medico? Ubi homo aegrotat et Deus curat, magnum pietatis et sanitatis initium est, antequam scias, quare quid dictum sit, *credere sic dici debuisse ut dictum est.* Haec enim pietas faciet te capacem, ut quaeras quod dictum est, et quum quaesieris invenias, et quum inveneris gaudeas » [10]. Quare « attendens divinae lectioni recte et cum firma in Deum fide quaere illum, qui plerisque absconditus est, Scripturarum divinarum sensum » [11].

d.) Demum, ne longi simus, hoc unum pii cuiusdam scriptoris monitum addamus, eo spiritu, quo Scripturae factae sunt, etiam illas legendas et intelligendas esse. « Nunquam enim, inquit, ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonae intentionis in lectione eius et studio assiduae meditationis spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus » [12]. Quod quidem rectissime et optime dictum esse, perspicuum est. Namque vel profanum quemcumque librum plene et perfecte intelligere non possumus, nisi mentem nostram scriptoris, quantum eius fieri potest, menti assimilaverimus nosque ipsos cum eo, ut ita dicamus, identificaverimus eadem plane legendo cogitantes et sentientes, quae ipse scribendo sensit et cogitavit. Multo magis vero in divinis libris id obtinet, in quibus tractandis semper prae oculis habeamus oportet sancta sancte et a sanctis esse tractanda. « Animalis enim homo, teste S. Paulo, non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur » (1 *Cor.* 2,14).

1. *S. Athanas.* Ep. fest. 39 (M. 26, 1177).
2. *S. August.* c. Faust. XIII. 18 (M. 42, 294).
3. *Orig.* Ep. ad Gregor. Neoc. 3. (M. 11, 92).
4. *S. August.* in Ps. 146, 6 (M. 37, 1907).
5. *S. Hier.* in Mich. 1, 10 (M. 25, 1003).
6. *Orig.* l. c.
7. *S. August.* de doctr. christ. III. 37 (M. 34, 89).
8. *S. August.* Serm. 51, 5 (M. 38, 336).
9. *S. August.* de Gen. ad lit. I. 18 (M. 34, 260).

10. *S. August.* in Ps. 147, 2 (M. 37, 1915).
11. *Orig.* l. c.
12. *Guigonis Carthus.* ad Fratr. de monte Dei I. 10 (M. 184, 327).

219. — 2.) Hac igitur animi dispositione interpres ad libros sacros accedens semper memor sit, eosdem etiam VERACES esse; illius enim, qui nec falli nec fallere potest, sunt effata ac proin nihil falsi, nihil erronei, nihil absurdi continere possunt. Hinc tria gravissima praecepta sua sponte derivantur.

A. Omnis interpretatio, quae supponit scriptorem inspiratum docuisse errorem, reiicienda est. Innumeris fere in locis SS. Patres praeceptum hoc inculcant. « Nefas est, inquit cum aliis *S. Hieronymus,* dicere Scripturam mentiri »[1]; « qui diligit legem Dei, teste *S. Augustino,* etiam quod in ea non intelligit honorat, et quod ei sonare videtur absurde, se potius non intelligere et aliquid magnum ibi latere iudicat ». Atque idem : « In Scripturis, inquit, si quid absurdum moverit, non licet dicere : auctor huius libri non tenuit veritatem, sed : aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis »; et iterum : « ego fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam »[2]. Eodem modo loquuntur reliqui cum *S. Irenaeo* « rectissime scientes, quia Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae »[3], et cum *Clemente Alex.* Scripturas ipsi Deiparae comparantes, quippe « quae veritatem pariant et maneant virgines »[4].

Verumtamen hoc praeceptum de iis solis valere, quae scriptores sacri tamquam sua proferunt, minime vero de iis, quae historice tantum referunt tamquam ab aliis personis prolata, evidens est; nisi enim hae personae ipsae ex divina inspiratione loquuntur, eorum verba utpote mere humana vera aut falsa esse possunt, nec quidquam ex libri inspiratione deducitur, nisi verba illa in istis occasionibus esse prolata. « In Evangeliis, inquit *S. Augustinus,* quamvis verum sit omnino, *quod* dicta sint, non tamen omnia, *quae* dicta sunt, vera esse creduntur; quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur »[5]. Quare sedulo inquirendum, num verba sint auctoris inspirati vel Dei ipsius vel personae ex divina inspiratione loquentis, an vero hominis non inspirati.

Certum criterium, ex quo omnia omnino verba relata, num pro divinis accipienda sint, cum certitudine definiantur, non invenitur. Sunt quidem

qui statuant, omnia illa pro divinis esse admittenda, quae ab hominibus piis prolata referuntur, impiorum autem verba non esse inspirata; quod criterium minime sufficere iam monuit *S. Augustinus* : « nec solis impiis et nefandis hominibus, inquit, sed nec ipsis in fide parvulis atque adhuc rudibus ac indoctis, qui forte ibi loquentes commemorantur, tamquam canonicae auctoritati accommodamus fidem »[6]. Neque illud ipsum, quod pietati adiuncta sit doctrina fidei, sufficere videtur; Elias enim pius et in fide instructus, ac magnus propheta fuit, verum aliqua, quae dixisse legitur, non fuisse a Spiritu S. docet S. Paulus; e contra Caiphas, quamvis impius « prophetavit »[7]. In singulis igitur textibus historice relatis omnia adiuncta accurate sunt perpendenda, ut certum iudicium feramus; ad plerosque diiudicandos inserviunt regulae hae :

a.) verba, quae auctor inspiratus ipsi Deo loquenti vel angelis vel homini, qui Dei nomine loquitur, attribuit[8], pro divinis habenda esse ac proin divina potiri auctoritate perspicuum est, quia secus auctor inspiratus ipse nos in errorem induceret;

b.) pro inspiratis habenda illa quoque sunt, quae quamvis a mero homine prolata postea ab altero scriptore inspirato formulis « Scriptura dicit », « Scriptum est » et similibus laudantur[9];

c.) idem valet de illis omnibus, quae universalis Ecclesiae consensus inspirata testatur[10], uti etiam de sermonibus Apostolorum, qui in Actibus relati sunt; secus autem iudicandum de eorum verbis, quae in Evangeliis referuntur[11]; ratio autem, ob quam haec inter Apostolorum verba fiat distinctio, est manifesta;

d.) inspiratio admittenda est etiam, si personae illae locutae esse dicuntur « Spiritu S. plenae », vel « plenae Sapientia »[12]; num vero verba prolata ab homine, qui Spiritu S. plenus fuisse dicitur, inspirata dicenda sint, si appositum hoc non immediate ad eum *loquentem* est referendum, non liquet[13].

e.) Ubi notae hae desunt, plerumque dubii haerebimus, nisi ex regulis rhetoricis aliquid definiri possit. Exemplo rem explicemus. Liber Iob, prologo et epilogo demtis, dialogus est poeticus, in quo Iob cum quatuor amicis de calamitatum causis disputat Deusque oratione sua litem dirimit. Iam in hoc libro praeter prologum et epilogum, qui eodem modo, quo reliqui libri sacri, diiudicandi sunt, etiam verba, quae a Deo prolata referuntur, divinam habere auctoritatem, non est ambigendum. Ad Iobi vero amicorumque disputantium verba quod attinet, certum quidem est, aliqua ex eis pro divinis esse habenda, quia tamquam divina in Novo Testamento laudantur et a Patribus unanimi consensu recipiuntur; sed aeque certum est, non omnibus nec Iobi nec amicorum verbis divinam auctoritatem competere, quia amici vituperantur a Deo « quoniam non sint recte locuti coram Domino », et Iob se ipse dicit « leviter » et « insipienter » locutum[14]. Iamvero *S. Augustinus* ex amicorum verbis aliquam sanam sententiam in veritatis testimonium assumi posse censet ab eo, « qui novit sapienter dicta discernere »; sapientiam autem requisitam in eo esse opi-

namur, ut omnia et singula ex regulis in dialogo adhiberi solitis discernamus. In dialogo nimirum auctor ea approbare et tamquam sua proponere censetur, quae a dialogi personis ad argumentum explicandum, illustrandum, confirmandum proferuntur, in quantum de iis conveniunt, nec auctor alio modo eorum falsitatem manifestat. Eodem igitur modo in dialogo hoc inspirato verae auctoris inspirati sententiae investigandae sunt [15].

1. *S. Hier.* in Nah. 1, 4 (M. 25, 1255).
2. *S. August.* in Ps. 118 serm. 31, 5; c. Faust. II. 2; ad Hieron. ep. 82, 3 (M. 37, 1592; 33, 277 etc.).
3. *S. Iren.* c. haer. II. 28 (M. 7, 805).
4. *Clem. Al.* Strom. VII. 16 (M. 9, 129).
5. *S. Aug.* ad Oros. c. Priscill. 9 (M. 42, 676).
6. *S. Aug.* l. c.
7. Cfr 3 *Reg.* 19, 10. 14 et *Rom.* 11, 3. 4; *Ioan.* 11, 50 sq.
8. Exempla ubique sunt obvia in Utroque Test.
9. Cfr 1 *Cor.* 3, 19; *Gal.* 4, 30.
10. Huc pertinent *Magnificat* aliaque non pauca cantica.
11. *S. Aug.* l. c. : « ipsi Apostoli prae ceteris electi et Domini lateribus cohaerentes eiusque ore pendentes multa reperiuntur improbanda dixisse, quae commemorare prolixum est, ita ut beatus Petrus de quibusdam verbis suis non solum reprehendi, sed etiam satanas appellari meruerit ».
12. Cfr *Luc.* 1, 42. 67; 2, 25; 2 *Mach.* 7, 21.
13. Cfr orationem S. Stephani *Act.* 7, 2-53 et 7, 55. — Stephanum in hac oratione memoria lapsum esse cum *Cano* (de loc. theol. II. 16 et 18) admittunt aliqui interpretes; alii vero difficultates, inter quas praecipua 7, 16 (cfr *Gen.* 23, 8-18; 33, 19. 20; *Ios.* 24, 32) variis modis solvere conantur; cfr *Patrizi* in Act. Ap. (Romae 1867 p. 21); *Beelen* Comm. in Acta (Lovanii 1850 I. p. 129 sq.; ed. 2. 1864 p. 168 sqq.).
14. Cfr *S. Thom.* in Iob. 39. lect. 3.
15. Quaestionem hanc, quomodo sc. in libri Iob disputationibus ea, quae certo pro divinis sint habenda, ab aliis discerni queant, accuratius tractavimus in *Introd. spec.* in Vetus Test. II. p. 67-71.

220. — *B. Nulla contradictio in S. Scripturis admitti potest*, unde omnis interpretatio reiicienda, quae auctorem inspiratum sibi ipsi vel alteri inspirato auctori contradixisse supponit. *S. Iustinus M.* vel solam contradictionis alicuius possibilitatem iam ceu crimen reiicit: « Scripturas inter se pugnare nunquam audebo nec cogitare nec dicere; sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur et praetextum, ac si alteri sit contraria, praebeat, ego, quum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur » [1]; atque rectissime *S. Theophilus Ant.* omnium sacrorum scriptorum plenam consonantiam ex eo derivat, quod « omnes uno Dei Spiritu inspirati locuti sint » (διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἑνὶ Πνεύματι Θεοῦ λελαληκέναι) [2]. Reliquorum Patrum in eandem sententiam testimonia eo tutius afferre supersedemus, quo

certius constat, quanta cum sollicitudine et diligentia inde ab antiquissimis temporibus omnes, quae adesse dicebantur, contradictiones enodare studuerint; cum *Origene* enim censent, eum « qui fideliter et integre sacrorum voluminum collegerit sensum, debere ostendere, quomodo ea quae videntur contraria non sint contraria » [3].

In hodiernis quidem Scripturarum editionibus omnibus errores atque contradictiones inveniri in rebus minoribus, quae nec dogma vel morum regulam nec librorum substantiam attingunt, negari non potest, quum ex textuum primigeniorum versionumque historia, quam supra tradidimus, evidenter eluceat. Contradictionum autem earum fontes indicavit S. Augustinus librariorum negligentiam et translatorum errorem; at tertium quoque adiungit, ex quo multo plures proflui solent, lectorum sc. ignorantiam. Ad illas solvendas, quae ex duobus prioribus fontibus profluunt, iuvat critica sacra, cuius praecepta praecipua supra dedimus; hoc loco pauca de tertio dicenda restant. Caveat igitur lector, ne etiam in hodierno nostro textu et in rebus accidentalibus veram contradictionem facile admittat; persaepe enim textus illi, qui inter se pugnare dicuntur, si accurate examinantur et explicantur, optime conciliantur. Nunquam vero in gravioribus rebus, quae ad operis substantiam pertinent, veram contradictionem admittere licet. Non omnes quidem regulas, quae ad solvendas difficultates ex hoc capite desumtas inserviunt, hoc loco tradere possumus, pauca tamen praecepta generaliora indicabimus.

a.) In textibus, *qui ad fidei doctrinam regulamque morum pertinent,* non veram sed opinatam imaginariamque contradictionem adesse facile demonstrabis,

α.) si ad scriptorum sacrorum loquendi usum attenderis, quippe qui vocabulis haud raro prorsus aliam, quam profani, significationem attribuant [4];

β.) si decursu saeculorum usque ad apostolicam aetatem semper novas veritates a Deo revelatas esse attenderis. Haud dubie in Novo Test. multae doctrinae traduntur, quae in Vetere non nisi obscure sunt indicatae aut prorsus incognitae; atque Apostoli ipsi quoque a Spiritu S. in omnem veritatem erant introducendi nec integram illam iam in die pentecostes intellexerunt; at nec novae alicuius doctrinae additione nec obscurioris evolutione et clariore propositione contradictionem aliquam constitui perspicuum est [5]. Immerito quoque contradictio inter Utrumque Test. ob eam causam statuitur, quia nonnullis, quae ob duritiam cordis Deus ad tempus permiserat, abrogatis nova lex vetere perfectior est reddita.

γ.) si non omni in loco integram aliquam doctrinam tradi attenderis, interdum potius unam quam alteram dogmatis rationem considerari, interdum ob integri argumenti et finis diversitatem eadem verba prorsus alio sensu a sacris scriptoribus adhiberi etc [6].

1. *S. Iustin.* M. c. Tryph. 65 (M. 6, 625).

2. *S. Theoph. Ant.* ad Autol. III. 12 (M. 6, 1137).

3. *Orig.* in Rom. 3, 21 (M. 14, 942).

4. B. Virginis virginitati non repugnant textus, in quibus de *fratribus Iesu* sermo est, neque ille, in quo *primogenitum* filium peperisse dicitur. Teste enim *S. Hieronymo* « quatuor modis in Scripturis fratres dicuntur, natura, gente, cognatione, affectu » (c. Helvid. 14. M. 23, 197) et « mos est divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit » vel « non eum tantum, post quem et alii, sed ante quem nullus » (in Matth. 1, 25; c. Helvid. 10. M. 26, 25; 23, 192). Si *Luc.* 14, 26 patrem et matrem *odisse* iubemur, nemo quartum decalogi praeceptum sublatum putabit, nisi qui non attenderit *Matth.* 10, 37 « odisse » explicari « minus amare ». — Huc quoque pertinent illi textus, in quibus ordinariae providentiae eventus atque peccatorum sequelae immediate Deo auctori adscribuntur, uti Deus cor Pharaonis indurasse (*Exod.* 14, 6), gentiles in desideria cordis eorum tradidisse (*Rom.* 1, 24) dicitur.

5. Apostoli non nisi speciali, quam accepit S. Petrus, revelatione edocti sunt, ethnicos *immediate* in Ecclesiam posse recipi (*Act.* 10 et 11; 15, 7 sqq.); in eo autem, quod *Iudaei* conversi Ierosolymis « omnes erant aemulatores Legis » (*Act.* 21, 20), *gentiles* vero conversi ad Legem observandam non adstringebantur, nulla habetur contradictio; nec S. Pauli agendi ratio, qui omnibus omnia factus cum Iudaeis iudaicum et cum ethnicis ethnicum vivendi modum tenuit (1 *Cor.* 9, 20 sqq.), S. Iacobi vel S. Petri agendi rationi (*Gal.* 2, 12) contradicit etc. Lex enim paullatim abroganda erat, et pro diversis circumstantiis diversus erat agendi modus Apostolorum.

6. Textus, in quibus Dominus se minorem Patre (*Ioan.* 14, 28) dicit, non repugnant illis, in quibus se aequalem facit (*Ioan.* 10, 30); textus, in quibus de baptismo « in nomine Iesu » sermo est (*Act.* 8, 12 etc.) non contradicunt ei, in quo forma baptismi traditur (*Matth.* 28, 19). Quod si S. Paulus fidem sine operibus legis hominem iustificare asserit (*Rom.* 3, 28), non repugnat S. Iacobo « non ex fide tantum, sed ex operibus iustificari hominem » asserenti (*Iac.* 2, 24), quandoquidem verba quidem fere eadem, res autem verbis significatae prorsus diversae sunt.

b.) In *historicis textibus* attende,

α.) ne tibi pro eiusdem facti relationibus narrationes obtrudi sinas, quae diversa facta respiciunt [7];

β.) ne a duobus, qui idem factum referunt, omnia quoque adiuncta eadem esse referenda censeas, ac si alter altero neque rem accuratius narrare, nec ad alias circumstantias attendere, nec alterum ordinem vel alteram temporis determinationem sequi potuerit etc. [8];

γ.) ne ipsi auctori narrationem aliquam attribuas, quam ipse tamquam ab alio factam refert [9].

c.) In *propheticis locis* contradictiones adesse creduntur, vel quia de eadem re a prophetis diversa sint praedicta, vel quia eventus praedictioni non correspondeat.

α.) Ad prius genus quod attinet, examinandum est, num propheta revera ex inspiratione divina locutus sit, atque de eadem re in iisdem circumstantiis considerata loquatur [10].

β.) Alterius generis autem opinatas contradictiones cognosces, si atten-

deris, num vaticinium expressam an tacitam conditionem habeat adiectam, num sensu proprio an metaphorico sit intelligendum, num unum solum an plures eventus futuros respiciat [11].

7. Alia est templi purificatio, quam *Ioan.* 2, 13 sqq. refert, alia, quam Synoptici narrant (*Matth.* 21, 12 et paral.); alia peccatrix, quae Domini unxit pedes (*Luc.* 7, 37), alia Maria, Lazari soror, quae idem fecit (*Ioan.* 12, 3; *Matth.* 26, 7 etc.).

8. *Matthaeo* (26, 8) narranti *discipulos* interrogasse : ad quid perditio haec? non repugnat *Ioan.* 12, 4, qui solum *Iudam Iscar.* murmurasse accuratius refert; S. Matthaeum compendioso quodam narrandi modo uti, atque in maiore Evangelii parte ordinem realem tenere, reliquis Synopticis cum S. Ioanne ordinem chronologicum sequentibus, S. Ioannem quoque ea aliquoties supplere, quae a Synopticis omissa sunt etc. ostendimus in *Introd. spec.* in Novum Test. p. 192 sqq. 64 sqq. 111 sqq. 151 sqq. 247 sqq. etc.; similiter in *Introd. spec.* in Vetus Test. viam monstravimus, qua chronologiae differentia in utroque libro Mach. solvenda sit (I. p. 466 n. 6) aliasque passim opinatas contradictiones enodavimus.

9. Cfr ex. gr. 1 *Reg.* 31, 9 et 2 *Reg.* 1, 6 sqq.

10. Nathan propheta privata sua auctoritate approbat consilium Davidis, quod die insequente ex auctoritate divina improbare cogitur (2 *Reg.* 7, 3-17). Aliis in vaticiniis Messiae passio, in aliis eius victoria praedicitur, in aliis populo israelitico peccanti poenae indicuntur, in aliis poenitenti populo felix sors promittitur; in aliis de primo Christi adventu, in aliis de secundo sermo est etc.

11. Tacitam conditionem appositam esse saepe non nisi ex eventu diiudicari potest (cfr ex. gr. *Is.* 38, 1 sqq.; *Ion.* 3, 4 sqq. etc.). Metaphorico sensu sumenda esse vocabula, ipsis interdum indicatur (*Is.* 11, 5 sqq.), interdum ex aliis locis intelligitur. Quia enim regnum Messiae spirituale praedicitur, vaticinia illa, in quibus de Messia belli duce sermo est, translato sensu explicanda sunt; quia Messias futurus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech et in Novo Testamento erit sacrificium mundum, quod in omni loco offertur etc., sequitur textus illos, qui semper adfuturos esse levitas cultumque mosaicum semper duraturum praedicunt (*Ier.* 33. 18 sqq. etc.), metaphoricos esse. Prophetae enim, ut a coaevis suis intelligerentur, e rebus suae aetatis imagines et expressiones suas desumere coacti sunt; cfr *Introd. spec.* in Vetus Test. II. p. 288 sqq.

221. — *C. Nulla inter Scripturas atque profanas scientias contradictio adesse potest;* caveat igitur interpres, ne explicatione sua eiusmodi contradictiones in eas ingerat. Etenim si Scriptura aliquid, quod ad profanarum scientiarum dominium pertinet, *clare et evidenter* enuntiat, id falsum esse nequit, a scientiarum igitur illarum cultoribus pro indubitata veritate admittendum est. Sin vero scientia profana aliquid *clare et evidenter* verum esse demonstrat, id S. Scripturae repugnare nequit (veritas enim veritati non contradicit); interpretis igitur est, ut demonstratae huius veritatis rationem habeat et Scripturae textus iuxta eam interpretetur.

Regulas has iam tradidit *S. Augustinus :* « Plerumque, inquit, accidit, ut aliquid de terra, de coelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et

conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis et lunae, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum atque huiusmodi ceteris, etiam non christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum et maxime cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum christianas literas loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto coelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Quum enim quemquam de numero christianorum in ea re, quam optime norunt, errare deprehenderint et vanam sententiam suam de nostris libris asserere : quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum et de spe vitae aeternae regnoque coelorum, quando de his rebus, quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiae tristitiaeque ingerant prudentibus fratribus temerarii praesumtores, satis dici non potest, quum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci coeperint ab eis qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id, quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem libros sanctos, unde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter, quae ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant ». Et paullo post : « Quidquid ipsi (sc. qui calumniari libris nostrae salutis affectant) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, i. e. catholicae fidei, contrarium protulerint, aut etiam aliqua facultate ostendamus aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum » [1].

Quam plurimae hodie contra libros sacros difficultates ex historia profana et ex scientiis naturalibus proferuntur, nec parvum dissidium sacram inter profanamque scientiam videtur exortum esse. Neque plane desunt interpretes catholici, qui hodierno profanarum scientiarum progressu perculsi et quasi perterriti inspirationem Scripturarum ad certas partes limitandam esse censeant omnibusque illis relationibus, quae fidei morumque doctrinam directe non attingunt, auctoritatem mere humanam attribuant. Quam distinctionem inter partes inspiratas aliasque non inspiratas ignorat doctrina catholica; quaecumque auctor sacer scripsit, ipsius Dei sunt verba, sive fidei doctrinas regulasque morum tradunt, sive facta historica vel naturalia referunt. Sed inutilis quoque est distinctio illa; namque ne *verum* dissidium Scripturas inter scientiasque profanas exoriatur, non est timendum, quia est impossibile, quum veritas supranaturali revelatione cognita veritati

naturaliter cognitae repugnare non possit. Dissidia ista sunt inter Scripturarum interpretes interque scientiarum cultores, qui utrique limites suos transgredientes aureorum illorum praeceptorum *S. Augustini* immemores sunt : « *ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant* », et « *nihil temere esse affirmandum, sed caute omnia modesteque tractanda* » [2]. Si una ex parte historici naturalistaeque hypotheses suas magis minusve probabiles (nec raro absurdas) pro certis et indubitatis doctrinis nobis obtrudere cessarent, nec altera ex parte interpretes multi suas Scripturarum explicationes magis minusve doctas (nec raro audaces et violentas) pro veritatibus scripturisticis venditare vellent, sine ullo dubio fontes omnium dissidiorum essent obstructi atque dissidia ipsa disparerent.

Quare catholici interpretis est, ut in historicorum naturalistarumque assertis vera a falsis, certa a dubiis discernat eaque, quae certis argumentis vera esse demonstrantur, Scripturis sacris non tantum non repugnare sed amice consonare ostendat.

1. *S. August.* de Gen. ad lit. I. 19. 21. (M. 34, 261 sq.).

2. *S. August.* in Gen. Op. imperf. 29. 30 (M. 34, 232 sq.); cfr etiam *S. Thom. Aquin.* (Opusc. 9. ab initio) : « mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda velut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur ».

Quod ut facilius assequatur, ad haec attendat *a.*) in iis, quae *historiam* spectant.

α.) Nemo prudens dubitabit, quin nec antiquis auctoribus profanis nec ipsis monumentis antiquis, quibus gentis alicuius illustria facta celebrantur, omnimoda et absoluta fides sit adhibenda. Quod enim de Graecis asserit Iuvenalis : « Quidquid Graecia mendax audet in historia », id eodem modo de reliquis gentibus asserere licet. Antiqui scriptores et monumenta antiqua, ut gentium suarum origines in fabulosis aetatibus reponant, deorum heroumque, qui ante primum regem hominem sceptrum tenuerint, series longas fingere non dubitant, victorias reportatas exaggerant, clades silentio premunt etc. [3]. Stultissime igitur ageret interpres, qui omnia, quaecumque in documento aliquo antiquo reperiuntur, pro veris caecus admitteret.

β.) Summam diligentiam nostra haec aetas in investigandis explicandisque antiquitatis documentis adhibuit. Innumera monumenta historica, ut de graecis latinisque taceamus, aegyptiaca, assyriaca, babylonica, persica, punica, moabitica etc., quin etiam praehistorica, uti vocari solent, in lucem sunt protracta; magni in hieroglyphicis, cuneiformis aliisque inscriptionibus et documentis legendis facti sunt progressus; nec quisquam negaverit ea omnia ad scientiarum historicarum incrementum contulisse. Attamen quam pauca *certa* studium illud, quod optima quaeque ingenia hisce mo-

numentis impenderunt, *hucusque* produxerit, continuae illae controversiae manifestant, quibus rerum illarum studiosi inter se concertant [4]; atque illa ipsa, quae interdum velut certa proponuntur, quanta cum cautione sint recipienda, demonstrant mutationes multae, quas systemata proposita subierunt; interdum enim unico vocabulo melius explicato aut novo aliquo monumento detecto totum aliquod systema destruitur [5]. Qui igitur scientiae huius novae, quae si ita dicere fas est in incunabulis adhuc iacet, assertis uti voluerit, magnam cautionem et prudentiam adhibeat necesse est.

γ.) Maior autem cautio et circumspectio vel eam solam ob causam necessaria est, quia aliqui scientiarum illarum cultores, iique nec pauci nec indocti, iniquo prorsus modo libros nostros sacros tractant. Quidquid enim in Scripturis narratur, pro suspecto et dubio habent, donec profano testimonio confirmetur; si vero discrepantia quaedam sacram inter et profanam relationem adest, profanam vix non semper praeferunt. Attamen etiamsi quis Scripturarum inspiratione negata illas velut fontes historicos mere humanos consideraret, eandem saltem, ne dicam maiorem, quam reliquis, fidem illis adhibere teneretur, quia tota sua indole sinceritatem et veracitatem auctorum suorum demonstrant. Ubi enim invenitur profanus auctor, qui tanta cum candida sinceritate gentis suae vitia, flagitia, calamitates, clades narret, qua populi iudaici flagitia et calamitates in Veteris Test. libris historicis et propheticis descripta sunt? Praeterea plurima a coaevis testibus literis sunt mandata, alia ex fontibus coaevis et publicis, qui indicantur, sunt desumta. Unde nullum est dubium, quin libri sacri ab omnibus historicis etiam a fide alienissimis summa fide digni iudicarentur, nisi illa simul continerent, quibus hominis infidelitas damnatur. Quod autem ad Novi Test. scriptores attinet, nemo facile dixerit, cur ex. gr. Lucas, si brevi ante Herodis M. mortem a Quirinio censum in Palaestina actum esse tradit, fidem non mereatur, idem autem factum, si ab alio scriptore profano, Fl. Iosepho, Suetonio, Tacito, quamvis aetate iunioribus, relatum esset, ab omnibus historicis admitteretur. Iniquitas ergo, qua librorum sacrorum fides historica a non paucis historicis modernis aut negatur aut in dubium vocatur, interpretem cautiorem reddere debet relate ad omnes eorum assertiones, quippe quae saepissime solis praeiudiciis innitantur.

δ.) Multiplici igitur ex capite circumspectio et cautio requiritur, si de profanorum auctorum testimoniis historicis recipiendis agitur; neque vero minor interpreti necessaria est in Scripturarum historicis relationibus diiudicandis. Quam maxime enim cavere debet, ne illa in libris sacris invenire velit, quae tradere noluerunt. Etenim eum in finem nobis non sunt dati, ut historiam chronologiamque nos docerent, sed ut nobis salutis essent fontes. Quod de rebus naturalibus docet S. Augustinus, id eodem modo de historicis verum est : « Spiritus Dei, qui per scriptores sacros loquebatur, noluit ista docere homines nulli saluti profutura » [6]. Ne ipsam quidem populi electi historiam integram narrant libri sacri, sed illa sola facta sive vitae patriarcharum sive historiae Israelitarum finitimarumque gentium, quae, ut salutis oeconomiam intelligeremus, Spiritus S. necessaria vel utilia iudicavit.

Haud parum hac in re peccatum est et peccatur ab interpretibus, qui isto Scripturarum fine et charactere non satis attentis illas fere tractant, ac si chronologiae et historiae sacrae et profanae compendium quoddam divinitus nobis datum constituerent [7]. Profecto Deus, si libris sacris chronologiam et historiam nos docere voluisset, providentia speciali invigilasset, ut annorum numeri, personarum, gentium, terrarum nomina aliaque id genus, quae in historia haud parvi momenti sunt, incorrupta conservarentur. Verum quanta in illis praecipue rebus editionum nostrarum biblicarum sit incertitudo, quot quantaeque in illis inter textus primigenios et inter praecipuas versiones sint differentiae, nemo ignorat. Sobrius igitur sit interpres cautissimusque in systematis chronologicis historicisque statuendis; caveat, ne modernos « criticos » imitatus levissimae ratiunculae ingentem systematis molem superstruat, neve unquam ea, quae statuit, pro certis et indubitatis venditet, quin invictis et solidissimis argumentis ea demonstret [8].

ε.) Alterum, ad quod attendat interpres oportet, modus est, quo facta historica a sacris scriptoribus referuntur. Teste enim *S. Hieronymo* « consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur », et « *multa in Scripturis sacris dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat* » [9]. Maximi momenti est haec S. Doctoris observatio, qua nos monet, ne Scripturarum verba secundum hodiernum scientiarum statum premamus, sed ex sacrorum scriptorum mente et intentione explicemus [10]. Quot difficultates nunquam essent propositae, si omnes interpretes semper S. Hieronymi monitum prae oculis habuissent!

Cautus igitur sit interpres in recipiendis profanorum historicorum assertionibus, cautus quoque in Scripturarum testimoniis historicis diiudicandis, et omnia ea, quae profana scientia sive ex monumentis quae dicuntur praehistoricis, sive ex documentis hieroglyphicis et cuneiformibus, sive ex Indorum, Sinensium aliorumque populorum libris vel inscriptionibus *certa* et *indubitata* hucusque protulit aut futuro tempore proferet, cum Scripturarum *certis* et *indubitatis* relationibus conspirare procul dubio demonstrabit. Quodsi vero difficultatem quandam nondum statim solvere possit, caveat ne sacrum scriptorem errasse dicat; sed maiore cum diligentia rem iterum iterumque examinet atque interim consideret cum *S. Aug.*, « melius esse, premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea examinando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere » [11].

3. Chaldaei primos suos decem reges per 432 millia annorum regnasse tradunt (*Eus.* Chron. I. 1. M. 19, 106); Manetho quoque triginta aegyptiacis dynastiis regum hominum praemisit aliquas alias deorum, heroum, manium (*Eus.* l. c. 1. 20. M. 19, 182) etc. Sennacherib in longa sua expeditionum inscriptione cladem divinitus ei inflictam (4 *Reg.* 19) silentio premit (cfr *Schrader* Keilinschr. u. d A. T. Ed. 2. Giessen 1883 p. 306 sq., 328; *Vigouroux* La Bible et les découvertes mod. Paris 1882. IV. p. 184 : « Nous possédons la narration officielle de ses guerres, *muette sur ses revers*, mais très explicite sur ses succès »). Innumera eiusmodi inveniuntur.

4. Num triginta Manethonis dynastiae sint successivae, an aliquae ex eis contemporaneae aliis, hucusque nondum inter aegyptologos constat, ita ut primum regem Menetem regnare coepisse putent alii a. Chr. 5702 (Boeckh), alii 4455 (Brugsch), alii 4157 (Lauth), alii 3892 (Lepsius), alii 3326 (Bunsen), alii alio anno. Utrum series eponymorum assyriacorum sit interrupta annon, controvertitur inter assyriologos etc.

5. Notum est, quomodo anno 1857 *Iul. Oppert* turris babelici post diluvium aedificati commemorationem in inscriptione quadam invenerit; quam explicationem tum temporis ab eruditis vix non omnibus receptam hodie omnes reiiciunt (*Schrader* l. c. p. 123. 126. *Vigouroux* l. c. I. p. 300 sqq.). Attentione digna sunt, quae unus ex praecipuis assyriacarum inscriptionum interpretibus monet : « Aus diesen Erörterungen wird einleuchten, dass eine solche Verwendung (sc. der Ergebnisse der Keilschriftenforschung zu historischen Zwecken) der Natur der Sache nach *nur eine bedingte* sein kann... Auch auf den durchgearbeiteten Wissenschaftsgebieten wird der Historiker eigener Prüfung und eigener Untersuchung der überlieferten Thatsachen sich nicht entschlagen können. Aber das muss ebenso rückhaltlos anerkannt werden, dass auf dem Gebiet der Keilschriftforschung *dieses in weit höherem Masse seine Geltung hat.* Es kann dem Historiker nicht nur nicht verdacht, sondern *muss ganz ausdrücklich von ihm verlangt werden*, dass er sich die Ergebnisse der Entzifferungen *immer nur nach vorangegangener Prüfung* aneigne » etc. (*Schrader* Keilinschr. u. Geschichtsf. Giessen 1878 p. 80 sq.). Eodem modo loquuntur sinceri aegyptologi. Quomodo autem praehistorici inter se concertent sententiasque suas. mutent, docet *F. de Hummelauer* Die Zeitenmesser der Urgeschichte (Stimmen aus M. Laach 1878. XIV. p. 49 sqq., 165 sqq., 270 sqq.).

6. *S. Aug.* in Gen. Op. imperf. 20 (M. 34, 270).

7. Quam plurimi interpretes, ut unum exemplum adducam, inde a Philonis tempore ex genealogiis, quae *Gen.* 5. et 11. traduntur, aliisque chronologicis indicationibus tempus, quo primus homo creatus est, determinare conati sunt; sed sufficiens certae chronologiae fundamentum in Scripturis non haberi docent plus centum systemata diversa, quae ab interpretibus inventa sunt. Cur autem genealogiae illae non sufficiant, vide apud *I. Knabenbauer* Bibel und Chronologie (Stimmen aus M. Laach. 1874 VI. p. 362 sqq.).

8. Audi *S. Hier.* de chronologica aliqua difficultate interrogatum : « relege omnes et Veteris et Novi Testamenti libros, et tantam annorum reperies dissonantiam, et numerum inter Iudam et Israel, i. e. inter regnum utrumque, confusum, ut huiuscemodi haerere quaestionibus, non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur » (ad Vital. ep. 71, 5. M. 22. 676).

9. *S. Hier.* in Matth. 14. 8; in Ierem. 28, 10 (M. 26, 98; 24,855).

10. Risui se ipsum et S. Scripturam exponeret, qui ex *Act.* 2, 5 (« erant autem in Ierusalem... viri religiosi *ex omni natione, quae sub coelo est*) » aut ex *Rom.* 1, 8 (« fides vestra praedicatur *in universo mundo* ») deducere vellet, americanarum gentium quosdam Ierosolymis in die pentecostes fuisse, aut fidem Romanorum iam Pauli tempore in America et Australia celebratam esse. Quod si 3 *Reg.* 4, 34 « de *cunctis populis* ad audiendam sapientiam Salomonis » aliqui venisse dicuntur, id sane eodem modo « iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur et non iuxta quod rei veritas continebat », id est ex communi et vulgari loquendi modo, explicandum est. Et si *Gen.* 7, 19 « aquae praevaluisse super terram et operti esse omnes montes excelsi sub universo coelo » dicuntur, nonne

id etiam « iuxta opinionem illius temporis » de terra eo tempore habitata hominibusque cognita intelligendum est? Innumera alia eiusmodi exempla afferri possunt.

11. *S. Aug.* de doctr. christ. III. 9, 13 (M. 34, 71).

b.) Mutatis mutandis ea, quae de rebus historicis exposuimus, de *rebus naturalibus* dicenda sunt.

α.) Nulla unquam fuit aetas, quae in investigandis rebus naturalibus nostram diligentia, sagacitate, perspicacitate superaret, nec altera unquam tot tantosque, quot nostra, in scientiis naturalibus vix non omnibus fecit progressus. Quod libentes gratique fatemur; verum asserere quoque licet, nullam aetatem prodigiosa fertilitate, qua novae hypotheses proponuntur, nostram superasse. Quotidie nova systemata excogitantur, permutantur, reiiciuntur, et tumultuaria quadam cum incitatione ea, quae heri velut certa ab omnibus celebrabantur, hodie in dubium vocantur, cras explodentur. Qui praeceps naturalistarum agendi modus cautos nos reddere debet, ne omnia, quae ab illis in medium afferuntur, caeci admittamus. Interpres, qui in sua Geneseos explicatione omnium systematum, quae de terrae nostrae origine et antiquitate fertilia naturalistarum ingenia excogitarunt, rationem habere vellet, singulis fere annis novum commentarium scribere deberet. Cavendum igitur, ne modernae scientiae placita pro totidem dogmatis habeamus, et contenti simus, si S. Scripturarum dicta de rebus naturalibus ita explicaverimus, ut nullam adesse pugnam appareat cum illis doctrinis, quae *certis* argumentis *certae* esse demonstrantur.

β.) Quod ut facilius praestemus, attendamus oportet, S. Scripturas aeque parum, atque historiarum, esse scientiarum naturalium compendium. Quare in iis non plura sunt quaerenda, quam quae exhibere ipsae volunt. Nemo dubitat, quin in scientifico quodam compendio scientifica lingua requiratur, sed facile omnes quoque concedunt, cachinnos provocaturum esse illum auctorem, qui terminis illis technicis in libro populari uteretur Atqui libri sacri sunt opera popularia; scriptores sacri a coaevis suis intelligi voluerunt, quid igitur mirum, quod scientificam nostrae aetatis linguam non adhibuerint, qua nos ipsi in vita quotidiana non utimur? Erraret igitur interpres, qui vocabula a sacris scriptoribus adhibita urgere vellet, ut ex illis scientificas conclusiones deduceret. Etenim sicut nos in sermone quotidiano ad ea tantum attendimus, quae sensibiliter apparent, et nostris loquendi formulis nihil omnino de iis, quibus perceptiones nostrae sensiles producuntur, indicamus, ita etiam sacri scriptores, ut diu iam monuit S. Thomas, « ea sequuntur, quae sensibiliter apparent » [12], nec quidquam de intima rerum natura nos docere volunt [13]. Praeterea etiam illud notandum est, quod saepe in rebus naturalibus describendis Psalmista, prophetae aliique sacri scriptores poetas agunt, et quis unquam in poetica aliqua descriptione scientificam technicorum terminorum subtilitatem quaesivit [14]?

Una igitur ex parte caveamus, ne nimis facile naturalistarum hypotheses et opiniones admittamus, altera ex parte ne in Scripturis expositionem rerum naturalium scientificam quaeramus, nec ullum est dubium, quin

concordia quoque exegetas inter et naturalistas conservetur. Illa autem, quae de origine et natura rerum sensibilium Scriptura docet, quum falsa esse non possint, naturalistae, nisi in errorum abyssum ruere velint, admittant oportet, quare cum illis utique, qui creatione negata mundum integrum cum omnibus, quae in eo sunt, aut fato aut casu exortum esse docent, in homine non nisi perfectiorem quandam simiam vident, unitatem generis humani eiusque ab uno homine ortum in dubium vocant etc., pax et concordia esse non potest. At hi etiam non amplius rerum naturalium sunt cultores et studiosi, sed philosophastri, ut Augustini termino utar.

12. *S. Thom.* Summ. theol. I. qu. 70. a. 1. ad 3.

13. Moyses Deum « duo luminaria magna, luminare maius ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas » fecisse narrans (*Gen.* 1, 16) « rudi populo condescendens ea secutus est, quae sensibiliter apparent » (*S. Thom.* l. c.); ridiculum autem esset, si quis ob haec Geneseos verba diceret, secundum Scripturae doctrinam solem et lunam omnia corpora coelestia magnitudine superare; aeque ac si ex eo, quod Deum stellas in coelo « posuisse » dixit, concluderet, stellas coelo infixas esse, quam conclusionem irridet *S. Chrysost.* (in Gen. hom. 13, 4. M. 51, 109); « ad utilitatem enim nostram humanis utitur verbis ». Iosue, si *solem stare* iussit (*Is.* 10, 12), et Ecclesiastes si solem oriri et occidere et ad locum suum reverti et ibi renascentem girare per meridiem etc. dixit (*Eccle.* 1, 5), eodem modo locuti sunt, quo nos quotidie loqui solemus, professores vero astronomiae agere noluerunt. Ecclesiastes, si eodem in loco « terram in aeternum stare » asseruit, noluit docere, uti antiquiores interpretes putaverunt, terram esse immobilem, sed eam apparentibus et continuis illis mutationibus, quibus hominum generationes subiacent, eodem modo non esse subiectam : « quid hac vanius vanitate, inquit *S. Hieronymus* (i. h. l. M. 23, 1015), quam terram manere, quae hominum causa facta est, et hominem ipsum, terrae dominum, tam repente in pulverem dissolvi ». Moyses, si carnem leporis immundam dixit, « quia ruminat et ungulas non dividit » (*Lev.* 11, 6), sui temporis suaeque gentis opinioni, quae ad *externam* solam apparentiam attendit, sese accommodavit; « secundum opinionem populi loquitur Scriptura », dicit *S. Thomas* in similis difficultatis solutione (Summ. theol. II 1. qu. 98. a. 3. ad 2.).

14. Ex. gr. *Iob.* 37, 17 coeli dicuntur « solidissimi, quasi aere fusi »; *Iob* (26, 11) loquitur de « columnis coeli » (quibus sc. coelum innititur) etc.; cfr descriptionem tempestatis *Ps.* 17, 8-16 et similes textus sat multos. Merito P. *v. Hummelauer* irridet rationalistis, qui ex istis locutionibus deducunt, quidnam scriptores sacri de firmamento, tempestate etc. senserint : « Auch wir sprechen mitunter vom Himmelszelt, vom Himmelsdom : liesse sich etwa daraus folgern, dass wir den Himmel für ein Stük Segeltuch oder für eine steinerne Kuppel ansehen? » *F. v. Hummelauer* Der biblische Schöpfungsbericht. Freiburg 1877, p. 37).

222. — II. Restat ut regulas explicemus, quibus duci debemus, quatenus LIBRI SACRI ECCLESIAE TRADITI SUNT CUSTODIENDI ET EXPLICANDI. Etenim magnas quidem partes interpretationi grammatico-historicae concedamus oportet, quippe qua sola uti possumus sive ad religionis christianae veritatem contra incredulos demonstrandam, sive ad asserenda Ecclesiae praerogativa, quamque continuo quoque adhibere

debemus, ut authenticam textus alicuius explicationem ab adversariorum obiectionibus vindicemus. Maiores autem, atque adeo maximae partes tribuendae sunt interpretationi catholicae. Namque non solum nunquam, ne tum quidem, quando cum adversariis inspirationem negantibus res agenda est, divini horum librorum characteris immemores verbum Dei, ac si mere humanum esset, tractare nobis licet, sed prae oculis quoque semper habeamus oportet, in explicandis Scripturis, aeque atque in omnibus rebus ad fidem spectantibus, infallibili Ecclesiae magisterio supremum competere iudicium, neque ullam interpretationem posse admitti, quae vel authenticae huius magisterii explicationi vel alteri revelationis divinae fonti, apostolicae sc. traditioni, non sit conformis.

Clamant quidem protestantes cuncti, Ecclesiae legibus libertatem interpretis catholici restringi, Scripturarum investigationem illam, quam scientiae ratio exigit, esse exclusam, exegesin catholicam occisam esse etc.[1]; sed quod blasphemant, ignorant. Numquid pharus, qui nautis obscura in nocte viam indicat, ut scopulis omnibus evitatis navem in portum feliciter perducant, eorum libertatem restringit vel aufert? Numquid magister, qui discipulis sensum thematis explicat, eos impedit, ne iuxta scientiae rationem illud interpretentur accuratiusve in illud investigent? Numquid exegesis catholica mortua est, quae ultimis his saeculis post concilium tridentinum finitum maiores quam antea triumphos egit? Sine ullo dubio legibus, quas Ecclesia in concilio tridentino interpretibus dedit et in concilio vaticano explicavit confirmavitque, errandi licentia restricta est, at quis non videt eiusmodi restrictione veram germanamque Scripturarum investigationem iuvari ac promoveri? « *Imperitissimos* quosque vel maxime sine Dei gratia ac sine doctrina maiorum sibi Scripturae intelligentiam vindicare », haud sine ratione *S. Hieronymus* iam dixit[2]; unanimi autem consensu Patres omnes, ad Ecclesiae magisterium interpreti attendendum esse, et verbis et exemplis suis praeceperunt[3]. « Ubi charismata Domini posita sunt, inquit *S. Irenaeus*, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conservationis, et inadulteratum et incorruptible sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent, et *Scripturas sine periculo nobis exponunt*, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes »[4]. *S. Augustinus*, postquam Ecclesiae nolle primas partes dare aut summae impietatis aut praecipitis arrogantiae esse asseruit, haud sine indignatione exclamat :

« si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere »[5]? SS. Basilius *M.* porro ac Gregorius Naz., uti Rufinus refert, quum in monasterio solis divinae Scripturae volluminibus operam darent, « earum intelligentiam non ex propria praesumtione sed ex maiorum scriptis et auctoritate sectabantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat »[6]. Sed ad quid multa congerere testimonia? Communem quodammodo Patrum de hac quaestione doctrinam hisce verbis comprehendit *Vincentius Lerin.* : « hic forsan requirit aliquis : quum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius... aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur »[7].

Quibus Patrum vestigiis insistens *concilium tridentinum* « ad coercenda petulantia ingenia » decrevit, « ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium S. Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ». Quod decretum *synodus vaticana* confirmans et renovans « hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei ac morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam S. Scripturam interpretari ». Quibus consona in *professione fidei trid.* profitemur : « S. Scripturas iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia,... admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor »[8].

1. *Wold. Schmidt* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VI. 24 : « Wie ein Diplomat im Geiste und im Interesse seines Fürsten Alles deuten und auffassen muss, wie er seine Stellung nicht vergessen darf, wie er seiner Sendung eingedenk seine Instruc-

tion gewissenhaft vor Augen haben soll : so auch der katholische Interpret in Ansehung der katholischen Kirche. *Folge davon ist, dass die Auslegung weniger befangen, als im Grunde unmöglich wird* »; *Diestel* Gesch. der A. T. p. 278 : « Mochte auch die grosse Unbestimmtheit beider Normen, des kirchlichen Sinnes und des consensus der Väter, in tausend Fällen die Entscheidung freilassen, *so war doch jede Privatauslegung als solche geächtet* » (cfr etiam p. 235. 256 etc.); *Keil* Einl. p. 672. : « In der römisch-katholischen Kirche wurden durch die Beschlüsse des Tridentiner Concils... der exegetischen Forschung Schranken gesetzt, welche ein tieferes Eindringen in den Inhalt und Geist des A. T. hemmen musste ». Aliquibus tam persuasum est, post concilium trid. mortuam esse catholicam exegesin, ut in suis libris nullum interpretem catholicum citare soleant; *De Wette Schrader*, ut unum exemplum afferam, in sua historia interpretationis (Einl. p. 171) non cognovit nisi *quatuor* commentarios, qui saec. 16. 17. 18. a catholicis interpretibus sint editi, atque iuvenis quidam, qui in re exegetica inter tirones adhuc stipendia meretur, *C. H. Cornill* (Einl. 1891. p. 13), ne unum quidem ex catholicis interpretibus dignum iudicat, quem nominet aut alleget. Desiderandum esset, ut interpretes catholici nostrae aetatis haud pauci istud protestantium exemplum imitati a protestanticis commentariis saltem *commendandis* abstinerent neque unquam eos *pro auctoritate* ita allegarent, ut eos catholicis aequiparare, nedum praeferre videantur; sed proh dolor non desunt, qui sententiam suam satis firmam non esse censere videntur, nisi protestantes quosdam in auxilium vocaverint etiam illis in quaestionibus, quae a catholicis multo gravioribus praestantioribusque sunt tractatae (cfr *Knabenbauer* Stimm. a. M. Laach 1875 IX. p. 205).

2. *S. Hier.* in Dan. 11, 45 (M. 25, 575).

3. Ipse *Reuss* (Gesch. des N. T. Ed. 5. II. p. 292) fatetur : « Die Bestimmungen des tridentinischen Conciliums brachten keine Veränderung in die katholische Schrifterklärung. *Diese Versammlung hielt, wie in allen Stücken, so auch hier an den schon längst geltenden Grundsätzen fest* » etc.

4. *S. Iren.* c. haer. IV. 26, 5 (M. 7, 1056).

5. *S. Aug.* ad Honor. de utilit. cred. 17, 35 (M. 42, 91).

6. *Rufin.* Hist. eccl. II. 9 (M. 21, 518); cfr etiam quae de suo Scripturarum studio tradit *S. Hier.* ad Pammach. ep. 21, 745.

7. *Vinc. Lerin.* Commonit. 2 (M. 50, 640).

8. *Conc. trid.* sess. 4. decret. de editione et usu s. libr.; *Conc. vatic.* sess. 3. constit. de fide cath. cp. 2; Prof. fidei trid. a Pio IV. praescripta (*Denzinger* Enchir. n. 864).

223. — Ex quibus Ecclesiae decretis sua sponte fluunt haec praecepta :

1.) *Sensum alicuius textus sive explicite sive implicite ab Ecclesia authentice declaratum amplecti et tueri tenemur;* dubium enim non est, quin authentica Ecclesiae declaratio nobis « sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia » exhibeat. Textus quidem, quorum sensum directa definitione determinavit, non admodum multi sunt; multo plures indirecte definiti et declarati sunt errorum, qui falsae textuum interpretationi innitebantur, damnatione doctrinarumque, a quibus explicatio quaedam dependet, definitione.

Directe inter alia definitum est a *conc. trid.* Apostolum *Rom.* 5,12 loqui de peccato originali (Sess. 5. c. 2. 4); ex *Ioan.* 3,5 constare de necessitate

absoluta baptismi et aquam veram et naturalem esse de necessitate baptismi (Sess. 5. c. 4 et Sess. 7. De bapt. c. 2); verba institutionis SS. Eucharistiae *Matth.* 26,26 sq., *Marc.* 14,22 sqq., *Luc.* 22.19 sq., 1 *Cor.* 11,24 sq. proprio et non metaphorico sensu esse intelligenda (Sess. 13. cp. 1); *Ioan.* 20,23 traditam esse Ecclesiae potestatem remittendi et retinendi peccata in sacramento penitentiae (Sess. 14. De sacr. poen. c. 3. cfr c. 10); *Iac.* 5,11 contineri promulgationem sacramenti extremae unctionis (Sess. 14. De sacr. unct. c. 1) etc. Item Patres *vaticani Matth.* 16,16 sqq. et *Ioan.* 21,15 sqq. de primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam immediate et directe B. Petro promisso atque collato interpretanda esse definiverunt (Const. de Eccl. c. 1.). *Indirecte* autem *conc. V. constantinop.* sensum multorum vaticiniorum accuratius determinavit interpretique viam monstravit, quam in exponendis certis Scripturae partibus tenere debet damnatione interpretationum Theodori Mopsuesteni (Conc. V. coll. 4. Mansi coll. Conc. IX. 210 sqq.). Damnatione quoque chiliasmi, qui *Apoc.* 20,4 similibusque textibus abutebatur, eorum sensus indirecte determinatus est etc.

2.) *Sensum alicuius textus a Patribus traditum amplecti et tueri tenemur.* Tridentini Patres, quum contra unanimem Patrum consensum Scripturam explicari vetarent, nihil novi statuerunt; *Trullanum* enim iam diu antea decreverat : « si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam *quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis exposuerunt* »[1]; in concilio *viennensi* Clemens V. ad *SS. Patrum et doctorum communem consensum* provocaverat, ut definiret S. Ioannem « rectum factae rei ordinem tenuisse narrando, quod Christo iam mortuo unus militum lancea latus eius aperuit »[2], et *lateranense V.* mandaverat « omnibus, qui evangelicam veritatem populum docturi essent, ut S. Scripturam *iuxta interpretationem doctorum,* quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, explanarent »[3]. Quod praeceptum ut iterum inculcarent, tridentini Patres non tantum Lutheri reliquorumque novatorum novis et inauditis doctrinis provocati sunt, sed etiam catholicorum nonnullorum non satis recte expressis sententiis de traditionis in explicandis Scripturis auctoritate. Inter quos praecipuus Card. *Caietanus* sensum aliquem non respuendum arbitratus est, « *etsi a torrente doctorum sacrorum alienus esset* »[4]. Ne sententia haec, quae traditionem omnem respuere videbatur, latius serperet, sapientissime decrevit concilium tridentinum, « ut nemo suae prudentiae innixus *in rebus fidei et morum...* contra unanimem sensum Patrum ipsam Scripturam S. interpretari auderet ». Ad cuius decreti vim et ambitum accuratius intelligendum haec prae oculis habenda sunt :

a.) Sicut relate ad definitiones Ecclesiae, ita etiam relate ad consensum Patrum non agitur nisi de « *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* ». Quam restrictionem iisdem prorsus verbis non sine ratione repetiit conc. vaticanum; testimonium enim Patrum hac in quaestione amplectendum est, quia et quatenus testes sunt fidei apostolicae. Quare *Pallavicinius* optime monet, interpreti « amplissimum patere

campum ad ingenium exercendum in Scripturae commentationibus, tametsi in fidei morumque quaestionibus nefas sit, eas deserere interpretationes, quas universa Patrum cohors complexa est »[5]; nihil scilicet obstat, quominus illis in rebus, *quae fidem moresque non tangunt*, uti in historicis, physicis aliisque id genus quaestionibus, a Patrum explicationibus recedamus.

b.) Patrum consensus etiam in fidei morumque rebus, quem concilium requirit, non adesse censendus est, nisi quum Patres asserant doceantque, textum aliquem hoc vel illo modo de hoc vel illo dogmate esse intelligendum. Etenim si coniectantium opinantiumque modo loquantur, si eiusdem textus varias explicationes ceu probabiles exponant, si obiter tantum textum aliquem eiusque sensu accurate non indicato attingant, non agunt testes sed privatos doctores; et quamquam pietas postulat, ut his quoque eorum sententiis debita reverentia exhibeatur, nihil tamen prohibet, quominus solidis argumentis nixi aliam sequamur[6]. Fieri quoque potest, ut Patres unanimes quidem sint in certa quadam explicatione reiicienda, dissentiant autem in positiva textus explicatione : quod si obtinet, perspicuum est, nobis illam explicationem quam reiiciunt amplecti non licere, liberos autem nos esse, ut aliam prorsus viam ineamus ad textus istius difficultatem solvendam[7].

c.) Unanimitatem, quae requiritur, non esse intelligendam *physicam* in aperto est; nullus enim invenietur Scripturae locus, quem omnes omnino Patres attigerint eodemque plane modo exposuerint; lex igitur tridentina absurda et superflua esset, id quod dicere impium est. Requiritur igitur et sufficit *moralis* quaedam unanimitas, quam adesse iure censemus α.) si certae alicuius aetatis, in qua dogma quoddam agitabatur, praecipui variarum ecclesiarum Patres consentientes textum aliquem de hoc dogmate exponunt, aut β.) si variarum aetatum commentatores in textu aliquo determinatam doctrinam contentam esse docent; γ.) quod si vero longe plures consentiant, aliqui autem (etiam e praecipuis) *sileant*, consensus non tollitur; tollitur vero, si qui aut dogma istud illo in loco doceri diserte negent, aut textum de altero dogmate ita interpretentur, ut indirecte aliorum explicationem excludant[8].

Minor quidem, quam SS. Patrum, iuniorum interpretum catholicorum est auctoritas; attamen quum omni tempore in Ecclesia floruerit Scripturae studium atque novis semper subsidiis adiuti iuniores haud paucis obscurioribus locis novam lucem affuderint et ad germanum eorum sensum inveniendum et defendendum haud parum contulerint, eorum quoque commentarii magno in pretio sunt habendi semperque sollicite consulendi. Summopere profecto interpretem catholicum dedecet, multis illis egregiisque operibus orthodoxis ignoratis aut neglectis, ad heterodoxorum libros confugere, ut ex eis cum gravissimo sanae doctrinae periculo, quin etiam haud raro cum eius aperto damno, explicationes petat eorum textuum, qui a catholicis, non dicam aeque bene sed multo melius adeoque optime sunt tractati. Quamvis enim philologicis, criticis, historicis similibusque aca-

tholicorum studiis, dummodo debita adhibeatur cautio ac prudentia, in Scripturis explicandis iuvari interdum possit, memor tamen semper sit oportet, germanum earum sensum, id quod Patres frequenter monent[9], extra Ecclesiam non reperiri neque ab iis posse doceri, qui vera fide destituti ad earum medullam non pertingant sed earum dumtaxat corticem rodant[10].

1. *Conc. trull.* c. 19. (Labbe Coll. Concil. VI. 1355).

2. *Conc. vienn.* Definitio contra errores I. P. Olivi (Clementina de Summa Trinit. *Denzinger* Enchiridion Symb. n. 408).

3. *Conc. lateran.* V. Bulla Leonis X « Supernae maiestatis » (Labbe Coll. Conc. XIX. 946).

4. *Caietan.* Commentar. I. Praef. in quinque mosaicos libros : « si quando occurrerit novus sensus textui consonus, nec a sacra Scriptura nec ab Ecclesiae doctrina dissonus, *quamvis a torrente doctorum sacrorum alienus*, aequos se praebeant censores... Nullus itaque detestetur novum sensum Scripturae ex hoc, quod dissonat a priscis doctoribus; sed scrutetur efficacius textum ac contextum Scripturae, et si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum priscorum doctorum sensibus, sed Scripturae ipsi integrae sub catholicae Ecclesiae censura. Alioquin spes nobis ac posteris tolleretur exponendi Scripturas nisi transferendo, ut aiunt, de libro in quinternum ». Procul dubio verba haec catholicam interpretationem admittunt, quum nec de Patrum unanimi consensu loquatur Caietanus eorumque scientificas tantum explicationes, quas doctores privati dederunt, respicere videatur. Vehementer tamen eum aggrediuntur *Ambros. Catharinus*, O. Praed. (Adnotationes in excerpta quaedam de commentariis Caietani. Paris 1535), *Canus*, O. Praed. (De locis theolog. VII. 3. concl. 5), *Dupin* (Nouv. Biblioth. XIX. p. 123 sq.) aliique; eum autem defendunt *Sixtus Senens.*, O. Praed. (Biblioth. sacr. V. adnot. 1.), *Rich. Simon* (Hist. crit. du V. T. III. ch. 12. p. 419) aliique.

5. *Pallavic.* Hist. Conc. Trid. VI. 15. n. 3. cfr etiam illa, quae de tollendis his verbis acta sunt in concilio vaticano (Acta et decreta Conc. recentiorum. *Collectio Lacensis.* Friburgi 1890 VII. c. 240). Quum enim alicui ex Patribus hac formula apposita « ius Ecclesiae iudicandi de vero sensu Scripturae nimium coarctari » et « libera cuique dari ansa videretur Dei verbum pro effraeni libitu explicandi » (l. c. 226), responsum est a relatore « istas interpretationes circa veritates historicas aut non esse contra dogma inspirationis S. Scripturae et singularum partium, aut esse contra hoc dogma; in casu priore utique *libere de illis interpretationibus posse disputari;* in casu posteriore, si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, iam utique eam spectare ad res fidei et proinde Ecclesiam hac de re iudicandi ius habere ». Quod responsum approbatum esse a Patribus verba in Constitutione retenta docent.

6. Ad rem *S. Gregor. M.* in libr. Reg. Prooem. 5 (M. 79, 21) : « Quia in diversis SS. Patrum operibus diversa huius historiae testimonia inveniuntur exposita, notare lector debet, quod aliquando eorum sensus tractando subsequor, aliquando autem enodare historiam aliter insudo, ut et opus quod spe divinae inspirationis aggredior, et auctoritate antiquorum Patrum sit validum et lectori nequaquam fastidiosum, dum inter ea, quae novit, vetera, ea etiam, quae non novit, nova repraesentat. Ad quam profecto sententiarum pronuntiationem aliquando ex necessitate ducor : *quia Patres venerabiles, si seriatim cuncta exponerent,*

quae ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent. Dum igitur SS. Patrum intellectus praetereo, necessitate aliquando, aliquando commoditate utor, quia et fastidium lectori removeo, et dum totum seriatim discutio, multa ex mediis contra me veniunt, quae illorum sententias non permittunt ». Dubitatur quidem, utrum commentarius hic a S. Gregorio sit conscriptus, an a Claudio eius discipulo ex magni Doctoris homiliis compositus; at quin haec S. Gregorii fuerit sententia, quam in homiliis suis secutus sit, non est dubium. Quare verbis his allegatis recte *Ribeira* (In librum duodecim Prophetarum Prael. 2. n. 19 Romae 1590 p. 7) : « non semper historicus (i. e. literalis) est sensus, qui ab hoc aut illo Patre aut etiam ab aliquibus existimatur historicus; sed an sit, ex praecedentibus et sequentibus, ex phrasi Scripturae et aliis huiusmodi iudicandum est. Saepe enim fit, ut Scripturae verba hinc et inde ad aliquid confirmandum excerpta sancti Patres in eum sensum exponant, quem tenere nullo modo possent, si antecedentia et subsequentia et totum denique librum essent explicaturi ». Quamobrem in consensu hoc stabiliendo maioris plerumque auctoritatis sunt commentatores inter Patres; secundo loco veniunt dogmatica eorum opera, tertio et ultimo eorum sermones ad populum habiti librique ascetici. Excipiendi autem sunt nonnulli alexandrini Patres, qui quia in operibus suis exegeticis allegorias sectari amant, potius in dogmaticis genuinum sensum exprimunt. Accidit quoque, ut Patres variis in operibus varias eiusdem textus expositiones tradant, idque assertive; at patet, illis in casibus illos velut traditionis testes adhiberi non posse; ex. gr. *Euseb.* (Demonstr. Ev. III. 2 et IX. 11 M. 22, 168 sq., 689 sq.) prophetam a Moyse praedictum (*Deut.* 18, 15) alium non esse nisi solum Christum asserit et demonstrare conatur; at in Eclogis prophet. (IV. Prooem. M. 22, 1192) *ad contextum accuratius attendens* etiam prophetas omnes Iudaeorum eo versu praedictos asserit.

7. Ita *Hebr.* 10, 2 eucharisticum sacrificium non excludi, omnes consentiunt; quomodo autem non excludatur, alii aliter explicant; *Hebr.* 6, 4-6; 10, 26; 12, 16. 17 lapsis spem omnem non negari consentiunt, sed in positiva textuum explicatione et difficultatis solutione dissentiunt.

8. Ex. gr. verba *Is.* 53, 8 (« generationem eius quis enarrabit ») Patres alii de Christi *aeterna* generatione in sinu Patris, alii de eius nativitate *temporali* ex B. Virgine, alii de *utraque* intelligunt (Patres enumeratos habes a P. Patrizi in Act. Apost. 8, 20, et quidem undequadraginta, qui primam, quatuor, qui secundam, viginti, qui tertiam sententiam tenent). *Consensum* igitur non adesse patet, quum duo dogmata plane sint diversa, alii enim divinitatem, alii humanitatem Christi indicatam vident. Quare non mirum, quod iuniores interpretes in hac textus explicatione a Patribus recedere se posse arbitrati interpretationem quaesierint, quae accuratius hebraico דור correspondeat (Cfr *P. Knabenb.* D. Proph. Isaias p. 601 sqq.; *eiusdem* Comm. in Is. Paris 1887 II. p. 309-313). — Ita etiam non recte a quibusdam asseritur, *Deut.* 18, 15 sqq. a Patribus de *unico* Christo intelligi, quum omnes quidem Patres (excepto solo Hieronymo, nisi forte ea, quae in *translatione* origenianae homil. I. in Ierem. M. 25, 593 habet, ipsi attribuere velis) Christum eo in loco praedictum vident, sed paucos invenies, qui textum ita interpretentur, ut prophetas Iudaeorum excludant. Textus Patrum aliquos citatos habes a *P. Patrizi* Biblic. quaest. decas (Romae 1877 p. 164); sed simul confer *Clem. Alex.* Paedag. I. 7 (M. 8, 322) et *S. August.* c. Faust. XVI. 19. 20 (M. 42, 327) qui literali sensu Iosue, typico Christum praedictum docent; *Orig.* c. Cels. I. 36 (M. 11, 728 sq.), *Euseb.* Eclog. Proph. IV. Prooem. (M. 22, 1192), *Theodoret.* in Ierem. 6, 16 (M. 81,

545), *S. Hier.* in Is. 8, 19 (M. 24, 122), *Ven. Beda* (M. 91, 387), *Rhab. Maur.* in Deut. II. 19 (M. 108, 906), *Wal. Strab.* Gloss. ordin. (M. 113, 471), *Brun. Ast.* (M. 164, 512), qui textum de omnibus prophetis literali sensu exponunt.

9. Cfr *Clem. Alex.* Strom. VII. 16 (M. 9, 526 sqq.); *Orig.* de princ. IV. 8; in Levit. hom. 4, 8 (M. 11, 536 sqq.; 12, 444) etc.; *Tert.* de praescr. 15 sqq. (M. 2, 28 sqq.); *S. Hilar.* in Matth. 13, 1 (M. 9, 993): « navis Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi, qui extra sunt et arenae modo steriles et inutiles adiacent, intelligere non possunt »; etc.

10. *S. Gregor. M.* Moral. XX. 9 al. 11 (M. 76, 149); cfr quae supra 222 *n.* 1 in fine diximus.

3.) At paucorum admodum textuum sensum ab Ecclesia definitum esse diximus, et pauciorum, ni fallimur, explicatio habetur ex unanimi Patrum consensu; erraret vero, qui in reliquis omnibus suo se ingenio indulgere posse arbitraretur. Non solis enim definitionibus loquitur Ecclesiae magisterium, sed etiam *quotidiana praxi et continua praedicatione* docet nos veram doctrinam. Ad vivum igitur hoc et continuum magisterium quam maxime attendamus oportet, si in explicandis Scripturis a veritatis tramite aberrare nolimus. Quamobrem requiritur,

a.) ut ab omni explicatione abstineamus, quae quomodocumque doctrinae alicui ab Ecclesia propositae adversatur; quum enim Ecclesia in proponendis doctrinis errare nequeat, explicatio quaecumque doctrinae propositae contraria erronea sit necesse est; requiritur autem etiam, ut ad fidem propositam attendentes « *iuxta analogiam fidei* », uti antiquiores loqui solebant, Scripturas interpretemur[11]. Id diserte iam postulat *S. Augustinus;* namque in omnia procul dubio canon ille valet, quem proxime ad lectionis interpunctionisque ambiguitatem tollendam statuit, quando interpretem iubet « *consulere regulam fidei,* quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit » [12]. Ac profecto quum idem Deus, qui auctor est librorum sacrorum, doctrinae quoque in Ecclesia depositae sit auctor, fieri non potest, ut ex illis sensus, qui ab hac dissentiat, legitima interpretatione eruatur. Quemadmodum igitur omnis explicatio ceu erronea est repudianda, quae auctores inspiratos inter se pugnare insinuat, ita etiam illa explicatio errori interpretis attribuenda ac proinde a limine reiicienda est, quae doctrinae ecclesiasticae adversatur. Altera vero ex parte sicut clariora Scripturae testimonia obscurioribus, quae de eadem re agunt vel eam leviter tantum tangunt, illustrandis, accuratius intelligendis, plenius enarrandis inserviunt, ita etiam clara Ecclesiae doctrina luce sua divinum verbum scriptum illustrat ac saepissime omnem dubitationem ac haesitationem ex interpretis animo expellit.

b.) Secundo in loco requiritur, ut animo semper paratissimo simus ad amplectendam et defendendam illam explicationem, quam S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, nobis proposuerit. Quod si *S. Augustinus* multo plura in S. Scripturis se nescire quam scire ingenue fassus est[13], quis est interpres, qui omnia se intelligere gloriari audeat, immo qui, si verum dicere velit, fateri non cogatur, se sex-

centies iam errasse et explicationes antea propositas re melius perspecta mutavisse? Gratias igitur agamus Deo, quod in Ecclesiae infallibili magisterio nobis ducem dederit, qui ad genuinum Scripturarum sensum percipiendum nos instituet, et custodem vigilem, qui a vero tramite aberrantes revocabit.

11. Antiquiores quoque protestantes, etsi infallibilitatem Ecclesiae negarent, « analogiam fidei » pro supremo principio in explicandis Scripturis habuerunt : « illam dumtaxat Scripturarum interpretationem, inquiunt in Conf. Helv. II. 2 (*Niemeyer* Coll. Confess. p. 469) pro orthodoxa recipimus, quae ex ipsis Scripturis est petita, *cum regula fidei et caritatis congruit* et ad gloriam Dei hominumque salutem eximie facit ». Et in Scot. I. 18 (Niem. 351) : « nullam interpretationem admittere audemus, quae *alicui principali articulo fidei* aut alicui plano textui Scripturae aut caritatis regulae repugnat » etc.

12. *S. Aug.* de doctr. christ. III. 2, 2 (M. 34, 65).

13. *S. August.* ad Ianuar. ep. 55, 21 (M. 33. 222).

SECTIO ALTERA.

CONSPECTUS HISTORIAE EXEGESEOS.

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE IUDAEORUM.

§ 7. — *Antiquorum Iudaeorum systemata hermeneutica.* (*Thalmudistae, Karaitae, Alexandrini, Kabbalistae.*)

224. — Antiquissima, quae de Iudaeorum interpretatione ad nos pervenerunt, testimonia nullum relinquunt dubitationi locum, omnes duplicem in Veteris Testamenti libris sensum agnovisse, literalem et typicum sive mysticum vel spiritualem. *Ps. Aristeas* iam in suo de versione alexandrina libello Eleazaro, summo pontifici ierosolymitano, allegoricas quasdam explicationes de animalibus mundis immundisque attribuit[1]. Num revera Eleazaro debeantur necne explicationes illae, minime quidem constat; illud vero ex iis non immerito colligimus, eo tempore, quo libellus conscriptus est, i. e. saec. 2. a. Chr., praeter literalem etiam alterum agnitum esse. Eadem quoque aetate *Aristobulus,* Iudaeus philosophus et Ptolemaei Philometoris magister, allegoricas quasdam tradidit Legis explicationes[2]. Tempore demum Domini N. palaestinenses et alexandrinos in eadem persuasione fuisse, duplicem sc. sensum Scripturarum esse admittendum, non tantum nos docet *Fl. Iosephus,* qui Moysen « nonnulla quidem scite innuisse, alia autem allegorice cum dignitate expressisse, quaecumque vero directe proponere utile erat, illa plane et diserte explicasse » refert[3], sed perspicue praesertim elucet ex S. Matthaei Evangelio et ex epistola ad Hebraeos, quae frequenter ex sensu typico argumenta deducunt. Iam vero S. Matthaeum librum suum conscripsisse, ut palaestinensibus Iesum esse Messiam in Lege promissum ostenderet, tota retro antiquitas unanimi consensu testatur; atque etiam epistola ad Hebr. Christianis

ex Iudaeis conversis destinata est : quomodo autem sacri scriptores argumenta ex typico sensu deducta adhibere potuissent, nisi eorum lectores praeter literalem sensum etiam typos typicumque sensum admisissent? Quaenam praeterea ante adventum Domini praecepta hermeneutica observata sint, ignoramus, quum praeter Aristobuli fragmenta[4] opera exegetica illius aetatis ad nos non pervenerint : quare in brevi hoc conspectu illa sola systemata hermeneutica indicabimus, quae apud Iudaeos inde a Christi tempore in usu fuerint.

1. *Ps. Aristeae* hist. LXX. interpretum ed. *Hody* p. XVI. sqq.; *Euseb.* Praep. Evang. VIII. 9 (M. 21, 625 sqq.).

2. *Euseb.* Hist. Eccl. VII. 32; Praep. Evang. VIII. 10 (M. 20, 728; 21, 636 sqq.).

3. *Fl. Ioseph* Antiqu. Iud. Prooem. 4.

4. Fragmenta Βίβλων ἐξηγητικῶν τοῦ Μωύσεως νόμου, quae *Aristobulus* Philometori inscripserat, nobis conservata sunt ab *Eusebio* (Praep. Evang. VII. 14; VIII. 10; IX. 6; XIII. 12. M. 21, 548. 636 sqq. 693. 1097) et *Clemente Alex.* (Strom. I. 22. VI. 3. M. 8, 893; 9, 249).

225. — *Fl. Iosephus* pharisaeos « accuratiorem Scripturarum intelligentiam » sectatos esse refert[1], neque a vero aberrare nobis videmur, si eorum interpretandi rationem eandem fere fuisse dicimus, quam eorum successores THALMUDISTAS observasse constat. Ex illis enim, quae de pharisaeorum placitis nobis tradunt Evangelia, elucet illos omnia e verbis Legis deducere voluisse illumque in finem miris modis literam Legis contorsisse[2]. Iam vero thalmudistarum quoque studium eo tendebat, ut quid singulis in casibus facto opus esset directe ex Lege deducerent consuetudinesque, quae temporis decursu invaluerant, ex Lege ipsa derivarent. Quum vero unicus sensus literalis ad hunc scopum attingendum non sufficeret, praeter sensum typicum proprie dictum, quem nunquam respuerunt, multiplices sensus admittere coacti sunt, atque aliqui eo usque progressi sunt, ut singulos Legis versus undequinquaginta aut septuaginta aut sexcenta millia legitimarum interpretationum admittere contenderent[3].

Varias in species suos sensus distribuerunt, atque primo quidem proprium et derivatum distinxerunt[4]. *Proprius*, qui verbis ita clare enunciatur, ut ipsis auditis statim innotescat (unde מַשְׁמָע i. e. auditus appellatur) est vel *literalis* (פְּשָׁט simplex) vel *translatus* (סוֹד arcanus). *Derivatus*, qui ex verbis (vel potius : in verba) infertur (quare דְּרָשָׁה *quaesitus* appellatur), aut logica conclusione colligitur (דְּרוּשׁ), aut arbitrario modo, contextu neglecto, vel ex una alterave voce per se solam spectata, vel ex vocis scriptione plena vel defectiva, vel ex aliis eiusmodi quisquiliis desumitur; quia verbis tantum innuitur, רֶמֶז, (a rad. רָמַז *innuit*) appellari solet. Quatuor hae sensus species (*Peschat*, *Remes*, *Derusch*, *Sod*) nomine memoriali פַּרְדֵּס (paradisus) designantur, quia per eas in Scripturarum horto aliquis libere deambulare potest[5].

Communi nomine Scripturarum interpretatio thalmudistarum vocatur מִדְרָשׁ (*inquisitio*); est autem vel authentica vel privata. Prior, *Halacha* vel *Schemata* nuncupata [6], ex rabbinorum opinione Legis scriptae explicationem et completionem illam continet, quam a Deo ipso in monte Sinai Moysi datam per Iosue, seniores, prophetas, synagogae magnae viros orali traditione ad se usque pervenisse gloriantur. Ideo etiam halachicam interpretationem impugnare nemini licet; caeca potius fide admittenda et secundum eam incedendum et vivendum est. Altera interpretationis species, quae *Haggada* nuncupatur [7], complectitur quidquid antiqui interpretes iudaici sive ex grammatica, sive ex archaeologia et historia, sive ex maiorum traditionibus non halachicis, sive ex fabulosis narrationibus ad Scripturam explicandam privato studio contulerunt. Halachica interpretatio, quae praecepta legalia maxime spectat, quum omnino arbitraria sit, interpreti nullius prorsus pretii est; haggadicae quoque longe maior pars inutilis et satis frequenter ridicula est; minor tamen pars rariorum vocabulorum phrasiumque interpretationes non spernendas et archaeologicas vel traditionales textuum difficiliorum illustrationes interdum exhibet [8].

1. *Fl. Ioseph.* Bell. Iud. II. 8, 14 : Φαρισαῖοι οἱ δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα.

2. *Matth.* 23, 16 sqq.; *Marc.* 7, 11 sqq. etc.

3. *Eisenmenger* (Entdecktes Iudenthum I. 9. Koenigsberg 1711 I. p. 453-457) thalmudicos et rabbinicos affert textus, quibus hic sensuum numerus asseritur.

4. Cfr *Welte* Geist und Werth der altrabbinischen Schriftauslegung. (Tüb. Quartalschr. 1842 p. 19-58); *Pressel* Rabbinismus in Herzog P. R. E. Ed. 1. XII etc.

5. Cfr *Wahner* Antiquitates Ebraeorum 1743, I. 353 sqq.; R. *Wilh. Bacher* Die jüd. Bibelexegese vom Anfang des 10. bis zum Ende des 15. Jahrh. Trier 1892, qui procul dubio in eo errat, quod quadruplicem hunc sensum a Christianis ad Iudaeos transisse putat (p. 84); neque enim quatuor sensus a Christianis admissi (*supra* 194) quidquam cum quatuor sensibus thalmudistarum habent commune et quadruplex illa interpretatio iam in tr. Chagiga 14. b. commemorari dicitur.

6. הֲלָכָה (הָלַךְ incessit) traditio, secundum quam incedendum est (*Buxtorf* Lexic. chald. et thal. s. v.). שְׁמַעְתָּה auditio vel audita « vocatur explicatio, quam a maioribus suis rabbini acceperunt et tandem in doctrinale suum thalmudicum retulerunt » (*Buxt.* Lex. chald. s. v.).

7. הַגָּדָה (נָגַד narravit) vel thalm. אַגָּדָא narratio est « discursus historicus aut theologicus de aliquo Scripturae loco iucundus animum lectoris attrahens » (*Buxt.* Lex. chald. s. v.). « Die Gesetzvorschriften bildeten die *Halacha*, die freien Auslegungen die *Haggada*; die Halacha als Richtschnur für die Praxis musste *gehoert* d. h. recipirt sein; darum wird sie auch als *Schematha* der Haggada, die bloss als etwas *Gesagtes* gilt, gegenübergestellt » (*Zunz* Gottesdienstl. Vortr. der Iuden p. 42. cfr p. 57 sq., 234 sqq.).

8. Operae pretium non est regulas thalmudistarum hermeneuticas (מִדּוֹת) recensere, quas septem *R. Hillel*, tredecim *R. Ismael*, triginta duas *R. Eliezer ben Iose* statuisse dicuntur; cfr *Strack* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XVIII p. 355 sq., *Ed. König* Einl. (1893) p. 513 sq. etc. — Haggadicas Thalmudis partes germanice transtulit *Wünsche*

(Der babyl. Thalmud in seinen haggad. Bestandtheilen. Leipzig 1886-1889); fusissime de Aggadis tractat rabbinus *W. Bacher* Die Agada der Tannaiten (i. e. doctorum mischnaicorum) 2 voll. 1884. 1890; Die Agada der palaestin. Amoräer (doctorum gemaristarum) 1891; Die Agada der babylon. Amoräer 1878; cfr *König* l. c.

Commentarii, qui hunc expositionis modum praesertim tenent, a fine saec. 2. usque ad 10. exorti sunt; *Midraschim* vulgo appellantur. Praecipui, qui interpreti inservire interdum possunt, hi fere sunt :

Mechiltha i. e. « ius et consuetudo » Iudaeorum [9], seu commentarius in *Exod.* 12,1-23,20; 31, 12. 17; 35,1-4, totus est in illustrandis Hebraeorum ritibus legibusque ceremonialibus. Nec de tempore, quo scriptus est, nec de eius auctore vel auctoribus constat; alii illum saec. 2. vel 3., alii non nisi post terminatam Gemaram scriptum censent [10].

Sifra et *Sifri* (סִפְרָא et סִפְרִי) i. e. liber et libri κατ' ἐξοχήν vocantur duo commentarii, quorum prior in Leviticum praesertim « Legem sacerdotum », alter duos postremos Pentateuchi libros halachice et haggadice exponunt; antiquitate priorem Thalmudis partem aequare dicuntur [11].

Rabboth (רַבּוֹת) i. e. magnae expositiones in Pentateuchum et in quinque Megilloth, nomen suum inde hauserunt, quod diversas explicationes, quae antiquioribus rabbinis attribuuntur, collectas exhibeant; singulae a librorum, quos illustrant, prima voce more Iudaeorum appellantur : unde Bereschith Rabba est interpretatio Geneseos, Veelle Schemoth Rabba interpretatio Exodi etc. Collectae non sunt nisi post completum Thalmudem; de earum charactere haec tradit *Morinus* : « modus interpretandi, quem affectant, est allegorius et anagogicus, aliquando moralis, vix unquam literalis; si quando literalis, tum saepe fabellarum monstra et portenta enarrat, ad quae Scripturae verba vult referri. Universim vere tota narratio et sermocinatio fabellis et dictis de rabbinis suis et eorum gestis velut luminibus et margaritis amplificatur et ornatur » [12]. Quamvis magna igitur apud suos potiantur auctoritate, a catholico interprete negligi sine ullo damno possunt; eatenus tantum interdum ei inserviunt, quatenus antiquioris synagogae traditionalem vaticiniorum quorundam explicationem conservarunt aut rariora quaedam vocabula quoquo modo explicant. Quare etiam, ne sine ulla utilitate longi simus, reliquarum Scripturarum Midraschim enumerare supersedemus [13].

9. מְכִילְתָּא (a כּוּל metiri, mensurare) proprie est mensura, et translate i. q. mos, consuetudo, ritus.

10. De Mechiltha cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 9, 1; *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 1349 sqq.; *I. B. de Rossi* Dizionario storico degli autori ebrei. Parma 1802. II. p. 44. Saepius editus est commentarius hic; princeps editio Constantinopoli 1515; una cum versione latina exstat in *Ugolini* Thes. antiquit. sacr. XIV. 2-586.

11. Cfr *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 1387 sqq.; *I. B. de Rossi* Dizion. stor. II. 127 sqq. Princeps utriusque tractatus editio Venetiae 1545; habetur cum versione in *Ugolini* Thesauro antiquit. XIV. 586-1630 et XV. 2-969. Qui ibi adiungitur tractatus *Pesikta minor,* compilatio quaedam est variorum Midraschim ex Sifra et Sifri (cfr *Wolf* l. c. I. 391).

12. *Morin.* Exercit. bibl. II. 92; cfr *Wolf* l. c. II. 1423 sqq.; *I. B. de Rossi* l. c. II. 100. Editio princeps Constantinopoli 1512. Latine Rabboth in Pentat. vertit *Conr. Pellicanus.*

13. Cfr *Herzog* P. R. E. Ed. 2. IX. p. 748-761; plerique Medraschim germanice translati sunt in *Bibliotheca rabbinica* Sammlung alter Midraschim v. *Dr. A. Wünsche.* Leipzig 1879-84.

Uti in aliis ita in hermeneutica quoque et exegesi a Thalmudistis dissentiunt KARAITAE, quae iudaica secta saec. 7. vel 8. exorta eodem modo thalmudicae opposita est, quo pharisaeis olim sadducaei. Solam Scripturam admittunt, traditionibus quas maximi faciunt thalmudici prorsus reiectis. Quare authenticam quoque interpretandi rationem negant, et quum unicuique ius explicandae Scripturae attribuant, non immerito a protestanticis quibusdam auctoribus protestantes iudaici appellantur[1]. Halachicas igitur explicationes prorsus ignorant, in haggadis afferendis sobrii sunt. Sensum literalem praesertim sectantur, mysticum tamen non omnino respuunt; in literali autem investigando, thalmudistarum more reiecto, literis apicibusque non inhaerent, quare saepius metaphorice explicant, quae illi proprie intelligunt[2]. Commentatores eorum praecipuos, quum saeculo 10. sint iuniores, infra enumerabimus (229).

1. *Pressel* in Herzog P. R. E. Ed. 1. VII. p. 374.

2. Ex. gr. *Exod.* 13, 16 et *Deut.* 6, 8, quibus ex locis pharisaei thalmudistaeque phylacteria sua derivant, a karaitis pro monito habentur, ut semper Legis sint memores.

226. — Iudaeis ALEXANDRINIS praeplacuisse mysticam et allegoricam interpretandi rationem supra iam monuimus. *Aristobulus* enim integram Legem mosaicam allegorice explicavit, ut hac ratione Graecorum aversionem a Lege hac minueret. « Solet, inquit, Moyses legislator noster animi sensa multis modis exprimere, dum *aliarum rerum, quae sub sensus cadunt, vocabula et nomina mutuatus affectiones quasdam naturales magnarumque rerum molitiones commemorat.* Et illi quidem, quorum acrior intelligendi vis est, tum sapientiam hominis singularem tum divinum illum spiritum, cuius afflatu prophetae nomen et famam assecutus est, magnopere admirantur; at quibus facultas ingenii angustior est, illi, dum ad unum Scripturae corticem adhaerescunt, nihil augusti admodum et excellentis ab eo narrari arbitrantur. Singulorum ergo significationem aperire aggredior » etc.[1].

Eandem allegoricam interpretationem excoluerunt *Esseni;* teste enim Philone totam Legem compararunt animali, cuius corpus constituere sensus literales (τὰς ῥητὰς διατάξεις), animam autem sensum quendam invisibilem phrasibus involutum (τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν) dicant; quare rationalis anima in istis sensibus, sicut in speculo quodam, occultas et profundas ideas perspicere debeat[2].

Inter omnes tamen maxime *Philo* ipse sensum allegoricum sectatur[3]. Quamquam enim in plerisque Pentateuchi locis sensum literalem agnovit (τὴν ῥητὴν ἀπόδοσιν, τὴν ἐν φωναῖς ἀπόδειξιν), eum tamen in gratiam rudium

tantum, qui coelestem sapientiam capere nequeant, scriptum esse censet; sapientis autem esse in occultiorem sensum inquirere, qui typis exprimatur (τὴν δι' ὑπονοιῶν ἀπόδοσιν, τὴν διὰ τύπων ἀπόδειξιν, τὴν ἀλληγορίαν). Qua ratione Philoni personae Veteris Testamenti fiunt modi quidam animae (τρόποι ψυχῆς). « Modos enim animae eosque bonos omnes sacrae describunt literae... nam primus, nomine Abraham, significat (σύμβολόν ἐστιν) virtutem doctrina acquisitam, medius Isaac virtutem a natura productam, tertius Iacob virtutem usu ac meditatione paratam » etc. [4]. Ita Adam quoque est symbolum hominis inferioris, Kain egoismi, Noë iustitiae, Sara virtutis mulierum, Rebecca sapientiae etc.; atque res quoque in symbola convertuntur : Aegyptus est symbolum corporis, Canaan pietatis, turtur sapientiae divinae, columba sapientiae humanae etc. Omnia porro, quae de his personis et rebus in Scriptura dicuntur, eodem modo ad varios animi affectus applicantur. Sensum literalem interdum omnino reiicit, praesertim illis in locis, in quibus antropomorphismi occurrunt; in legibus tamen explicandis eum accuratius retinet; postquam enim literalem sensum corpori, allegoricum animae assimilavit, « sicut corpus curamus, inquit, tamquam animae domicilium, sic leges quoque quoad literam curemus oportet » (οὕτω καὶ τῶν ῥητῶν νόμων ἐπιμελητέον) [5]. Opera Philonis, quamvis fere omnia ad exegesin pertineant, quum de pentateuchica historia et legislatione agant, interpreti parum sunt utilia, quia res Scripturis contentae ei non sunt nisi theosophicarum theoriarum argumenta; ideo etiam ea hoc loco non enumerabimus [6].

1. *Euseb.* Praep. Evang. VIII. 10. (M. 21, 636). De Aristobuli interpretatione cfr *L. C. Valkenaer* Diatribe de Aristobulo Iudaeo. Lugdun. Batav. 1806; *Gfroerer* Philo und die alexandrin. Theosophie. Stuttgart 1831 II. p. 71 sqq.; *Haneberg* Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 4. Ragensb. 1876 p. 495 sq.

2. *Philo* de vita contemplat. 10; cfr ibid. 3. (Ed. Lips. V. 320. 307). De Essenorum interpretatione cfr *Gfroerer* Philo u. die alex. Theos. II. 292 sqq.; *Haneberg* l. c. p. 557 sqq.

3. Cfr *Gfroerer* Philo u. die alex. Theos. I. 6 p. 69-113; *Haneberg* l. c. p. 495.

4. *Philo* de Abrahamo II. Ed. Lips. IV. 15.

5. *Philo* de migratione Abrahae 16. Ed. Lips. II. 312.

6. Operum Philonis editionem praecipuam curavit *T. Mangey* Gr. lat. (London 1742 2 vol. fol.). Priorem huius editionis volumen repetiit collatis aliquot codicibus *A. F. Pfeiffer* (Erlangae 1785 5 vol.). Completam omnium operum editionem, illis tractatibus, quos Ang. Maius et Aucherius repererunt, auctam curavit *C. F. Richter* (Lipsiae 1828-30. 8 voll.).

227. — Philonem in respuendo sensu literali longe superaverunt KABBALISTAE. Cuius sectae, quae nomen suum inde traxit, quod secretam quandam doctrinam Moysi in monte Sinai revelatam traditione accepisse (קִבֵּל) gloriabatur historiam doctrinasque explanare non est huius loci [1]; artificia sola, quibus omni omnino sensu literali reiecto doctrinas suas occultas ex Scripturis eruere conantur, indicabimus, quia ad nonnullas aliorum interpretationes intelligendas usui sunt. Tria illis sufficiunt, ut quid-

quid volunt, praeter halachas scilicet haggadasque thalmudistarum, quas admittunt, arcanas quoque suas doctrinas, in libris sacris sine ulla difficultate inveniant. Primum vocatur *gematria* (γεωμετρία), quia singulorum vocabulorum literas ceu numerorum signa considerat atque ex his numeris dein variis modis doctrinas colligit [2]; alterum, *notaricon* (nota i. e. abbreviatio) appellatum, aut singulas vocabuli literas pro notis integrarum vocum accipiens ex uno vocabulo integram sententiam componit, aut ex literis initialibus vocum integrae sententiae novum vocabulum effo rmat [3]; tertium, *themura* (מור permutare) sive literarum permutatio, duplicis est generis, aut naturalis, si eiusdem vocabuli literae inter se locum mutant, ut ita novum vocabulum efformetur, aut artificialis, si secundum certas regulas literis scriptis aliae substituuntur. Ad quam substitutionem rite faciendam duas excogitarunt regulas; prior, *athbasch* (אתב״ש) appellata, primae literae Aleph ultimam Thav, secundae Beth paenultimam Schin etc. substituendas docet, altera vero, *albam* (אלב״ם) nuncupata, primae literae Aleph substituit duodecimam Lamed, secundae Beth tertiam decimam Mem, tertiae Gimel quartam decimam Nun et sic porro [4]. Non mirum, quod hac ratione novi et miri sensus e Scriptura eruantur vel potius in eam ingerantur.

1. Cfr de kabbalae historia, doctrinis, artificiis *Du Voisin* in Raym. Martin. Pugio. fidei. ed. Carpzov. p. 71 sqq.; *Morin.* Exercit. bibl. II. 9, 4; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 374; *Wolf* Bibl. hebr. II. 1191 sqq. etc. Ex modernis protestantibus cfr *Reuss* in Herzog P. R. E. Ed. 2. VII. 375 aliaque opera ibi indicata.

2. *Gematriae* exempla haec habeto : primus et ultimus Veteris Testamenti (hebraici) versus (*Gen.* 1, 1 et 2 *Par.* 36, 23) continent sena Aleph; ergo mundus durabit sex millia annorum. Duo priora Geneseos vocabula (בראשית ברא), si valorem numeralem singularum literarum attendis, efficiunt numerum 1116; idem numerus efficitur literis vocabulorum בְּרֹאשׁ הַשָּׁנָה נִבְרָא (« in principio anni creatus est »); ergo mundus creatus est tempore aequinoctii auctumnalis, quo annum suum civilem incipiunt Iudaei.

3. Exempli gratia : prima vox Geneseos בראשית hanc phrasin format : ב = בָּרָא *creavit*, ר = רָקִיעַ *firmamentum*, א = אֶרֶץ *terram*, שׁ = שָׁמַיִם *coelos*, י = יָם *mare*, ת = תְּהוֹם *abyssum*; christiani quidam kabbalistae eadem in voce inveniunt mysterium SS. Trinitatis : ב = בֵּן *Filius*, ר = רוּחַ *Spiritus*, א = אָב *Pater*, שׁ = שְׁלֹשָׁה *tres*, י = יְחִידָה *unitas*, ת = תַּמָּה *perfecta*. Secundum alterum notarici modum interroganti verbis *Deut.* 30, 12 מִי יַעֲלֶה־לָּנוּ הַשָּׁמַיְמָה « quis adducet nos ad coelum? » respondent literae initiales מִילָה i. e. *circumcisio*.

4. Secundum Themuram naturalem vox מַלְאָכִי (*Exod.* 23, 23 « *angelus meus* praecedet te » etc.) simul angeli huius nomen indicat מִיכָאֵל *Michael*. Themurae artificialis applicationes quaedam in ipsum textum massorethicum videntur irrepsisse. *Ierem.* 25, 26 et 51, 41 occurrit מֶלֶךְ שֵׁשַׁךְ « rex Sesach »; quum terra Sesach prorsus incognita sit, S. Hieronymus iam monuit pro Sesach legendum esse Babel : « quomodo autem Babylon, quae hebraice dicitur Babel, intelligatur Sesach, non magnopere laborabit, qui hebraeae linguae parvam saltem habuerit scientiam. Sicut apud nos graecum alphabetum usque ad novissimam literam

per ordinem legitur, hoc est Alpha, Betha et cetera usque ad Omega, rursumque propter memoriam parvulorum solemus lectionis ordinem invertere et primis extrema miscere, ut dicamus Alpha, Omega, Betha, Psi : sic et apud Hebraeos primum est Aleph, secundum Beth, tertium Gimel usque ad vigesimam secundam et extremam literam Thav, cui penultima est Sin. Legimus itaque Aleph Thau, Beth Sin אתבש. Quumque venerimus ad medium Lamed occurrit Chaph; et ut si recte legamus, legimus Babel בבל, ita ordine commutato legimus שֵׁשַׁךְ Sesach » (in Ierem. 25, 26. M. 24, 838). S. Hieronymus quidem putat Ieremiam prudenter verum nomen celasse; at dubitari potest, annon integra sententia (« et rex Sesach bibet post eos »), quae in alexandrina deest, sit interpolatio rabbinica; *Ier.* 51, 1 legunt Massorethae אֶל יֹשְׁבֵי לֵב קָמָי « super eos, qui habitant cor adversariorum meorum », pro quo Alexandrini habent ἐπὶ τοὺς κατοικοῦντας Χαλδαίους; legerunt ergo כַּשְׂדִּים, quae vox ex lege athbasch permutata est in לֵב קָמָי (cfr *Knabenbauer* Comm. in Ierem. 1889 p. 321 sqq. 576.

Quae artificia haud dubie antiqua sunt, quum etiam antiquos gnosticos arcanas suas doctrinas ex literarum numerorumque mysteriis derivasse tradant *S. Irenaeus* et auctor *Philosophumenon* [5]. Inde vero non sequitur, etiam kabbalistarum commentarios tam antiquos esse, quam ab artis kabbalisticae amatoribus dicuntur; quoniam interpreti quoque nullius sunt utilitatis, vix opus est, ut eos hoc loco enumeremus [6]; at ne quid deesse videatur, praecipuos saltem nominamus.

Primum locum apud kabbalistas occupat liber *Sohar* (סֵפֶר הַזֹּהַר liber splendoris), quem ineunte saec. 2. a R. Simeon Ben Iochai, R. Akibae discipulo, duodecim annorum spatio compositum esse asserunt; at alii illum vix ante saec. 13. scriptum putant, quia ante eam aetatem a nullo unquam sit nominatus vel commemoratus, eiusque auctor textum massorethicum punctis instructum prae oculis habuerit. Pentateuchum explicare vult, at sacer textus auctori non est nisi occasio exponendae doctrinae kabbalisticae de Deo eiusque decem attributis, de Messia, angelis bonis et malis, hominis origine, natura, statibus etc. « Commentarius Zohar, inquit *Morinus*, ceteris Midraschim longe dissimilis est. Hi enim omnes textum Scripturae allegorice, anagogice et moraliter interpretantur, i. e. ad synagogam vel praesentem vel antiquam vel sub Messia futuram, textus sacri verba detorquent et nonnunquam ex ista interpretatione morales admonitiones eliciunt; deinde haec omnia passim fabulosis historiolis et portentosis miraculis velut praeclaris margaritis et unionibus exornant. At Zohar iste longe aliud interpretationis iter insistit. Non modo enim verba sed literas textus varie copulat, nova alphabeta componit, finem principio, principium fine, utrumque medio permutat, καὶ πάντα ἀναστρέφει πάλιν et ex ista multiformi copulatione cum variis Scripturae testimoniis composita innumeros sensus, quos vocant סִתְרֵי תוֹרָה (arcana Legis), eruit. Figuras insuper et apices non modo literarum sed et punctorum superne et inferne pensitat, atque ex ista pensitatione sensus Adonidis hortis ἀκαρπωτέρους decerpit. Deinde haec omnia cum decem attributis Dei, quae Sephiroth vocare solent,

adiutus potissimum philosophia platonica atque etiam peripatetica, varie comparat... Praeterea dictionum gematrias seu arithmeticum numerum, earum plenitudinem seu defectum diligenter scrutatur, et ex iis mysticos et philosophicos sensus elicit. Multa alia eiusmodi inanissima et ὑπηνέμια operose rimatur, de quibus merito dici possit id quod alia in causa dicunt thalmudistae : Ista sunt כמצולה שאין בה דגים i. e. velut profundus lacus, in quo non sunt pisces[7]. »

Eiusdem generis sunt libri *Bahir* (בָּהִיר splendidus), quem ante templi destructionem scriptum iactant, et *Iezira* (ס'יְצִירָה i. e. liber creationis), qui ipsi Abrahamo auctori attribuitur aut saltem R. Akibae, qui exeunte saec. 1. christiano vixit[8] ; sed his immorari non vacat.

5. *S. Iren.* c. haer. I. 14, 2 sqq. (M. 7, 597); *Philosoph.* VI. 43 sqq. (M. 16. 2363); cfr etiam ea, quae *S. Iren.* (c. haer. II. 25. M. 7, 798) contra eos disputat, qui ex numeris mysteria derivant.

6. Cfr *Zunz* Gottesdienstl. Vorträge der Iuden p. 403 sq.

7. *Morin.* Exercit. bibl. II. 9, 4; cfr *Wolf* Bibl. hebr. I. 1134 sqq.; *I. B. de Rossi* Dizion. II. p. 130 sq. Editiones enumerant Wolf et de Rossi ll. cc.

8. Cfr *Morin.* Exercit. bibl. II. 9, 7. 8. De libro Iezirae aliorum auctorum iudicia collecta habes a *Fabric.* Libri apocryphi V. T. I. p. 381-390. Editiones indicant *Wolf* Bibl. I. 25; *de Rossi* Dizion. I. 169.

§ 8. — *Praecipui Iudaeorum interpretes iuniores.*

228. — Ab undecimo saeculo nova inter Iudaeos exorta est interpretum schola, qui arbitraria antiquorum rabbinorum explicandi ratione anilibusque fabellis, quibus scatent Midraschim, reiectis sensum literalem sanioribus hermeneuticae regulis e sacro textu eruere coeperunt. Non est quidem dubitandum, quin interpretes illi omnes, quum Iesum esse Messiam in Lege et Prophetis promissum agnoscere nollent, ad plenam suorum librorum intelligentiam pervenire non potuerint, ac certum quoque est, illos haud raro turpius, quam antiquiores rabbini, in explicandis vaticiniis messianicis a veritatis tramite aberrasse : verumtamen accuratiore in linguae hebraicae leges vocumque hebraicarum significationes investigatione atque usu traditionum antiquarum moderatiore ad profectum studii scripturistici pro virili parte contulerunt. Quare, quum hodie quoque eorum commentarii interpreti utiles sint, praecipuos indicabimus, atque primo quidem loco illos, qui, quia thalmudisticas traditiones recipiunt, thalmudistae vel rabbanitae vocantur, secundo autem karaitas, kabbalistas, samaritanos[1].

1. Accuratiora, quam quae nos hoc loco tradere possumus, inveniuntur in *Iul. Bartolocci* Bibliotheca rabbinica de Scriptoribus et Scriptis hebr. et thalm., et *Ios. Imbonati* Biblioth. latino-hebr. (Romae 1675-93 5 vol. fol.); *Wolf* Biblioth. hebr.; *De Rossi* Dizionario storico etc.; I. *Fuerst*, Bibliotheca iudaica. Lipsiae 1842; *W. Bacher* Die jüdische Bibelexegese vom Anfang des 10. bis zum Ende des 15. Jahrh. Trier 1892. etc.

1). Inter THALMUDICOS maioris auctoritatis censentur quinque :

a). *R. Salomon Iizchaki*, i. e. Isaaci filius, plerumque *Iarchi* vel *Raschi* (ר « שׁי) appellatus. Trecis in Campania c. a. 1040 natus ibique a. 1105 vita functus magna inter suos auctoritate potitur propter suos in omnes Scripturae libros et in Thalmudem commentarios. In Scripturis interpretandis literalem sensum diligenter investigat, at simul antiquorum interpretum allegoricas expositiones affert; in Christianos satis frequenter invehitur, et ut facilius illos impugnet, in vaticiniis messianicis explicandis non semel ab antiquorum Iudaeorum traditione recedit. « Stilus eius, inquit *Wolf*, admodum obscurus est tum ob concisam scribendi rationem, tum ob voces exoticas adhibitas; indulget etiam fabulis, quas Iudaei aliunde ignorant, adeoque diversis modis exponunt, unde et occasio nata est tot expositionibus in eius commentarios biblicos exaratis » [2]. Quanti vero a suis aestimetur, abunde ex eo elucet, quod primus liber hebraicus, qui typis impressus in lucem prodiit, Raschi commentarius in Pentateuchum fuit.

b). *R. Abraham ben Meir ben Ezra*, vulgo *Abenesra*, a mediae aetatis theologis Ebenare appellatus, Toleti in Hispania c. a. 1093 natus et in insula Rhodo a. 1168 mortuus est. Praeter alia non pauca opera theologica, philosophica, grammatica etiam in omnes libros sacros commentarios scripsit, qui a christianis nonnullis interpretibus non parvi aestimantur. Nullum interpretem iudaicum accuratius magisque literaliter, quam Abenesra, Scripturas explicasse asserit *Rich. Simon* eumque, quamvis in genere traditiones antiquorum commendet, nugas tamen innumerasque eorum fabulas reiecisse [3]. In sua in Pentateuchum praefatione diversis Iudaeorum systematis diudicatis illud praefert, quod significatione singulorum vocabulorum stabilita quam accuratissime sensum literalem investigat, quin scrupulose retineat lectiones massorethicas [4].

c). *R. Moyses ben Maimon*, vulgo *Maimonides*, interdum *Rambam* (ר«מבם) appellatus tanti apud suos aestimatur, ut ad *Deut.* 34,10 alludentes de eo dicere soleant, « a Moyse usque ad Moysen non apparuisse similem Moysen ». Cordubae in Hispania a. 1139 natus, ut muhammetanicae persecutioni sese subtraheret, iuvenis muhammetanismum professus est, sed ex Hispania in Aegyptum aufugiens patrum ritus iterum assumsit : nihilominus ab imperatore Saladino, cuius medicus erat, magnis honoribus cumulatus est; supremum diem obiit in Aegypto a. 1208. Commentarios quidem in Scripturae libros non edidit, interpretibus autem adnumerandus est propter multos Scripturae locos in operibus aliis explicatos, praesertim in famosissimo libro inscripto מוֹרֶה הַנְּבוֹכִים (doctor nutantium, vel perplexorum). Quod opus arabice compositum atque mox ipso approbante hebraice translatum eum prosequitur finem, ut doceat, quomodo Scripturarum tropi, rariores loquendi modi, praesertim vero anthropomorphismi adeo frequentes interpretandi sint [5].

d). R. *David Kimchi*, interdum *Radak* (ר«דק) appellatus, Narbonae in Gallia a. 1170 natus et a. 1240 mortuus, patrem suum *Ioseph Kimchi* et fratrem *Moysen*, qui uterque doctrina grammatica et exegetica inter Iudaeos

nomen famamque sibi comparaverunt, longe superavit. « Inter omnes grammaticos et interpretes Iudaeorum, inquit *de Rossi*, non est alius, quem viri docti iudaici et christiani maiore in admiratione habuerint magisque secuti sint. Cum accurata suae linguae scientia magnam coniunxit eruditionem, optimamque tenuit methodum; ideas suas clare expressit, acute omnia diiudicavit, sensui literali fidelis inhaesit; stylo utitur non minus puro et eleganti, quam facili et energico; unde est, quod sui eum in lexicis, versionibus, commentariis adornandis pro exemplari habeant »[6]. Addamus tamen, eum odium suum in christianos occultasse quidem, sed in vaticiniis explicandis minime deposuisse. Pentateucho excepto omnes V. T. libros interpretatus est; explicationibus grammaticis maxime excellit, sed praeter literalem sensum etiam frequenter admittit rabbinicas interpretationes. Lexicon eius hebraicum (ס שׁרשׁים liber radicum) celebratissimum est; velut praecipuo fonte illo usi sunt omnes lexicographi, usque dum comparatione dialectorum affinium invalescente novam viam ad significationes vocum determinandas ingressi sint[7].

e). *R. Isaac Abarbanel* vel Abravanel, Ulyssipone in Lusitania a. 1437 natus, magna apud Alphonsum V. Lusitaniae et Ferdinandum II. Castellae reges auctoritate gavisus diem suum obiit Venetiis a. 1508. Pentateuchum, Prophetas priores et posteriores atque Danielem interpretatus est; commentariis autem inseruit longas diffusasque dissertationes de quaestionibus theologicis, quae magis minusve ad textum sacrum illustrandum conferunt, frequentissime christianam revelationem impugnant. Nimis ei favere *R. Simon* videtur, qui eum optimum et utilissimum inter rabbinicos interpretes esse contendit[8].

Ordinis secundi vel tertii non pauci sunt, quos omnes recensere nullius est utilitatis. Praeter *Ioseph* et *Moysen Kimchi,* quos iam nominavimus, frequentius adhiberi solent *R. Tanchum,* qui saec. 13. longiores commentarios in Prophetas priores et posteriores, breviora autem scholia in omnes libros sacros edidit, in quibus etiam quaestiones ad introductionem spectantes tractat, *R. Levi ben Gerson* (Ralbag vel Gersonides), qui saec. 14. universam Scripturam commentatus est, *R. Elias Levita,* qui exeunte saec. 15. floruit atque hoc loco praetermittendus non est praesertim ob opus inscriptum מַסּוֹרֶת הַמַּסּוֹרֶת (traditio traditionis), in quo historia criticae a Massorethis exercitae traditur eorumque symbola explicantur[9], *R. Salomon ben Melech,* qui saec. 16. ex celeberrimis iudaicis commentariis optima quaeque collegit etc.

2. Cfr *Wolf* l. c. I. 1057 sqq.; *De Rossi* l. c. I. 161 sqq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. I. 545; *Bacher* l. c. p. 38. Editio princeps commentarii eius in Pentateuchum prodiit Rhegii 1475 (*De Rossi* Annales hebraeo-typogr. saec. 15. p. 3). Integram commentariorum versionem latinam ed. *I. F. Breithaupt* (Gothae 1713-1716. 3 vol.); reliquas editiones vide ll. cc.; exempla quaedam explicationis eius germanice translata apud *Bacher* l. c. p. 42-45.

3. *R. Simon* l. c. p. 374; consentit *de Rossi* (l. c. I. 10) : « siccome il nostro autore commenda come la miglior maniera d'interpretare quella che s'attacca

a ricercare con esattezza la significazione propria de' termini ed a sviluppare più letteralmente che sia possible il sagro testo, questa stessa maniera è quella ch'egli ha seguito, ed i suoi commenti passano percio per molto letterali, giudiziosi e dotti, ma bene spesso un po'troppo precisi ed oscuri »; cfr *Bacher* l. c. p. 51-68, qui multa quoque exempla germanice translata exhibet.

4. Aliqui ex eius commentariis iam prodierunt Bononiae 1482 et Napoli 1488 (*De Rossi* Annal. p. 58), integri saepius impressi sunt; de eorum editionibus et latinis versionibus cfr *Wolf* l. c. I. p. 73.

5. De Maimonide cfr *Wolf* l. c. I. 834 sqq.; *de Rossi* l. c. II. 20 sqq.; *Bacher* l. c. p. 76 sqq. 89 etc. Latinam Doctoris perplexorum versionem edidit *Buxtorf* (Basil. 1629), criticam hebraici textus editionem una cum versione gallica curavit *S. Munk* (Paris 1856).

6. *De Rossi* l. c. I. 186.

7. Cfr *Wolf* l. c. I. 300, ubi etiam de commentariorum editionibus et versionibus; de Davide Kimchi eiusque patre et fratre cfr *Bacher* l. c. p. 68-76, ubi etiam interpretationis exempla quaedam; de meritis Davidis fratrisque relate ad grammaticam et lexicographiam hebr. cfr *Bacher* Die hebr. Sprachwissensch. vom 10. bis zum 16. Jahrh. Trier 1892 p. 76-83.

8. *R. Simon* l. c. p. 380. De commentariorum editionibus et versionibus cfr *de Rossi* l. c. I. 23 sqq.; *Wolf* I. 627 sqq.; *Bacher* Jüd. Bibelexeg. p. 95.

9. Opus hoc saepius impressum (Venetiae 1538 etc.), latine partim versum (Basileae 1539), integrum germanice a Semlero redditum (Halae 1772), magnam controversiam de punctorum vocalium antiquitate provocavit, quum eorum recentem originem adstrueret. Cfr *De Rossi* l. c. I. 104 sqq.; *Rich. Simon* (l. c. 539) de eo inter alia haec habet : « Il est le premier et presque le seul de tous les Juifs, qui se soit appliqué à la Massore ou à la critique du texte sacré... C'est celui de tous les Rabbins, qui a été le moins superstitieux et qui mérite le plus d'être lu »; cfr etiam de Elia Levita *Bacher* Hebr. Sprachwissensch p. 104 sqq.

2.) Inter KABBALISTICOS commentatores maximus habetur *R. Moyses Nachmanides* (Ramban). Natus Geronae in Hispania a. 1194 senex Ierosolyma profectus ibi vitam finivit c. a. 1280. Pentateuchum, libros Iob, Cant. Cant. aliosque commentatus est ita, ut multo magis antiquorum Midraschim sensus allegoricos referret suasque kabbalisticas doctrinas exponeret, quam sensum literalem investigaret; quare Iudaeis acceptiores quam Christianis utiliores commentarios eius non immerito censet R. Simon [10]. Minoris auctoritatis sunt *R. Moyses Cordubensis, R. Isaac Luria, R. Chaiim Vitalis*, qui saec. 16. in Palaestina vixerunt [11].

KARAITARUM celebriores interpretes sunt *R. Iacob ben Ruben*, qui saec. 12. brevibus suis in omnes libros scholiis nomen sibi fecit, *R. Aaron ben Ioseph* († 1294), cuius commentarios in Pentateuchum de Rossi vocat « egregios, accuratos, excellentes in omnibus, quae ad sensum grammaticalem et literalem spectant », et qui etiam Prophetas priores, Isaiam, Psalmos et Iob eodem modo interpretatus est, *R. Aaron ben Elia*, qui saec. 14. subtiliore et magis diffuso explicationis genere Pentateuchum illustravit [12].

Suos quoque interpretes habuerunt SAMARITANI, qui eandem interpretationis rationem, quam rabbanitae, sequi videntur, magis tamen haggadis

delectantur. Praecipui, qui allegari solent, sunt *Abul Barachat* (saec. 12.), *Sadaka ben Manga* († 1223), *Iussuf ben Chaleb* (saec. 13)[13].

10. *R. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 380; cfr *Wolf* l. c. I. 876; *de Rossi* l. c. 69; *Bacher* Jüd Bibelexeg. p. 82 specimen eius comm.

11. Opera eorum numerant *Wolf* l. c. I. 889 sqq., 671 sqq., 372 sq.; *de Rossi* l. c. I. 95. II. 14. II. 160 sqq.

12. *De Rossi* I. 134; 1; 3; *Wolf* l. c. I. 614; 119; 114.

13. *Jost* Geschichte des Judenthums und seiner Sekten I. p. 85 sqq.

229. — Rabbinicos commentarios, qui ceteris magis celebrantur, collectos habes in BIBLIIS RABBINICIS, quo nomine veniunt illae librorum sacrorum editiones, quae hebraico textui Massoram, Targumim variasque rabbinorum explicationes adiungunt. Septem vulgo enumerari solent, quorum tria prima, quae saec. 16. Venetiis ex officina bombergiana prodierunt, *bombergiana* appellantur; quarta quoque et quinta Venetiis impressa sunt, sed non sunt nisi repetitiones tertiae editionis bombergianae. Editionem sextam Basileae curavit *I. Buxtorf* saec. 17., atque septimam saec. 18. *Moyses Francofurtensis* Amstelodami in lucem emisit. Numero commentariorum receptorum inter se differunt; omnium ditissima est editio *amstelodamensis,* quippe quae viginti sex rabbinorum aut in omnes aut in aliquos libros commentarios integros continet. Omnium librorum commentarii R. Iarchi et R. Aben Esra insunt, R. Davidis Kimchi in omnes Prophetas priores et posteriores et in Paralip., R. Gersonidis in Pentateuchum, Proph. priores et aliqua Hagiographa, R. Nachmanidis in Iobum etc. Prima eiusmodi bibliorum idea debetur *P. Felici Pratensi.,* O. Aug., qui ipse Iudaeus conversus totam suam vitam contribulibus suis convertendis impendens, postquam per multos annos bombergianae officinae praefuit et prima Biblia rabbinica Leoni X. dedicavit, Romam avocatus ibi multos per annos Iudaeis hebraico sermone doctrinam christianam praedicavit et tandem fere centenarius a. 1539 laborum suorum praemium recepturus supremum suum diem obiit[14].

14. Prima editio bombergiana duobus voluminibus constans prodiit 1517, secunda et tertia quatuor voluminibus 1525 et 1548; quarta Venetiis 1568, quinta ibidem 1617. Buxtorfiana prodierunt Basileae 1618-1619, Amstelodamensia demum 1724. Accuratam harum editionum descriptionem cum omnium commentariorum receptorum enumeratione invenies apud *Wolf* Bibl. hebr. II. 336. 368. 372. 375; *de Rossi* l. c. p. 68-72; *Le Long-Masch* Bibl. sacr. I. p. 95-111. Textus christianis iniuriosi in editionibus illis omissi sunt; de qua omissione *Wolf* l. c. p. 367 : « Sixtinus Amama in antibarbaro biblico p. 725 auctor est, quum Bombergius in editione nescio qua locum quendam ad fidem correctissimorum codicum restituere voluisset, correctorem Iudaeum ei denunciari iussisse, procuraturum se apud suos, ne ullum exemplar illius editionis emerent ».

CAPUT IV.

DE INTERPRETATIONE CATHOLICORUM.

I. Interpretatio SS. Patrum.

§ 9. — *SS. Patrum varia systemata hermeneutica.*

230. — Si protestanticis nonnullis scriptoribus modernis fides esset habenda, rabbinica illa, quam supra descripsimus, interpretandi ratio primis temporibus in Ecclesia quoque invaluisset, atque adeo ab ipsis sacris N. T. scriptoribus esset adhibita. Dominum N. quidem ipsum in suis sermonibus nullam textus alicuius interpretationem tradidisse, quae rabbinico modo contorta sit aut historico sensui repugnet, concedere dignantur; at S. Pauli scripturistica argumenta iam rabbinicam scholam prodere rabbinicaeque eius educationis indicia esse censent, S. Matthaeum vero et epistolae ad Hebr. auctorem aperte rabbinicam hermeneuticam sequi; quare illam inspirationis theoriam, quae omnia Novi Testamenti dicta pro veris admittit, reiiciendam esse concludunt[1]. Quae aeque absurde atque impie dicta esse ut demonstremus, accurato examine omnium eorum textuum, qui ex Utroque Test. allegati sunt, nequaquam indigemus; omnis enim difficultas evanescet, si duplicem, quem explicavimus, sensum, literalem scilicet et typicum, in S. Scriptura adesse moderni illi rationalistae cum tota retro antiquitate christiana admiserint atque etiam consectaria, quae legitime ex Scripturae verbis deducuntur, cum eadem antiquitate ipsi Spiritui S. attribuerint. Haggadas autem rabbinicas, quas in N. T. invenire voluerunt, arbitraria sua interpretandi ratione in illud ipsi ingerunt.

Relicta igitur hac calumnia, quum quaenam fuerint Apostolorum hermeneutica principia ex illis, quae de sensibus Scripturae disputavimus, satis eluceat, ad Patrum interpretationem describendam transimus. Simplicem illam popularemque explicationis rationem, quam ex orali Apostolorum institutione et ex eorum libris hauserant, primi etiam Patres retinuerunt, in eo solo a magistris suis discrepantes, quod una cum antiquis Scripturis etiam, uti par erat, Apostolorum

scriptis ceu revelationis fonte usi sint. Contra Iudaeos enim Veteris Test. libris utuntur, utque illis persuadeant Messiam promissum iam advenisse Iesumque Nazarenum esse Messiam, multa vaticinia messianica explicant et Apostolos secuti typicas quoque interpretationes tradunt. Contra haereticos vero ad Apostolorum quoque opera provocant, ut quantopere adversarii a veritatis tramite aberrent, hoc verae fidei canone demonstrent[2]. Continuis quidem commentariis duorum priorum saeculorum Patres libros sacros non sunt interpretati; nihilominus eorum opera interpreti catholico sunt maximae utilitatis.

Praeter *Patres apostolicos*, inter quos *S. Barnabas* typicis et allegoricis explicationibus abundat[3], praesertim consulendi sunt *SS. Iustinus M.* († 167) et *Irenaeus* († 202). Prior enim « maxime in Lege mosaica et Prophetis eruditus divinarum Scripturarum scientia excelluit »[4] et optima hermeneuticae christianae principia secutus in suo contra Tryphonem Iudaeum dialogo multa vaticinia messianica, alia quidem literali, alia autem typico sensu, egregie exponit[5]. S. Irenaeus deinde ex omnibus fere V. et N. T. libris, ut haereticos confundat, argumenta sua desumsit; quum vero contra gnosticos literalem sensum maxime urgeret, accidit ut ipse aliquibus in textibus proprium inter et metaphoricum sensum non satis accurate discernens chiliasticis opinionibus faveret[6].

1. Ita praeter rationalistas proprie dictos etiam *Tholuck*, Das Alte Testament in Neuen. Gotha 1851 et *Diestel* Geschichte der A. T. in der christl. Kirche p. 6-14, qui haud paucas halachas et haggadas recenset : ex. gr. p. 12 : « so zeigt sich bei Paulus die *halachische* Richtung der Exegese in der Anwendung der Stelle *Deut.* 25, 4 (1 *Cor.* 3, 9)... oder wann er (1 *Cor.* 6, 16) *Gen.* 2, 24 in Gegensatz stellt zur pneumatischen Gemeinschaft mit Christus, oder aus *Ps.* 24, 1 folgert, dass man Alles essen dürfe (1 *Cor.* 10, 26), oder wenn er aus *Ierem.* 45, 24 schliesst, dass wir alle vor den Richterstuhl Christi kommen werden (*Rom.* 4. 10). Und *haggadischer* Art sind Anwendungen, wie sie 1 *Cor.* 6, 16. 18 von *Lev.* 26, 11 und *Ierem.* 31. 9; oder wie sie 1 *Cor.* 8, 15 von *Exod.* 16, 18, oder in noch höherem Grade *Gal.* 4, 21 sqq. gemacht werden ». Et p. 14 : « Jeder Versuch, den *einzelnen* Auslegungen, Anwendungen und Allusionen eine buchstäbliche Auctorität zu vindiciren... erniedrigt das N. T. zu einem ungeistlichen Gramma ». Similia sed fortiora *Tholuck* p. 55.

2. Cfr quae de Canone N. T. a Patribus apostolicis adhibito disseruimus *supra* 34 et 60 p. 75 sqq. 166 sqq.

3. Cfr *S. Barn.* Ep. 7. 8. 9. 12 etc.

4. *I. Fessler* Patrologia. Oeniponte 1850 I. p. 22; cfr quae de Iustino interprete fusius disserit Ed. 2. p. 218 sqq.

5. De sensibus scripturisticis, quos distinguit S. Iustinus, deque principiis hermeneuticis, quae tenet, cfr *Grube* Die hermeneut. Grundsätze Iustins des Martyrers. Katholik 1880 I. p. 1-42.

6. Cfr praesertim *S. Iren.* c. haer. V. 33-36 (M. 7, 1212 sqq.).

231 — Ab initio saec. 3. in Scripturis sacris explanandis maius studium poni coeptum est, quatenus ab eo tempore nunquam defuerunt, qui paucorum illorum, quorum testimonio ad doctrinam catholicam illustrandam vel adstruendam vel defendendam indigebant, textuum explicatione non contenti integros libros continuis scholiis et commentariis illustrarent aut illos populo homiliis suis explicarent. Duplex statim ab initio apud Patres commentatores explicationis ratio facile distinguitur : alii enim literali sensu magis minusve neglecto vel posthabito moralem et allegoricam interpretationem praediligebant, alii literali sensui investigando magis insistebant moralesque applicationes aut allegoricas explicationes negligebant. Unde duplex interpretum *schola* distingui solet, *alexandrina,* quae allegoricos sensus praeferebat, *antiochena,* quae literalem sectabatur; cum antiochenae autem principiis hermeneuticis fere consenserunt interpretes Syriae orientalis, qui ex schola *nisibena* prodierunt[1]. Antequam Patres, qui exegeticis suis operibus eminent, enumeremus, operae pretium erit, paucis verbis scholarum istarum systemata adumbrare.

Primis iam Ecclesiae temporibus illi, qui in doctrina christiana accuratius instituí cupiebant, in episcopi alicuius vel eruditi viri consuetudinem se tradebant, uti S. Irenaeus a S. Polycarpo se institutum narrat[2]; unde scholarum theologicarum initia. Inter quas prima fuisse fertur *alexandrina,* quae S. Marco originem suam se debere gloriatur[3], cuique ab exeunte saec. 2. ex ordine praefuerunt S. Pantaenus, Clemens Alex., Origenes, Heraclas, S. Dionysius M. etc. Qui quum philosophicis studiis, quae ea aetate Alexandriae maxime excolebantur, essent addicti frequentesque cum neoplatonicis et gnosticis disputationes subeundas haberent, Philonis vestigia secuti allegoricae et mysticae Scripturarum interpretationi favebant. Literalem quidem sensum plerique adeo non reiiciebant, ut eum rudium institutioni optime inservire ac plane sufficere concederent; in spirituali tamen, utpote longe praestantiore, investigando perfectos operam suam ponere volebant. Alexandrinorum systema hermeneuticum ab Origene maxime est excultum ac perpolitum; sed dolendum est, quod maximus hic ecclesiae alexandrinae interpres allegoricis mysticisque explicationibus nimium tribuerit et in illis quaerendis et proponendis limites omnes sit transgressus; quare etiam inter reliquos Patres, qui alexandrinae scholae accensentur, non invenitur, qui in omnibus eius principia sit secutus.

Trichotomiam enim platonicam ad S. Scripturas applicans *Origenes,* uti supra (197 et 203) monuimus, earum corpus, animam, spiritum, i. e. tres sensus, literalem, moralem, mysticum, ita distinguit, ut quantum corpori spiritus, tantum literali sensui mysticum parestare doceat[4]; neque tamen

omnibus in sententiis tres sensus inveniri monet; sicut enim Scripturae sint » quae nihil corporei habeant », i. e. literalem sensum non admittant, ita in aliis allegorias non esse quaerendas, quia litera iam aedificet. « Ostendimus, inquit, quaedam esse, quae omnino non sunt servanda iuxta literam Legis, et esse quaedam, quae allegoria penitus immutari non debent, sed omnimode ita, ut Scripturae de iis continent, observanda sunt »; « alia habent quidem secundum literam veritatem sui, recipiunt tamen *utiliter* et *necessario* etiam allegoricum sensum »[5]. Literalem ergo sensum non prorsus reiicit; e contra « primam (i. e. literalem) expositionem, inquit, per se utilem esse posse, multitudo eorum testatur, qui candide ac simpliciter crediderunt »[6], rudium nimirum, qui altioris sensus percipiendi incapaces literali verborum intellectu iam aedificantur. Nihilominus multos Scripturae locos, si iuxta literam intelligantur, impossibilia, absurda, falsa, Deo indigna continere tenet, atque antilogias quoque Evangeliorum censet solo spirituali sensu admisso enodari ac removeri[7]; ideo in eiusmodi sententiis literalem sensum esse repudiandum ac solum mysticum pro genuino admittendum. Duas deinde statuit regulas hermeneuticas, quae his principiis magis minusve innituntur : totam nimirum veterem Legem caeremonialem ac ritualem mystice esse exponendam, atque omnia, quae de Iudaea et Ierusalem, de Israel et Iacob et Iuda, de Aegypto Aegyptiisque, de Babylone ac Babyloniis, de Tyro Tyriisque etc. a prophetis dicta sint, uti de coelesti Ierusalem coelestique terra sancta eiusque habitatoribus, ita etiam de aliis regionibus transterrestribus coelesti Ierusalem vicinis ac de animis illas regiones inhabitantibus esse intelligenda[8].

Satis magna quidem huius systematis hermeneutici cum philoniano (227) est affinitas; at Origenes ipse his principiis minime fidelis inhaesit, et reliqui Patres alexandrini multo minus ea secuti sunt.

1. De interpretum scholis cfr *H. Kihn* Die Bedeutung der Antiochenischen Schule auf exegetischem Gebiet. Weissenburg 1866; *Ph. Hergenroether* Die Antiochenische Schule und ihre Bedeutung. Würzburg 1866; *H. Kihn*. Theodor. v. Mopsuestia u. Iunil. Africanus als Exegeten. Freiburg 1880 p. 3-33. Ex scriptoribus acatholicis conferri possunt *Guericke* De schola, quae Alexandriae floruit catechetica. Halis Sax. 1824; *Jules Simon* Histoire de l'école d'Alexandrie. Paris 1845; *Kingsley* Alexandria and her schools. London 1854; *Münter* Commentatio de schola antiochena. Havniae 1811 etc.

2. *S. Iren.* ad Florin. Fragm. 2. (M. 7, 1228); Irenaei discipuli fuerunt Caius et Hippolytus.

3. « A priscis temporibus » Alexandriae scholam catecheticam esse institutam testatur *Eusebius* (H. E. V. 10 M. 20, 453), Alexandriae autem « iuxta quandam veterem consuetudinem a Marco Evangelista semper fuisse ecclesiasticos doctores » auctor est *S. Hieronymus* (de vir. ill. 36. M. 23, 651).

4. *Orig.* de princ. IV. 11. (M. 11, 364).

5. *Orig.* in Num. hom. 11, 1.; de princ. IV. 12 (M. 12,643; 11,345).

6. *Orig.* de princ. IV. 12. (M. 11, 368).

7. *Orig.* de princ. IV. 15; Ioan. tom. X. 3. sqq. (M. 11. 373; 14; 312 sqq.).

8. *Orig.* in Num. hom. 11, 1. 4; de princ. IV. 22. (M. 12, 642. 648; 11, 389

sqq.); cfr IV. 23 (M. 11, 393) : « unde consequens videtur, etiam prophetias, quae singulis gentibus proferuntur, revocari magis ad animas debere et diversas mansiones earum coelestes. Sed et historias rerum gestarum, quae dicuntur vel genti Israel vel Ierusalem vel Iudaeae vel aliis gentibus illas impugnantibus accidisse, perscrutandum est et perquirendum, quoniam in quamplurimis corporaliter (i. e. secundum literalem sensum) gesta esse non constant, quomodo magis ista conveniant illis gentibus (vel : generibus) animarum, quae in coelo isto, quod transire dicitur, habitant vel etiam nunc habitare putandae sunt » etc.

332. — Multo iunior, quam alexandrina, est schola *antiochena*, quippe quae non nisi exeunte saec. 3. orta sit; eius fundatores habentur *Lucianus M.* et *Dorotheus*, presbyteri antiocheni, qui magna cum diligentia nec minore cum fructu Scripturarum studium promoverunt; exeunte enim saec. 4. ex hac schola maximi prodierunt graecae ecclesiae interpretes *S. Ioannes Chrysostomus* et *Theodoretus*, ut de Theodoro Mopsuest. taceam, qui famam suam obscuravit. Alexandrinos inter et antiochenos oppositio quaedam adfuit, quae maxime in eorum interpretandi ratione sese manifestat. Etsi enim in duplici sensu, literali et spirituali, agnoscendo conveniant, in eorum tamen limitibus et valore determinandis in diversas abeunt sententias; quae sententiarum diversitas maxime apparet in Origene et Theodoro Mopsuesteno. Ille enim, uti supra diximus, tanti fecit allegoricam explicationem, ut quibusdam in locis literalem sensum adesse negaret; hic typicum sensum arctioribus, quam par est, limitibus coarctans aliqua vaticinia, quae in Novo Test. de Christo christianisve rebus explicantur, nec literali nec typico sensu de iis intelligenda, sed per accommodationem solam ad illas tracta esse censuisse dicitur. At si Theodorum Mopsuest. aliosque paucos istius scholae interpretes, qui aliis quoque in doctrinis a vera fide defecerunt, omittimus, antiocheni Patres illa hermeneutica principia statuisse dicendi sunt, quae catholicus interpres non approbare non potest.

Systema enim eorum hermeneuticum, prout illud ex S. Chrysostomi et Theodoreti operibus exegeticis et ex S. Isidori Pelus. epistolis colligimus, hoc fere est.

Omnes S. Scripturae, utpote literae ab ipso Deo nobis missae, a Spiritu S. sunt inspiratae, qui scriptoribus sacris ceu vivis instrumentis est usus, quare suus cuique est stylus suusque loquendi modus [1]. Libri sacri autem, quia ab hominibus pro hominibus sunt conscripti, proxime eodem modo, quo reliqui libri, secundum sensum suum literalem sunt exponendi; omnis enim Scripturarum textus habet sensum literalem, ita ut nihil sit inutiliter aut supervacue positum [2], nihil quoque Deo indignum; « ob nostram enim imbecillitatem tanta adhibetur verborum humilitas, ob salutem autem nostram omnia Deo digna aguntur » [3]. Distinguendum porro est inter ea, quae pro-

prio, quaeque translato sensu sunt explicanda : « alia quidem ita sunt accipienda, ut dicta sunt, alia vero aliter, quam prae se ferunt : quemadmodum se habet in illo : Lupi et oves simul pascentur (*Is.* 11,6); non enim intelligimus lupos et oves, nec paleas, vel bovem et taurum, sed mores hominum per similitudinem brutorum exprimimus » [4]. At praeter sensum literalem, qui praeprimis est quaerendus, et ad quem determinandum antiocheni grammaticam, contextum, historiam adhibent, in multis Veteris Test. locis una cum literali etiam typicum agnoscunt; pergit enim *S. Chrysostomus* in loco mox allato : « alia vero sunt accipienda dupliciter, ut et sensibilia intelligamus et quae in intelligentia versantur suscipiamus : quemadmodum in oblatione filii Abraham. Filium enim oblatum esse scimus, verum etiam aliud, quod latet, per filium intelligimus, sc. crucem. Et rursus agno (paschali) in Aegypto similitudinem passionis expressam habemus » [5]. Quamvis autem integrum vetus oeconomia novae sit typus, non omnia tamen et singula typice sunt sumenda aut allegorice explicanda; « qui omnia ad Christum transferre conantur, reprehensione non carent...; nam dum ea, quae de ipso dicta non sunt, per vim contorquent, hoc efficiunt, ut quae de eo haudquaquam contorte dicta sunt, in suspicionem veniant » [6]. In illis igitur locis typicus sensus est admittendus, in quibus eum adesse aut Scripturae aut traditio testantur; neque in his quoque negligendus est literalis, quippe qui spiritualis sit fundamentum. Quamvis demum effrenum illud Origenis studium allegoriarum vituperent, ipsi ab allegoricis accommodationibus non prorsus abstinent, at valde sobrii sunt in illis afferendis, et frequentius consequentias practicas ex Scripturae verbis et exemplis deducunt [7].

1. *S. Chrys.* in Gen. hom. 2, 2; 13, 3 etc. (M. 51, 28. 108). — *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80, 861) parum referre ait : « huiusne an illius sint aliqui Psalmi, quum constet divini Spiritus afflatu omnes esse conscriptos ». Innumeris in locis S. Chrys. de peculiaribus dicendi modis Pauli etc. loquitur. Interdum ita quidem loqui videntur, ac si verborum singulorum inspirationem admiserint; attamen eorum argumentationes diligentius perpendenti facile patebit, eos non de vocibus, sed de sensibus inspiratis loqui.

2. *S. Chrys.* in Gen. hom. 10, 3; 13, 1 etc. (M. 51, 85. 108).

3. *S. Chrys.* in Gen. hom. 17, 1 (M. 51, 135).

4. *S. Chrys.* in Psalm. 46, 1 (M. 55, 209).

5. *S. Chrys.* l. c.; *S. Isidor. Pelus.* Ep. IV. 203. (M. 78, 1289 sq.) : Divina sapientia « miscens et temperans praesentibus cognitionem futurorum ita adumbravit prophetiam, ut et illius temporis auditores utilitatem aliquam ex ea perciperent, et futurae generationes ex ipso rerum eventu accuratam scientiam acquirerent;... (caveamus igitur) ne prophetiis vim inferamus aut nimio aequabilitatis studio loca prophetica scurriliter interpretemur, sed prudenter ea, quae secundum historiam dicta sunt, intelligamus, et ea quae secundum sensum spiritualem praedicta sunt (τὰ κατὰ θεορίαν προφητευθέντα) suscipiamus; neque vero aperte historica ad spiritualem significationem cogamus, neque ea quae sensum spiritualem clare exhibent, ad historiam contorqueamus »; cfr *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 23, 3. 4. (M. 61, 182 sq.).

6. *S. Isid. Pelus.* Ep. II. 195. III. 339. (M. 78, 641. 999).

7. Ita ex. gr. *S. Isidor. Pelus.* Ep. I. 24 (M. 78, 197), postquam monuit non

temere atque impudenter nos debere mysteria investigare Scripturarum, quae attrectare nefas est, ad huius moniti confirmationem affert exemplum Osiae regis, qui lepra punitus est, quando sacra attrectare voluit; ita potissimum Chrysostomus ex omnibus Scripturae textibus, quos explicat, quam plurima moralia praecepta et monita colligit.

Eandem fere viam, quam antiochena, in explicandis Scripturis tenuit schola *nisibena* vel *edessena*, quamdiu in orthodoxa fide permansit. A *S. Iacobo Sarug.* († 338) fundata, ab eius discipulo *S. Ephraem*, postquam Persae Nisibin occupavere, Edessam translata non parvam sibi gloriam comparavit. At S. Ephraemi discipuli post magistri mortem a vera fide defecerunt et in nestorianismum delapsi in interpretatione quoque vera principia dereliquerunt Theodorum Mopsuestenum secuti, quem maximum suum doctorem hodie adhuc venerantur Nestoriani.

Ceterum notandum est, Patres orthodoxos omnes in praxi mediam quandam viam inter Originem et inter Theodorum Mopsuestenum tenuisse, ita ut omnes fere cum Theodoreto dicere potuerint: « quum commentarii alii in allegoriam cum multa satietate abeant, alii vero prophetiam quibusdam historiis sic adaptent, ut sua interpretatione Iudaeis potius quam fidelibus suffragentur, sollertis interpretis esse putavi, ut iis quae apud alterutros nimia sunt evitatis omnia quae priscis historiis congruunt illis etiam nunc adaptet, vaticinia vero de Domino Christo ac de Ecclesia ex gentibus congreganda et de evangelica disciplina apostolicaque praedictione ad alias res non transferat, sicut Iudaei facere solent, qui malitiae dediti infidelitatis suae excusationem texunt »[8]. Nihilominus ex eorum aut frequentiore aut minus frequente allegoricae interpretationis usu plerumque satis elucet, ex quanam schola prodierint. In sequente catalogo praecipuorum interpretum, qui a saec. 3. usque ad 6. in Oriente floruerunt, scholarum distinctione omissa, paucis verbis indicabimus, quam maxime methodum in suis explicationibus singuli adhibuerint.

8. *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80, 860).

§ 10. — *Praecipui Scripturarum interpretes orientales a saec.* 3. *usque ad* 6. *saec.*

233. — *Pantaenum,* († 206?), primum ex celebrioribus alexandrinae scholae rectoribus, multos commentarios in S. Scripturam edidisse, auctor est *S. Hieronymus*[1]; *Anastasius Sinaita* vero testatur eum historiam creationis allegorice esse interpretatum; at tam pauca hodie habemus operum

eius fragmenta, ut ne de systemate quidem hermeneutico, quod secutus sit, certum iudicium ferre possimus[2].

Pantaeni discipulus et in schola alexandrina regenda successor, *Tit. Flav. Clemens* († 217?), qui a *S. Hieronymo* « omnium eruditissimus » vocatur, in operibus, quae » plena eruditionis et eloquentiae tam de Scripturis divinis, quam de saecularis literaturae instrumento » conscripsit[3], Philonis vestigiis inhaerens nimio allegoriarum studio ad erroneas quasdam explicationes adductus est. Quamquam literalem sensum minime respuit, eum tamen spirituali postponit atque « fere totam Scripturam aenigmatice (i. e. allegoriis) futura praenuntiare » asserit[4]. Ceterum maximi fecit Scripturas easque quotidie legendas non semel praecipit[5]. Praeter opera, quae hodie adhuc exstant (Cohortatio ad Gent., Paedagogus, Stromata), in quibusque quam plurimos omnium fere sacrorum librorum textus eosque longos frequenter allegat et aliquoties explicat, alia composuerat, quae magis Scripturam spectant. Inter ea praecipui videntur fuisse Ὑποτυπώσεων libri octo, in quibus teste *Eusebio* « sicut in universas Scripturas, quae omnium consentiente auctoritate confirmantur, breves scripsit explicationes, ita ne eas quidem, quae a multis in controversiam vocantur, passus est interpretationum suarum expertes esse »[6]. Si severum illud iudicium, quod de hoc opere *Photius* fert[7], veritate niteretur et Clemens omnes illos errores a Photio recensitos in suis Hypotyposibus docuisset, de earum interitu non foret dolendum. At pauca, quae ex illis nobis conservavit Cassiodorius, iudicium istud nimis severum esse ostendunt[8].

Iulius Africanus († 221?), quem *Socrates* optimis exegetis adnumerat[9], cuius tamen commentarii perierunt, Origeni epistolam scripsit, in qua Susannae historiam spuriam demonstrare conatur; in altera epistola ad Aristidem de differentia, quae in Domini genealogia Matthaeum inter et Lucam intercedere videtur, « evangelistarum consensum apertissime demonstrat ex narratione quadam, quam a maioribus acceperat ». Praecipui eius operis de chronographia, in quo ab orbe condito usque ad 3. p. Chr. saeculi initium historiam cum accurata temporis definitione consignavit, non supersunt nisi fragmenta; ex quibus aliqua de septuaginta hebdomadis danielicis tractant, quarum initium in 20. Artaxerxis anno ponit[10].

1. *S. Hier.* de vir. ill. 36 (M. 23, 651). — *Euseb.* (H. E. V. 10. M. 20, 456) de *exegeticis* Pantaeni operibus diserte nihil tradit.
2. Cfr *Guericke* de schola, quae Alexandriae floruit. II. 106.
3. *S. Hier.* ad Magn. Orat. ep. 70, 4; de vir. ill. 38 (M. 22, 667; 23, 653).
4. *Clem. Alex.* Strom. V. 6; cfr VI. 15. 16 etc. (M. 9, 56, 348 sq. 352 sq.).
5. *Clem. Alex.* Strom. VI. 11; VII. 7. (M. 9, 313. 469).
6. *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20, 549).
7. *Photii* Biblioth. cod. 109 (M. 103, 384) : « asserit enim materiam aeternam esse et ideas velut certis decretis induci fingit; Filium quoque in rebus creatis numerat; ad haec animarum migrationes multosque ante Adamum mundos prodigiose comminiscitur; Evam praeterea et Adamum non ut sacri libri tradunt sed obscene atque impie educit; angelos etiam cum feminis congressos procreasse

somniat liberos; quin et Verbum carnem non esse factum, sed ita visum dumtaxat asserit » etc. Cfr *Nic. Le Nourry*, O. S. Ben., Dissert. de Clem. Alex. operibus (Diss. 1. c. 3. a. 1-4; Diss. 2. c. 3. et 4. M. 9, 833 sqq. 1069, ubi fuse de Clem. Alex. interprete agitur).

8. Cfr Adumbrationes in 1 Petr., Iudae, 1, 2 Ioan. et reliqua Hypotyposeon fragmenta M. 9, 729-750. Attamen notandum, Cassiodorium ita eas vertendas curasse, « ut exclusis quibusdam offendiculis purificata doctrina eius securior posset hauriri » (Instit. div. lit. 8. M. 70, 1120).

9. *Socrat.* H. E. II. 35 (M.).

10. *Euseb.* H. E. VI. 31 (M. 20, 589 sq.); *S. Hier.* de vir. ill. 63 (M. 23, 673); cfr *Fessler* Instit. patrol. Ed. 2. 1890 I. p. 356 sq.

234. — Clementem in regenda schola alexandrina secutus est ORIGENES, « quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negabit », Adamantius vel Chalkenteros cognominatus ob adamantinum aeneumque mentis robur, quod indefessis eius in illustranda Scriptura laboribus nunquam defatigabatur[1]. Alexandriae a. 185 natus iam puer Scripturas memoria tenuit, et vix vigesimum annum agens catecheticae scholae alexandrinae praefectus est. Postquam a. 212 Romam iter instituit, in patriam reversus linguae hebraicae studio se dedit, ut magnum, quod excogitaverat, Hexaplorum opus perficeret[2], ac paucis iam annis post (216) Caesareae Hexaplis ultimam manum apposuit. A. 228 in Achaiam vocatus illo in itinere Caesareae presbyter est ordinatus; quod aegre ferens Demetrius Alexandriae episcopus, quia ordinatio Ecclesiae canonibus repugnaret, ex Achaia reversum ecclesiastica communione indignum declaravit. Quapropter patria relicta Origenes Caesaream se recepit ibique novam aperuit scholam, in qua praeter multos alios S. Gregorium Thaumat., qui postea episcopus neocaesariensis creatus est, eiusque fratrem Athenodorum discipulos habuit. Persecutionibus deinde Maximini ac Decii varia in loca fugere coactus a. 254 Tyri supremum diem obiit.

Quae eius fuerit de canone Utriusque Test. sententia et quam praeclare de alexandrinae versionis textu meruerit, in superioribus dissertationibus iam diximus; restat ut de eius interpretatione nonnulla addamus. Innumera fere sunt eius opera, ut teste S. Hieronymo vix aliquis tanta legere possit quanta ipse scripsit[3]; sed sola eius exegetica commemorabimus, licet in aliis quoque haud pauca interpreti necessaria aut saltem utilia tradat. Namque exegeticis suis laboribus facem eum praetulisse tantum non omnibus interpretibus orientalibus et occidentalibus, iure asseritur. Primus quidem non fuit, qui Scripturae illustrandae et interpretandae manum admoverit, sed interpretationis scientiam non parum promovit et primus varia explanationum genera Scripturae accommodavit. « Illud breviter moneo, inquit *S. Hierony-*

mus, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum eius opus sunt *excerpta,* quae graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea quae sibi videbantur obscura atque habere aliquid difficultatis summatim breviterque perstrinxit. Secundum *homileticum* genus, de quo et praesens interpretatio est [in quo scilicet ad populi captum magis sese demisit et selecta capita rhetorice magis quam docte exposuit]. Tertium, quod ipse inscripsit τόμους, nos *volumina* [vel potius *commentarios*] possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit et recedens a terra in medium pelagus aufugit »[4], omnibus nimirum, quaecumque ingenium eruditioque suppeditabant, congestis.

S. Epiphanius auctor est Originem integras Scripturas esse interpretatum[5]; omnia vero eius opera exegetica ad nos non pervenerunt. Deperdita enim sunt omnia fere eius Scholia, ex reliquis autem praeter multa fragmenta minora, inter quae etiam aliqua numerantur magis minusve dubia, conservatae nobis sunt sive in textu primigenio sive in latina Rufini aut Hieronymi versione : 1.) *Homiliae* eius omnes in quatuor priores Pentateuchi libros, in Iosue et Iudices; duae in 1 Regum, aliquot in Psalm. 36-38, duae in principium Cantici, multae sed non omnes in Isaiam, Ieremiam, Ezechielem et in Evang. S. Lucae : 2.) *Commentarios* eius integros habemus in epist. ad Roman. (sed a Rufino multis in locis retractatos)[6], in Matth. 13,16-28,20; novem tomos, sed non continuos, in Ioannem; priorem partem comment. in Cantic., in quo de Cantico generatim agit et duo priora capita explicat, et comment. in Psalm. 1-36 et 118-150.

Quibus operibus exegeticis merito accensemus duas epistolas, quarum una contra Iul. Africanum praeclare Susannae historiam atque simul alias partes aliosque libros deuterocanonicos defendit, altera ad S. Gregorium Neocaes. philosophicas disciplinas ad Scripturarum explicationem utiles esse ostendit. Quam pulcherrimo hoc monito concludit, quod satis ostendit quo in loco Scripturas habuerit : « tu igitur, Domine fili, praecipue attende divinarum Scripturarum lectioni, sed attende, dico. Multa enim attentione nobis, qui divina legimus, opus est, ne de iis aliqua inconsiderate dicamus aut sentiamus. Et attendens rerum divinarum lectioni cum fideli et ea, quae placet Deo, mente pulsa, quae ibi clausa sunt, et aperietur tibi ab ianitore. Et attendens divinae lectioni recte et cum firma in Deum fide quaere eam, quae multis abscondita est, intelligentiam divinarum literarum. Verum ne tibi sufficiat pulsare et quaerere, nam quam maxime etiam necessaria est ad res divinas intelligendas pia precatio »[7].

Dubium non est, quin Origenes ipse assiduo suo et indefesso studio

continuam precationem adiunxerit, qui iam puer singulari pietate magnam inter Christianos famam sibi acquisiverat. Neque minus certum est, inter omnes Patres graecos nullum inveniri, qui eodem gradu, quo Origenes, omnibus ad Scripturas explanandas requisitis ingenii dotibus, scientiis, subsidiis fuerit instructus. Eo magis igitur dolendum est, quod temerario quodam sensus allegorici eruendi studio tam facile abripi se permiserit et gloriam suam allegoriis arbitrarie quaesitis non parum obscuraverit. Nihilominus interpreti semper prae manibus sint oportet opera eius exegetica, quae tanti aestimabantur a Patribus praesertim latinis, ut non solum S. Hieronymus et Rufinus multa latine verterint, sed alii quoque, uti SS. Hilarius, Victorinus, Ambrosius, Eusebius Verc. ea non quidem « ut interpretes, sed ut auctores proprii operis » transtulerint « captivosque sensus in suam linguam victoris iure transposuerint »[8].

1. *S. Hier.* Lib. de nomin. hebr. Praef. (M. 23, 772); cfr etiam Transl. homil. Orig. in Ierem. Prol. (M. 25, 583), ubi eum vocat « iuxta Didymi videntis sententiam alterum post Apostolos »; de Adamantii cognomine cfr *S. Hier.* ad Paul. ep. 33, 3 (M. 22, 447).

2. *S. Hier.* De vir. illustr. 54 (M. 23, 665) : « quis ignorat, quod tantum in Scripturis divinis habuerit studii, ut etiam hebraeam linguam contra aetatis gentisque suae naturam edisceret? »

3. *S. Hier.* ad Paul. ep. 33, 4 (M. 22, 447).

4. *S. Hier.* Transl. homil. Orig. in Ierem. Prol. (M. 25, 585).

5. *S. Epiph.* haer. 64, 3 (M. 41, 1073) : « Origenes, ut hortanti Ambrosio satisfaceret, universam, ut ita dicam, Scripturam interpretari et explicare instituit ». Eusebius iam non amplius omnia Origenis opera suo tempore superstita esse testatur (*Eus.* H. E. VI. 36. M. 20, 597); catalogus autem operum origenianorum, quae Pamphilus collegerat, ab Eusebio adornatus (l. c. VI. 32) ad nos non pervenit; deperditus quoque est catalogus, quem S. Hieronymus se conscripsisse testatur (de vir. ill. 54. M. 23, 665); eius initium habetur in ep. 33, 3 (M. 22, 447).

6. Animadvertatur oportet, Hieronymum ac praesertim Rufinum in Origenis operibus vertendis haud semper fuisse fideles ac multa de suis inseruisse; cfr Rufini ipsius perorat. in ep. ad Rom. (M. 14, 1293 sqq.).

7. *Orig.* ad Gregor. Neocaes. 3 (M. 11, 92).

8. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 57, 6; ad Vigil. ep. 61, 2; ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 7; c. Ruf. II. 14 etc. (M. 22, 572. 603, 749; 23, 436). — De Origenis exegeticis et hermeneuticis fusius agunt *Huetius* Origeniana III. 2 (M. 17, 1189 sqq.); *Redepenning* Origenes. Bonn 1841-1846; *Freppel* Origène. Paris 1868.

235. — Origenis praeclarissimus discipulus fuit *S. Dionysius M.* († 265), qui per non paucos annos scholam alexandrinam rexit, antequam sedem episcopalem alexandrinam ascendit. Pauca quidem nobis restant ex multis illis operibus, quibus tantam famam sibi acquisivit, ut iam ab antiquis Magni nomine sit celebratus; sed pauca haec satis clare docent, eum in genere quidem magistri sui vestigia esse secutum, nimium tamen allegoria-

rum studium non esse imitatum. Hoc loco vel ideo est nominandus, quia contra Nepotem, Arsinoes episcopum, qui chiliasticam suam doctrinam ex Ioannis Apocalypsi ad literam servili plane modo explicata stabilire conatus est, fortissime pugnavit quidem, sed novo errori ansam praebuit. Nepotis enim « confutationi allegoristarum » suos libros « de promissionibus » opponens in priore suam de chiliasmo sententiam exposuit, in altero autem, ut adversarium suum facilius vinceret, Apocalypsin S. Ioanni Apostolo abiudicavit[1]. Brevem quoque nobis in tria priora Ecclesiastae capita reliquit commentarium, et in fragmentis superstitibus libri de martyrio ad Origenem ex Utroque Testamento patientiae exemplum nobilissimum statuit Iobum, cuius fortitudinem in malis tolerandis egregie describit, et Iobi antitypum Dominum ipsum, cuius internos animi dolores subtilius pertractat[2].

Alter praeclarus Origenis discipulus est *S. Gregorius Neoc.* († 270) ob insigne miraculorum donum Thaumaturgus cognominatus, qui una cum suo fratre Athenodoro, « quum quinquennio integro Caesareae inter Origenis discipulos versati essent, tantopere in divinis eloquiis profecerunt, ut ambo adhuc iuvenes ecclesiarum in Ponto episcopi sint constituti »[3]. Ex eius operibus nobis superest « Metaphrasis in Ecclesiasten », quam « brevem quidem, sed valde utilem » dicit S. Hieronymus[4], quum totum librum paraphrasi quadam ita reddat, ut clarius rerum omnium temporalium vanitas perspiciatur et lectores efficacius ad mores corrigendos excitentur, quam sola lectione graeci istius libri textus satis obscuri fieri possit.

Eusebius Caesariensis († 340) non immediatus quidem Origenis discipulus, sed maximus eius admirator fuit. De integritate fidei Eusebii non immerito dubitatur, quare in aliquibus, quum ad arianismum inclinet, caute est legendus, attamen opera eius Scripturarum interpreti utilissima sunt, ne dicam necessaria. Teste *S. Hieronymo* « in Scripturis divinis studiosissimus et bibliothecae divinae diligentissimus pervestigator »[5], literalem sensum plerumque persequitur, haud raro tamen ad allegoricas explicationes se abripi sinit, unde non semel ab Hieronymo reprehenditur[6]. Commentariorum in Psalterium, quos eruditissimos vocat Hieronymus et quos Eusebius Vercellensis latine vertit, hodie superest maior pars; commentariis in Isaiam, qui fere integri exstant, S. Hieronymus in sua Isaiae expositione non raro usus est; libri tres Quaestionum evangelicarum, quorum fragmenta et excerpta habemus, in conciliandis Evangeliorum antiphaniis versantur; commentariorum in Lucam partem reperit et edidit Card. Maius. De Evangeliorum harmonia optime meritus est excultis « canonibus decem harmoniae Evang. », i. e. decem tabulis, in quibus ea, quae ab omnibus Evangelistis, vel a tribus, vel a duobus, vel ab uno solo referuntur, numeris certis designantur[7]. Utiliora autem, quam exegetica haec, interpreti sunt Eusebii opera historica et apologetica. Prae ceteris nominanda sunt : Onomasticon sive de locorum in S. Scriptura commemoratorum nominibus, quem librum paucis mutatis S. Hieronymus latine vertit; Historia ecclesiastica, cui multa Ecclesiae antiquae monumenta ad S. Scripturam spectantia inseruit; Chronicon, quod antiquorum regnorum historiam synchro-

nisticis tabulis exhibet; Chronicon Hieronymus, Historiam eccles. Rufinus latinitate donarunt. Ex apologeticis maxima attentione digni sunt « Demonstrationis Evangelicae » libri, quorum decem nobis restant et in quibus multa vaticinia messianica interpretatus est doctrinamque christianam argumentis ex Utroque Test. desumtis demonstravit, atque « Eclogarum propheticarum « libri quatuor superstites, in quibus vaticinia messianica, quae in libris historicis, moralibus et in Isaia leguntur, explicat.

1. *Euseb.* H. E. VII. 24 (M. 20, 691); *S. Hier.* De vir. ill. 69 (M. 23, 677 sq.); cfr de hac quaestione *Introd.* in Nov. Test. p. 695 sq. 702 sqq.

2. *Fessler* Patrolog. I. 309; hodie tamen dubitatur, num fragmenta huius opusculi, quae inter opera S. Dionysii habentur, sint genuina; cfr *Fessler* Patrol. Ed. 2. 1890. I. 338.

3. *Euseb.* H. E. VI. 30 (M. 20, 589).

4. *S. Hier.* De vir. ill. 65 (M. 23, 675).

5. *S. Hier.* De vir. ill. 81 (M. 23, 689).

6. *S. Hier.* in Is. l. V. Prol.; in Is. 18, 2 : « Eusebius Caesariensis historicam interpretationem titulo repromittens diversis sensibus evagatur, cuius quum libros legerem aliud multo reperi quam indice promittebat. Ubicumque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam et ita separata consociat, ut mirer, eum nova sermonis fabrica in unum corpus lapidem ferrumque coniungere ». (M. 24. 154. 179 etc.).

7. *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.

236. — Medii quodam modo inter alexandrinam scholam et inter antiochenam incedere videntur S. Athanasius et Didymus Alex., S. Ephraem amicique eius, magni Cappadociae doctores.

S. Athanasius M. († 373) plerosque S. Scripturae textus, qui de SS. Trinitate, de divina Verbi et Spiritus S. natura agunt, in operibus suis dogmaticis et polemicis accurate explicat sensu literali argute indicato; sed ex eius operibus exegeticis pauca integra ad nos pervenerunt. Egregia est eius « Epistola ad Marcellinum », in qua Psalmos in varias classes distribuit, ut quo singuli affectu, qua in occasione etc. sint recitandi ostendat. Duo inter opera eius edita inveniuntur commentarii in Psalmos, quorum alter « Expositiones in Psalmos », alter « De titulis Psalmorum « inscribitur; S. Athanasium opus inscriptum « de titulis Psalmorum » edidisse constat ex S. Hieronymo[1], uter vero ex duobus commentariis editis genuinus sit athanasianus commentarius controvertitur[2]. Ex catenis excerpta sunt fragmenta pauca in Iob, Cantic., Matth., Luc. et 1 Corinth. — Sub S. Athanasii nomine fertur etiam *Synopsis Scripturae S.*, quae quoniam eandem exhibeat librorum sacrorum distinctionem, quam Athanasius ipse in sua epistola 39. festali agnovit, illi videtur attributa esse. Hodie omnes fere consentiunt illam Athanasium auctorem non habere; brevi autem post eius aetatem in alexandrina ecclesia illam esse conscriptam magna

cum probabilitate tenent plerique. Synopsis haec post canonem librorum sacrorum recensitum singulorum librorum argumentum indicat et de eorum auctoribus, aetate, qua scripti sint etc. disputat. Quae in fine de versionibus graecis V. T. leguntur, postea ex S. Epiphanii opere de Pond. et Mens. addita sunt.

S. Ephraem († 378) « edessenae ecclesiae diaconus multa syro sermone composuit et ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam ecclesiis eius scripta recitentur »[3]. Praeter multa opera dogmatica et ascetica, inter quae haud pauca versibus sunt conscripta, reliquit in omnes fere U. T. libros commentarios. Hodie syriace supersunt commentarii fere integri in Pentat., Iosue, Iudices, quatuor libr. Regum, Iob, quatuor maiores et duodecim minores prophetas; armeniace translatam possidemus eius expositionem in libros Paralip., in (Tatiani) harmoniam evangelicam et in omnes epistolas Paulinas (excepta ep. ad Philem.). Inter sermones eius huc spectant duodecim de Paradiso Eden (de paradiso terrestri et coelesti) et duodecim sermones exegetici de variis Utriusque Testamenti textibus. In commentariis suis, antequam librorum sacrorum explanationem aggreditur, paucis praefari solet de libri auctore, argumento et fine; in explanatione ipsa sensum literalem magna cum diligentia exponit atque haud raro non minore cum diligentia morales conclusiones ex verbis sacris derivat allegoricasque accommodationes indicat; in Genesi tamen et aliis quibusdam libris ab afferendis allegoriis fere omnino abstinet, immo aliquoties Origenem, tacito tamen eius nomine, ob nimium allegorizandi studium vituperat. Ita in Geneseos principio « nemo, inquit, in opificio sex dierum allegoricas interpretationes quaerendas esse existimet »[4]. Dolendum est, quod operum eius exegeticorum latina versio parum accurata paraphrasi quam translationi similior sit[5].

Inter magnos Cappadociae doctores intimae amicitiae vinculo cum S. Ephraemo coniunctus erat *S. Basilius M.* († 379), qui celeberrimus ob praeclara opera dogmatica et ascetica etiam inter interpretes orientales eminet. Si Cassiodorio fides est habenda, magnus Caesareae episcopus integras Scripturas interpretatus est[6]; dubium saltem non est, quin multa plura exegetica scripserit, quam quae hodie supersunt. Sine ulla controversia ei auctori attribuuntur novem homiliae in Hexaemeron (*Gen.* 1,1-27) et saltem tredecim (iuxta alios octodecim) in Psalmos[7]. In opere sex dierum explicando solum literalem sensum sectatur, singulorum vocabulorum vi diligenter indagata et rebus naturalibus aeque eleganter atque erudite et pro aetatis istius ratione accurate descriptis[8]; in Psalmis autem sensui literali adiungit mora-

lem et allegoricam interpretationem, non pauca ex Origenis commentariis mutuatus. Praeterea habetur commentarius in sedecim priora Isaiae capita, de cuius authentia dubitatur quidem, sed ut videtur sine sufficiente ratione[9], quamvis fatendum sit, eius stylum non eodem modo, quo in homiliis exegeticis esse expolitum; multa in hunc commentarium ex Eusebii, plura ex Origenis operibus videntur esse transumta.

Multa quoque et egregia opera exegetica Basilii frater, S. Gregorius Nyss. (+ 394), nobis reliquit. Eius « liber in hexaemeron » supplementum quoddam est homiliarum Basilii, quum difficiliora quaedam, quae frater eius, quia populi captum superarent, omiserat, accurate pertractet, « in eo maxime operam suam collocans, ut vocabulis in significatione propria permanentibus, certum creationis ordinem et seriem statuat »[10]. « Liber de hominis opificio » porro est prioris complementum, siquidem ultimum diei sextae opus, creationem hominis describit. In « libro de vita Moysis » magni illius legislatoris res gestas ita enarrat, ut eum ceu vitae perfectae exemplar lectoribus proponat; in « epistola de pythonissa » (1 Reg. 28) quaestionem olim valde agitatam, num scilicet revera Samuelis demortui anima Sauli apparuerit, solvere conatur; in « libris duobus de Psalmorum inscriptionibus » de Psalmorum fine, ordine, distributione agit, in singulorum inscriptiones diligenter inquirit, ac demum brevem priorum duodesexaginta carminum expositionem addit. « Homiliis octo in Ecclesiasten » eius tria priora capita explanat; quindecim homiliis in Canticum Cant. ostendit, quomodo « sub apparatu nuptiali intelligenda sit humanae animae cum Deo coniunctio »[11]. Pauciora in Novum Test. nobis reliquit: « de oratione homiliae quinque » perpulchre orationem dominicam interpretantur, et « homiliae octo de beatitudinibus » non minus pulchre initium sermonis, quem Dominus in monte habuit (*Matth.* 5), exponunt. S. Gregorius, quamvis in hexaemero literalem sensum teneat, in reliquis operibus allegoricas explicationes non tantum non respuit, sed praediligere videtur. Ceterum teste *Photio* Gregorii « stylus illustris est et iucunditatem auribus instillans »[12]; sed addamus, inter graecos Patres vix ullum esse difficiliorem et haud raro obscuriorem.

Minoris momenti in historia exegeseos est *S. Gregorius Nazianz.* (+ 389), ex cuius operibus una tantum oratio (in Matth. 19,1-12) et pauca carmina (Lib. I. carm. 12-28) exegeticis adnumerari possunt; neque tamen eius nomen hoc in loco praetermittere licet, quia S. Hieronymus hunc « virum eloquentissimum et in Scripturis apprime eruditum se habuisse praeceptorem gloriatur, quo libros sacros explanante didicerit »[13].

Didymus Alex. (+ 397), quem S. Hieronymus etiam magistrum se ha-

buisse gloriatur[14], quamquam puer elementorum adhuc ignarus oculis captus est, ad tantam tamen doctrinae famam pervenit, ut rector scholae alexandrinae creatus maximos illius aetatis homines inter discipulos suos numeraret. Inter « infinita eius opera, quae digerere proprii indicis esset », *S. Hieronymus* haec exegetica enumerat : in Isaiam tomos sedecim, in Osee libros tres, in Zachariam libros quinque; commentarios in omnes Psalmos, in librum Iob, in Evangelia Matthaei et Ioannis[15]. Quorum omnium nihil praeter pauca fragmenta nobis reliqua sunt; exstant autem eius » breves enarrationes in epistolas catholicas » ab Hieronymo non commemoratae.

S. Epiphanius († 403), strenuus origenistarum adversarius, non semel Origenis allegoricae explicationis modum acerbe vituperat, licet ipse quoque allegoricum magis quam literalem sensum in deliciis videtur habuisse. Neque enim, etsi linguarum hebraicae et syriacae gnarus esset, in operibus illis, quae ad exegesin spectant, hanc scientiam adhibuit, sed vix non totus est in allegoriis quaerendis. Proxime huc spectant eius libri « de mensuris et ponderibus » et « de duodecim gemmis », quae rationale summi Pontificis Iudaeorum exornarunt (*Exod.* 28. 39). In priore post versionum graecarum satis fusam et aliquantulum confusam historiam de singulorum ponderum mensurarumque, quae in V. T. commemorantur, nomine, valore etc. agit, mystica numerorum significatione minime spreta ; in altero autem, si tamen antiqua versio latina genuinum opus exhibet, eodem modo allegoricas gemmarum rationes explicat[16]. Quibus exegeticis utiliora interpreti sunt « panarium adversus octoginta haereses », cui multa antiqua monumenta historica Patrumque antiquorum et haereticorum fragmenta inseruit, et « Ancoratus », in quo non paucos textus accurate et literaliter explicat.

Antiochenae scholae doctores antiquiores plerique haeretici erant atque « literae serviliter inhaerentes nimis abiecte de Christo eiusque mysteriis sentiebant ac humi repentes sensum ad altiora non erigebant »[17]. Praecipui sunt *Theodorus Heracl.* († 355), *Eusebius Emes.* († c. 359), *Acacius Caesar.* († c. 366), *Apollinarius Laod.* († 380), quem S. Hieronymus Antiochiae magistrum habuit[18], *Diodorus Tarsensis* († c. 390), qui S. Chrysostomi ac Theodori Mopsu. fuit magister; quorum omnium non nisi pauca fragmenta in catenis nobis sunt conservata, quapropter ab eorum operibus nominandis abstinemus.

1. *S. Hier.* de vir. illustr. 87 (M. 23, 693).

2. Epistola ad Marcellinum a Cassiodorio (Institut. div. lit. 4. M. 70, 1115.) et in Conc. Nic. II. (Act. 6. Mansi Coll. Conc. XIII. 361) laudatur; in controversia est, utrum S. Hieronymus eandem sub nomine « de Psalmorum titulis » designare voluerit, an commentarium aliquem; atque item uter ex duobus commentariis sit genuinus; cfr Admonit. in ep. ad Marcellin., in Exposit. Psalm., et Praef. de titul. Psalm. (M. 27, 10. 45 sqq. 609 sqq.).

3. *S. Hier.* de vir. illustr. 115 (M. 23. 707).

4. *S. Ephr.* in Gen. 1, 1 Oper. syr. I.

5. De S. Ephraemo interprete cfr *Fessler* Patrologia. Ed. 2. 1892. II. 18 sqq. ac praesertim *I. T. Lamy* L'exégèse en Orient au IVe siècle (Revue bibl. 1893 p. 5 sqq.);

— ex acathol. de eodem argumento egerunt *C. a Lengerke* (Commentatio crit. de Ephraemo interprete. Halae 1828; comment. de Ephraemi arte hermeneutica. Regiomonte 1831), *Gerson* (Die Commentarien des Ephraem Syrus im Verhältniss zur jüd. Exegese. Breslau 1868) etc.

6. *Cassiod.* Instit. divin. liter. Praef. (M. 70, 1108).

7. In Psalm. 1. 7. 14. 28. 32. 33. 44. 45. 48. 59. 61. 114.

8. *S. Greg. Nyss.* in Hexaem. Prooem. (M. 44, 61) opus hoc fratris sui « divinam commentationem appellavit ». *S. Ambrosius* quoque Hexaemeron explicans « sententias Basilii sequi voluit » (*S. Hier.* ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 7. M. 22, 749).

9. Cfr *Marani* Vita S. Basilii 42 (M. 29, CLXVI sqq.).

10. *S. Greg. Nyss.* in Hexaem. Prooem. (M. 44, 68).

11. *S. Greg. Nyss.* in Cant. Cant. hom. 1 (M. 44, 769). In prooemio diserte allegoricam Scripturarum explicationem defendit; adnotandum autem, omnem translatum sensum a S. Doctore iam vocari allegoricum.

12. *Phot.* Biblioth. cod. 6 (M. 103, 52).

13. *S. Hier.* de vir. ill. 117; in Eph. 6, 31 (M. 23, 707; 26, 535).

14. *S. Hieron.* ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 3; ad Domn. ep. 50, 2 etc. (M. 22, 745. 513).

15. *S. Hier.* de vir. ill. 109 (M. 23, 705).

16. Cfr *Fogginii* Praef. ad vers. antiqu. M. 43, 306. Ea sane, quae *S. Hier.* (in Is. 54, 11. 12 et in Ezech. 28, 11 sqq. M. 24, 523; 25, 271) de hoc Epiphanii opere tradit, dubitare non sinunt, quin textus graecus, qui hodie exstat, non sit nisi compendium ieiunum genuini operis.

17. Cfr *Fessler* Patrol. Ed. 2. 1892. II. p. 2; satis fuse de singulis ibidem agitur (p. 2-6); cfr etiam *S. Hier.* de vir. ill. 90. 91. 98. 104. 119 (M. 23, 695. 699. 701. 709).

18. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 83, 3 (M. 22, 745).

237. — S. IOANNES CHRYSOSTOMUS Antiochiae c. a. 344 natus una cum amico suo Theodoro, qui postea factus est episcopus mopsuestenus, a Diodoro Tarsensi, uti diximus, literas sacras edoctus est. A Flaviano Antiochiae episcopo presbyter ordinatus a. 386 innumeras illas habere coepit homilias, quibus et inter sacros oratores et inter interpretes graecos prorsus singularem sibi locum vindicavit. Quum sanctitate non minus quam eloquentia per totum Orientem celebraretur, a. 398 vi et dolo abductus patriarcha constantinopolitanus creatus est. Quo munere non diu fungi ei licuit; novi enim gregis sui mores dissolutos insectatus censor severus gravissimas persecutiones subeundas habuit et bis in exilium actus exsul a. 407 ad gloriam coelestem recipiendam avocatus est.

Omnia fere eius opera interpreti utilia sunt; hoc autem loco non nisi illa enumerabimus, quae directe Scripturas spectant, praemonentes illum in Novo Testamento, cuius textum primigenium prae manibus habuit, interpretando longe feliciorem fuisse, quam in Veteris explanatione, quamvis haec quoque tantum abest, ut sit spernenda, ut sola illustrem reddere possit interpretem [1].

Ex Vetere Test. tres praesertim libros tractavit: Genesin, Psalmos, Isaiam. In Genesin habuit septem et sexaginta homilias, quibus integrum librum oratorio modo ita exposuit, ut literali sensu explicato ad moralem exhortationem transiret, et novem sermones, in quibus paucos Geneseos locos floridiore dicendi genere explanat. In Psalmos plus sexaginta homilias habet, quae inter praestantissima eius opera recensentur[2]; atque ex homiliis quoque, quas antequam Constantinopolim abductus est, Antiochiae habuit, conflatus est commentarius imperfectus in Isaiam, qui octo priora capita et literaliter et mystice exponit.

Multo plures Novi Test. libros interpretatus est: in nonaginta homiliis, quibus Matthaeum explicat, interpretem magis agit, quam oratorem, in octoginta octo, quas in Ioannem habuit, oratorem magis agit; quinquaginta quinque homiliae in Actus Apostolorum humiliore stylo conscriptae informandis moribus praecipue sunt destinatae. Praestantissimum autem eius opus constituunt homiliae in omnes Paulinas epistolas, neque immerito multi tenent, nec inter Patres nec inter iuniores theologos quemquam inveniri, qui in paulina profunditate illustranda Chrysostomum attigerit, nedum superaverit[3].

Operibus hisce, quae integros libros aut maiores librorum partes continua explicatione illustrant, addendae sunt aliae homiliae, quibus paucos quosdam aliorum librorum textus interpretatus est: quinque sermones de Anna (1 Reg. 1. 2.), tres de Davide et Saule, duo de prophetiarum obscuritate, sex de Cherubim (Is. 6.), quatuor de nominum mutatione, septem de Lazaro et divite etc[4].

Quamnam methodum in Scripturis exponendis S. Chrysostomus tenuerit, supra explicavimus (232); antiochenae scholae principiis imbutus ante omnia sensum literalem semper quaerit et explicat, singulis vocabulis haud raro mira cum sagacitate excussis et examinatis. Neque tamen typicum sensum, maxime in Vetere Test., investigare omittit, siquidem non tantum illae personae aut res, quas typos esse ex Novo constat, sed aliae quoque (Ioseph, Iosue etc.; vestes sacerdotales, sanguis sacrificiorum etc.) typice ab eo exponuntur. Allegoricae quoque accommodationes haud uno in loco inveniuntur; multus autem et egregius est in practicis conclusionibus deducendis; quaecumque enim ex Utroque Test. tractat, omnia ei ad auditorum mores corrigendos et informandos inserviunt.

S. Isidorus Pelus. († 434), Chrysostomi discipulus, quinque epistolarum libros edidit, quorum quatuor priores quam plurima exegetica continent, quum amicis interrogantibus multorum locorum sensum literalem breviter quidem, sed accurate exponat.

1. De S. Chrysostomo interprete cfr *Kihn*, Die antiochen. Schule p. 49 sqq. 111 sqq.; *Ph. Hergenroether* Die antiochen. Schule p. 29-42; S. Hieronymo parum erat notus cfr de vir. ill. 129 (M. 23, 713).

2. In homiliis illis explicantur integri Psalmi 4-12. 43-49. 108-150; praeterea aliquot versus Ps. 41. 48. 145 aliis homiliis occasionem dederunt. De homiliarum harum praestantia cfr *Phot.* Bibl. cod. 174 (M. 103, 501).

3. Exstant homiliae 32 in Rom., 44 in 1 Cor., 30 in 2 Cor., commentarius in Gal., 24 homiliae in Ephes., 15 in Philipp., 12 in Coloss., 11 in 1 Thess., 5 in 2 Thess., 18 in 1 Tim., 10 in 2 Tim., 6 in Tit., 3 in Philem., 34 in Hebr., quibus addendae sunt 7 de laudibus S. Pauli.

4. Num *Synopsis S. Scripturae*, quae (non completa quidem) in eius Opp. legitur (M. 56, 313 sqq.) genuinum sit Chrysostomi opus, non constat; ab antiquis non commemoratur, Montfaucon vero non spernendis argumentis probabile reddit, Chrysostomum eius auctorem esse (M. 56, 305-312). Est autem compendium quoddam singulorum librorum, quod in privatum suum usum redegisse videtur, ut ad manum haberet, unde homiliarum argumenta mutuaretur. In deuterocanonicis libris Synopsis haec consentit cum Ps. Athanasiana; quare suspicari licet, deuterocanonica illa non nisi a iuniore manu una cum excerptis illis ex Epiphanio, quae in fine leguntur, Ps. Athanasii operi esse addita. S. Chrysostomi Synopsis, cuius fragmentum solum invenerat et ediderat Montfaucon, integra in codice quodam constantinopolitano (olim ierosolymitano) reperta est atque edita a Bryennio (Constantinopoli 1883).

Theodorus Mopsuestenus († 429) a S. Chrysostomo amico et condiscipulo ut sacrae militiae nomen daret permotus proh dolor in vera fide non permansit. Neque enim tantum Nestorio duplicem in Christo personam asserenti viam monstravit, sed etiam in exegeticis suis operibus a vero tramite aberravit; quare non solum a iunioribus interpretibus saepe vehementer vituperatur, sed a conc. V. constantin. II. haereticus est damnatus eiusque opera ab imperatoribus Theodosio et Valentiniano igni sunt addicta. Quo factum est, ut pauca ex eius scriptis nobis sint conservata : commentarius nimirum in Prophetas minores, fragmenta maiora in Psalmos et in epist. ad Romanos, minora quaedam in alios U. T. libros.

Quanta cum audacia libros sacros tractaverit, ex illis potissimum elucet fragmentis, quae in concilio lecta et damnata sunt, ex superstitibus vero commentariis multo minus apparet. Librorum Iob et Cantici Cant. satis aperte divinam originem negavit : « mihi, inquit, ex tota libri (Iob) conscriptione liquet, conscriptorem paganica scientia esse eruditum, ad cuius imitationem volens scripturam componere nocuit historiae pulchritudini »; quod autem tertiae filiae suae Iobum nomen Amaltheae (ita scilicet nomen est in graeco textu, quem solum cognovit Theodorus) imposuisse referret scriptor, id « ex amore magno et importuno vani honoris » eum narrasse censet etc [5]. Canticum Theodoro est « aemulationis nuptialis canticum mensale, sicut et de amore postea Plato convivium scripsit », quod ideo neque tamquam « exhortatio impudicitiae « vituperandum, neque tamquam « prophetia bonorum Ecclesiae » laudandum est [6]. Psalmorum quoque inscriptiones genuinas non habuit, libros Paralipomenon et Esdrae

reiecit, uti etiam deuterocanonica. Ex Novo Testamento « epistolam Iacobi et alias deinceps aliorum catholicas abrogavit » [7]. Vaticinia multa, quae eousque omnes interpretes christiani messianica habuerant, ipse « historice » de aliis personis explicavit et ad summum in aliquibus typicam quandam rationem agnovit [8]. Audacia haec, qua libros sacros tractavit, eo magis dolenda est, quo clarius ex illis, qui supersunt, commentariis elucet, eum optimi interpretis dotibus fuisse instructum [9].

5. *Theodor. Mopsu.* in Iob. fragm. (M. 66, 698; cfr Conc. V. Act. 5. Mansi IX. 223 sqq.).

6. *Theod. Mopsu.* in Cantic. fragm. (M. 66, 700; cfr Conc. V. l. c.); *Leont. Byz.* c. Nest. et Eut. III. 16 (M. 86, 1365).

7. *Leont. Byz.* l. c. 14. 15; cfr *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80, 861 sq.), qui Theodori de Psalmis sententiam tacito eius nomine impugnat.

8. Cfr Conc. V. Act. 4 (Mansi IX. 211 sqq.); *Leont. Byz.* l. c. 15.

9. Ita saltem censet *Kihn* (Theodor von Mopsuestia u. Iunilius Afric. als Exegeten p. 61 sqq.); *Knabenbauer* (Comment. in Proph. minor. Parisiis 1886. I. p. 4) apud Theodorum desiderari censet interpretandi genus magis lucidum, modum dicendi magis simplicem ac perspicuum, accuratiorem rerum sententiarumque explanationem et etiam maiorem in explanendis vaticiniis messianicis fidem.

S. Cyrillus Alexandrinus († 444), quem « catholicae fidei praeclarissimum propugnatorem » martyrologium romanum merito appellat, praeter eximia sua dogmatica scripta etiam non pauca exegetica composuit, de quibus haec adnoto. « Libri septemdecim de adoratione in spiritu et veritate » dialogica forma ostendunt, praecepta mosaica, quae Israelitis secundum literam erant adimplenda, a Christianis spiritualiter observari debere; quare opus hoc est allegoricus quidam in Pentateuchum commentarius, in quo tamen ordinem seriemque rerum gestarum non sequitur, sed praecepta ad certa capita revocat. « Glaphyra », i. e. commentarii elegantes, ut ipse S. Doctor in prooemio docet, supplementum quoddam praecedentium librorum de adoratione constituunt, quum illos Pentateuchi textus explanent, quos in priore opere consulto omiserat; finis autem eius est, ut Christum per omnes Moysis libros figurate significari ostendat. Commentarii in Isaiam et in duodecim minores Prophetas literalem sensum et allegoricum exhibent. Reliquorum veterum librorum, quos omnes S. Cyrillus interpretatus esse fertur, non habemus nisi fragmenta ex catenis collecta, maiora et non spernenda in Psalmos. Praeterea fere totum Novum Test. exposuit; integri nobis conservati sunt commentarii in Ioannem (exceptis duobus libris in *Ioan.* 10,18-12,48) et in Lucam, qui ultimi in syriaca tantum versione ad nos pervenere; aliorum librorum fragmenta iterum ex catenis sunt collecta. In omnibus quidem exegeticis operibus S. Doctor theologum potius dogmaticum quam

interpretem agit, praesertim vero in commentariis in Ioannem dogmata magis explicat et demonstrat, quam Evangelium interpretatur; at ibi quoque ab allegoriis afferendis minime abstinet. « S. Cyrillus, inquit *Fessler,* Scripturae interpres fuit egregius, si tamen non ex solis eius commentariis iudicium feratur; etenim in aliis scriptis literalem, in aliis mysticum sensum exposuit; literalem quippe in operibus dogmaticis, mysticum vero in commentariis proprie talibus; ceterum vix alius in SS. Patribus reperietur, qui ingenio tam acuto, uberi et profundo sensum spiritualem in V. T. latentem exquisierit et protulerit »[10].

THEODORETUS, Cyri in Syria episcopus († 458), uti patria ita interpretationis methodo antiochenus fuit; S. Chrysostomum et Theodorum Mopsu. ceu exemplaria aemulatus eo pervenit, ut a quibusdam summus graecae ecclesiae interpres habeatur, ab aliis inter summos numeretur[11]. Ex operibus eius exegeticis hodie supersunt : « Quaestiones in Pentateuchi, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum et duos Paralipomenon libros », quae, id quod titulus indicat et auctor ipse in prooemiis admonet, non integros libros, sed difficiliores quosdam textus ita tractant, ut quaestionibus vel obiectionibus propositis concinnam claramque solutionem subiiciant. « Interpretatio in Psalmos » eum in finem scripta est, « ut ii, qui dies noctesque davidicos versus in ore habeant, illos canentes et simul illorum, quae canuntur, sententiam perspicientes duplicem fructum percipiant ». Quam ob causam duos scopulos sibi evitandos proposuit; una enim ex parte « in allegoriam cum multa satietate abire » noluit, neque ex altera « prophetiam quibusdam historiis sic adaptare, ut Iudaeis potius quam fidelibus interpretatio suffragetur »[12]. Uti iam Psalmorum interpretationem, ita multo magis « explanationem Cantici Cant. » contra Theodorum Mopsuest. tacito tamen eius nomine dirigit : sub figura enim sponsi et sponsae Christum et Ecclesiam intelligi debere ostendit monetque « hunc esse in Vetere Test. divinae Scripturae morem, ut multa figurate dicat et sub aliis vocabulis alia significet »[13]. Eximia est eius « in omnes Prophetas interpretatio »; dolendum autem, quod interpretationis Isaiae non habeamus nisi maiora minorave fragmenta ex catenis collecta, e quibus nonnulla Theodoro Mopsuest. et Eusebio Caes. deberi suspicamur. Demum « utiles imprimis sunt commentarii in quatuordecim epistolas Pauli tanta cum laude compositi, ut magnopere dolendum sit reliquos Novi Foederis libros non eundem nactos esse commentatorem »[14], vel potius eius explicationes ad nos non pervenisse; pauca admodum enim supersunt commentariorum in quatuor Evangelia fragmenta.

De Theodoreti methodo interpretandi, quum Chrysostomum praesertim secutus sit, illud solum addamus oportet, eum nunquam oratorem

agere, ideo Chrysostomo multo esse concinniorem, haud raro etiam clariorem et accuratiorem, atque a moralibus applicationibus allegoricisque divagationibus fere omnino abstinere. Neque illud est omittendum, eum vix ullum commentarium inchoare, quin auxilium divinae gratiae enixe precatus sit [15]; persuasum enim ei erat, » divinarum Scripturarum expositionem animam puram alienamque ab omni macula requirere atque acres mentis oculos, qui res divinas perspicere possint et in penetralia Spiritus penetrare audeant » [16], quae omnia haud dubie a solo Deo ardenti precatione obtinentur.

Reliqui graeci interpretes saec. 5. et 6., quum iam catenas potius quam commentarios ediderint, uti *Victor Antioch.* (saec. 5.), *Procopius Gazaeus* († 524), *Andreas Caesar.* etc., ad sequentem periodum pertinent (§ 12).

10. *Fessler* Patrologia II. 571.
11. *I. L. Schulz* Dissertatio de vita et scriptis Theodoreti M. 80, 52; cfr *Phot.* Biblioth. cod. 203 (M. 103, 673).
12. *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80, 860).
13. *Theodoret.* in Cant. Cant. Prooem. (M. 81, 82 sq.).
14. *Schulz* Dissertatio etc. M. 80, 57.
15. Cfr *Theodoret.* Quaest. in Pent. Praef.; in Psalmos Praef. et Conclus.; in Cant. Praef. etc.
16. *Theodoret.* in Cantic. Praef. (M. 81, 21).

§ 11. — *Praecipui interpretes occidentales a* 3. *usque ad* 6. *saeculum.*

238. — Quemadmodum orientales Patres orthodoxi, sive alexandrinae, sive antiochenae sive nisibenae scholae adnumerantur, duobus extremis vitatis nec solum literalem sensum, typis allegoriisque omnibus spretis, agnoverunt, nec solum allegoricum, literali neglecto, sectati sunt, ita etiam occidentales Patres mediam viam tenere studuerunt. Nihilominus ex eorum operibus alios in hanc, alios in illam partem magis minusve inclinasse satis facile perspicitur; quae propensio non ex singulorum ingenio et indole tantum explicanda est, sed procul dubio inde quoque provenit, quod latini interpretes, solo fere Augustino excepto, graecis commentariis frequenter sint usi nec raro, ut Hieronymi verbis utar, « captivos (Graecorum) sensus in suam linguam victoris iure transposuerint » [1].

Temporis ratione habita primo loco nominandus est S. HIPPOLYTUS († 235), qui quamquam graece scripsit, quum S. Irenaei Lugd. discipulus et romanae ecclesiae presbyter sit, occidentalibus iure adnumeratur. Teste *S. Hieronymo* Origenes « in Hippolyti aemulationem », quem Romae concionantem audierat, commentarios scribere coepit; fragmenta autem operum

exegeticorum Hippolyti, quae supersunt, eum eodem fere, quo Origenes, allegorico explicandi modo indulsisse ostendunt. Non paucos libros interpretatus est; S. Hieronymus nominat eius commentarios « in Hexaemeron et in Exodum, in Canticum Cant., in Genesin et in Zachariam, de Psalmis et in Isaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul et pythonissa »; etiam eius commentarium in Matthaeum se legisse testatur[2]; de commentario in Ioannem ab eo exarato constat ex inscriptione in eius cathedra; de interpretatione capitum quorundam Ezechielis ex Eusebii testimonio[3]. Hodie autem non supersunt nisi fragmenta maiora in Gen. 49., in aliquos Psalmos et in Proverb., minora in alios libros; dein explanatio in Danielem seu « Danielis et Nabuchodonosori visionum solutiones », scholia varia in Danielem et explicatio allegorica historiae Susannae. Praeterea huc pertinent eius « demonstratio adversus Iudaeos », quae nihil fere est nisi paraphrasis et explicatio Psalmi 68., et eius liber « de Christo et Antichristo », in quo de prophetarum munere disserit et complura vaticinia explicat[4]. Utpote occidentalis interpretationis primitiae, magna interpretis attentione opera eius sunt digna.

Reliqui Patres saec. 3., quorum libros superstites habemus, S. Scripturas ex professo interpretati non sunt, nihilominus ab interprete negligi nequeunt. *Tertullianus* († 245) in omnibus fere operibus frequentissime Scripturas allegat et non raro earum sensum literalem accurate explanat; ex eis autem interpreti utiliores sunt liber « adversus Iudaeos », in quo vaticinia aliqua explicat, et ultimi tres libri « contra Marcionem », in quibus authentiam auctoritatemque librorum ab haeretico reiectorum defendit.

S. Cyprianus († 258), cuius « sole clariora esse opera » S. Hieronymus dicit[5], quum in epistolis tum in aliis libris ex verbo divino scripto argumenta sua desumit; in tribus libris « Testimoniorum contra Iudaeos » quam plurimos textus Utriusque Test. in varia capita digessit ad Iudaeorum errores confutandos; simili modo « epistola ad Fortunatum de exhortatione ad martyrium » scripturisticis locis contexitur; in libro « de unitate Ecclesiae » praeter Novi Test. verba etiam Veteris typis ad unitatem demonstrandam praeclare utitur, et in libro « de oratione dominica » singulas petitiones aeque pie atque accurate exponit.

S. Victorinus Petavionensis († 297), quamvis pauca fragmenta operum eius ad nos pervenerint, vel ideo hoc loco nominandus est, quia omnium primus est, qui latina lingua iustos commentarios in Scripturas ediderit. « Non aeque latine, inquit *S. Hieronymus*, ut graece noverat; unde opera eius grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum. Sunt autem haec : commentarii in Genesin, in Exodum, in Leviticum, in Isaiam, in Ezechiel, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Cant., in Apocalypsin Ioannis »[6]. Ex his operibus, quae saepenumero laudat Hieronymus, hodie habemus dumtaxat scholia in Apocalypsin et fragmentum « de fabrica mundi », quod ex eius commentario in Genesin videtur conservatum esse.

1. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 57, 6 (M. 22, 572).

2. *S. Hier.* de vir. ill. 61; in Matth. Prol. (M. 23, 671; 26, 20).
3. *Euseb.* H. E. VI. 22 (M. 20, 576).
4. De S. Hippolyto cfr *Fessler* (Patrologia Ed. 2. 1890 I. p. 292-299), *O. Bardenhewer* (Des hl. Hippolytus von Rom Comment. zum Buchs Daniel. Freiburg 1877), *Knabenbauer* (Comm. in Danielem. Parisiis 1891 p. 57) etc.
5. *S. Hier.* de vir. ill. 67 (M. 23, 677).
6. *S. Hier.* de vir. ill. 74; cfr ad Paul. ep. 58, 10 (M. 22, 585) : « inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest »; ad Magn. Orat. ep. 70, 5 (M. 22, 668) dicit quidem : « Victorino Martyri, licet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas »; at c. Ruf. I. 2 (M. 23, 399) eum cum Hilario et Ambrosio « columnis Ecclesiae » accenset; illumque « in explanatione Scripturarum Origenem secutum esse » asserit (ad Vigil. ep. 61, 2. M. 22, 603).

239. — *S. Hilarius Pictav.* († 367) eximiis operibus polemico-dogmaticis celeberrimus etiam aliqua exegetica scripsit, scilicet « tractatus Psalmorum », « commentarium in Matthaeum », et « tractatus in Iob »; sed duo priora opera sola hodie possidemus [1]. *S. Hieronymus* refert « Hilarium confessorem quadraginta ferme millia versuum Origenis in Iob et Psalmos transtulisse » et in Psalmis commentandis Origenem ita esse imitatum, ut « nonnulla etiam de suo addiderit » [2]; quae verba non nimis videntur esse premenda, quoniam e commentario ipso elucet, S. Doctorem non pauca de suo addidisse et « tractatus Origenis non ut interpretem, sed ut auctorem proprii operis transtulisse » [3]. Commentarius in Matthaeum brevissime explicat sensum literalem, valde fuse autem sensum allegoricum et abundat moralibus applicationibus. « Ita enim semper in Scripturis coelestibus sermonem omnem temperatum esse censet, ut non minus his, quae gerebantur, quam eorum, quae gerenda essent, similitudini conveniret », atque « omnes factorum veritates... sui similem futurae veritatis imaginem continere »; quare relicto obvio sensu, « qui ad communem intelligentiam patet, causis interioribus immorari » amat [4]. Optimum vero literalis sensus interpretem S. Hilarius sese exhibet in « libris duodecim de Trinitate », in quibus non solum augustissimum hoc mysterium clare et solide e Scripturis, maxime ex Evangelio S. Ioannis, demonstrat, sed difficultates etiam, quae ex Scripturis ab haereticis opponuntur, egregie solvit.

Marius Victorinus Afer († 370) teste S. Augustino senex, postquam omnium doctrinarum liberalium peritissimus ob insigne praeclari magisterii statuam in romano foro meruerat, tempore persecutionis Iuliani Apostatae christianam religionem accepit ultimosque vitae suae annos Ecclesiae contra arianos defendendae impendit. Praeter nonnulla opuscula polemica nobis commentarios quoque transmisit in Pauli epp. ad Gal. Eph. Phil. Haud magni quidem eos S. Hieronymus fecit, « quia Victorinus occupatus eruditione saecularium literarum Scripturas omnino ignorasset »; sed hoc iudicium veritati non plane consonare testimonium probat S. Augustini, qui Victorinum S. Scripturam omnesque christianas literas studiosissime investigasse perscrutatumque esse asserit, et tres superstites commentarii confirmant, quum aliis illius aetatis operibus inferiores non sint [5].

S. Ambrosius († 397) multa nobis reliquit opera, quae magis minusve exegeticis adnumerari possunt. Maiorem enim Scripturarum pericopen explicare solebat sermonibus coram populo habitis, quos deinde stylo constrinxit et tractatuum forma conscripsit. Quo pertinent Hexaemeron, libri de Paradiso, de Cain et Abel, de Noe et arca, de Abraham, de Isaac, de Iacob, de Ioseph, de benedictionibus patriarcharum (Gen. 49.), de Elia, de Naboth (3 Reg. 21), de Tobia, de interpellatione Iob et David, apologia prophetae David, expositiones in duodecim diversos Psalmos, expositio Psalmi 118., expositio Evangelii S. Lucae. — De S. Ambrosii interpretationis ratione iam antiquitus non una fuit sententia. Summis laudibus eam extollit *Cassiodorius*[6], atque iuxta *Pelagium* « Ambrosii episcopi, qui scriptorum inter Latinos flos quidam enituit speciosus, fidem et purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere »[7]. Longe aliter videtur sensisse *S. Hieronymus*, qui eum « in verbis ludere et in sententiis dormitare » dixit[8]. Quum ab Hippolyto, Origene, Basilio fere dependeat[9], nimius revera interdum est in allegoriis afferendis, quamvis in sua Lucae expositione literam non negligat. In hermeneuticis quoque regulis ab Origene interdum dependere videtur; cum eo triplicem sensum distinguit, historicum, moralem, mysticum, censetque contradictionem, quam historicus aliquoties pariat, a mystico solvi; aliquos libros literaliter esse exponendos, uti Genesin, alios mystice, uti Leviticum, alios moraliter uti Deuteronomium; idem quoque obtinere in tribus libris salomonicis, quum Proverbia literalem, Ecclesiastes moralem, Canticum mysticum sensum habeat; Psalmos autem et Evangelia triplici sensu exponi debere[10]. In omnibus operibus recensitis praevalet paraenesis moralis, quare interpreti minus utilia sunt quam concionatori.

Inter S. Ambrosii opera edi solet commentarius in tredecim priores Pauli epistolas, qui S. Doctori quidem iam ab Hincmaro Rhemensi adscribitur, sed quum ab eius interpretandi ratione prorsus abhorreat, genuinus eius foetus esse nequit. Hodie citari solet sub nomine **Ambrosiastri**. Quis enim eius auctor fuerit, ignoratur; plerique Hilarium, diaconum romanum, qui quum luciferiano schismati adhaesisset, ab Hieronymo tam aspero stylo exceptus est[11], operis auctorem dicunt Augustini praesertim auctoritate nixi, qui commentarii huius locum Hilarii nomine citavit[12]; sed quisquis auctor fuit, eum S. Damasi aetate vixisse certum est, et opus ipsum melioribus in Paulum commentariis latinis, quos antiquitas nobis transmisit, adnumerandum est; addatur autem oportet, auctorem intemeratae fidei non fuisse commentariumque nonnullis contra fidem erroribus esse deturpatum[13].

Nominandus hoc loco etiam est *Priscillianus* († 385), caput ac princeps Priscillianistarum[14]; ex cuius operibus, quae deperdita credebantur, nuper reperti et editi sunt undecim tractatus. Inter eos aliqui ad nostram scientiam pertinent : tertius enim « de fide et de apocryphis » demonstrare conatur, apocryphorum quoque lectionem esse licitam, quintus cum tribus

sequentibus pericopas quasdam Gen., Exod., ac Ps. 1. et 3. explanat; praeterea eius exstant « in Pauli Ap. epistolas canones a Peregrino episcopo emendati », i. e. » argumenta brevia, quibus comprehenditur epistolarum Paulinarum doctrina quoad varia dogmata, designatis simul locis parallelis » [15].

1. Commentarius in Psalmos integer non est; complectitur Ps. 1. 2. 13. 14. 51-69. 118-135. 139-150; num tractatus in Ps. 15. 31. 41 genuini sint, non constat; cfr M. 26, 811; S. Hier. eum scripsisse dicit in Ps. 1. 2. 50-62. 118-150.

2. *S. Hier.* c. Rufin. I. 2; de vir. ill. 100 (M. 23, 399. 699).

3. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 84, 7 (M. 22, 749).

4. *S. Hilar.* in Matth. 19, 4; 12, 1. 12 (M. 9, 1024. 984. 987). Ab erroneis et singularibus sententiis non prorsus liber est commentarius : « fratres Iesu » putat esse filios Ioseph (in *Matth.* 1, 4); viro, qui uxorem ob adulterium repudiavit, alterum matrimonium permittere videtur (in *Matth.* 4, 22). Ceterum commentarii S. Hieronymo valde probabantur; suam enim homiliarum Origenis in Lucam translationem S. Paulae transmittens : « commentarios, inquit, viri eloquentissimi Hilarii et beati martyris Victorini, quos in Matthaeum diverso sermone sed una gratia Spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos transmittere disposui, ne ignoretis, quantum nostris quoque hominibus sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit » (M. 26, 220).

5. De Victorino Afro cfr *S. Aug.* Confess. VIII. 2, 3. 4; 5, 10 (M. 32, 750 sqq.); *S. Hier.* de vir. ill. 101; comm. in Gal. prol. (M. 23, 701; 26, 308); notit. de eius vita in M. 8, 993 sqq.

6. *Cassiod.* Instit. div. liter. 1. 7 (M. 70, 1110, 1119).

7. *Pelag.* apud *S. Aug.* de grat. Christ. 43 (M. 44, 381).

8. *S. Hier.* Praef. in Transl. homil. Orig. in Luc. (M. 26, 219); S. Ambrosii quidem nomen ibi tacetur, sed cfr *Rufin.* Apolog. II. 23 (M. 21, 602).

9. Cfr *S. Hier.* ad Pamm. et Ocean. ep. 84, 7 (M. 22, 749) : « nuper S. Ambrosius sic Hexaemeron Origenis compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur »; ad August. ep. 112, 20 (M. 22, 929); c. Rufin. II. 14 (M. 23, 436).

10. Cfr *S. Ambros.* Proleg. in Evang. Lucae etc. (M. 15, 1529).

11. *S. Hier.* c. Lucifer. 21. 26 (M. 23, 175. 180).

12. *S. August.* c. duas epist. Pelag. IV. 4 (M. 44, 614).

13. Cfr edd. Benedict. admonitionem commentario praemissam, in qua errores quosdam ab auctore receptos indigitant (M. 17, 43).

14. Cfr *S. Hier.* de vir. ill. 121 (M. 23, 711); *Sulpit. Sev.* Hist. sacra II. 46 sqq. (M. 20, 155 sqq.).

15. Opera haec reperit et edidit *G. Schepss* (Priscilliani opera quae supersunt. Viennae 1889); de Priscilliano fusius agit *B. Iungmann* in Fessler Patrologia Ed. 2. 1892. II. p. 219-234.

240. — *S. Chromatius* († 407), aquileiensis episcopus, S. Scripturarum studio deditissimus, non tantum ex illis fuit, qui S. Hieronymum ad novam versionem concinnandam et ad commentarios scribendos incitarunt [1], sed ipse quoque nobis reliquit octodecim tractatus in Evang. S. Matthaei (3,15-17; 5. 6) perutiles praedicatoribus.

Tyrranius *Rufinus* († 410), presbyter aquileiensis et S. Hieronymi primum amicus postea adversarius, magis ob graecorum Patrum commentarios latine translatos, quam ob illos, quos suo marte exaravit, nominandus

est. Origenis enim homilias in quatuor priores Pentateuchi libros, in Ios., Iudic., commentarios in Cantica Cant., ep. ad Roman. etc. latina sua versione nobis conservavit atque S. Basilii quoque octo homilias exegeticas transtulit[2]. Inter opera, quae ipse composuit, huc soli spectant « de benedictionibus Patriarcharum libri duo », in quorum priore benedictionem Iudae, in altero benedictiones reliquis Iacob filiis datas secundum literalem, allegoricum, moralem sensus exponit. Inter opera eius etiam edi solent commentarius in septuaginta quinque Psalmos et commentarii in Oseam, Ioel, Amos. At prior, qui ex S. Augustini enarrationibus excerptus sententiis quibusdam S. Gregorii M. intermixtus est, ante saec. 7. non est compositus, utilitate autem sua non caret; reliqui a quibusdam *Paulo Orosio* († c. 430) attribuuntur; quoniam rationes, cur « postremam istam editionem, quae secundum Hebraeum appellatur » disserat[3], afferendas duxit, eorum auctor saeculo 6. posterior censendus non videtur.

1. Cfr *S. Hier.* Praef. in Paralip., Tob., libr. Salomon.; Prolog. in Comment. Habacuc.

2. Probe autem notandum Rufinum antiquorum more non meri translatoris partes egisse, sed « addidisse et explevisse, quae deerant, breviasse, quae longa erant », quare aliqui iam olim recte iudicaverunt, eum commentariis illis suum nomen praefigere debuisse; cfr eius perorationem in explanationem Origenis super epist. ad Rom. (M. 14, 1293).

3. Comment. in Proph. min. tres. Praef. (M. 21, 961).

S. Hieronymus († 420), quem « Deus Ecclesiae in exponendis Scripturis doctorem maximum providere dignatus est », inter latinos sacrorum librorum interpretes sine ulla controversia primum locum obtinet. Quomodo ad munus interpretis sese praeparaverit et quanta merita versione sua nova Veteris Testamenti et correctione versionis Novi Testamenti sibi acquisiverit, supra satis fuse enarravimus; restat, ut hoc loco de eius commentariis aliisque eius operibus, quae exegesin spectant, aliqua addamus. Totam, ut ita dicam, S. Doctor vitam libris sacris explicandis dedicavit, nec ullus invenitur liber sacer, cuius explicationem non promoverit; praecipue autem in Vetere Testamento interpretando versatus est. Opera eius exegetica sunt : Quaestiones hebraicae in Genesin, commentarius in Ecclesiasten, commentariorum in Isaiam libri octo et decem, in Ieremiam libri sex, in Ezechielem libri quatuordecim, in Danielem liber unus, in Prophetas minores libri viginti; Novi Test. pauciora scripta interpretatus est, Evangelium sc. S. Matthaei quatuor libris, epistolas ad Galatas et Ephesios ternis, ad Titum et Philemonem singulis libris. Quibus accedunt saltem viginti tres epistolae longiores, in quibus interrogatus aliquos Utriusque Test. locos accuratius explanat, versiones deinde operum nonnullorum exegeticorum Origenis[1], potissimum vero de hebraicis nominibus liber et liber de situ et nominibus locorum hebraicorum, in

quibus duobus conscribendis, etsi antiquiora graeca volumina adhibuerit, « vetus aedificium nova cura instaurans fecisse se arbitratur, quod a Graecis quoque appetendum esset », et novi potius operis conditorem quam veteris interpretem se exhibuit [5].

Quaenam principia in libris sacris explicandis tenuerit, ipse variis in locis nobis indicat; pauca afferemus. Praecipuum suum officium duxit in commentariis manifesta paucis perstringere, obscura breviter aperteque disserere, dubiis sedulo immorari [6]. Fixum firmumque ei erat, illa non esse recipienda, quae Ecclesia non recipit, atque semper « ecclesiasticam interpretationem affirmare conabatur » omniaque « iuxta ecclesiasticam intelligentiam disserebat » [7]. Suo igitur ingenio diffisus, quum Scripturas non ex arbitrio sed ex maiorum traditione exponendas sciret, semper eorum, qui ante ipsum scripserant, explanationes consulere sategit [8] easque aut tacitis aut expressis nominibus in suis commentariis indicavit; « in commentariis enim multas diversorum opiniones ponendas censuit, ut lectoris arbitrium esset, quid potissimum eligere deberet, decernere » [9]. Quia autem aliena a suis non semper distinxit, vera eius sententia saepe aegre dignoscitur; et quamvis sibi proposuisset, ut sententias aliorum in suos commentarios transferens « aperte confiteretur, quae essent haeretica et quae catholica » [10], proposito huic non semper stetit. Ad varios sensus demum quod attinet, « regulam Scripturarum esse docet, ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriae non extenuare quae scripta sunt » [11], nec « in praeceptis, quae ad vitam pertinent et sunt perspicua, quaerere allegoriam » [12]; ceterum « auctoritatem Apostolorum et Evangelistarum et maxime Apostoli Pauli sequens, quidquid populo Israel carnaliter repromittitur, in nobis spiritualiter completum esse hodieque compleri demonstrat » [13]; priusquam vero ad allegoricas aut spirituales explicationes transit, « historiae fundamenta » iacit [14] i. e. diligenter sensum literalem explanat atque « post historiae veritatem spiritualiter esse accipienda omnia » statuit [15].

Tres commentariorum S. Hieronymi classes distingui fere solent; prima continet commentarios in Ecclesiasten et quatuor epistolas Paulinas, quos scripsit annis 387-390, quibusque addendus est commentarius in Matthaeum, quamvis non ante a. 398 compositus. In hisce praecipue variorum interpretum sententias congessit, Origenem potissimum secutus; quare iam commentariis his Rufino ansam occasionemque dedit reprehendendi, quod a vera fide aberraverit; revera diligenter dispiciendum est, ut in iis genuina Hieronymi sententia dignoscatur [16]. In genere solum sensum literalem explicat, moralibus quibusdam applicationibus additis; in Evangelio tamen « interdum flores

spiritualis intelligentiae miscuit »[17]. Altera classis commentarios in Prophetas minores complectitur (391-396); in quibus primo loco suam novam versionem ex hebraico alteramque alexandrinam proponit, dein suae versionis sensum literalem accurate exponit et de vaticiniorum impletione disputat, ac demum alexandrinum textum spirituali magis et allegorico sensu explicat. Tertia classis continet commentarios in Prophetas maiores (407-420), qui alios omnes longe superant; in his quoque, solo Isaia excepto, utramque versionem ponit, sed solam novam fere explicat, licet ad alexandrinam et alias graecas versiones diligentissime semper attendat; rarius quoque, quam in minoribus Prophetis, allegorias affert.

Inter S. Hieronymi opera edi et ab antiquioribus interpretibus sub Hieronymi nomine citari solent praeter minora quaedam, quae commemoratu non sunt digna, tria maiora opera exegetica, quae merito suo non carent : breviarium in Psalmos, commentarius in librum Iob, et commentarii in omnes epistolas Paulinas (excepta epistola ad Hebr.). *Breviarium in Psalmos*, quum Eucherium Lugdun. († 450) diserte laudet[18], post Hieronymi quidem aetatem conscriptum, compilatum autem est ex Origenis, Hilarii, Eusebii atque etiam ex deperditis S. Hieronymi commentariis[19]. Commentarius in librum Iob fere ab omnibus *Philippo presb.* attribui solet, qui S. Hieronymi auditor et discipulus assiduus fuit[20]. Demum commentarii in epistolas Paulinas iidem esse creduntur, quos S. Augustinus aliique a *Pelagio* haeresiarcha compositos dicunt[21]; negari non potest, eos non uno in loco pelagianam haeresin sapere[22]; ceterum si textus illi, in quibus error se prodit, omittuntur, notae illae, quae scholia potius quam commentarium constituunt, inutiles non sunt.

4. Origenis homilias duas in Canticum vertit, novem in visiones Isaiae, quatuordecim in Ieremiam et totidem in Ezechielem ac demum undequadraginta in Lucam.

5. *S. Hier.* Praef. in l. de nomin. hebr. et in l. de locis hebr. (M. 23, 771. 860).

6. *S. Hier.* Praef. in l. III. ad Gal. (M. 26, 400).

7. *S. Hier.* in Dan. 3, 37; in Ezech. 38, 1 sqq.; 36, 16 sqq. (M. 25, 510. 356, 342).

8. Cfr *S. Hier.* in Gal. Proleg. (M. 26, 308).

9. C. Rufin. I. 22; in Ierem. Prol. (M. 23, 415; 24, 681); quare in omnium fere commentariorum prologis vetustiorum de eodem argumento opera, quae legit, indicare solet.

10. C. Rufin. II. 11 (M. 23, 465).

11. In Malach. 1, 10 (M. 25, 1551).

12. In Zach. 8, 16 (M. 25, 1474).

13. In Ierem. l. VI. Prol. (M. 24, 865).

14. In Ierem. 38, 1 sqq. (M. 24, 356).

15. In Isai. Prol. (M. 24, 20).

16. C. Rufin. I. 21 sqq. (M. 23, 414).
17. In Matth. Prolog. (M. 26, 20).
18. Breviar. in Ps. 16 (M. 26, 862).
19. Cfr Admonit. in Breviar. (M. 26, 801 sqq.).
20. *Gennad.* de vir. illustr. 62 (M. 59, 1096).
21. *S. August.* De peccat. merit. et rem. III. 1 (M. 44, 185).
22. Quis auctor sit huius commentarii fuse et egregie inquirit *Klasen* (Pelagianistische Comment. zu den 13 Briefen des h. Paulus in *Tüb. Quartalschr.* 1885 p. 244 sqq.); cfr etiam Admonitionem *Vallarsii* commentario praefixam (M. 30, 667) et *R. Simon* Hist. crit. des commentateurs du N. T. p. 236 sqq.

S. Augustinus († 430), quamquam non iisdem, quibus Hieronymus, subsidiis instructus erat, tot tamen et tam egregia ad genuinam Scripturarum intelligentiam contulit, ut merito inter latinos interpretes post Hieronymum primum locum obtineat[23]. Praecipua eius opera exegetica haec sunt : in quatuor libris « de doctrina christiana », quomodo sensus S. Scripturae indagandus et exponendus sit, praeclare docet. Genesin quater interpretari conatus est S. Doctor; in duobus ll. « de Genesi contra Manichaeos » saepe, ut haereticorum difficultates solvat, ad sensum allegoricum recurrit; in opere imperf. « de Genesi ad literam » solum Gen. 1,1-26, et in duodecim libris « de Genesi ad literam » tria priora capita secundum sensum literalem explanat; demum in Confessionum libris XI-XIII allegorice creationis historiam explicat et de multiplici Scripturarum sensu disputat. Sequuntur duo opera in Heptateuchum (Pentat., Ios., Iudic.), scilicet « Locutionum libri septem » et « Quaestionum libri septem »; priores ex graeca lingua et hebraica phrases latinas minus usitatas illustrant; alteri scholia quaedam in difficiliores locos exhibent. « Adnotationes in Iob », « utrum suum opus habendae sint, an potius eorum, qui eas, sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in unum corpus descriptas de frontibus codicis », in quo illas in suum usum adscripserat Augustinus, ipse se nescire declarat et de earum obscuritate conqueritur[24]. « Explanationes in Psalmos » sensu literali fere neglecto allegoricas accommodationes et morales applicationes, utpote populi captui magis convenientes, sectantur. Inter quatuor libros « de consensu Evangelistarum » primus de Evangeliis generatim agit, tres reliqui quam plurimas apparentes contradictiones argute explicant; duo autem libri « Quaestionum evangelicarum » allegoricas et morales explicationes textuum quorundam Matthaei et Lucae exhibent, atque eodem modo libri duo « de sermone Domini in monte » capp. 5-7, primi Evangelii explanant; at « tractatus centum viginti quatuor in Evangelium S. Ioannis » commentarium dogmaticum praebent, in quo ariani, donatistae, pelagiani etc. impugnantur. « Expositio in ep. ad Romanos inchoata « de sola saluta-

tione (*Rom.* 1,1-7) agit; quatuor et octoginta difficiliores huius epistolae textus in « expositione quarundam propositionum ex ep. ad Romanos » explanat, ut ipse S. Doctor fatetur, non satis accurate[25]. « Expositio epistolae ad Galatas » « non carptim, id est aliqua praetermittens, sed continuanter et totam »[26] epistolam idque diligentissime explicat. « Tractatus decem in epistolam Ioannis ad Parthos » (i. e. in 1 Ioan.) arianos praesertim aliosque haereticos impugnant. Demum in libro de octoginta tribus quaestionibus[27] varias difficultates, inter quas haud paucae sunt scripturisticae, elucidat; eiusdem fere generis sunt eius libri duo de diversis quaestionibus ad Simplicianum et liber de octo Dulcitii quaestionibus; inter eius sermones quoque quam plurimi nonnullas Utriusque Test. pericopas egregie exponunt.

S. Doctor in omnibus fere operibus suis exegeticis aut theologi dogmatici aut concionatoris potius partes agit, quam interpretis; quare etiam theologis et concionatoribus utiliora sunt, quam interpretibus. Maxime in sermonibus et tractatibus, quos ad populum habuit, allegoriis indulget, mysticas numerorum significationes sectatur, moralibus consequentiis abundat; in operibus autem dogmaticis et polemicis sensui literali, uti par est, fideliter inhaeret eumque subtiliter investigat et diligenter exponit; ad haec igitur praeprimis recurrat interpres, at ea enumerare non est huius loci[28].

23. A protestantibus quibusdam Augustinus Hieronymo qua interpres praefertur cfr *Keil* Einl. p. 658 etc.

24. *S. Aug.* Retract. II. 13 (M. 32, 635).

25. Cfr Retract. I. 23 (M. 32, 620).

26. Retract. I. 24 (M. 32, 622).

27. Cfr de hoc opusculo Retract. I. 26 (M. 32, 624 sqq.).

28. De S. Augustino interprete cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 397 sqq.; Hist. crit. des commentateurs du N. T. p. 246-300.

241. — Utiliores quoque concionatori quam interpreti sunt *S. Petri Chrysologi* († 450) sermones, quorum multi Psalmos aliquos, pericopas evangelicas, textus paulinos pro argumento habent, *S. Leonis M.* († 461) sermones de festis Domini, *S. Maximi Taurin.* († 465) homiliae variae. *S. Prosper Aquit.* († 465) commentarium in Ps. 101-105 ex S. Augustini explanationibus excerptum nobis reliquit, et eodem fere modo *Primasius* († 550) ex vetustioribus latinis interpretibus suum commentarium in Paulinas epistolas desumsit.

M. Aurelius *Cassiodorius* (vel Cassiodorus † 562), postquam a Gothorum regibus ad summos regni honores promotus magna cum iustitiae et prudentiae fama rempublicam administravit, fere septuagenarius a. 539 in vivariense monasterium se recepit ibique se totum instituendis monachis tradidit. Quem in finem inter alia suum « de institutione divinarum litera-

rum » librum conscripsit, ut eos doceret, qua ratione S. Scripturam optime intelligerent. Quoniam vero hanc intelligentiam « per expositiones probabiles Patrum » esse acquirendam duxit [1], satis fuse exposuit, qui in varios libros commentarios composuissent et quid in iis colligendis ipse praestitisset. Deinde, quia « nequaquam nobis ut psittacis merulisque vernandum est, qui dum verba nostra conantur imitari, quid tamen canant, noscuntur omnibus modis ignorare » [2], Psalterium suis discipulis explicare statuit, in plerisque quidem S. Augustinum secutus sed ex suis quoque non pauca addens. « Expositioni Psalterii » utilem praemittit introductionem specialem de Psalmorum praestantia et de eorum titulis, atque singulos Psalmos ita tractat, ut eorum divisione indicata, « ne nobis intellectum permisceat aut occulta mutatio rerum aut varietas introducta loquentium », versus omnes « partim secundum spiritualem intelligentiam, partim secundum historicam lectionem, partim secundum mysticum sensum » exponat, ac demum dogmaticam conclusionem vel moralem exhortationem ex dictis colligat [3]. « Expositio in Canticum Cant. » de nuptiis Christi et Ecclesiae, num genuinum Cassiodorii opus sit dubitatur. « Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum et Apocalypsin » « non cuncta verba discutiunt, sed ad intentiones suas summatim dicta perducunt » [4], ut quodammodo argumenta epistolarum satis copiosa constituant.

S. Gregorius M. († 604) ab aequalibus inter maximos Scripturae interpretes adnumeratus est; etenim « in voluminibus Gregorii, inquit *S. Isidorus Hisp.*, quanta mysteria sacramentorum aperiantur, nemo sapiens explicare valebit, etiamsi omnes artus eius vertantur in linguas » [5]. Praecipua opera eius exegetica sunt « Moralium in Iob libri triginta quinque », « homiliae viginti duae in Ezechielem » et « hom. quadraginta in Evangelia ». Supremam interpretationis regulam sibi statuit « prius historiae radicem esse figendam, ut valeat mens postea de allegoriarum fructu satiari »; nam in « verbis sacri eloquii prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae; tunc enim fructus suaviter carpitur, quum prius per historiam in veritatis radice solidatur » [6]. Sed fateamur oportet, illum literae non admodum multum in praxi tribuisse; quamvis enim concedat « *aliquando* illum, qui verba accipere historiae iuxta literam negligat, oblatum sibi veritatis lumen abscondere » [7], tamen etiam censet « *aliquando* verba historiae intelligi iuxta literam non posse » [8], atque ideo statuit, « in Scriptura sacra etiam ea, quae accipi secundum historiam *possunt*, plerumque spiritualiter intelligenda esse, ut et fides habeatur in veritate historiae et spiritualis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriae... multo magis illa spiritualiter intelligenda esse, in quibus iuxta rationem literae nihil historicum sonet » [9]. Quibus principiis ductus in praecipuo suo opere, uti in aliis, « quaedam historica expositione transcurrit, et per allegoriam quaedam typica investigatione perscrutatur, quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutit, nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirens tripliciter indagat » [10].

Tribus genuinis S. Gregorii operibus adnumerantur tria alia, licet ab eius

discipulis proxime conscripta sint. Frequenter nimirum « commentariorum *in librum 1. Regnum libri sex* » et « *expositio super Canticum Cant.* » sub Gregorii nomine allegari solent; vix autem dubium est, commentarios hos ex homiliis a S. Doctore habitis collectos esse per *Claudium* eius discipulum [11]. Eodem fere modo ad S. Gregorium pertinet alterius ex eius discipulis, *S. Paterii,* « de expositione Veteris et Novi Testamenti liber » tribus partibus distinctus, siquidem ex magistri sui operibus omnibus discipulus collegit, quidquid de aliis libris sacris ille exposuerat [12].

1. *Cassiod.* de instit. div. liter. Praef. (M. 70, 1107).
2. *Cassiod.* Exposit. in Psalm. Praef. (M. 70, 11).
3. *Cassiod.* Exposit. in Psalm. Prooem. 14 (M. 70, 18 sq.).
4. *Cassiod.* Complex. in Epist. App. Praef. (M. 70, 1321).
5. *S. Isid. Hisp.* de eccles. script. 27.
6. *S. Gregor. M.* in Evang. hom. 40, 1 (M. 76, 1302).
7. *S. Gregor.* ad Leandr. ep. 4 (M. 75, 514).
8. *S. Gregor.* l. c. 3 (M. 75, 513).
9. *S. Gregor.* in Ezech. hom. 1, 3 (M. 76, 936 sq.).
10. *S. Gregor.* ad Leandr. 3 (M. 75, 513).
11. Cfr Admonit. ante Comm. in 1 Reg. (M. 79, 9 sqq.).
12. *S. Paterii* Exposit. V. et N. T. Prooem. (M. 79, 683).

II. Interpretatio catholica a saec. 7. usque ad Conc. Tridentinum finitum.

§ 12. — *Graeci interpretes a 6. utque ad 13. saeculum (Catenae).*

242. — Inde a saec. 6. in ecclesia orientali et a saec. 7. in occidentali nova videtur inchoanda esse historiae exegeseos periodus; ab eo enim tempore pauci admodum inveniuntur interpretes, qui Patrum vestigia tenentes in S. Scripturas proprio marte explicandas incubuerint; plerique potius ex vetustiorum scriptorum operibus illa, quae ad rem facere videbantur, collegerunt atque digesserunt. Neque tamen putandum, istam aetatem ad profectum exegeseos nihil omnino contulisse; suis enim commentariis iuniores illi interpretes sat multas et egregias explicationes ex Patrum operibus hodie deperditis excerptas nobis conservarunt, et non pauci ex illis traditas explicationes etiam diiudicaverunt suisque propriis auxerunt vel illustrarunt. Unde duas istorum interpretum classes distinguamus oportet, quum alii verorum commentatorum partes egerint, alii non sint nisi catenarum compilatores. Utriusque classis praecipuos enumerabimus atque primo quidem loco eos recensebimus, qui iustos commentarios nobis reliquerunt. Inter Graecos huc pertinent

Procopius Gazaeus sophista († 524) qui accurate nobis indicat, quomodo commentarios suos in Octateuchum composuerit; « antea, in-

quit, enarrationes in Octateuchum ex Patrum aliorumque commentariis variisque operibus collectas in unum opus coniunxeramus; sed quum singulorum sententias verbis eorum non mutatis, sive inter se consentirent sive dissentirent, transcripsissemus, in immensum creverat volumen nostrum; quare operae pretium duximus illud ad iustam mensuram reducere; quem in finem statuimus illa, in quibus conveniunt, semel tantum dicere, ea autem, in quibus dissentiunt, paucis verbis indicare, ut hac ratione unum solum corpus fieret; atque quaedam etiam ad maiorem sententiarum illustrationem adiecimus »[1]. Num integrum hoc opus absolverit necne, non constat; edita enim non sunt nisi octodecim priora Geneseos capita; quae autem in editionibus sequuntur, sunt varia fragmenta nescio unde collecta. Praeterea habemus eius scholia in libros Regum et Paralipomenon et commentarium in Proverbia, quem Card. Maius « pulcherrimum et χριστιανικώτατον » appellat[2]; in Proverbiorum interpretatione literalem fere sensum retinet. Commentarius in Isaiam rectius catena appellatur, quia non est nisi variarum expositionum epitome.

Andreas Caesariensis, de cuius aetate non satis constat, quum ab aliis saeculo 5. vel 6., ab aliis non ante saec. 8. vel 9. vixisse dicatur, nobis reliquit commentarium in Apocalypsin, quam historice, tropologice et allegorice explicat cuiusque vaticinia impleta esse ex historia demonstrare conatur. In prologo suo profitetur se ex antiquorum Patrum, Gregorii Theologi, Cyrilli Alex., eorumque, qui hisce multo vetustiores sint, Irenaei, Methodii, Hippolyti libris « sententias multas desumsisse et suis commentariis inseruisse »[3].

Arethas Caesariensis, ipse quoque incertae aetatis scriptor, sed ut videtur Andreae immediatus in sede caesariensi successor, etiam in Apocalypsin commentarium vel potius scholia iuxta eandem methodum composuit; Patres autem, quos secutus est, enumerat Basilium, Gregorium Theol., Cyrillum, Papiam, Irenaeum, Hippolytum[4].

Hesychius presb. ierosolymitanus iuxta aliquorum sententiam ineunte saec. 5. vixit, ab aliis exeunti saec. 6. adscribitur; eius « commentariorum in Leviticum libri septem » integri in allegoriis versantur; allegorica quoque est explicatio Psalmorum in fragmentis, quae conservata sunt. Non inutilis est « collectio difficultatum et solutionum excerpta per compendium ex Evangeliorum consonantia », quum paucissimis verbis plerarumque evangelicarum enantiophaniarum solutionem indicet. Demum in sua epitome duodecim Prophetarum et Isaiae divisionem quandam librorum istorum proponit partiumque argumentum innuit[5].

Anastasius Sinaita († 599) « anagogicarum considerationum in hexaemeron libros duodecim » scripsit. Quamnam methodum secutus sit, his verbis indicat : « aequum esse existimo per universam nostram hexaemeri expositionem monere lectores, quod literalem divinorum operum historiam non

dissolvens spiritualiter corporales creaturas per allegoriam exponam, nec evertens Patrum expositiones, sed sequens Paulum dicentem, veterem Scripturam et Legem esse umbram veritatis rerum Christi et Ecclesiae...; et ideo excutiens spicam Scripturae ab extrinsecus imposito operculo literae mosaicae primam rationem... id est Christum inquirimus »[6]. Satis longam quoque orationem in Ps. 6. reliquit, quo nos edoceri censet, « quomodo Deum placare debeamus »[7].

Olympiodorus, diaconus alexandrinus († c. 620), non absimilem viam tenuit quamvis non tantum, quantum Anastasius, allegoriis tribueret : « ita, inquit, a Patribus edocti sumus, ut neque ea, quae in libris sacris scripta sunt, radicitus evellamus omnia ad allegorias convertentes, neque Iudaeorum more in sola litera haereamus, sed ut... alia quidem historiae tribuamus, alia autem theoriae »[8]. Supersunt eius commentarii in l. Iob, fragmenta commentariorum in Psalmos, Ecclesiasten, Ieremiam et Baruch, et in Lucae Evang. ex catenis collecta.

S. Maximus († 662), eximius orthodoxae fidei contra monotheletas propugnator, praeter opera sua dogmatica reliquit « Quaestiones ad Thalassium de Scriptura Sacra », expositionem Ps. 56. et interpretationem orationis dominicae[9]. Non immerito de quaestionibus eius censet Photius, « adeo procul a litera et a nota historia sive potius ab eo ipso quod quaesitum erat, solutiones recedere, ut lectoris animum obtundant; eum autem, qui allegoriis delectetur, alibi non inventurum esse magis varias aut diligentius elaboratas[10].

S. Ioannes Damascenus († 760) hoc loco nominandus est ob « Expositionem in S. Pauli epistolas », quam ex S. Chrysostomi homiliis ita excerpsit, ut pauca ex Theodoreto et Cyrillo adderet, et ob « Sacra parallela », opus perutile, in quo ad varia fidei dogmata et morum praecepta alphabetico ordine disposita textus sacros ex Utroque Testamento collegit, quibus Patrum de iisdem capitibus testimonia adiecit[11].

Photius († 891) in suis Amphilochiis plus ducentas quadraginta quaestiones scripturisticas tractat, quarum aliae enantiophanias elucidant, aliae diversas Patrum de aliquo textu sententias diiudicant, aliae difficultates biblicas solvunt; pleraeque de Pentateucho, Psalmis, Ecclesiaste, Evangeliis Paulinisque agunt. Teste Card. Hergenroether, quo nemo melius Photii opera pervestigavit, « sobriam plerumque sequitur interpretandi rationem, qua allegoristarum immoderantiam et perversitatem respuit, neque tamen mysticum sensum reprobat, immo saepe Veteris Testamenti typi late admodum illustrantur et literae spiritus praefertur »[12]; haud raro quoque Theodoreti aliorumque sententias, tacitis tamen eorum nominibus, in quaestionibus suis transcribit. Praeterea eius habemus commentarium brevem in S. Lucae Evangelium et commentariorum in reliquos Novi Testamenti libros

fragmenta ex catenis collecta. Praeprimis autem utilis est eius Bibliotheca, in qua permultorum operum deperditorum excerpta nobis conservavit.

OECUMENIUS (saec. 10) Tricae in Thessalia episcopus, ex antiquorum Patrum tractatibus et homiliis perutiles commentarios in Actus App., epistolas Paulinas et Catholicas collegit. Satis presse sacro textui inhaeret, locutiones, quae aliquid ambigui habent, suis ipsius verbis aliquoties explicat ac similiter hyperbata indicat aliasque styli proprietates, quae paulinarum lectionem impediunt. Patres, quorum sententias haud raro diversas ad eundem textum affert, praecipui sunt Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus Alex., Mopsuestenus, Photius; sed eos non semper nominat [13].

THEOPHYLACTUS († 1107), Bulgarorum episcopus, omnes Novi Testamenti libros commentatus est; sed commentarii eius, quum homilias S. Chrysostomi fere excerpere et in compendium redigere soleant, in codicibus interdum inscribuntur « epitome exegeticarum explicationum S. Chysostomi »; allegoricas tamen et morales explanationes suas non omnino paucas adiecit. Commentarius in epistolas catholicas ad verbum fere consonat cum Oecumenii commentariis, ut non sint nisi duae eiusdem operis recensiones. Ex Vetere Testamento rogatus ab imperatrice explicavit quinque minores Prophetas (Osee, Habacuc, Ionam, Nahum, Michaeam); sed secundum triplicem expositionem iussus ex veteribus Patribus commentarios istos colligere monet, « non omnia eiusmodi esse, ut sine violentia triplicem illum sensum admittant » [14].

EUTHYMIUS ZIGABENUS vel Zigadenus († 1118) ultimus ex graecis commentatoribus est, qui nominari mereatur; in Psalterium et Evangelia reliquit commentarios, qui ab omnibus fere exornantur laudibus; Maldonatus eum vocat « in verborum proprietatibus diligentissimum », Labbeus « doctissimum interpretem », Rich. Simon paucos censet graecos interpretes tam accurate et tanto cum iudicio Scripturas exposuisse, quam Euthymium [15]. Evangelia secundum literalem sensum explicat; expositurus Psalmos praemonet se non omnia dicta eodem modo interpretari posse, « aut secundum historiam, aut secundum prophetiam, aut allegorice, aut moraliter », sed saepenumero se eundem locum variis sensibus explicaturum [16]. Haud minus egregius est eius commentarius in omnes Epistolas nuper iterum repertus [17].

1. *Procopii Gaz.* Comment. in Gen. Prol. (M. 87, 22).

2. *Card. Mai.* in Monito praev. ad edition. Comm. in Prov. (M. 87, 1219). Comm. in Isaiam M. 87, 1817.

3. *Andreae Caes.* Comment. in Apoc. Prolog. (M. 106, 220); cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des commentateurs du N. T. p. 465 sqq.

4. *Arethae Caes.* In Apoc. Praef. (M. 106, 494); cfr *Rich. Simon* l. c.

5. *Hesychii presb.* opera exegetica collecta sunt apud M. 93, 781-1448; dubitari autem iure potest, num omnia haec eundem habeant auctorem.

6. *Anastas. Sin.* in Hexaem. IV. 1 (M. 89, 889).

7. *Anast. Sin.* Or. in Ps. 6 (M. 89, 1089).

8. *Olympiod.* In. l. Iob. Prooem. (M. 93, 17). Opera eius exegetica M. 93, 11-779.

9. Cfr opera eius exegetica (M. 90, 244-911).

10. *Phot.* Biblioth. cod. 192 a. (M. 103, 645).

11. Cfr opera eius exegetica M. 95, 441-1053.

12. *Card. Hergenroether* Prolegom. in Amphiloch. Photii § 3. (M. 101, 11).

13. Opera eius exegetica M. 118 et 119. Ab aliquibus dubitatur, num opera haec Oecumenium habeant auctorem, an potius catenam quandam anonymam constituant ex variis interpretibus, inter quos etiam Oecumenius fuerit, collectam; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des comment. du N. T. p. 458.

14. *Theophyl.* in Osee. Prolog. (M. 126, 565). De eius commentariis in N. T. cfr *R. Simon* l. c. p. 391.

15. *R. Simon* l. c. ch. 29. p. 409.

16. *Euthym. Zigab.* in Psalm. Prooem. (M. 128, 72).

17. *Euthymii Zigab.* comment. in quatuordecim epist. S. Pauli et septem Catholicas; nunc primum ed. *Niceph. Calogeras.* Athenis 1887.

243. — A quibus commentatoribus, quamvis Patrum opera frequentissime excerpant eorumque sententias referant aut sequantur, distinguendi tamen sunt CATENARUM compilatores. Nomine autem *Catenae* designari solet interpretatio libri alicuius continua ita ex Patrum commentariis, homiliis aliisve tractatibus collecta, ut singuli versus variis expositionibus illustrentur, quae aut propriis Patrum verbis aut illis in compendium contractis referuntur atque plerumque nomen auctoris adscriptum habent; συλλογαὶ vel συναγωγαὶ ἑρμηνειῶν vel ἐξηγήσεις συνερανισθεῖσαι a Graecis appellantur. Patres, quorum opera graeci catenarum compilatores potissimum excerpserunt, Origenes, et Chrysostomus sunt, Theodoretus, et Cyrillus Alex.; at aliorum quoque haud paucorum nomina non raro in illis inveniuntur. Cavendum est, ne maior, quam par est, fides illis adhibeatur; etenim aliqui ex Graecis recentioribus permulta sua nomine Patris alicuius antiqui decorasse videntur; a librariis autem nomina Patrum saepe sunt permutata. Quibus non obstantibus fatendum est, catenas illas suo merito et valore non carere ex iisque solis quam plurimas expositiones patristicas nobis innotuisse. Catenae, quarum numerus sat magnus adhuc in bibliothecarum pulvere latet, pleraeque sunt anonymae; ex Patrum autem, qui allegantur, nominibus elucet eas a 6. fere usque ad 12. saec. esse collectas. Initio saec. 17. imprimi coeptae sunt; de eorum editionibus optime meruerunt inter catholicos *P. Balth. Corderius* S. I. et P. *Petr. Possinus* S. I. ac nostra aetate *Ang. Maius,* inter protestantes nostra aetate *J. A. Cramer*[1].

1. Praecipuas *Catenas graecas* typis editas secundum librorum sacrorum ordinem dispositas enumerare non superfluum est : In Octateuchum ed. *Nicephorus* (Lipsiae 1772 2 voll. fol.), in Iob ed. *Patric. Iunius* (Londini 1637 fol.); in Psalmos ed. *B. Corderius* S. I. (Antw. 1643-46 3 voll. fol.); in Proverbia ed.

A. Schottius S. I. (Antw. 1614. fol.); in Ieremiam et Threnos ed. *M. Ghislierius* (Lugd. 1633 3 voll. fol.); in Danielem ed. *Ang. Maius* (Romae 1831 4°); in S. Matthaeum edd. *P. Possinus* S. I. (Tolos. 1646 fol.) et *B. Corderius* S. I. (Antw. 1646 fol.); in S. Marcum ed. *P. Possinus* S. I. (Romae 1673 fol.); in SS. Matthaeum et Marcum ed. *I. A. Cramer* (Oxonii 1840 8°); in S. Lucam ed. *B. Corderius* S. I. (Antw. 1627. fol.); in S. Ioannem ed. *B. Corderius* S. I. (Antw. 1630. fol.); in SS. Lucam et Ioannem ed. *I. A. Cramer* (Oxonii 1841 8°); in Actus App. ed. *I. A. Cramer* (Oxon. 188) 3, in epistolas Paulinas ed. *I. A. Cramer* (Oxon. 1841-48 8°), in epistolas Catholicas edd. *Matthaei* (Rigae 1782 8°), et I. A. Cramer (Oxon. 1840); in Apocal. ed. *I. A. Cramer* (Oxon. 1840). Optima inter omnes est illa, quam *B. Corderius* S. I. in Psalmos collegit et edidit.

§ 13. — *Latini interpretes a 7. usque ad 12. saeculum* (*Glossae*).

244. — Inter latinos interpretes, qui post S. Gregorium M. usque ad scholasticorum aetatem floruerunt, non multi singulari commemoratione digni sunt, quamvis vix ullus ecclesiasticus vir alicuius nominis fuerit, quin aliqua saltem ad divulgandas antiquorum expositiones contulerit. Praecipui sunt :

S. Isidorus Hisp. († 636), qui in libro « de allegoriis S. Scripturae » praecipuos typos Utriusque Test. paucis verbis explicat et in « libro numerorum, qui in S. Scripturis occurrunt » docet, quomodo numeri mystice sint interpretandi. « Quaestiones in Vetus Test. » vel rectius in eius libros historicos illa tractant, « quae figuratim dicta vel facta sunt et sunt plena mysticis sacramentis », atque « veterum sententias congregans et pauca de multis breviter perstringens pleraque etiam adiicit »[1]. Praeterea ex eius operibus huc spectant : « de ortu et obitu Patrum, qui in Scripturis laudibus efferuntur », et « in libros Veteris et Novi Testamenti prooemia », quae introductionem quandam constituunt ex iudaicis fontibus partim concinnatam.

Ven. Beda († 735), maximum ecclesiae anglicae lumen, non tantum omnes suae aetatis interpretes multum superat, sed etiam inter omnium aetatum meliores interpretes non ultimo loco est nominandus. Quamquam enim antiquorum Patrum sententias collegit, suis tamen multis et egregiis adnotationibus illas auxit et illustravit. Quamnam in plerisque commentariis methodum tenuerit non semel ipse indicat : « in (S. Marci) Evangelium.... scripturi maxime quae in Patrum venerabilium exemplis invenimus, hinc inde collecta ponere curabimus; sed et nonnulla propria ad imitationem sensus ipsorum, ubi opportunum videbitur, interponemus »[2]; ne suae tamen adnotationes cum Patrum explicationibus confunderentur, neque « maiorum dicta furari et haec quasi sua propria componere » diceretur, initialibus nominum literis ea distinxit et « multum obsecrat et per Dominum legentes obte-

statur, ut si qui haec opuscula transcriptione digna duxerint, memorata quoque nominum signa affigere meminerint »[3]; quod monitum dormitantes librarii satis frequenter neglexerunt. Quatuor illos sensus, quos postea interpretes scholastici excoluerunt, Ven. Beda agnovit, ita tamen, ut inter typos et allegorias non clare distingueret; typicum autem maximi fecit latiusque, quam par est, extendisse videtur et vix non figuristis praelusit. Illud enim S. Pauli dictum « omnia in figura contingebant illis » (1 *Cor.* 10,11) explicans ait : « *omnia* non solum facta vel verba, quae sacris literis continentur, verum etiam locorum, et horarum, et temporum situs et ipsarum quoque, in quibus gesta sive dicta sunt, circumstantiae rerum »[4]. Quare etiam « non vetera tantummodo de thesauro Scripturarum proferre i. e. solas literae figuras more iudaico sequi » vult, sed etiam « allegoricum sensum exsculpere, qui nos vivaciter interius castigando, erudiendo, consolando reficit »[5]. Unde factum est, ut aliquorum historicorum librorum allegoricam tantum expositionem reliquerit, uti Samuelis, Esdrae, Tobiae.

Inter exegetica Ven. Beda scripta alia ad commentariorum, alia ad homiliarum genus pertinent, alia dissertationum in modum difficiliores textus tractant. In fine suae Historiae ecclesiasticae gentis Anglorum quinque et viginti opera sua exegetica enumerat[6], ex quibus deperditi sunt commentarii in Isaiam, Danielem, Prophetas minores. Hodie praeter dubia quaedam, quae aliis in codicibus Isidoro Hisp., Alcuino, Rhabano Mauro adscribuntur[7], supersunt : « Hexaemeron seu libri quatuor in principium Geneseos », « de tabernaculo et vasis eius libri tres », « expositio allegorica in Samuelem », « Quaestiones in libros Regum », « de templo Salomonis », « allegorica expositio in Esdram et Nehemiam », « interpretatio allegorica libri Tobiae », « expositio in Parabolas Salomonis », « de muliere forti », « expositio in Canticum », « in canticum Habacuc », « expositio in quatuor Evangelia et Actus App. », « expositio in epistolas Cathol. », « expositio in Apocalypsin ». Explicatio epistolarum Paulinarum, quae sub Bedae nomine fertur, quum non sit nisi compilatio explicationum ex Augustini operibus desumtarum, recte ei abiudicatur, atque inter centum sexaginta homilias quoque, quae sub eius nomine eduntur, multae sunt dubiae. Quanto cum zelo Scripturarum studio tempus suum dederit, longus operum catalogus demonstrat; illud autem in memoriam revocemus oportet, Ven. nostrum Doctorem etiam, uti supra monuimus, Evangelia in linguam anglosaxonicam vertisse et ultimo versu Evangelii S. Ioannis dictato vitam suam terminasse.

Circa finem saec. 8. floruit *Paulus Warnefrid* (Paulus diaconus vel

Levita † 799), quem hoc loco nominandum censemus, quamquam ipse libros sacros commentatus non est. Etenim a Carolo M. iussus in pericopas dominicales et festales ex Patrum (Origenis, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Leonis M., Gregorii M., Ven. Bedae) operibus collegit homilias, quae in ecclesiis praelegerentur; quarum collectio occasionem dedit novi cudendi nominis *Postillae* (« post illa » sc. Evangelii vel Epistolae verba legenda est haec homilia), quo mediae aetatis interpretes haud raro suos commentarios inscribunt[8]. Eodem tempore *Sedulius Scotus* videtur vixisse, cui commentarius in omnes Pauli epistolas adscribitur, opus haud plane spernendum, quum fere ex Augustini aliorumque veterum sententiis sit catenarum in modum contextum[9].

1. *S. Isidor. Hisp.* in Gen. Praef. (M. 83, 207).

2. *Ven. Bedae* Ep. ad Accam Episc. ante Evang. S. Marci (M. 92, 134); cfr etiam epistolas dedicatorias in Evang. S. Lucae, in Actus App. etc. (M. 92, 304, 940).

3. *Ven. Bedae* Ep. ad Accam ante Evang. S. Lucae (M. 92, 305); cfr etiam in S. Marc. (M. 92, 134).

4. *Ven. Bedae* De tabernaculo I. 1. (M. 91, 304).

5. *Ven. Bedae* ad Accam ante Exposit. in Samuelem Proph. (M. 91, 494).

6. *Ven. Bedae* Hist. Eccles. V. 24 (M. 95, 289).

7. Etiam inter certa Bedae opera leguntur aliqua, quae aliis auctoribus interdum attribuuntur. Allegorica Parabolarum expositio ex. gr. eadem legitur inter opera Bedae (M. 91, 937 sqq.) et Rhabani Mauri (M. 114, 679).

8. Unde dein *postillare* idem quod explicare Scripturas, *postillator* idem quod Scripturae interpres. — *Pauli diac.* Postillam vel homiliarium habes in M. 95, 1160 sqq.

9. Cfr *Rich. Simon* Hist. des comment. du N. T. p. 379 sqq. *Sedulii* collectanea in omnes Pauli epp. exstat apud M. 103, 9-270.

245. — Similem viam cum Ven. Beda tenuerunt Alcuinus illique theologi, qui ex eius schola prodierunt; ipsi quoque haud raro diserte declarant, se compilatorum potius quam interpretum partes agere, atque satis frequenter eiusdem textus varias vel etiam sibi opposita antiquorum explicationes afferunt iudicio lectoribus relicto.

Alcuinus († 804), quem Carolus M. ad studia theologica in regno suo promovenda advocaverat, et viva voce et libris scriptis discipulos instituit. Quantum in Vulgatae emendatione laboraverit, iam diximus (167); reliquit etiam sat magnum numerum opusculorum, in quibus libros vel textus quosdam Scripturarum explicat. Sunt autem : « responsiones » brevissimae plus ducentae triginta « ad quaestiones de Genesi » a Singulfo presbytero ei propositas; « enchiridion, seu expositio brevis ac pia in Psalmos poenitentiales, in Ps. 118. et graduales », in qua expositione « ex Patrum tractatibus, qui copiose de singulis in Psalmorum libro versibus scrutati sunt », « flores dulcissimos » collegit[1]; compendium in Canticum Cant. » ex Ven. Bedae expositione

excerptum[2]; « commentaria super Ecclesiasten », quae ipse vocat « breviarium ex sanctorum opusculis Patrum ac maxime de B. Hieronymi commentario compositum »[3]; « commentaria in S. Ioannis Evangelium » perutilia, quae ex Augustini, Ambrosii, Gregorii M., Ven. Bedae aliorumque tractatibus collegit, « magis horum omnium sensibus ac verbis utens, quam suae quidquam praesumtioni committens... cautissimo plane stylo praevidens, ne quid contrarium sanctorum Patrum sensibus poneret »[4]; « explanatio in Pauli epp. ad Titum, Philem. » (ex S. Hieronymi commentariis excerpta), ad Hebraeos (in qua permulta ex Chrysostomi homiliis), ac demum « commentariorum in Apocalypsin libri quinque », qui integri ad nos non pervenerunt, sed solos duodecim priora capita explicant.

Inter Alcuini discipulos praeclarissimi sunt *Haymo Halberstadiensis* episcopus (†855) et *Rhabanus Maurus* (†856), archiepiscopus moguntinus, qui multa reliquerunt commentaria; atque in Haymonis quidem editionibus inveniuntur explanatio Psalmorum et canticorum in officio divino adhibitorum, commentarii in Isaiam, enarratio in Prophetas minores, interpretatio in Pauli epistolas, commentariorum in Apocalypsin libri septem, demum homiliae super Evangelia totius anni[5]. Longe eum superat RHABANUS, qui praeter linguam graecam hebraicam quoque et chaldaicam calluit, nec solis commentariis, sed etiam institutionibus hermeneuticis Scripturarum intelligentiam promovere studuit. Teste enim Baronio « emicuit plane Rhabanus ut fulgentissimum sidus, cuius quae exstant scripta, tamquam lucis radii, excellentiam demonstrant auctoris, ut et iisdem illustrata Germania glorietur suum haud adeo imparem magnis habuisse doctorem »[6]. In opere suo de clericorum institutione ex S. Augustini libris de doctrina christiana regulas praecipuas hermeneuticas exposuit[7]. Quemnam porro ipse in commentariis suis modum tenuerit, ex eius epistola ad Freculphum commentariis in Pentat. praemissa videre est : « Sanctorum Patrum libros, inquit, in quibus rebar aliquid de sententiis Legis expressum esse, quantum licuit, perlegi, et singula secundum opportunitatem loci, prout mihi satis esse videbatur, inserui eorum nominibus ante in pagina praenotatis. Si quid vero gratia divina indigno mihi elucidare dignata est, in locis necessariis simul cum nota agnominis mei interposui, quatenus sciret lector, quae ex Patrum traditione haberet et quae ex parvitate nostra licet sermone rustico, tamen ut credo sensu catholico, exposita inveniret »[8]. In commentariorum in libros Regum praefatione monet se praeter Patrum dicta etiam « ex capitulis Hebraei cuiusdam modernis temporibus in Legis scientia periti traditionem Hebraeorum non paucis locis simul cum nota nominis eius inseruisse,

non ut ingereret alicui auctoritatem ipsius, sed simpliciter potius eius, quod scriptum reperisset, probationem lectoris iudicio derelinqueret »[9]. Ex operibus eius exegeticis hodie habemus commentarios in omnes libros historicos Veteris Test., in Proverbia, Sapientiam, Ecclesiasticum, in Ieremiam et Ezechielem, in S. Matthaei Evangelium et in epistolas Paulinas.

Etsi merito inferior, fama tamen superat Rhabanum discipulus eius WALAFRIDUS STRABO († 849), abbas augiensis, auctor GLOSSAE ORDINARIAE ob communem suum apud theologos usum nuncupatae. Glossa est catena quaedam brevior ex Hieronymi maxime, Augustini, Gregorii M., Isidori Hisp., Bedae, rarius ex Ambrosii et Chrysostomi, interdum etiam ex Origenis, Cassiodorii, Rhabani operibus concinnata, quae per multa saecula in quaestionibus exegeticis eadem auctoritate potita est, qua in philosophicis « Philosophus » κατ'ἐξοχήν, i. e. Aristoteles, et in theologicis « Magister » Sententiarum, Petrus Lombardus. Quae enim in Glossa allatae sunt Patrum expositiones, illae a theologis allegantur sollemnibus formulis « auctoritas dicit », vel « lingua S. Scripturae dicit » et similibus, atque interdum ab interpretibus vix non eadem cum diligentia, qua ipse textus sacer, explicantur. Decursu temporis Glossa ordinaria frequenter interpolata est adnotationibusque ex rabbinorum profanorumque auctorum libris aucta; quae notae tamen in nonnullis impressis iure omissae sunt [10].

A Glossa ordinaria distinguenda est GLOSSA INTERLINEARIS, nomine hoc insignita, quia inter lineas textibus Scripturae brevissimas notas ex Patrum operibus excerptas addidit. Eius auctor est *Anselmus Laudunensis* († 1117), cuius scholia, quum vocabula potius quam phrases interpretentur, non eandem, quam Glossa ordinaria, auctoritatem habuerunt, nihilominus saepe una cum ordinaria Bibliis adscripta inveniuntur [11].

Non parvus est numerus aliorum interpretum, qui a saec. 10. usque ad 12. libros sacros commentati sunt; at quum omnes eandem viam tenuerint atque pauca nova attulerint honoris tantum causa nominamus *Remigium Autissiodorensem* († 899), *Notkerum Balbulum* († 912), *Brunonem Herbipolensem* († 1045), *Lanfrancum Cantuariensem* († 1089), *S. Brunonem Rhemensem* vel potius *Coloniensem* ordinis carthusiani fundatorem († 1101)[12].

1. *Alcuin.* Enchirid. Praef. (M. 100, 571).
2. Cfr *Alcuin.* Compend. in Cant. (M. 100, 642 sqq.) et *Bedae* Exposit. (M. 91, 1065 sqq.).
3. *Alcuin.* in Eccle. Praef. (M. 100, 667).
4. *Alcuin.* Comm. in Ioan. Praef. (M. 100, 744).

5. Num omnes commentarii enumerati Haymonem auctorem habeant, controvertitur; inveniuntur M. 116-117. In genere Haymo, quamvis ex. gr. in Isaia et Prophetis minoribus explicandis Hieronymum sequatur, tamen multo magis, quam reliqui suae aetatis interpretes, commentatorem agit; liberior enim incedit nec Patrum testimonia congerit, sed suo modo proponit. In N. T. explicatione a praedecessoribus suis magis dependet; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des commentateurs du N. T. ch. 26 p. 365 sqq.

6. *Baron.* Annal. ad an. 856.

7. *Rhab. Maur.* de instit. cler. III. 2 sqq. (M. 107, 307 sqq.). — De Canone librorum sacrorum eorumque argumento agit De Universo V. 1 sqq. (M. 111, 103 sqq.); literalem et mysticam explicationem nominum personarum, quae in Utroque Testamento occurrunt, habes De Univ. II-IV. (M. 111, 31 sqq.).

8. *Rhab. Maur.* comm. in Gen. Ep. ad Freculph. (M. 107, 441). Similia in aliis praefationibus in Matth., Exod., Levit. etc. (M. 107, 729; 108, 10. 247). Attamen in Praef. Enarrat. in epistolas S. Pauli (M. 111, 1276) monet : « nec ex meo sensu in hoc opere plura protuli, sicut in aliis opusculis meis feci, credens sobrio lectori sufficere, quod in Patrum sententiis editum repererit ». Enarrationes hae veram constituunt catenam, in qua etiam Patrum diversas et opposítas explicationes congerere non dubitavit, ut lector « in mente sua plurima coacervans possit de singulis iudicare, quid sibi utile sit inde sumere; doctores enim ipsi omnes catholici fuerunt excepto Origene, cuius tamen sententias tantummodo, quas catholico sensu prolatas credidi, sumsi ; ceteras autem omisi ».

9. *Rhab. Maur.* Comment. in Reg. Praef. (M. 109, 10). Haggadas quasdam ex Hebraeo illo transumsit cfr 1 *Reg.* 2, 5; 6, 17; 9, 49 etc.

10. Cfr *Sixt. Sen.* Biblioth. s. l. IV. s. v. Strabus; *Rich. Simon* Hist. crit. des Comment. du N. T. ch. 27. p. 377 sqq. — Glossa ordinaria saepissime typis prodiit, (editio princeps Norimbergae 1492) plerumque cum Postilla Lyrani coniuncta.

11. *Possevinus* Glossam interlinearem dicit « breviter et quasi punctim, sed docte et accurate multa attingere »; cfr Hist. littér. de la France X. p. 170 sqq. (apud M. 162, 1181), ubi eorum quoque sententia refutatur, qui Gilbertum diaconum aut Gilbertum Porretan. eius auctorem esse credunt. Anselmo Laudun. adscribuntur etiam enarrationes in Canticum, in Matth. et in Apocalypsin, quae leguntur M. 162, 1187-1587.

12. *Remigii Antissiod.* Comment. in Genes. et in Psalm. (M. 131, 52-844); *Notkeri Balbuli* De interpretibus divinarum Scripturarum (M. 131, 993 sqq.); *Brunonis Herbipol.* Expositio in Psalmos et Cantica (M. 142, 50 sqq.); *Lanfranci Cantuar.* Comment. in epist. S. Pauli (M. 150, 101 sqq.); *S. Brunonis Carthus.* Comment. in Psalmos et in epist. Pauli (M. 152 et 153) etc.

§ 14. — *De interpretatione scholasticorum.*

246. — A saec. 12. nova incipi solet periodus in historia scientiarum theologicarum, periodus sc. theologiae scholasticae. Scholasticos de philosophia et de theologia speculativa et practica optime meritos esse nemo catholicus hodie in dubium vocare audet; at ob « philosophum » et « sententiarum magistrum » Scripturas neglexisse creduntur a non paucis. Quam sententiam erroneam dicere non dubitamus;

una enim cum speculativa theologia exegeseos quoque studium revixisse et non parvos progressus fecisse pro certo asserimus. Tanto in honore illa aetas studia scripturistica habuit, ut ex celebrioribus theologis vix unus nominari possit, quin praeter commentarios in Lombardi sententias etiam in aliquos libros sacros explanationes exaraverit. Quae opera exegetica pleraque in bibliothecarum pulvere latent ac putrescunt; haud pauca eorum digna non esse, quae typis evulgata ad novam vitam revocentur, libentes, si quis contendere voluerit, concedimus; at iure merito interrogare licet, num illis, quae fertilissima nostra aetas in lucem emittit, fuerint inferiora. Nonnemo forsitan putaverit, ex omnibus istis operibus exegeticis, quae ingente numero hoc nostro saeculo a protestantibus et etiam a catholicis composita sunt, post quinque vel sex saecula nullum amplius adhibitum iri, S. Thomae Aq. autem commentarium in epistolas Paulinas aliaque quaedam opera exegetica scholasticorum etiam tum fore in honore.

Plerosque theologos scholasticos multis magnisque subsidiis, quae ad librorum sacrorum intelligentiam non parum conferunt, caruisse, certum quidem est; plerisque linguarum sacrarum, archaeologiae, historiae, geographiae scientia defuit; sed profundum dogmatum studium et continua traditae explicationis lectio in interpretanda Scriptura magno illis fuerunt auxilio. Regulae autem hermeneuticae, quas statuerunt, eaedem fere sunt, quas Patres iam statuerant, quasque omnes interpretes catholici sequi tenentur.

Quum Scripturae sint divinitus inspiratae atque Deus pro sua infinita sapientia eas in multis obscuras esse voluerit, ad eas intelligendas duplicem praeparationem, ethicam et scientificam, requiri docuerunt. Atque praeprimis *pietate* interpretem indigere statuerunt. « Spiritus S., inquit *B. Albertus M.,* est ostiarius Scripturae, qui nisi aperiat divina virtute, nemo ad intelligendum et docendum divina intrare poterit »[1]; atque *S. Bonaventura* Christi fidem dicit « lucernam et ianuam et fundamentum Scripturarum »; « mediante hac fide, inquit, datur nobis notitia S. Scripturae secundum influentiam beatissimae Trinitatis »[2]; praeter quam fidem et pietatem continua lectio studiumque indefessum requiruntur. Notissimis autem versibus *Hugo a S. Vict.* sex ethica praerequisita comprehendit :

Mens humilis, studium quaerendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena :
Haec reserare solent nonnulla obscura legenti[3].

Quam vitam humilem piamque ab Hugone descriptam egerunt theologi illius aetatis, qui plerique in monasteriis degentes totique divino servitio dediti soli divinarum scientiarum studio vacarunt.

Uti supra monui, linguas graecam et hebraicam plerique ignoraverunt; si quis hac de re dubitaret, facillime miris istis convinceretur etymologiis, quas interdum proponunt[4]. Tantum vero abest, ut linguarum scientiam interpreti perutilem, quin etiam necessariam, esse negaverint, ut cuncti diligentissime collegerint adhibuerintque quaecumque a S. Hieronymo aliisque de vocabulorum hebraicorum et graecorum significatione, de loquendi usu hebraico vel graeco adnotata viderunt, atque illi, qui scientia linguarum imbuti erant, uti Lyranus, Paulus Burg., Raymundus Martini etc., frequentem felicemque earum usum fecerint.

Duplicem sensum, literalem et typicum, omnes admiserunt; ea enim, quae supra (**193** sqq.) auctoritate S. Thomae comprobavimus, communis omnium fuit sententia; omnes quoque cum S. Thoma tres species typici sensus, allegoricum, tropologicum, anagogicum, distinxerunt, atque cum eodem solum literalem sensum argumentum firmum praebere docuerunt. Neque tamen defuerunt, quos literalem sensum nimis deprimere diceres, si eorum verba urgeres; inter quos ex. gr. *Hugo a S. Vict.* : « oportet, inquit, sic tractare divinam Scripturam, ut nec ubique allegoriam, nec ubique quaeramus tropologiam, sed singula in suis locis, prout ratio postulat, competenter assignare »; et « divina pagina multa secundum sensum naturalem continet, quae et sibi repugnare videntur et nonnunquam absurditatis aut impossibilitatis aliquid afferre »[5]. Verumtamen in istis et similibus locis de sensu agunt metaphorico, quem ad spiritualem vel typicum trahunt[6]; ceterum idem Hugo rectissime iam docet disertis verbis, in Scripturis etiam res significare[7] et praeclare ait : « si litera tollitur, Scriptura quid est?... Neque contemnendam putet (lector) harum rerum notitiam, quam nobis Scriptura per primam literae significationem proponit, quia ipsae sunt, quas Spiritus S. carnalibus sensibus, qui nonnisi per visibilia invisibilia capere valent, quasi quaedam simulacra mysticorum intellectum depingit »[8]. Quibuscum consentiens *S. Bonaventura :* « qui literam, inquit, S. Scripturae spernit, ad spirituales eius intelligentias nunquam assurget », et « in Scriptura nihil contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo, quod Spiritus S., eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum »[9]. Quae quam sint consona illis, quae supra ex Patrum operibus attulimus, perspicuum est.

Etsi vero in theoria primas partes darent scholastici sensui literali atque sensum typicum rectissime definirent, in praxi tamen eos non semper fideles principiis suis inhaesisse fatemur. Haud raro, quin etiam

frequentissime, allegoricas accommodationes moralesque applicationes vel consequentias afferunt, ac si sensum typicum exponerent, et quam plurimi interpretes scholastici allegoricam hanc expositionem praedilexisse dicendi sunt.

Ceterum in sensu genuino investigando monent omnes, ad explicationem a Patribus traditam et ad communem doctrinam Ecclesiae ante omnia esse attendendum. « Ut secure possis iudicare literam, inquit *Hugo Victorinus*, non de tuo sensu praesumere, sed erudiri prius te informari oportet. Neque a te ipso erudiri praesumas, ne forte, dum et introducere putas, magis seducas; a doctoribus et sapientibus haec introductio quaerenda est, quae et auctoritatibus SS. Patrum et testimoniis Scripturarum eam tibi, prout opus est, et facere et aperire possint ». « Quod si vero aliquid inveneris contrarium illi, quod tu iam firmissima fide tenendum esse didicisti, non tamen tibi expedit mutare sententiam, nisi prius doctiores te consulueris, et maxime quid fides universalis, quae nunquam falsa esse potest, inde iubeat sentire agnoveris »[10].

Ad formam externam commentariorum quod attinet, ea plerumque satis taediosa est ob nimium dividendi et subdividendi et subsubdividendi studium, quo textum sacrum interdum in minutissimas partes dilacerare videntur; sed ipsae hae divisiones quantum ad pleniorem textus sacri intelligentiam iuvent, facile perspiciet quicumque acerbo cortice non deterritus ad medullam pervenerit. In eo enim praecipuus erat exegeseos progressus, quod scholastici non iam textus separatos et ab invicem divulsos explicarent, sed integrum librum considerarent, varias eius partes singularumque argumenta determinarent, finem scopumque, quem sacri auctores in toto libro et in eius partibus prosecuti essent, sollertius investigarent, subtilius demum ac pressius sententiarum inter se nexum contextumque indagarent et exponerent; unde factum est, ut haud paucos locos nova luce illustrarent, quamvis multis subsidiis, quae iunioribus praesto erant, pro aetatis suae ratione carerent. Dolendum autem quam maxime est, quod scholasticorum successores, interpretes nimirum illi, qui inde a finito concilio tridentino floruerunt, egregia hac via derelicta iterum singulos versiculos quam integrum librum explicare maluerint; sed de his infra sermo recurret.

1. *S. Albert. M.* Prolog. ad Ioel.

2. *S. Bonavent.* Breviloq. Prooem. 1. (Ed. Friburgens. 1881 p. 2; cfr alios similes S. Doctoris textus ibidem laudatos p. 3.)

3. *Hugo a S. Vict.* Erudit. didascal. III. 13 (M. 176, 773); *S. Bonav.* l. c. Prooem. 5. p. 13 : « nemo est conveniens Scripturae auditor, nisi humilis, mundus, fidelis et studiosus ».

4. Ex. gr. *S. Thom.* in *Ioan.* 7, 2 « *Scenopegia* graecum est, compositum ex *scenos*, quod est umbra, et *phagim*, quod est comedere, quasi dicat : tempus, in quo comedebant in tabernaculis »; in 2 *Cor.* 5, 13 « *sobrietas* idem est, quod commensuratio; *bria* in Graeco idem quod mensura » etc. Quae *Lyranus* in suam Postillam transcripsit, qui etiam *phylacteria* derivat « a *phylaxe*, quod est servare, et *thora*, quod est lex » (in *Matth.* 23. 5) etc. Multo curiosiora sunt ea, quae habere dicitur *Durandus* (in *Apoc.* 19, 1) : « Alleluia. Augustinus sic exponit : Al i. e. salvum. le i. e. me, lu i. e. fac, ia i. e. Domine; Hieronymus sic : alle i. e. cantate, lu i. e. laudem, ia i. e. ad Dominum; Gregorius sic : alle i. e. pater, lu i. e. filius, ia i. e. Spiritus S., vel alle i. e. lux, lu i. e. vita, ia i. e. salus; Petrus Antissiodorensis sic : al i. e. altissimus, le i. e. levatus in crucem, lu i. e. lugebant Apostoli, ia i. e. iam resurrexit ». Exemplum hoc citatur a *Gesenius* (Gesch. d. hebr. Sprache Leipzig 1815 p. 104); num vero sit authenticum, in dubium iure vocamus; etenim nullus ex tribus Durandis, qui medio aevo floruerunt (Guilelmus senior † 1296; Guilelmus iunior † 1328; Guilelmus de S. Porciano † 1333) Apocalypsin interpretatus est; praeterea Patres citati istas ineptias non tradunt.

5. *Hugon. Vict.* Erud. didasc. V. 2; cfr de Script. 4 (M. 175, 13; 176, 789).

6. *Hugon. Vict.* de Script. 5; Erud. didasc. VI. 3. 4. (M. 175, 13; 176, 801 sqq.).

7. *Hugon. Vict.* Erud. didasc. V. 3. (M. 176, 790) : « sciendum est, quod in divino eloquio non tantum verba, sed etiam res significare habent, qui modus non adeo in aliis libris inveniri solet; philosophus solam vocum novit significationem, sed excellentior valde est rerum significatio; quia hanc usus instituit, illam natura dictavit; haec hominum vox est, illa vox Dei ad homines » etc.

8. *Hugon. Victor.* de Script. 5 (M. 175, 13).

9. *S. Bonavent.* Brevil. Prooem. 6 et 7. Ed. Friburg. p. 18. 22. et cfr alios Bonaventurae textus ibi allegatos.

10. *Hugon. Victorin.* Erudit. didascal. VI. 4 (M. 176, 804 sq.).

247. — Interpretes, qui saec. 12. Scripturas commentati sunt, quamvis scholasticis stricto sensu plerique adnumerari non possint, quum tamen a methodo, quam superioris aetatis commentatores tenuerant, magis recedentes non tam Patrum explicationes colligere, quam novas suas proponere studuerint, tamquam scholasticae interpretationis praecursores habendi sunt. Ex illis hoc in loco commemoratione digni videntur hi :

Bruno Astiensis († 1123), abbas casinensis et episcopus signiensis, haud paucos U. T. libros exposuit. In sua « expositione in Pentateuchum » « breviter historiis praenotatis satis compendiose allegorias supponere » studuit[1]; in « expositionem in Iob » quamplurima ex S. Gregorii commentariis transcripsit; expositio in Psalmos fere integra allegoriis et tropologiis constat; Canticum Cant. cum plerisque veteribus interpretibus de Christo et Ecclesia explicat; Evangelia satis literaliter exponit. Apocalypsin demum post multos alios explicandam censuit, « quoniam etsi isti sententias bene sint exsecuti, in visionum tamen continuatione distinctioneque parum quid dixisse videantur »; secundum eius enim sententiam in omnibus septem visionibus (septem ecclesiarum, sigillorum, tubarum etc.) eaedem

Ecclesiae persecutiones narrantur, « praeter quod in ultima coelestis Ierusalem aedificia describuntur »[2].

Rupertus Tuitiensis abbas († 1135) sub titulo « commentariorum in operibus SS. Trinitatis libri duo et quadraginta » Pentateuchum, Iosue, Iudicum, quatuor maiorum Prophetarum et Evangeliorum libros, et sub titulo « de gloria et honore filii hominis » iterum S. Matthaei Evangelium explicavit; commentarium suum in Canticum Cant. inscripsit « de incarnatione Domini »; praeterea minores Prophetas, Ecclesiasten et Apocalypsin interpretatus est. Raro quidem aliquem ex Patribus nominat, sed opera eius produnt hominem eruditum, cui patristica opera incognita non fuerunt. Allegoricis et tropologicis accommodationibus abundat; eis autem sensum literalem praemittere solet, quem interdum etiam ex lingua hebraica probat[3].

Hugo a S. Victore († 1141) melioribus interpretibus adnumerandus est. In suo opusculo, quod « de Scriptura et Scriptoribus praenotatiunculae » inscribitur, introductionem quandam in singulos libros sacros tradit et in « eruditionis didascalicae » libris IV. V. VI. hermeneutica sua praecepta exponit. Exegetica autem opera eius in tres classes apte distribuuntur : eius « adnotationes elucidatoriae » in Pentateuchum, libros Iudicum et Regum, uti etiam eius « quaestiones et decisiones in epistolas S. Pauli » fere solum sensum literalem exhibent. Item in « homiliis in Ecclesiasten » nec « tropologiis nec mysticis allegoriarum sensibus perquirendis » laborandum existimavit, « praecipue quum ipse auctor hic non tam moribus instruendis vel mysteriis enarrandis intendat, quam cor humanum ad rerum mundanarum contemtum manifesta rationum veritate atque exhortatione evidenti commoveat »[4]; attamen practico magis quam scientifico modo sacrum textum explicat; quam methodum etiam in Psalmis quibusdam et Canticis interpretandis tenuit. Secundam classem constituunt « adnotationes in Threnos, Ioelem, Abdiam », quos libros « secundum multiplicem sensum et primo secundum literalem » ita interpretatus est, ut tropologiae et allegoriae longe praevaleant. Tertia demum classis in solis allegoriis et tropologiis quaerendis inhaeret; quo spectant eius opuscula de arca Noe morali, de arca Noe mystica, explanatio in Canticum B. V. Mariae, Utriusque Testamenti Allegoriarum libri tredecim; at opus hoc ab aliquibus Victori abiudicatur[5].

Petrus Abaelardus († 1142) quum Hexaemeron tum epistolam ad Romanos secundum literalem sensum exponit; sed in suis solutionibus problematum ab Heloissa ei propositorum non raro ad sensum allegoricum refugit[6]; in sua exegesi satis obscurus est et quam plurima superflua recepit.

Herveus Dolensis († 1145) vel burgidolensis commentaria in Isaiam et omnes S. Pauli epistolas composuit; in prioribus fere S. Hieronymum sequitur; in Paulinis quoque explicandis non pauca ex vetustiorum Latinorum operibus hausit, attamen satis multa de suis addidit atque singula accurate perpendere solet. Commentarius eius in Paulinas frequenter sub

nomine *S. Anselmi Cantuar.* citatur[7] atque dignus est, qui hodie quoque consulatur.

S. Bernardus Claravall. († 1158) continua lectione et meditatione Scripturas ita suas fecerat, ut fere solis earum verbis sermones suos contexeret; interpretibus tamen vix adnumerari potest. Etenim eius « sermones in Canticum Cant. » non sunt explicatio textus sacri, sed « in his sermonibus quaecumque per alia S. Doctoris opera ad mores informandos et ad pietatem accendendam, quaecumque de vitiis et virtutibus et de tota vita spirituali respersa sunt, haec omnia solidius et sublimius pertractantur, et ex mysticarum allegoriarum involucris ac figuris totius perfectionis eruuntur arcana »[8]. Quum S. Bernardus non nisi duo prima capita tractasset, *Gilbertus de Hoylandia* († 1172) eodem modo tria sequentia sermonibus quadraginta octo illustravit.

Petrus Lombardus († 1164), magister sententiarum, commentarium in Psalmos et collectanea in Paulinas epistolas nobis reliquit. Prior ad catenarum genus accedit glossamque interlinearem Anselmi Laudun. fusius explanat, quare olim in scholis « magna glossatura » appellata est. Collectanea autem, uti nomine suo indicant, etiam Patrum expositiones colligunt, at non nisi ad singulas phrases illustrandas. Divisionem enim sententiarumque nexum ipse subiicit multasque longiores explicationes dogmaticas inserit[9].

Gerhohus (Gerochus), reicherspergensis augustinianorum conventus in Bavaria praepositus († 1169), satis diffusum commentarium in plerosque Psalmos conscripsit, vere novum ac singulare opus; in eo enim sui temporis adversarios impugnans res suae aetatis in Psalmis videt praedictas ac singularem suam « de gloria et honore hominis in Deum assumti et in Deum nati « sententiam, quam a monophysitismo non longe abesse aliqui crediderunt, exponit et defendit. « Si omnium temporum haeretici, inquit, arcum suum, i. e. sacram Scripturam, ad suum errorem intenderunt, et illi, qui nunc sunt, haeretici simoniaci et nicolaitae non desinunt arcum suum secundum sensum suum detorquere Scripturam depravando, quare non liceat nobis uti eisdem Scripturis ad eorum prava sensa confutanda? Neque enim conamur Scripturas a suo sensu deflectere, sed quod datum nobis fuerit, in gloriam dantis loquimur, non nostra scripta magistrorum magnorum scriptis conferendo vel praeferendo, sed illorum pio desiderio satisfacere cupiendo, qui hoc opus a nobis exigunt... Non extorquemus de Psalmis violenter alienum sensum, sed consona Patribus dicendo et nostri temporis haereses interdum refellendo, ultroneum et sponte occurrentem sensum tenemus »; et paulo antea : « Non est absurdum vel hunc vel alios Psalmos *in finem* intitulatos ita interpretari, ut nos, in quos fines saeculorum devenerunt, his, quae nunc circa finem mundi fiunt, coaptemus verba Psalmorum » etc [10].

Richardus a S. Victore († 1173) Hugone, magistro suo, multo magis allegoriis tropologiisque addictus, in nonnullis tantum operibus sensum literalem accurate investigat. Quo praesertim spectant eius opuscula de tabernaculo foederis, de templo Salomonis ad literam, de concordia temporum

regum Iuda et Israel, de Emmanuele, eiusque explicatio aliquorum passuum difficilium Apostoli. Praeter quae nominari merentur eius « mysticae adnotationes in Psalmos » nonnullos, eiusque expositiones in Canticum Cant., visionem Ezechielis et Apocalysin [11].

Petrus Comestor († 1178 vel 1198) « historiam sacram breviter et utiliter persecutus est, difficultates in plerisque locis prudenter exponens ». Quibus verbis Vincentius Bellov. opus illud optime describit, quod ob continuum suum in scholis usum « historiae scholasticae » nomine insignitum vix minorem in historicis, quam in theologicis sententiae Lombardi, auctoritatem obtinuit; historiam enim sacram U. T. ita enarrat, ut librorum historicorum continuus quidam sit commentarius [12].

1. *Brunon. Astiens.* Expos. in Gen. Prooem. (M. 164, 147). Ceterum Geneseos tantum decem priora capita et c. 49, quia difficiliora videbantur, continuo commentario exponit; alias vero Pentateuchi partes summatim « per singula capita » explicat.

2. *Brun. Astiens.* in Apocal. Praef. (M. 165, 605 sq.).

3. *Ruperti Tuit.* opera exegetica exstant M. 167-169. Relate ad SS. Eucharistiam non omnino recte sensisse a nonnullis dicitur, quare in quibusdam locis cautius sunt legenda opera eius.

4. *Hugon. Victor.* Homil. in Eccle. Praef. (M. 175, 115).

5. Opera *Hugonis Vict.* exeget. apud M. 175. 176. Lingua hebraica in Annotationibus suis in ll. Iudicum et Regum non raro utitur.

6. *Abaelardi* opera exeg. M. 178, 677-978. Ex Praef. in Hexaem. (M. 178, 732) : « Quum multi multas mysticas vel morales in Genesin confecerint explanationes, solius apud nos B. Augustini perspicax ingenium historiam hic aggressus est exponere. Quam adeo difficilem esse recognovit, ut quae ibi dixerit ex opinione potius quam ex assertione sententiae protulerit... Sed quoniam huius quoque operis dicta adeo vobis obscura videntur, ut ipsa rursus expositio exponenda esse censeatur, nostram etiam opinionem efflagitatis. Quam nunc expositionem ita me aggredi cognoscatis, ut ubi me deficere videritis, illam a me apostolicam excusationem exspectetis : Factus sum insipiens, vos me coegistis ».

7. *Hervei* Commentaria M. 181, 18-1690. Priores commentarii paulini editiones sub nomine S. Anselmi prodierunt Paris. 1533. 1549. Venet. 1546 etc.; P. Labbe primus Herveo opus restituit.

8. *P. Mabillon* in Praef.

9. *Petri Lombardi* commentarii M. 191. 192.

10. *Gerhohi* Reichersp. Comment. in Ps. 10, 3 (M. 193, 791); cum tamen satis longe a monophysitismo abfuisse, demonstrant ex. gr. ea, quae habet in *Ps.* 15, 6; *Ps.* 26, 10 etc. (M. 193, 837. 1205).

11. *Richardi Vict.* Opera exeget. M. 196, sqq.

12. *Petr. Comestor.* Hist. scholast. M. 198, 1045, sqq.

248. — Saeculum 13. merito vocatur aurea theologiae scholasticae aetas, sed magnos illius doctores magna quoque cum diligentia studio S. Scripturae vacasse et multa egregia opera exegetica nobis reliquisse a non paucis videtur prorsus ignorari. Ex magno eorum numero, qui illa aetate de studio scripturistico bene meruerunt, praestantissimos

solos enumerabimus, quorum labores hodie quoque interpretibus utiles sunt.

Inter quos tempore primus est *Steph. Langton* († 1228), cancellarius parisiensis et archiep. cantuariensis; etsi enim exegetica opera nobis reliquisse non videtur, haud parum ad exegeseos profectum sua capitum divisione in codices invecta contulit. Non negamus eum haud ubique librorum dispositionem contextumque satis perspexisse, ita ut sua partitione aliquoties sententiarum ordinem interruperit aut perturbaverit; neque tamen quisquam negabit, eius divisionem in genere esse bonam atque nonnullis in libris optimam, ut interpreti etiam hodie plerumque magno sit usui.

Alexander de Hales († 1245), O. Min., praeter Postillas, quas in universam Scripturam composuisse refertur, etiam iustos commentarios in Psalmos et in Apocalypsin reliquit, qui postea typis quoque sunt vulgati [1]. Longe tamen maiora sunt merita HUGONIS A S. CARO († 1260), O. Praed., qui integram fere vitam suam scripturisticis studiis impendit eaque non parum quum correctorio, quod in Vulgatam composuit, tum primis concordantiis adornatis promovit (168; 212,5); etiam postillae eius in universos libros sacros commemoratione vel ideo sunt dignae, quia primae, ut videtur, sunt, in quibus et divisiones ab auctoribus adhibitae plerumque indicantur et literalis explicatio ab allegorica accurate secernitur, ita ut in eodem opere interdum quasi duplicem commentarium continuum legere tibi videaris [2].

B. ALBERTUS M. († 1280), O. Praed., ex Vetere Test. commentandos sibi sumsit Psalmos, Threnos, Danielem, Prophetas minores, ex Novo quatuor Evangelia et Apocalypsin [3]. In Psalmis explicandis parum ad historiam attendit omniaque aut allegorice de Christo aut tropologice explicat; in Prophetis, etsi allegorias et morales applicationes satis frequentes afferat, diligentius tamen literae inhaeret; in Evangeliorum demum explicatione nescio annon meliores interpretes aequaverit; omnia et singula vocabula diligenter excutit, sollerter investigat sensum literalem, ad nexum accurate attendit, singulas libri partes arcte inter se nectit; dogmata quoque subtiliter eruit, sed forte nimis diffuse aliquoties ab haereticorum obiectionibus illa vindicat, ut dogmatici theologi potius, quam interpretis partes agere videatur.

S. THOMAS AQ. († 1274) O. Praed., B. Alberti Magni maior discipulus, uti in philosophicis et dogmaticis scriptis, ita etiam in exegeticis reliquos scholasticos superat. Opera eius, quae huc spectant, praeter *catenam auream* in Evangelia, quae inter catenas latinas primum locum obtinet, sunt eius commentarii in librum Iob, quinquaginta primos Psalmos, Canticum Cant., Isaiam, Evangelia SS. Mat-

thaei et Ioannis, et epistolas Paulinas[4]. Se solum sensum literalem velle exponere non semel asserens parcus est in allegoriis afferendis; typicum autem sensum non negligit, sed sic exponendos censet Psalmos « de rebus gestis, ut figurantibus aliquid de Christo vel de Ecclesia » [5]. Ut certius assequatur sensum, libros pro argumenti sententiarumque nexu in maiores minoresve lectiones distribuit, atque in singulis suis lectionibus ad instar magistri sui Alberti nexum phrasium subtilissime investigat diligenterque indicat; interdum tamen in divisionibus suis subdivisionibusque iustos limites transgreditur, ut aliquoties textu commentarius difficilior fere sit. Singulas vero phrases phrasiumque partes atque vocabula quaecumque explicat quam plurimis locis parallelis in subsidium adhibitis. Inter exegetica eius opera commentarius in epistolas Paulinas eminet, quippe quae ob dogmaticum suum argumentum magis ei videntur arrisisse. Dolendum tamen est, quod linguarum hebraicae graecaeque ignarus ad solum latinum textum attendere potuerit, quo factum est, ut non tantum ex etymologiis quibusdam erroneis argumenta deducat, sed etiam genuinum sensum, quem vocabula latina certis in locis habent, non sit assecutus. Ceterum de S. Thomae interpretatione vel ipsi acatholici aequius iudicare hodie incipiunt : « probandus tamen Thomas, inquit inter alios *Tholuck,* quod auctoris verba presse sequatur oculis rarius a textu aversis, exemplisque aliunde ad confirmandum sumtis locutiones illustret et sententiarum nexum sedulo indaget » ; atque paullo post : « unum reliquum est, ut de Thomae meritis dicatur, quantum ad dogmaticum genus attinet; hic ei campus laudum, hic meriti corona; est enim argumenti dogmatici interpres diligens, indefessus, qui ne voculam quidem praeterit, quin excutiat » [6].

De S. Bonaventurae († 1274), alterius scholasticorum principis, commentariis haec iudicant recentissimi operum eius editores, qui diligentissime genuinas eius expositiones exegeticas a spuriis secernere conati sunt : « expositor noster totus fere versatur in sensu sententiarumque nexu sacri libri eruendis et ad usum praedicatorum praeparandis. Dictum est de commentariis nostri doctoris, nimis eum versari circa sensum mysticum quaerendum ; sed qui hoc censuerunt videntur attendisse praecipue ad opera spuria editionis vaticanae. Legenti enim genuinos huius voluminis [novae sc. editionis commentarios] ad oculos patet, mysticam in eis expositionem admodum exiguam eorum partem occupare, et hanc plerumque ad *moralem* (tropologicam) applicationem spectare, Bonaventura sibi constans praecipue literalem sensum exponere conatus est, tamquam aliorum fundamentum, sicut docuit in Breviloquio (Prol. § 6), quod non potest quis de facile (ad absconditum

sensum) pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et literam Bibliae commendet memoriae, alioquin nunquam poterit esse potens in expositione Scripturarum. Unde sicut qui dedignatur prima addiscere elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest noscere nec dictionum significatum nec rectam regulam constructionum, sic qui literam S. Scripturae spernit ad spirituales eius intelligentias nunquam assurget »[7]. Quae etsi vere dicta esse libentissime concedamus, addamus tamen oportet, S. Bonaventuram pro ingenio suo etiam in commentariis suis genuinis ad practicum magis quam ad scientificum usum Scripturarum attendere ideoque minus presse, quam S. Thomam, literam sequi faciliusque in tropologicas applicationes et haud admodum raro etiam in allegoricas accommodationes excurrere. Ex operibus exegeticis, quae velut genuina hucusque habebantur, editores recentissimi spuriis adnumerant « Principium S. Scripturae », « Expositionem in Psalter. » et « Expos. in Ps. 118 », « Exposit. in Evang. S. Ioan. » et « Collationes in Ioan. », « Expos. in Cant. », « Comment. in Apoc. »[8]; velut genuina autem opera in priore exegeticorum tomo, qui solus hucusque prodiit, ediderunt comment. in Ecclesiasten, in l. Sapientiae, in Evang. S. Ioannis (diversam expositionem ab antea edita, uti etiam diversas) collationes in Ioan.« Illuminationes Ecclesiae in Hexaemeron », quamvis sint genuinae, ex exegeticorum numero iure excluserunt[9], quia non obstante eorum titulo S. Doctor in eis historiam creationis non exponit, sed ex sententiis nonnullis mosaicis mystice intellectis occasionem arripit disserendi de donis intellectus ac sapientiae, de veritatis cognitione, de virtutibus eorumque officiis etc.

Memoria quoque digni sunt duo alii eiusdem ordinis Minorum theologi, *Rog. Bacon* (+ 1294) et *Duns Scotus* (+ 1308); atque prior quidem non tam ob linguarum hebraicae et graecae scientiam, quas ut textus primigenios librorum sacr. legere posset addidicerat, neque ob sua opera de locis sanctis et super Psalterium, quae typis nondum sunt descripta, quam ob ardorem, quo in omnibus fere suis operibus de corruptione, quae eius aetate invaluerat, textus Vulgatae nostrae conqueritur eiusque emendationem a Clemente IV. postulavit (168). Alter autem commentarios haud spernendos nobis reliquit in Genesin, Evangelia, epistolas Paulinas[10].

Raymundus Martinus (+ 1290) O. Praed., etsi commentariis libros sacros non illustravit, in historia exegeseos omitti nequit, quia inter Christianos suae aetatis linguarum hebraicae et chaldaicae longe peritissimus egregium opus contra Iudaeos scripsit, quod hodie quoque interpreti minime est inutile. « Pugio fidei adversus Mauros et Iudaeos » tribus constat partibus; in prima eos, qui omnem revelationem ne-

gant, impugnat, in duabus aliis christianam revelationem a Iudaeorum obiectionibus vindicat; in secunda enim vaticiniis messianicis explicatis Messiam advenisse ostendit, in tertia SS. Trinitatis, peccati originalis, redemtionis mysteria defendit argumentis suis ex solo textu hebraico Scripturarum et ex libris rabbinorum desumtis [11].

Raymundi vestigiis inhaerentes insequentibus saeculis quum ex hebraico Veteris Test. textu tum ex thalmudicis cabbalisticisque scriptis Iudaeos magna cum doctrinae laude refutaverunt *Porchetus Salvaticus* genuensis († c. 1320), O. Carth., *Hieronymus a S. Fide* († c. 1430) Benedicti XIII. (Petri de Luna) medicus, *Iacobus Pares* (vel Peres) a Valentia (c. 1491), *Petrus Galatinus* († 1530) aliique [12]. Quibus relictis ad commentatores redeamus.

1. *Alexandri de Hales* commentarius in Psalmos typis descriptus est Venetiis 1496 et saepius; eius comment. in Apocalypsin Parisiis 1647. Prior tamen a nonnullis Hugoni a S. Caro attribuitur (cfr *Quetif* et *Echard* Scriptores Ord. Praedic. Lutetiae 1719. I. 199), et num alter sit Alexandri dubitat *Dupin* (Nouv. biblioth. X. 72).

2. *Hugonis a S. Caro* Postillarum integrarum editio princeps prodiit Venetiis et Basileae 1487; iuniores editiones enumerant *Quetif* et *Echard* l. c. p. 201, *Lelong* l. c. p. 785. In suis Postillis non omnium librorum divisionem indicat; accurate eam sequitur in Prophetis explicandis et in plerisque Paulinis.

3. *Alberti M.* Opera omnia ed. Petr. Iammy. Lugduni 1651 vol. VII-XII. Commentarii in Evangelia typis iam sunt editi Hagenovii 1504; in Apoc. ibid. 1506; in Proph. Coloniae 1536 etc.; cfr de variis editionibus *Quetif* et *Echard* l. c. I. p. 171 sqq., *Lelong* l. c. p. 600.

4. Reliqua opera exegetica, quae in doctoris angelici operum editionibus leguntur, spuria habentur. Commentarii in Genesin, Ieremiam, Danielem, libros Machabaeorum ab aliquibus *Thomae Anglo* (Wallensi), O. Praed., qui ineunte saec. 14 floruit, adscribuntur; commentarius in epistolas Catholicas auctorem habere dicitur *Nicolaum de Gorham* († c. 1375), O. Praed., sub cuius nomine typis prodiit Antw. 1617. De operibus genuinis S. Thomae fuse disputant *Quetif* et *Echard* l. c. p. 323 sqq.; cfr *Lelong* l. c. p. 987 sq. 879.

5. *S. Thom.* in Psalm. Prooem. — In fine Prooemii in l. Iob. monet, se librum hunc iuxta literam exponere velle, « eius enim mysteria tam subtiliter et discrete B. Papa Gregorius nobis aperuit, ut iis nihil ultra addendum videatur ».

6. *Tholuck* De Thoma atque Abaelardo Novi Testamenti interpretibus. Halae 1842 p. 11. 14; cfr etiam *Erasm. Roterod.* Adnotat. in Rom. 1. de S. Thomae commentario in Paulinas: « Meo animo, inquit, nullus est recentium theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio; planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia reliquaque bonarum literarum supellex contingeret, qui iis, quae per hanc tempestatem dabantur, tam dextre sit usus »; cfr *Quetif* et *Echard* l. c. p. 330.

7. *S. Bonaventurae* opera omnia edita studio et cura PP. collegii a S. Bonaventura. Tom. VI. Ad Claras Aquas 1893. Proleg. cp. 2, § 7 p. XXVI.

8. L. c. Proleg. cp. 1, § 2-9.

9. Quoniam S. Bonaventura simili modo, quo alii suae aetatis expositores, multus est in libris, quos explicat, dividendis et subdividendis, editores commentariis eius

genuinis omnes eius divisiones per modum schematum sub uno conspectu proposuerunt atque etiam in textu ipso praecipuas saltem divisiones indicarunt; quod utrumque haud levi sane est lectoribus utilitati. Quosnam tamen ex reliquis operibus exegeticis pro genuinis habeant, nos adhuc ignorare voluerunt; quare lectores ad eorum tom. VII. proxime edendum reiicere cogimur.

10. De operibus exegeticis *Rog. Baconis* cfr *Lelong* Biblioth. sacr. p. 622, de *Scoti* operibus ibid. p. 707.

11. *Raymundi Martini* Pugio fidei saepius typis prodiit; meliores editiones curaverunt *I. du Voisin* (Paris 1651) et *I. B. Carpzov* (cum observationibus I. du Voisin Lips. 1689). Hac nostra aetate non defuerunt, qui Raymundi bona fide in dubium vocata eum textus iudaicos finxisse contenderint; a qua accusatione eum vindicat *A. Neubaur* The book of Tobit (Oxford 1877 p. XVIII sq.), ostendens eos textus revera in codicibus iudaicis inveniri. — Cfr etiam *Quetif* et *Echard* l. c. I. p. 396 sqq.

12. *Porcheti Salvatici*, O. Praed., Victoria adversus impios Hebraeos ed. Aug. Iustinianus (Paris 1520); *Hieronymi de S. Fide* (Iosuae Lurki) Hebraeomastix s. errores Iudaeorum extracti ex Thalmude (Tiguri 1552); *Iac. Perez*, O. August., de Christo reparatore generis humani (Paris 1518); *Petri Galatini*, O. Min., de arcanis catholicae veritatis. Francof. 1612. Omnes hi erant Iudaei conversi.

249. — Ineunte saec. 14. Clemens V. in concilio viennensi (1311) cathedras linguarum orientalium quum Romae tum in universitatibus parisiensi, salmanticensi, oxoniensi, bononiensi erigendas statuerat, ut theologi catholici Iudaeos Mahummetanosque ex eorum ipsorum libris confutarent. Quod linguarum studium etiam scientiae scripturisticae promovendae haud parum inservivit; nunquam enim ab eo tempore in Ecclesia defuere, qui in sacris libris explicandis ad textus primigenios recurrentes latinam lectionem accuratius penitiusque interpretarentur multasque difficultates feliciter aut evitarent aut solverent.

Inter quos primo loco nominandus est Nicolaus Lyranus († 1340), O. Min., qui a plerisque protestantibus unicus totius mediae aetatis interpres memoria dignus habetur, probabiliter ob eam rationem, quod Lyrano lyrante Lutherus saltaverit, i. e. Lutherus in sua Scripturarum expositione a Lyrano saepissime dependeat. Quamvis autem Lyranus nec unicus sit nec summus medii aevi interpres, negari tamen nequit, eius postillas, quae ad omnes Utriusque Test. libros (exceptis nonnullis partibus deuterocanonicis) sese extendunt, magna ex parte laudem illam mereri, quae eis a protestantibus tribuitur neque unquam a catholicis est negata [1]. Quadruplicem sensum iuxta illud « Litera gesta docet » etc. agnovit, sed etiam addidit « omnes expositiones mysticas praesupponere sensum literalem tamquam fundamentum... ideo volentibus proficere in studio S. Scripturae necessarium esse incipere ab intellectu sensus literalis, maxime quum ex solo sensu literali et non ex mysticis possit argumentum fieri ad probationem vel ad declarationem alicuius dubii, secundum quod dicat Augustinus in Epistola contra

Vincentium Donatistam »[2]. Praeceptum hoc, ob quod toties laudatur, certe optimum est, si debita cum restrictione intelligitur (202); at Lyranus illud primus non statuit, sed communem scholasticorum doctrinam (246 *n*. 8. 9.) expressit iisdem fere verbis usus, quibus diu antea S. Thomas et S. Bonaventura usi erant[3]. Neque haec sola ab angelico Doctore mutuatus est; etenim iam Paulus Burgensis et S. Antoninus observarunt, Nicolaum, ut S. Antonini verbis utar, « post Thomam exposuisse ab ipso multa furatum »[4]. Revera Aquinatis commentarios in Isaiam, Evangelium S. Ioannis, epistolas Paulinas frequentissime ad verbum sequitur, commentarium in librum Iob fere excerpsit, Psalmorum tamen explicationem non videtur adhibuisse. S. Thomam sola linguae hebraicae scientia superat; graecam enim, si ex eius etymologiis concludere licet, ipse quoque ignoravit (246. *n*. 4); in hebraica autem et chaldaica ita erat versatus, ut Iudaeorum commentarios adhibere potuerit; revera Salomonis Iarchi interpretationes aliquoties laudat[5]. Quare optimis medii aevi interpretibus sine ulla controversia adnumerandus est; reliquis omnibus autem eum esse praeferendum nequaquam arbitramur[6]. Quum in suis postillis solum sensum literalem prosecutus esset, volumine separato edidit « moralitates », i. e. allegoricas et tropologicas Scripturarum interpretationes, quae postea editionibus postillarum insertae sunt.

Saeculo insequenti *Paulus Burgensis* († 1435), Iudaeus conversus et postea patriarcha aquileiensis, ad Lyrani postillas adiecit « additiones », in quibus aut postillatorem, ubi nimis leviter traditionem exegeticam reliquisse videbatur, ad traditam doctrinam revocavit aut novas explicationes ex rabbinorum scriptis desumtas addidit. Quibus quum Lyrani gloriae iniuste detrectatum esse censeret, *Matthias Thoringus* († c. 1460) O. Min., suas opposuit « replicas »[7].

1. Cfr inter alios *C. Schmidt* (Herzog. P. R. E. Ed. 2. 1881 IX. p. 108) : Lyra's Postille « ist das bedeutendste, ja einzig bedeutende Denkmal der mittelalterlichen Exegese vor dem Wiederaufleben der klassischen Studien, und seinen Werth erhielt es dadurch, dass es von der gewöhnlichen Methode damaliger Bibelauslegung abwich um neue Bahnen zu brechen ». Similia tradunt *Diestel* Gesch. des A. T. p. 195; *Fischer* Des Nicolaus v. Lyra Postillae perpetuae in Iahrb. für protest. Theol. 1889 p. 430 sqq.; *E. König*. Einl. ins A. T. 1893 p. 533 etc. Sed qui unquam Lyrani postillas cum reliquis eiusdem et immediate praecedentis saeculi commentariis comparaverit, nullam nec in exegetica methodo nec in principiis hermeneuticis deprehendet differentiam praeter usum explicationum linguisticarum *paullo* frequentiorem. — Haud satis mirari possumus, quod omnes fere protestantes (cfr *Diestel* l. c. p. 198; *Schmidt* l. c. p. 109; *Bleek* Einl. Ed. 2 p. 704 etc.) dissertationem « de libris canonicis et non canonicis », quae impressis postillarum editionibus inde ab a. 1498 praemitti solet, Lyrano auctori attribuere non dubitent, quamvis in ea sermo sit de editionibus *impressis*; caeci scilicet alii alios sequuntur, neque ullus probabiliter

inter eos invenitur, qui unquam aut Lyrani postillas aut dissertationem illam vel obiter inspexerit.

2. *Lyrani* Postilla. Prolog. 2. De intentione auctoris et modo procedendi.

3. *S. Thom. Aq.* Summ. theol. I. qu. 10. a. 10 ad 1 : « omnes sensus fundantur super unum, sc. literalem, ex quo solo potest trahi argumentum, ut dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam ».

4. *S. Antonini* verba afferuntur a *Quetif* et *Echard* Scriptor. Ord. Praed. I. 323; *Paul. Burg.* Additio super utrumque Prolog. Postillae : « inter sanctos doctores pluries videtur impugnare irrationabiliter S. Thomam quandoque expresse, quandoque tacite... a quo sancto doctore ipse postillator *multa frequenter* accipit, *licet eum non alleget nisi solum reprehendendo* ».

5. Cfr *Lyran.* Postilla Prolog. 2. De intentione etc. : « similiter intendo non solum dicta doctorum catholicorum sed et hebraicorum maxime R. Salomonis (Iarchi), qui inter doctores hebraeos locutus est rationabilius, ad declarationem sensus literalis inducere. Aliqua etiam dicta Hebraeorum valde absurda aliquando, licet valde raro, interponam, non ad tenendum ea vel sequendum, sed ut per haec appareat, quanta caecitas contigerit in Israel secundum dictum Pauli ad Rom. 11, propter quod etiam dictis Hebraeorum non est inhaerendum, nisi quantum rationi consonant et literae veritati ». — *Paulus Burg.* censet Lyranum potius sequi debuisse R. Moysen Aegyptium (Maimonidem), R. Moysen Gerundensem (Nachmanidem) et R. Abenhazra (Abenesra), quorum ipse testimonia affert.

6. Cfr de Lyrano interprete *Katholik* Mainz 1859 II. p. 943-954.

7. Lyrani postillae typis iam editae sunt Romae 1471; Coloniae 1478 etc., inde ab anno 1498 plerumque una cum Glossa ordinaria et interlineari, cum Pauli Burgensis Additionibus et cum Matthiae Thoringensis Replicis edi solebant; cfr editiones enumeratas *Lelong Masch* Biblioth. s. II, 3 p. 366-392; optimae habentur duacensis 1617 et antwerpiensis 1634; sed in hac altera Glossae ordinariae multa, maxime ex graecis Patribus sunt inserta, ita ut genuinus Walafridi textus in ea non nisi aegre ab additionibus secernatur.

Eodem saeculo 14., quo Nicolaus Lyranus, non pauci theologi literis sacris claruerunt; ex multis paucos illos nominamus, quorum opera, quum saepius typis sunt vulgata, magis sunt cognita. *Aegidius de Columna* († 1316), O. Aug., S. Thomae discipulus, scripsit de Hexaemero libros duos, lectiones viginti in Canticum Cant., commentarium in ep. ad Romanos, tractatus de arca Noe aliaque opera, quae adhuc in codicibus latent[8]. *Petri Aureoli* († 1322), O. Min., « Breviarium Bibliorum s. Epitome S. Scripturae iuxta sensum literalem » plus decies usque ad finem saec. 17. typis est repetitum[9]. *Ludolphi de Saxonia* († 1335), O. Carth., « Vita D. N. Iesu Christi ex quatuor Evangelistis aliisque scriptoribus ecclesiasticis conflata cum commentario » ex illis libris est, qui frequentissimis editionibus suam utilitatem produnt; eiusdem « commentarius in Psalmos davidicos iuxta spiritualem sensum » ex Patribus latinis est collectus[10]. *Thomas Anglicus* (Wallensis † 1340), O. Praed., opera sua exegetica in Genesin, Ieremiam, Threnos, Danielem, libros Machabaeorum inter opera angelici doctoris saepius habuit impressa[11]. *Robertus Holcoth* († 1349), O. Praed., omnes fere libros sapientiales commentatus est, eiusque « Praelectiones in librum Sapientiae » plures, quam ullus alius in eundem librum commentarius, edi-

tiones videre meruit [12]. *Gregorius Ariminensis* († 1359), O. Aug., commentarium in epistolas S. Pauli et S. Iacobi edidit [13]; *Nicolaus de Gorham* († c. 1375). O. Praed., integrum N. T. ita interpretatus est, ut eius postillae in Evangelia non infrequenter typis sint exscriptae, commentarii autem in epistolas Catholicas inter S. Thomae opera sint editi [14]. *Michael Ayguanus* (Angrianus † 1396 vel 1416) commentaria in Psalmos reliquit, quae saepe sub nomine *Incogniti*, postea etiam sub proprio eius nomine ex praelo prodierunt [15]. *Petrus de Herenthals* († c. 1400), O. Praem., ex antiquioribus latinis interpretationibus magnam « catenam in universos Psalmos » composuit [16]. Quae pauca nomina sufficiunt, ut isto tempore studia scripturistica neglecta non iacuisse abunde demonstrent.

8. *Aegidii de Columna* Hexaemeron Venetiis 1521 et Patavii 1549; Lectiones in Cant., Tract. de arca, Comm. in ep. ad Rom. in eius Operibus. Romae 1555; Venetiis 1567. Alia eius opera exegetica enumerat *Lelong* Bibl. s. p. 683.

9. *Petri Aureoli* (Oriol) Breviarium prodiit Venet. 1507. 1571; Argentorati 1514; Parisiis 1508. 1565. 1613; repurgatum et tabulis analyticis auctum Paris. 1585. 1610; Rhotomagi 1596. 1649; Lovanii 1647. Eodem tempore *Iacobus Vitalis a Furno* († 1327), O. Min. et Card. S. R. E., composuit « Speculum morale totius S. Scripturae, in quo universa ferme loca et figurae Veteris et Novi Testamenti mystice explanantur » Lugd. 1513. Venet. 1594. 1600 etc. Num alia eiusdem auctoris opera exegetica sint impressa, mihi non constat; affirmat *Dupin* (Nouv. Biblioth. des auteurs ecclés. Paris 1700. XI. p. 64), negat *Lelong* l. c. p. 736.

10. *Ludolphi de Sax.* Vita D. N. I. Christi typis iam exscripta est Argentor. 1474 et Coloniae 1474, et ante finitum saec. 15. saltem octies prodiit; saec. 16. plus quam viginti editiones factae sunt latinae etc. Commentariorum in Psalm. editio princeps est spirensis 1491; Parisiis repetita est 1500. 1506. 1513. 1521. 1528 etc.

11. Cfr *Lelong* l. c. p. 987 sq.; *Quetif* et *Echard* Scriptor. O. Praed. l. c. I. p. 601 decidere non audent, num Thomae Wallensi adscribendi sint commentarii illi; *Sixtus Sen.* (ed. Milante I. p. 482) in affirmativam partem inclinat.

12. *Roberti Holkoth* De Studio S. Scripturae. Venetiis 1483. Reutlingae 1489 et saepius. In Proverbia. Paris 1515; In Ecclesiasten; In Cantic. Cant. et in priora capita Ecclesiastici. Venetiis 1509 etc.; Praelectiones in l. Sap. 1481. Spirae 1483 etc.; septemdecim huius operis editiones enumerantur ab *I. E. I. Busse* Grundriss der christl. Literatur. Münster 1820. II. p. 294.

13. *Gregorii Arimin.* Comment. in ep. S. Pauli et S. Iacobi. Ariminii 1522.

14. *Nicol. Gorhami* Postillae in Evang. Coloniae 1471; Hagenoviae 1502 etc. Comment. in Acta Apost., epist. Cath. et Apoc. Antwerpiae 1620. — Commentarius in epistolas Paulinas, qui sub nomine Nicolai de Gorham saepe prodiit (Colon. 1478; Hagen. 1502; Paris 1511 etc.) dicitur esse *Petri de Tarantasia*, O. Praed., qui sub nomine *Innocentii V* sedem apostolicam ascendit († 1276), dum genuinus Nicolai commentarius adhuc in bibliothecis latet (*Lelong* l. c. p. 879. 901; *Quetif* et *Echard* l. c. I. p. 440 cfr p. 353).

15. *Incogniti* Comment. in Psalm. 1510; Compluti 1524 etc.; sub nomine Mich. Ayguani Paris. 1652; Lugd. 1673 etc.

16. *Petri de Herenthals* (Harenthals) Catena in Psalmos. Coloniae 1483; Reutlingae 1498; Rhotomagi 1504 etc.

Neque saeculum 15. viris caruit, qui studia scripturistica promoverent.

Petrus Aliacus (d'Ailly † 1420) ob duo tantum opuscula hic nominari meretur, in quorum priore, cui titulus est « epistola ad novos Hebraeos » Vulgatam contra Rogerium Baconem, ut videtur, defendere conatur (quamvis hic non ipsam Vulgatam sed perversum eius textum parisiensem aggressus esset) ac tantam auctoritatem Vulgatae attribuit, quantam Ecclesia nunquam agnovit; in altero opusculo (Apologeticus hieronymianae versionis), quod senex edidit, eodem fere modo, quo Rog. Bacon de corruptione Vulgatae conqueritur, eius correctionem autem non ex auctoritate Summi Pontificis, uti proposuerat Bacon, sed ex auctoritate universitatis parisiensis fieri voluit [17].

Laude dignior est eius discipulus *Ioannes Gerson* († 1429) non tam ob suas expositiones in Psalmos poenitentiales aut ob suum commentarium in Canticum Cant., quam ob suam concordiam evangelistarum vel monotessaron (in quo synopticos ordinem chronologicum non semper tenuisse recte supponit, de reliquo satis arbitrarie incedit) ac potissimum ob suas « propositiones de sensu literali Scripturae et de causis errantium ». In quibus egregie demonstrat, « sensum literalem accipiendum esse iuxta locutiones in rhetoricis sermonibus usitatas et iuxta tropos et figuratas locutiones, quas communis usus committit cum consideratione circumstantiarum literae ex praecedentibus et posterius appositis »; porro « quum sensus literalis iudicandus sit, prout Ecclesia Spiritu S. inspirata determinaverit et non ad cuiuslibet arbitrium vel interpretationem », eodem in opusculo acriter vehementerque defendit, non disputationibus sed poenis ab Ecclesia statutis coercendos et redigendos esse illos, qui receptae interpretationi contradicere audeant, « quoniam in ratiocinando et altercando adversus veritatem non est apud multos finis ». Est eadem doctrina, quam Tertull. quoque iam in suo opere de praescript. proposuerat, sed nec ipse nec Gerson in suis disputationibus contra Ecclesiam satis observarunt [18].

Praecipuus aetatis huius interpres est ALPHONSUS TOSTATUS († 1455), *abulensis* episcopus, qui eruditione aequales tantopere stupefecit, ut in epitaphio eius scriberent: « Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne », et qui quamvis multis negotiis publicis esset irretitus tanta cum diligentia et tanta cum facilitate studiis vacavit, ut, quum quadragenarius moreretur, viginti septem magna volumina in folio relinqueret [19]. Longe maior operum pars in explicandis Scripturis versatur; Octateuchum, libros Regum et Paralipomenon, et Evangelium S. Matthaei viginti quinque voluminibus interpretatus est; diffusissimi igitur sunt eius commentarii, et fatendum est, eum saepissime a textu explicando divagari innumerasque in suis explicationibus quaestiones dogmaticas, quae ad rem non pertinent, scholastica methodo pertractare [20]. Trium linguarum sacrarum peritus sensum literalem solum exponere se velle asserit, at quam plurimas allegoricas expositiones simul in medium affert. Postillas Lyrani frequenter adhibet, interdum impugnat. Non sine fructu hodie quoque eius opera interdum adhibentur.

17. Opuscula haec primus edidit *L. Salembier* Une page inédite de l'histoire de la Vulgate. Amiens 1890.

18. *Ioan. Gersonis* Opera ed. Dupin. Antwerpiae 1706. — Gersonis concordia evangeliorum typis prima vice descripta est Coloniae 1471 ac postea saepius.

19. Tot volumina continet ultima editio Venet. 1728; editio princeps Hispali 1491 tredecim, editio veneta 1615 viginti quatuor voluminibus constant. Opera eius partim nondum sunt typis impressa; ut omnia complere potuerit, a prima nativitatis die usque ad diem mortis quotidie sex septemve magna folia scribere debuisse dicitur!

20. *Rich. Simon* Hist. crit. des Comment. du N. T. p. 488 : « Ce docte évêque a rempli son ouvrage d'un si grand nombre de questions théologiques à propos des paroles de son texte, que ce n'est plus un simple commentaire »; cfr *eiusdem* Hist. crit. du V. T. p. 423; *Knabenbauer* (Comment. in Matth. 1892 I. p. 17) « brevem explicationem textus, quam Tostatus quaestionibus praemittat, interpreti saepe esse utiliorem, quam ipsas quaestiones », iure monet.

250. — Circa medium saec. 15. studiis scripturisticis nova et insignia accesserunt subsidia. Praeprimis enim illa aetate praeter linguae hebraicae studium, quod a Clemente V. in conc. viennensi commendatum magnos iam progressus fecerat laetosque tulerat fructus, inter populos occidentales graecae quoque scientia, quae superioribus saeculis magis minusve neglecta iacuerat, Nicolao V. imprimis eiusque successoribus promoventibus refloruit atque statim etiam ad meliorem Scripturarum intelligentiam latinamque versionem illustrandam feliciter adhiberi coepta est. Haud levioris forte momenti est, quod circa idem tempus inventa arte typographica libri sacri ipsi et alia monumenta theologica facilius propagari potuerint. Nam sacris libris potissimum quum latinis tum hebraicis graecisque atque commentariis quoque vulgandis nova ars ab initio inservivit; ingens autem editionum latinarum numerus, quae exeunte saec. 15. et prioribus duobus saeculi 16. decenniis omnibus in orbis catholici terris in lucem prodierunt, evidentissime demonstrat, verbum Dei scriptum illa aetate non tantum oblivioni datum aut neglectum non esse, sed magno fuisse in honore et in theologicis studiis debitum suum locum occupasse. Ab exeunte igitur saec. 15. nova quaedam in historia exegeseos periodus inchoari potest; verumtamen quum prima tantum semina exeunte saec. 15. et ineunte saec. 16. sparsa sint, segetes vero non nisi post concilium tridentinum ad maturitatem perductae splendidissimos fructus dederint, a conc. tridentino terminato novam periodum inchoandam censemus.

Primus, qui graeca sua studia ad Novi Test. explicationem adhibuit, est *Laurentius Valla* († 1457), cuius « adnotationes in Novum Test. ex diversorum utriusque linguae, graecae et latinae, codicum collatione » magis quidem sunt grammaticales quam theologicae, neque tamen inutiles, quum ipse Erasmus eas iterum typis vulgandas censeret [1]. Ceterum iure merito postea prohibitae sunt, quia vir superbia elatus non tantum Vulgatam

magna cum impudentia haud semel aggreditur, sed etiam in S. Augustinum, S. Thomam, theologos omnes acerbissime invehitur atque cunctos ita corripit et dilacerat, ac si solus graecam latinamque linguas calluerit, quamvis ipse multos et graves errores grammaticales admiserit [2].

Consuetam scholasticorum viam eadem aetate tenuerunt *Nicolaus Cusanus* († 1467), qui commemoratione dignus est ob suum dialogum in principium Geneseos [3], *Ioannes de Turrecremata* († 1468), O. Praed., qui utilem reliquit commentarium in Psalmos ac literalem Paulinarum expositionem [4], ac praesertim *Dionysius Carthusianus* († 1471), unus ex fertilissimis omnium aetatum scriptoribus. Inter cuius innumera fere opera satis diffusi sed nequaquam inutiles exstant commentarii in omnes Utriusque Test. Scripturas; praeterea nominari meretur eius « *Monopanton,* i. e. unum ex omnibus S. Pauli epistolis per locos communes digestis », quod etiam additis epistolarum Catholicarum testimoniis editum est sub titulo « *Concordia Epistolarum* Pauli et aliorum Apostolorum ». Dionysius, quamquam a praedecessoribus suis, maxime a S. Thoma et Lyrano, dependet, inter meliores interpretes locum tenet [5].

Circa idem tempus grammatica hebraica inter christianos excoli coepta est; etenim operi suo « de conditionibus veri Messiae » contra Iudaeos conscripto *Petrus Niger* (Schwarz † c. 1480), O. Praed., adiecit « Rudimentum linguae hebraicae » [6]. Quem mox secuti sunt et longe superarunt *Conradus Pellicanus*, qui a. 1504 libellum suum « De modo legendi et intelligendi Hebraea » edidit [7], et *Ioannes Reuchlin* († 1523), qui pater grammaticae hebraicae inter christianos merito vocatur, quum ab eius « Rudimentis linguae hebraicae » etiam moderni grammatici hebraici quodam modo dependeant [8]. Eodem tempore lingua hebraica non tantum in plerisque Universitatibus docebatur, sed etiam ad Scripturam explicandam adhibebatur: *Petrus Niger* in suo opere mox laudato vaticinia messianica hebraice attulerat una cum versione interlineari, ne quis « aliquam dictionem fictione adiectam suspicaretur »; *Rudolphus Agricola* († 1485) novam Psalmorum versionem e textu hebraico adornavit [9]; *Hadrianus Castellensis* († 1518), Card. S. R. E., sacros Veteris Test. libros omnes « ex hebraeo ad verbum in latinum sermonem « vertere coepit [10], *Conradus Summenhart* († 1490) textus messianicos ex textu primigenio explicavit, *Picus a Mirandola* († 1494) de opere sex dierum et in Psalmum 15. commentarios composuit textu hebraico in subsidium adhibito [11]; *Felix Pratensis,* O. Aug., in primis Bibliis rabbinicis (Venetiis 1517) rabbinorum commentarios collegit; eodem anno *Augustinus Iustinianus,* O. Praed., Psalterium suum octaplum (hebraicum, graecum, arabicum, chaldaicum cum tribus versionibus latinis et glossis) edidit [12], *Card. Ximenez,* O. Min., autem magnum suum Polyglottorum complutensium opus terminavit, ac Desid. *Erasmus Roterod.* primam graeci sui Novi Testamenti editionem una cum nova versione latina adnotationibusque, quae partim ex graecorum Patrum operibus desumtae erant, in lucem emisit [13].

Quae pauca adumbrare voluimus, ut clarius appareat, auream illam catho-

licae exegeseos aetatem, qua a medio saec. 16. Ecclesia gloriari potest, novatoribus non deberi; fundamenta enim, quibus innititur exegesis saec. 16., iacta erant, antequam Lutherus thesibus suis contra indulgentias promulgatis (31. oct. 1517) rebellionem contra Ecclesiam movisset. Negare autem nolumus, interpretes catholicos ad studia sua scripturistica non parum excitatos esse haereseos impugnandae et catholicae veritatis defendendae ardore[14].

1. *Laur. Vallae* adnotationes typis descriptae sunt Parisiis 1506; ab Erasmo iterum editae Basileae 1526; a *Criticis sacris* (cfr 261) quoque receptae sunt.

2. Cfr *Rich. Simon* Hist. des versions du Nouveau Test. p. 236 sqq., et Hist. des commentat. du N. T. p. 484 sqq.

3. *Nicolai Cusani* Opera. Basileae 1565. I.

4. *Ioan. de Turrecremata* expositio brevis et utilis super toto Psalterio. Romae 1476; Venetiis 1485 etc.; *eiusdem* expositio epistolarum S. Pauli. Basileae 1490; cfr *Quetif* et *Echard* Scriptores O. Praed. I. p. 839. 841.

5. *Dionysii Carthusiani* commentarii in universos Scripturae libros. Coloniae 1533 et saepius. Singulorum librorum editiones enumerat *Lelong* p. 828 sq.; de Dionysio interprete cfr *Rich. Simon* Histoire crit. des commentateurs p. 487 sq.

6. *Quetif* et *Echard* Script. O. Praed. I. p. 862. Prima operis editio prodiit Esslingae 1477, altera Norimbergae 1477.

7. *Conr. Pellicani* O. Min. de modo legendi etc. prodiit Argentorati 1504. 1508. 1515. Auctor a. 1523 a vera Ecclesia defecit et theologiae zwinglianae factus est professor Basileae et Turici († 1556).

8. *Ioan. Reuchlini* (Capnio) de rudimentis hebraicis libri tres. Phorcae 1506; commentariolus ad discendam ling. hebr. Tubingae 1512; de accentibus et orthogr. ling. hebr. Hagen. 1518; cfr *Lelong* l. c. 1179.

9. Cfr *Ioh. Ianssen* in Wetzer et Welte Kirchenl. Ed. 2. I. 359; *Lelong-Masch* Bibl. s. II. 3 p. 436.

10. *Lelong-Masch* l. c. II. 3 p. 433.

11. *Ioan. Pici a Mirandola* Heptaplus de opere sex dierum. Argentorati 1574; cfr *Lelong* l. c. 905.

12. De *August. Iustiniani* Psalterio cfr *Quetif* et *Echard* l. c. II. 98 sq.; *Lelong-Masch* I. p. 400. Praeter Psalterium octaplum edidit : Librum Iob nuper hebraicae veritati restitutum cum duplici versione latina (Paris. 1516) et praeparaverat Novum Testamentum hebraice, chald., arab., graece et latine (*Quetif* l. c.).

13. De Card. Ximenez et Erasmi editionibus supra (114) egimus.

14. Cfr *Hurter* Nomenclator literar. recent. theolog. cathol. Oeniponte 1871 (Ed. 2. 1892) Praef. « Neque enim fas est negare necessitatem tuendi adversus protestantes dogmata catholica, quae antea tranquille credebantur, permovisse theologos catholicos, ut... in hermeneuticam sacram et exegesin Scripturarum toti incumberent ».

251. — Restat ut praecipuos illos saec. 16. interpretes enumeremus, qui ante finitum concilium tridentinum vita functi sunt.

Primo loco tres praecipui polyglottorum complutensium editores nominandi sunt : *Aelius Antonius Nebrissensis* (Anton. de Lebrixa † 1522), cuius « Quinquagenam s. quinquaginta S. Scripturae locorum explicationem » in suum opus « critici sacri » receperunt; *Alphonsus*

de Zamora († 1531), qui praeter grammaticam hebraicam etiam vocabularium hebr. et chald. atque « interpretationes omnium hebraicorum, chaldaicorum, graecorum nominum Utriusque Test. » polyglottis adiecit; *Didacus de Stunica* (Astuniga, Zuniga † c. 1531), qui Vulgatam contra Erasmum et Fabrum Stapulensem nonnullis dissertationibus defendit [1].

Thomas de Vio CARD., CAIETANUS († 1535), O. Praed., quamvis in interpretandis S. Scripturis non eandem, quam in Summa theologica S. Thomae explicanda, laudem sibi acquisiverit neque paucas opiniones singulares defenderit, inter suae aetatis tamen interpretes non ultimus est. Quum linguarum hebraicae et graecae ignarus esset, per Iudaeum Veteris, per alium quendam Novi Testamenti literalem versionem sibi adornandam curavit, quam Vulgata neglecta atque non raro impugnata, commentariis suis subiecit [2]. Unde iam magnum exortum est errandi periculum, quod non parum auxit, quum traditionali relicta interpretatione novam quandam viam inire vellet. Quid Caietani sententia de Patrum in Scripturis interpretandis auctoritate valeat, supra diximus [3]; ad eius commentarios autem quod attinet, Pallavicinius testatur eos neque haereticis neque catholicis probari, simul vero monet eum, qui virum hunc ex eius commentariis exegeticis iudicare vellet, perinde sese habere, ac qui non ex pennis sed ex pedibus pulchritudinem pavonis aestimaret [4]. Quominus omnes libros sacros interpretaretur, morte prohibitus est; absolvit commentarios in omnes Novi Foederis libros excepta Apocalypsi; ex Vetere autem deuterocanonicos explicare noluit et mortuus est, quando reliquis protocanonicis absolutis Prophetas interpretari coeperat [5].

SANTES PAGNINUS († 1541), O. Praed., magnam sibi famam comparavit quum « Veteris et Novi Testamenti nova translatione », tum Thesauro linguae sanctae s. Lexico hebraico, et « Hebraicarum institutionum libris quatuor ex R. David Kimchi priore fere transcriptis » aliisque operibus, inter quae speciali commemoratione dignae sunt « Isagoge ad sacras literas et ad mysticos Scripturae sensus » et « Catena argentea in Pentateuchum » [6]. Eius translatio textus primigenios, hebraicum et graecum, neglectis haud raro latinae linguae regulis, ad verbum sequitur, ita ut nonnullis mutatis ab Aria Montano aliisque velut versio interlinearis hebraicae et graecae editionibus sit apposita : ceterum a non paucis valde celebrata est, et quum prima integrorum Bibliorum sit, quae post S. Hieronymum ex hebraico textu adornata sit, suo merito minime caret [7]; grammaticis quoque suis et lexicis ad hebraicae et graecae linguarum studium non parum contulit.

Iacobus Sadoletus († 1547), Card. S. R. E., in aliquot Psalmos et in

ep. ad Romanos commentarios edidit, qui ob linguae latinae puritatem laudem maiorem, quam ob doctrinae sanitatem et explicationis profunditatem merentur[8].

Franciscus Vatablus († 1547), linguae hebraicae in academia paris. professor, et *Ioannes Gagnaeus* († 1549), eiusdem academiae cancellarius, brevia quidem sed optima in omnes libros scholia reliquerunt, atque prior quidem Vetus, alter Novum Test. suis adnotationibus illustrarunt. At prioris scholia, quae ipse imprimenda non curaverat, sed in scholis dictaverat, ab infideli discipulo publici iuris facta sunt « alicubi doctrinis calvinianis aspersa »; quare sorbonenses theologi et inquisitores hispani illorum usum prohibuerunt, donec corrigerentur, critici sacri vero illa non correcta in suum opus receperunt. Gagnaeus plerumque accurate sequitur textum graecum, atque graecos quoque Patres magis quam latinos adhibens in Actibus, Paulinis et Catholicis epistolis Oecumenium fere ducem habet. Soli sensui literali inhaeret eumque paucis verbis sed clare indicat; quare ipse scholia sua « brevia quidem, si paginas spectas, ceterum prolixis commentariis haud plane minus succulenta » non immerito dixit[9].

Adamus Sasbout († 1553), O. Min., commentarios in Isaiam et epistolas Paulinas edidit, qui eum aeque bonum theologum atque interpretem fuisse probant. Quum explicationes has ex praelectionibus Ioannis Hesselii Lovan., cuius auditor fuerat, desumsisse diceretur, calumniam refutavit Mich. Vosmerus, nepos eius[10].

Ioannes Ferus (Wild † 1554), O. Min., ex V. T. Heptateuchum, Ecclesiasten, Tobiam, Estherem aliosque libros, ex Novo Evangelia SS. Matthaei et Ioannis, Actus, epistolam ad Romanos partim latine partim germanice interpretatus est. In Novi Test. libris explicandis a novis haereticorum sententiis non satis cavit; quare Dominicus Soto vehementer eum aggressus est, et commentarii Evangeliorum in indicem librorum prohibitorum sunt inscripti, donec corrigerentur[11].

Isidorus Clarius († 1555), O. S. Ben., qui postea fulginensis episcopus concilio tridentino interfuit, in lucem dedit « Vulgatam editionem Vet. et Novi. T., quorum alterum ad hebraicam, alterum ad graecam veritatem emendatum est quam diligentissime, adiectis ex eruditis scriptoribus scholiis, ita ubi opus est locupletibus, ut pro commentariis sint, multis certe locorum millibus praesertim difficilioribus lucem afferant ». Quae editio, quoniam textum vulgatum pro libitu mutat et in praefatione et prolegomenis erroribus non caret, ipsa quoque in indicem relata est; notas autem eius critici sacri in suam collectionem admiserunt[12].

Franciscus Titelmann († 1537), O. Capuc., linguarum sacrarum peritissimus « elucidationes et adnotationes » in Psalmos, Iobum, Canticum Cant., Evangelia primum et quartum. omnes epistolas Paulinas et Catholicas com-

posuit. Elucidationes paraphrasin satis diffusam exhibent, adnotationes autem illa, quae ad pleniorem textus intelligentiam et ad criticam sacram utilia iudicavit, satis accurate afferunt [13].

Rudolphus Baynus († 1560), linguae hebraicae in univ. paris. professor et postea episcopus conventrensis (in Anglia sub regina Maria), egregium commentarium in Proverbia scripsit, quem critici sacri in opus suum receperunt [14].

Hieronymus Oleaster († 1562), Ord. Praed., in concilio tridentino theologus regis lusitani, Pentateuchum et Isaiam commentatus est versionem Santis Pagnini secutus. Sensum literalem diligenter investigat, vocabulorum etymologias et significationes attente scrutatur, Patrum autem explicationes fere negligit. Alia quoque in Scripturam composuisse dicitur, quae typis vulgata non sunt [15].

1. Cfr *Lelong* Bibl. sacr. p. 597. 604. 978; *Dupin* Nouv. Biblioth. XIV. p. 120 sq. 75 sq.

2. De modo, quo versionem suam novam adornavit, haec ipse in Prooem. Psalt. § 1 : « assumta illa, quae nomine B. Hieronymi circumfertur, interpretatione iuxta hebr. veritatem et collata cum ea, quae circumfertur LXX interpretum et cum quatuor aliis modernis interpretationibus ex hebraeo immediate, adhibui duos linguam hebraeam scientes, alterum Hebraeum, magistrum linguae illius, alterum Christianum, cum pluribus vocabulariis linguae illius; et coram me exigente significationes dictionum hebraearum in lingua nostra latina vel vulgari et eligente significationem, quae magis quadrare contextui visa est, feci per singula verba vocatam B. Hieronymi versionem reduci ad respondendum hebraeo textui de verbo ad verbum ». Eandem tamen curam eandemque diligentiam in reliquis libris adhibuisse non videtur; sed si eam adhibuisset, ad accuratam textus sacri intelligentiam non pervenisset.

3. Supra 223, 2. et *n*. 4. p. 611. 613.

4. *Pallavic.* Hist. conc. trid. VI. 17. n. 2.

5. *Card. Caietani* Opera omnia, quotquot in S. Scripturae expositionem reperiuntur. Lugduni 1639. 5 voll. fol. De singularum partium editionibus primis cfr *Quetif* et *Echard* l. c. II. p. 17.

6. *Santis Pagnini* Nova translatio prodiit Lugduni 1527 et postea saepius repetita est (cfr *Quetif* et *Echard* l. c. II. p. 115 sqq.; *Lelong-Masch* l. c. II. 3 p. 473-489). Thesaurus linguae sanctae. Lugd. 1529; Parisiis 1548 (editio genevensis 1614 in indice notata est, quia a calvinianis interpolata); Hebraicae institutiones. Lugd. 1526 Paris. 1549 etc.; Isagoge ad s. literas etc. Lugd. 1536; Catena argentea in Pentat. Lugd. 1636 etc. (cfr *Quetif* et *Echard* l. c. p. 117 sq.).

7. Variorum de Santis Pagnini nova translatione iudicia habes penes *Lelong-Masch* l. c. p. 474 sq.

8. *Iacobi Sadoleti* Comment. in ep. ad Rom. Venetiis 1536; in Ps. 50. Romae 1525; in Ps. 93. Lugd. 1530 etc.; de eius interpretationis methodo cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du N. T. p. 550 sqq.

9. *Franc. Vatabli* Annotationes in V. T. Paris. 1545; Salmanticae 1584. — *Gagnaei* Adnotat. in epist. Pauli, Cathol. et Apoc. Paris. 1543-1547 etc.; in Evangelia et Actus. Paris. 1552 etc.; cfr *Rich. Simon* l. c. p. 579 sqq., *Dupin* Nouv. Bibl. XIV. 176 sq. 182 sq.

10. *Adami Sasbout* Comment. in Isaiam praemisso tractatu de Scripturarum sensibus. Lovanii 1558; in epistolas S. Pauli (ad Rom., Gal., Ephes., Philipp., Coloss., Tim., Tit.; Hebr., 2 Petri et Iudae) Antw. 1561. — Opera eius omnia Coloniae 1568 et saepius; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du N. T. p. 639 sqq.

11. *Ioannis Feri* opera enumerat *Lelong* l. c. p. 724.

12. *Isidori Clarii* editio princeps Venetiis 1542. 1557 etc.; cfr *Cani* Loci theolog. II. 13; *Lelong-Masch* II. 3 p. 219 sqq.

13. *Francisci Titelmanni* editiones enumerat *Lelong* l. c. p. 990; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du N. T. p. 563 sqq.

14. *Rudolphi Bayni* Commentaria in Proverbia. Paris. 1550; eadem etiam exstant in *Migne* Curs. compl. S. Script.

15. *Hieronymi Oleastri* commentarii in Moysis Pentateuchum. Ulyssip. 1556-1558; in Isaiam. Paris 1656; cfr *Quetif* et *Echard* l. c. II. p. 182 sq.

III. Interpretatio theologorum a finito concilio tridentino ad nostra usque tempora.

§ 15. — *Aureum exegeseos catholicae modernae saeculum* (1563-1663).

252. — Iure merito in annalibus exegeseos catholicae saeculum illud aureum celebratur, quod a concilio nicaeno (325) ad usque chalcedonense (461) decurrit; maximorum enim interpretum fertilis fuit illa aetas, quae SS. Athanasium, Ephraem, Basilium eiusque fratrem Gregorium Nyssenum et amicum Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Cyrillum Alex., Theodoretum in Oriente, in Occidente SS. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum produxit, ut alios multos taceam, qui quamvis minoris, quam illi, auctoritatis, tamen ceu traditionis apostolicae testes et eximii Scripturarum interpretes nomen Patrum sibi acquisiverunt. Nisi vero omnia nos fallunt, primae illi exegeseos aureae aetati comparari atque etiam aequiparari licet saeculum illud, quod a finito concilio tridentino defluxit. Evidens quidem est, Patribus velut traditionis testibus theologos posttridentinos comparari non posse; si quis vero ab hoc antiquitatis privilegio praesciderit, asserere vix dubitabit, saeculum illud ad promovenda studia scripturistica non minus, quam patristicam aetatem, contulisse.

Quidnam illo tempore in sacra critica sit praestitum, in secunda dissertatione passim iam indicavimus. Indefesso theologorum istius aetatis studio imprimis debemus clementinam Vulgatam nostram emendatam, sixtinam editionem versionis alexandrinae, bina celeberrima polyglotta, antwerpiensia (1569-1572) et parisiensia (1629-1645), nonnullas editiones principes versionum antiquarum. Plura autem et maiora in ipsa interpretatione praestiterunt; neque enim

est Veteris aut Novi Testamenti liber, qui vere eximiis commentariis illo tempore non sit illustratus.

De methodo, quam in interpretatione secuti sunt, vix quidquam illis, quae iam diximus, addendum habemus; aliud enim systema hermeneuticum, quam quod a Patribus et theologis scholasticis acceperant, non excoluerunt. Ab illis edocti praeter sensum literalem typicum quoque agnoverunt et investigarunt, nec a tropologicis consequentiis deducendis abstinuerunt, nec allegoricas accommodationes aspernati sunt : pro ingenio suo alii fusius diligentiusque sensum literalem sectati sunt, alii allegoricis explicationibus, alii tropologicis deductionibus magis sunt delectati, alii triplicem explicationem, literalem tropologicam allegoricam, pari cum diligentia dederunt. Plerique etiam S. Augustinum secuti multiplicem sensum literalem admiserunt, sed quum eum in paucissimis tantum textibus inesse concederent, erronea haec sententia auctoritatem commentariorum eorum minuere non potest. Gravius est, quod illa via, qua scholastici illis praeierant, relicta ad compositionem et divisionem integrorum librorum parum attenderint, ita ut singulos potius libri textus, quam integra opera plerumque exponere videantur; quo factum est, ut proximum quidem contextum accurate considerarent, remotum autem magis negligerent, nec scopum finemque scriptorum sacrorum satis curarent. Ceterum tridentinis decretis obsecuti in interpretatione ad traditas Patrum explicationes diligentissime animum adverterunt, et sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, retinere novisque argumentis confirmare et stabilire studuerunt. Vulgatae quoque textum imprimis interpretati sunt, sed textuum primigeniorum versionumque antiquarum differentias nequaquam parvipenderunt, nedum neglexerint.

Numerus interpretum, qui hoc saeculo aureo floruerunt, ingens est; plus *trecenti quinquaginta*, qui ab a. 1563 usque ad a. 1663 supremum suum diem obierunt, enumerantur a *P. Hurter*[1]; nos hoc loco omnes illos recensere nec posse nec velle evidens est; illos solos nominabimus, qui utpote maioris auctoritatis etiam hodie magno cum emolumento consuli possunt et debent ab omnibus illis, qui vere catholicam alicuius libri sacri explicationem tradere volunt; plures autem in Introductione speciali in singulos libros Utriusque Test. indicavimus.

1. *H. Hurter* S. I. Nomenclator literarius recentioris theologiae catholicae. Vol. I. Theologiae cathol. saeculum primum post celebratum conc. tridentinum. — In priore editione nostra ad priorem praeclari huius operis editionem (Oeniponte 1871-73) lectores, qui plura et accuratiora de interpretibus illius aetatis scire desiderant, remisimus atque ex tabulis ei insertis numeros interpretum desumsimus.

Interea cl. auctor operis sui « *alteram editionem plurimum auctam et emendatam* » curavit (Oeniponte 1892), ex cuius tabulis (p. 508-547) priores nostri numeri omnes sunt augendi. Enumerantur enim universim 372 interpretes catholici, quorum sacerdotes *saeculares* sunt 148, *regulares* 224; inter regulares ex *Soc. Iesu* fuerunt 88, ex tribus *S. Franc. ord.* (Convent., Observ., Capuc.) 41, ex *ord. Praed.* 20, ex *cler. reg.* (Theat., Orat., Som. etc.) 14, ex *ord. S. Aug.* 13, ex *ord. Carm.* 12, ex *ord. S. Bened.* 8 etc. — Magno, quem *Societas Iesu* an. 1540 nata produxit, egregiorum interpretum numero spectato *I. Danko* (De Scriptura comment. Vindobonae 1867 p. 335) censet « inter praecipua huius Societatis decora referendum esse, quod multa theologicarum disciplinarum lumina atque columina produxerit, nec ullum fere sit studiorum biblicorum genus, de quo non quidam illius sodalium variis nominibus *praeclarissime* promeriti fuerint ». Atque ipse *Reuss* (Gesch. des N. T. 552. Ed. 5. II. p. 293) : « In der Exegese wurde am meisten von den Jesuiten gethan, deren Werke oft wiedergedruckt im 17. Iahrh. alle andern verdunkelten ».

253. — Celeberrimorum huius periodi interpretum agmen merito ducit Sixtus Senensis († 1569), O. Praed., qui etiamsi nullum librum sacrum exposuerit, sua tamen « Bibliotheca sancta » studiis biblicis quam maxime profuit [1]. Opere enim hoc, quod summis laudibus acatholici non minus quam catholici celebrarunt, novae cuiusdam disciplinae scripturisticae, introductionis scilicet, parens factus est. Octo operis sui libris divinorum voluminum argumenta exponit, canonicitatem vindicat, regulas explicationis tradit, interpretum catalogum ad suam usque aetatem contexit, obiectiones contra libros sacros fieri solitas refutat. Re vera in eo scribendo sese exhibuit, ut protestantici scriptoris de Sixto iudicium faciam meum, « virum plane doctissimum et si quis alius in Patribus versatissimum, immensi laboris scriptorem, diligentiae stupendae, lectionis variae et eruditionis admirandae » [2]. Id vero dolendum, quod de fragmentorum deuterocanonicorum divina origine incautus erraverit (*supra* 53) atque interdum non satis aequum antiquiorum interpretum iudicem agat.

Andreas Masius († 1573), cui « parem ingenio, iudicio, linguarum peritia haud facile inveniri » asserit *Polus*[3], unus ex polyglottorum antwerpiensium editoribus, linguae syriacae grammaticam et lexicon illis addiderat; maiorem tamen sibi famam acquisivit suo commentario in librum Iosue, quo melior et accuratior nondum in lucem prodiit; verum quia « nonnulla minus sana vel minus sane sonantia, ut de cruce non adoranda et de imaginibus in altari non collocandis, quae caute legenda et intelligenda sunt », inseruerat, opus in indice notatum est, donec corrigeretur [4]. Praeterea optimis adnotationibus ultima octodecim capita Deuteronomii illustravit.

Cornelius Iansenius, gandavensis episcopus († 1575), Philippi II. in concilio tridentino theologus, commentarios reliquit in Proverbia,

Canticum Cant., l. Sapientiae, Ecclesiasticum; magis autem laudantur eius « paraphrasis et adnotationes in Psalmos », maxime vero eius « Concordia evangelica », vel potius commentarius, quo concordiam suam et totam historiam evangelicam explicavit[5]. In quo opere, uti ipse ait, « non literalem tantum sensum, quem auctor Spiritus S. imprimis propositum habuit, sed mysticum quoque non indiligenter tractatum invenies, eumque non commentitium, coactum aut procul petitum, sed a Patribus ipsis acceptum et primariae sententiae fundamento pulchre innixum ac exaedificatum ». Quantopere commentarius hic omnibus probatus fuerit, demonstrant eximiorum virorum testimonia : Iansenium in Evangeliorum concordia « praecipuum sibi locum vindicare » censet *Card. Baronius*, eum « soliditate interpretandi excellere » asserit *Cornelius a Lapide*[6].

Franciscus Forerius († 1581), O. Praed., regis lusitani in concilio tridentino theologus, « absoluta synodo a summo Pontifice gravi et honorifico molimini Tridenti non omnino perfecto adhibitus est, reformandi sc. missalis ac breviarii formandique catechismi »[7]. Dum autem Tridenti gravibus his difficilibusque negotiis tenebatur occupatus, simul studiis exegeticis operam impendere non cessavit. Eodem enim anno, quo concilium terminatum est, in lucem prodiit eius « Isaiae prophetae vetus et nova ex hebraico versio cum commentario ». « Nullum usque ad suam aetatem opus in hoc scribendi genere prodisse in lucem, quod aequius possit cornucopiae appellari » arbitratur *Sixtus Senensis;* Forerium « non minore diligentia quam iudicio in singulorum vocum proprias significationes et integrarum sententiarum sensum et nexum indagasse » dicit *Rosenmüller*[8]; quare non mirum, quod et protestantici critici sacri et Migne illum commentarium in suas collectiones receperint.

Ioannes Maldonatus S. I. († 1583), natus a. 1534 in provincia Estremadurae, post studia absoluta per aliquot annos in salmanticensi universitate philosophiam linguamque graecam docuit, a. 1562 Societatem Iesu ingressus per tredecim integros annos Parisiis philosophiam et theologiam dogmaticam tanto cum auditorum concursu professus est, ut ob eorum multitudinem sub divo interdum scholas habere coactus sit. Ab anno 1577 Bituricum secessit, ut totum se S. Scripturarum studio traderet, quod theologiae dogmaticae professor auditoribus continuo commendaverat[9]. A Gregorio XIII. demum Romam arcessitus, ut editionem versionis alexandrinae praepararet, immatura morte abreptus est undequinquagesimo vitae anno. Pauca reliquit opera dogmatica, sat multa vero et eximia exegetica. Inter quae eminent « commentarii in quatuor Evangelia », quibus ipse quidem quominus

ultimam manum imponeret morte impeditus est, quos autem P. Fronto Ducaeus iussu R. P. Claudii Aquavivae ex defuncti schedis relictis edidit. Cuius operis praestantiam innumerae editiones demonstrant, quae ad nostram usque aetatem omnibus fere in terris prodierunt; sine ulla exaggeratione asserere licet, meliorem in Evangelia commentarium ad haec usque tempora non esse editum; cumque ubertate, perspicuitate, felicissima interpretandi arte eminere ac merito maximi aestimari *Knabenbauer* recte censet [10]. Minoris meriti et auctoritatis sunt eius « commentarii in praecipuos libros Veteris Testamenti » (i. e. in quatuor Prophetas maiores, in Psalmos, tres libros salomonicos, l. Sapientiae), qui etiam ex eius schedis relictis editi sunt [11].

1. *Sixti Senensis* Bibliotheca sancta in octo libros digesta. Venetiis 1566; Francofurti 1575 etc. Eadem plurimis in locis emendata et scholiis aucta ab *Ioanne Haio* S. I. Lugduni 1591 etc. Optimam editionem catalogo interpretum usque ad suam aetatem perducto curavit *Thomas Milante*, O. Praed. Neapoli 1742.

2. *Rich. Montacutii* Apparat. I. sect. 68 apud *Hurter* Nomenclator I. (Ed. I. p. 65), qui aliorum quoque iudicia refert (Ed. 2. p. 30 sq.); cfr etiam *Quetif* et *Echard* Script. O. Praed. II. p. 206 sqq.; *Dupin* Nouv. biblioth. XVI. p. 101 sq.

3. *M. Poli* Synopsis critic. sacr. Francofurti 1712. I. Praef. ad Lect.

4. *Corn. a Lap.* Praef. in Iosue. Correctum opus a Migne receptum est in Cursum completum S. S.; incorrectum receperunt critici sacri. Prima editio prodiit sub titulo : « Iosuae imperatoris historia illustrata atque explicata » (Antw. 1574) et continet praeter triplicem textum heb., graec., latin. adnotationes criticas et commentarium. Repetita est editio cum additamentis novis sc. Adnotatis in ultima Deuteronomii capita in Criticis sacris an. 1592; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 15. p. 444.

5. *Corn. Iansenii* Commentarii in Prov. Lovan. 1569; in Sap. et Eccli. Antw. 1589; Paraphr. et Adnot. in Psalm., Comment. in Prov., Sap., Eccli., Cant. Lugduni 1586. 1591 etc.; Concordia Evang. Lovanii 1549; Comment. in Concord. etc. Lovanii 1572. 1577 etc.; cfr *Lelong* l. c. p. 792.

6. *Baron.* Annal. ad a. 31; *Corn. a Lap.* Praef. in Evang. S. Matth.; cfr *Rich. Simon.* Hist. crit. des commentat. du N. T. ch. 41 p. 595 sqq.; *Dupin* Biblioth. XVI. p. 116 sq. etc.

7. *Pallavic.* Hist. conc. trid. XVIII. 1, 3.

8. *Sixti Sen.* Bibl. s. IV. (ed. Milante p. 367); *Rosenmüller* Schol. in Is. Ed. 3. Lips. 1823 p. IX; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 15. p. 445; *Quetif* et *Echard* l. c. II. p. 261 sq. — Commentarius eius in Isaiam prodiit prima vice Venetiis 1563, dein Antwerpiae 1565 etc.; alia opera eius exegetica, quae tamen, ut videtur, impressa non sunt, commemorant *Quetif* et *Echard* l. c. et *Lelong* l. c. 728.

9. Cfr inter alia egregiam orationem, qua Parisiis suas de sacramentis scholas inchoavit (die 9. Oct. 1571, *I. Maldonati* Epist. et orat. p. 25). Postquam praemisit, octo quotidie horarum studium unicuique, etiam si tardioris ingenii sit, sufficere, ut paucis annis bonus evadat theologus, de octo his horis adhibendis in hunc modum disserit : « Ab oratione auspicandum est theologiae studium : *orationem autem mea quidem sententia divinarum literarum lectio sequi debet.* Nam quum

Scriptura sacra omnis theologiae fons sit et uberrimum seminarium, unde melius nostra omnia et matutina et pomeridiana studia, quam ex eius locupletissimis thesauris inchoantur? *Ego quidem eos, qui praetermissis literis sacris, nescio quibus in libris omnem vim ingenii sui seque ipsos consumunt, theologos esse non iudico.* Qui vero et minorem temporis partem et postremam divinis literis impendunt, nominentur sane theologi si volunt, certe imprudentes et praeposteros theologos ego appellabo. Qui meum consilium sequi volunt, ii primam peractis precibus horam temporis matutini in legendo Novo Testamento collocabunt, primam vero pomeridianam in Veteri; legat autem et Vetus hebraice et Novum graece, qui hebraice graeceque noverit, ut eodem studio et historiam et theologiam discat et linguarum cognitionem alat. Reliquum tempus audiendis praelectionibus, iisdem repetendis et commentandis, disputationibus habendis, auctoribus legendis, nonnullis quaestionibus scripto tractandis totum debet impendi. His enim exercitationibus omne theologiae studium continetur ».

10. Prima vice *Maldonati* commentarius in Evangelia prodiit Mussiponte 1596; magnum reliquarum editionum numerum recenset *de Backer* Les écrivains de la C[ie] de Jés. Ed. 2. Liège 1870. II. s. v.; recentissimae sunt moguntina 1874 et barcinonensis 1882. Quum in editiones, quae post a. 1607 impressae sunt, textus Vulgatae clementinae sit receptus, commentarius interdum a textu dissonat. Variorum de huius operis praestantia sententias collegerunt *Hurter* Nomenclator I. p. 173 sq. (Ed. 2. I. p. 88); *Dupin* Biblioth. XVI; p. 126; *Rich. Simon* Hist. des comment. du N. T. ch. 42. p. 618 sqq.; *Knabenbauer* Comm. in Matth. 1892. I p. 17, etc.

11. Commentarii in quatuor Prophetas (Ierem. et Baruch, Ezech., Dan.) typis editi sunt Lugduni 1609, Parisiis 1610 etc. Inde ab anno 1643 editioni parisiensi additi sunt commentarii in Isaiam et in libros morales. Cfr editionum enumerationem apud *de Backer* l. c. et *Lelong* l. c. p. 842; *Knabenbauer* (Comm. in Isaiam. 1887. I. p. 23) haec de eis iudicat; « quamvis Maldonatus in Veteris Test. explanatione non eam adeptus sit laudem, quam suo iure sibi vindicat in explanatione Evangeliorum, tamen commentarius eius in Isaiam laude dignus et ab interprete non est negligendus; textum enim hebr. diligenter consulit et expendit et sensum literalem breviter ac dilucide proponit ».

Exeunte saec. 16. tres floruerunt Belgae, qui primi sacram geographiam magno cum successu excoluerunt : *Christ. Adrichomius* († 1585) nobis « Theatrum terrae sanctae et biblicarum historiarum » reliquit, cuius pars geographica et topographica etiam hodie utilitate sua non caret; *Gerhardus Mercator* († 1594), unus ex celeberrimis geographis, praeter exegetica quaedam minoris momenti amplissimam edidit « terrae sanctae descriptionem »; tertius, *Abrah. Ortelius* († 1598), sui temporis Ptolemaeus dictus, praeter « geographiam sacram » etiam « typum chorographicum » peregrinationum S. Pauli et celebriorum locorum Israel et Iuda composuit. Neque tamen Belgae soli geographiam sacram tractarunt; circa idem enim tempus Austriacus quidam, *Mich. Aitsinger* « terram promissionis » geographice ac topographice descripsit [12].

Eodem a. 1585, quo Adrichomius, Card. *Guil. Sirletus* vitam finivit, vir sua aetate ob singularem eruditionem celeberrimus et in hoc interpretum conspectu ideo potissimum memoria dignus, quia et in Vulgatae correctione

et in sixtina alexandrinae versionis editione praeparanda magnam partem habuit; ab eo autem separare non licet eius amicum Card. *Antonium Carafam* seniorem († 1591), qui ipse quoque iisdem laboribus operam utilissimam impendit ac sixtinae congregationi praefuit (178 p. 484 sqq.). Quibus merito adiungimus insignes illos viros, quos (praeter Toletum, Agellium, Bellarminum, de quibus statim dicemus) operis sui socios et collegas habuerunt : *Flaminium Nobilium* († 1590), *Barthol. Valverdam* († 1590), *Petrum Morinum* († 1608), qui primi antiquam Italam ex Patrum maxime allegationibus restituere conati sunt[13]; *Emmanuelem Sa* (†1596) S. I., qui primus in collegio romano cathedram literarum sacrarum obtinuit ac « notationes in totam S. Scripturam » utilissimas edidit[14]; *Angelum a Rocca* († 1620), ord. S. Aug. et episcopum tagast., qui « bibliothecae theologicae et scripturalis epitomen » quandam composuit, in qua recensitis polyglottis, glossis, glossatoribus etc. regulas hermeneuticas a Patribus observatas breviter indicat[15].

Eodem a. 1585 cum Adrichomio et Sirleto mortuus est etiam *Alphonsus Salmeron* S. I., trium Pontificum, Pauli III., Iulii III., Pii IV., theologus in concilio tridentino. Hic omnes Novi Test. libros non continuis quidem commentariis, sed dissertationibus illustravit, quibus quam plurima inseruit, quae ad theologiam dogmaticam magis quam ad exegesin spectant[16]. Opera eius sedecim sat magnis voluminibus constant, quorum primum quaestiones introductorias tum generales tum speciales in Evangelia tractat; decem sequentia volumina historiam evangelicam explanant, duodecimum Actus Apostolorum; in quatuor reliquis post introductionem specialem in epistolas Paulinas difficiliores textus omnium epistolarum explicantur[17].

Hieron. Pradus († 1595) S. I., in collegio cordubensi professor S. Scripturae, duos egregios interpretes formavit, Ioan. Pinedam et Ludov. de Alcazar, de quibus recurret sermo. Ezechielis vaticiniis illustrandis et explicandis maxima cum diligentia incubuit; commentarios vero, quos morte abreptus terminare non potuerat, *Ioan. Bapt. Villalpandus* († 1608) S. I. ad finem perduxit. Inter omnes, qui hucusque prodierunt, Ezechielis explicationes commentariis Pradi et Villalpandi non tantum ob molem sed etiam ob eruditionem suam unum ex primis locis deberi certum est; tribus magnis voluminibus constant, quorum primum Pradi explicationes in viginti sex prima capita, duo reliqua Villalpandi explicationes in tredecim reliqua capita atque amplissimam templi vasorumque sacrorum descriptionem exhibent[18].

12. *Adrichomii* Theatrum etc. Coloniae 1590 et saepius; — *Mercatoris* descriptio etc. Lovanii 1587 etc.; — *Ortelii* Geographia sacra. Antwerpiae 1598; eius Typus chorographicus peregrinationum Pauli. Antw. 1579 et Typus chorograph. celebriorum locorum Israel et Iuda. Antw. 1586; — *Aitsingeri* Terra promissionis geographice et topographice descripta. Coloniae 1582; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 102 sq.; *Lelong* Bibl. p. 597 etc.; *Dupin* Biblioth. nouv. XVI. p. 133 etc.

13. De Sirleto, Carafa, Nobilio, Valverde, Petro Morino cfr *Hurter* Ed. 2. p. 95-99 et 199 sq. — Sirletus polyglottis antwerpiensibus inseruit « Adnotationes

variarum lectionum in Psalmos »; *Carafa* edidit « catenam explicationum Patrum in omnia tam Veteris quam Novi Test. cantica » (Patavii 1565), sixtinae editioni versionis alexandrinae praemisit epistolam ad Sixtum V., in qua etiam Sirleti de hac editione meritum celebrat; item epistolam nuncupatoriam ad Sixtum praemisit operi, cui titulus : « *Flaminii Nobilii* Vetus Testam. secundum LXX latine redditum et ex auctoritate Sixti V. editum » cfr *Lelong-Masch* Bibl. II. 3 p. 6 sq.

14. *Emm. Sa* Notationes etc. (Antwerpiae 1598, Lugduni 1609, Coloniae 1610 et saepe) etiam in Biblia magna, uti in maxima et in veneta (cfr *infra* 254 p. 713) sunt recepta; de eo agit *Hurter* Ed. 2. p. 77 et 200.

15. Cfr *Hurter* Ed. 2. p. 225 sq.

16. Ex Salmeronis commentariis, in quos post eius mortem editos nonnulla ex Laynii scriptis recepta esse videntur, iustum volumen « de iurisdictionis episcopalis origine ac ratione » *I. B. Andries* excerpsit (Moguntiae 1871).

17. *Alph. Salmeronis* commentarii in evangelicam historiam etc. Matriti 1598-1602; Coloniae 1602. 1612; cfr *de Backer* l. c. III. s. n.; *Dupin* Bibl. nouv. XVI. p. 134; *Hurter* Ed. 2. p. 79 sq.

18. *Hier. Pradi* et *I. B. Villalpandi* in Ezechielem adnotationes et apparatus urbis et templi ierosolymitani commentariis et imaginibus illustratus. Romae 1596-1604; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 84; *Knabenbauer* Comment. in Ezech. 1890 p. 14.

Exeunte tamen saec. 16. una cum Iansenio Gand. et Maldonato quatuor interpretes excelluerunt, quos mors ultimo illius saeculi decennio abripuit, Fr. Ribera, Fr. Toletus, G. Genebrardus, Arias Montanus.

Franciscus Ribera († 1591) S. I., qui per sedecim annos in univers. salmaticensi sacras literas interpretatus est, piissimis simul et eruditissimis exegetis adnumeretur oportet. Inter eius opera scripturistica eminent « commentarii in duodecim Prophetas minores, sensum eorum historicum et moralem saepe etiam allegoricum complectentes » et « comment. in ep. ad Hebraeos ». S. Ioannis quoque Evangelium et Apocalypsin commentatus est ultimoque operi « libros quinque de templo et de iis, quae ad templum pertinent » adiecit[19]. In epistola ad Hebr. interpretanda magnam diligentiam textibus ex Vetere Test. allegatis impendit; ubi vero novam aliquam explicationem a Patrum sententia recedentem proponendam censet, maxima utitur modestia; etenim « libentius, inquit ad *Hebr.* 2,16, fatebor me non intelligere sensum Pauli, quam tot Patrum explicationi contradicere ».

Franciscus Toletus († 1596), S. I., Card. S. R. E., a Gregorio XIII. in epistola ad Albertum Bavariae ducem a. 1574 « omnium, qui nunc sunt, virorum sine ulla controversia doctissimus » appellatus neque in minore aestimatione a Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., habitus, de studiis scripturisticis quam optime est meritus. Eius enim opera Sixtus V. in edenda versione alexandrina usus est, et quantam partem habuerit in Vulgata nostra emendanda ex illis, quae supra (180) enarravimus, luculenter apparet. At in re critica magnus, maior

fuit in libris sacris explanandis, idque unum dolendum, quod tam paucos commentarios nobis reliquerit; sat multorum enim iudicio omnium, qui adhuc floruerunt, interpretum maximus fuit Toletus[20]. Commentarius eius in ep. ad Romanos a nullo, qui S. Paulum intelligere vult, negligi potest; Evangelium S. Ioannis ita explanavit, ut nemo eum superaverit, atque egregiae quoque sunt explicationes duodecim priorum capitum Evangelii S. Lucae. Breviore commentario singulos versus explanat, et longioribus dein adnotationibus aliorum explicationes diiudicat elucidatque difficiliores quaestiones, praesertim dogmaticas[21].

Gilbertus Genebrardus († 1597), O. S. Ben., « Sorbonae lumen magnum et Galliarum decus », multis nominibus sua aetate celeberrimus hoc loco nominari meretur quum ob suum in Psalmos commentarium, in quo alexandrinam Psalmorum versionem defendit eorumque sensum literalem tam accurate exponit, ut Calmeto iudice « inter primores in Psalmos scriptores » merito sit habendus, tum ob varios rabbinorum commentarios fideliter translatos atque etiam ob suam chronographiam, cuius duo priores libri de antiqua et sacra historia agunt, et in qua non pauca tradit interpreti utilia, quae frustra alibi quaeruntur[22].

Benedictus Arias Montanus († 1598), O. S. Iac., « praeter graeci et latini sermonis elegantiam, inquit Aubertus Miraeus, tantam aliarum linguarum notitiam sibi paraverat, ut Hebraei, Chaldaei, Syri et Arabes et his affines illo vel interprete vel magistro uti potuissent »[23]. Studiis suis linguisticis et theologicis magnam adeptus nominis famam et gloriam a Philippo II. edendis polyglottis antwerpiensibus praefectus est. Quibus praecipuum suum opus adiunxit « antiquitatum iudaicarum libros novem » ; quas dissertationes inique quidem carpit *Rich. Simon*, merito autem laudant *Possevinus* et *Dupin* utpote primas, quae accurate de his materiis sint conscriptae[24]. Minoris pretii sunt commentarii, quos in aliquos Veteris et in omnes Novi Test. libros composuit[25].

19. *Franc. Ribera* Comment. in duodecim Prophetas. Antwerpiae 1571 et saepius; in Ep. ad Hebr. Salmanticae 1591 etc.; in Evang. S. Ioan. Lugduni 1623 etc.; in Apocal. Salmanticae 1591 etc. — De Ribera interprete cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. III. 12 p. 424 sqq. et Commentateurs du Nouv. Test. ch. 41 p. 613 sqq.; *Dupin* Biblioth. nouv. XVI. p. 162; *Hurter* Ed. 2. p. 85 sq.

20. De *Toleto* interprete cfr *Corn. a Lap.* Praeff. in Evang. S. Ioan. et in ep. ad Rom.; *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du Nouv. Test. ch. 41. p. 605 sqq.; *Hurter* Ed. 2. p. 90 sqq.

21. *Franc. Toleti* Comment. et adnotat. in Evang. S. Ioan. Romae 1588, Lugduni 1589 etc.; in duodecim priora capp. S. Lucae. Romae 1600; in ep. ad Rom. 1602,

Moguntiae 1603 etc.; ultimae huic editioni accesserunt Toleti sermones quindecim in Ps. 31 et duo tractatus in *Rom.* 1,4 et 7, 18. De variis editionibus cfr *Lelong* l. c. et *de Backer* III. s. n.

22. *Gilb. Genebrardi* Comm. in Psalm. Paris 1577, 1582 etc. (cfr *Lelong* l. c. p. 745); Ioel propheta cum chaldaea paraphrasi et commentariis Sal. Iarchi, Abr. Ibenesrae, Davidis Kimchi latine. Paris 1563; Trium rabbinorum Sal. Iarchi, Abr. Ibenesrae et anonymi commentarii in Canticum Cant. in latinam linguam conversa una cum commentariis. Paris 1570; Seder Olam Zuta sive Hebraeorum chronicon de mundi origine, usque ad a. Domini 1112, capita R. Moysi Maimonid. de rebus Christi regis, collectanea Eliae Levitae et R. Iacob Salomonis filii de eodem, quibus summatim explicatur quidquid Iudaei de Christo sapiunt. Paris 1573; Chronographia. Paris 1585; cfr Dupin Bibl. nouv. XVI. p. 160 sq., *Hurter* Ed. 2. p. 100 sq.

23. Apud *Hurter* Ed. 2. p. 75.

24. *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. III. 17 p. 455 sqq.; *Dupin* Bibl. nouv. XVI. p. 161 sq. : « il est le premier qui ait bien éclairci ces matières et ceux qui sont venus après lui, se sont servis utilement de ses lumières ».

25. *Ariae Montani* De optimo imperio s. comment. in Iosue. Antwerpiae 1583; De varia republica s. comment. in l. Iudic. Antw. 1592; comm. in triginta priores Psalmos. Antw. 1605; in Isaiam sermones. Antw. 1599; in duodecim Prophetas min. Antw. 1571; in Evangelia et Actus. Antw. 1575; in omnia Apostolorum scripta et in Apoc. Antw. 1588; cfr *Lelong* p. 164, *Hurter* Ed. 2. p. 74-77.

254. — Ex interpretibus, qui duobus prioribus saeculi 17. decenniis ex vita discesserunt, sex velut insigniores nominari merentur. Praeprimis Antonius Agellius († 1608), Cler. regul. et episc. acernensis, de studiis scripturisticis optime meruit. In sixtina enim versionis alexandrinae editione praeparanda et in Italae fragmentis colligendis non ultimus fuit, et omnibus theologorum interfuit congregationibus, quibus inde a Gregorii XIII. usque ad Clementis VIII. aetatem emendandae Vulgatae munus impositum erat. Commentarium quoque reliquit in Psalmos, quo meliorem non facile invenies; optime in eo lectiones alexandrinas vulgatasque defendit et explicat, at semper hebraici quoque textus rationem accuratam habet. Psalmis adiunxit explicationem canticorum biblicorum; in Threnos autem ex graecis interpretibus catenam quandam collegit [1].

Nicolaus Serarius († 1609), S. I., moguntinus, teste *Rich. Simone* « omnibus iis instructus fuit, quibus S. Scripturae interpres indiget; etenim non tantum linguas hebraicam et graecam multo melius callebat, quam plerique alii commentatores, sed optime quoque in Scripturarum stilo erat versatus » [2]. Omnes fere historicos V. T. libros est interpretatus, ex Novo autem solas epistolas Catholicas. In libris historicis explicandis diffusior fere, quam par est, esse solet et quaestionibus in utramque partem agitatis dissertationes potius quam commentarios scribere videtur. Optima vero sunt eius « prolegomena

biblica » commentario in epistolas Catholicas praemissa, in quibus accurate et docte plerasque quaestiones introductorias exponit[3].

Benedictus Pererius (✝ 1610), S. I., scripsit « commentariorum et disputationum in Genesin tomos quatuor », quod unum opus « plurium in loco habendum esse » asserit *Calmetus, Rich. Simon* autem « utilissimum, quamquam non omnia verba explicet » appellat[4]; at nimis diffusus est et occasione ex textu sacro arrepta multas quaestiones dogmaticas et morales exagitat, quae commentario scripturistico non sunt inserendae. Non minus eruditi et docti, sed utiliores, quia breviores, sunt eius « commentariorum in Danielem libri sedecim ». Minus vero aestimantur eius « selectae disputationes in S. Scripturam », quae difficiliores textus Exodi, Evangelii S. Ioannis, ep. ad Romanos, Apocalypseos fuse tractant[5].

Guilelmus Estius (✝ 1613), duacensi in universitate per triginta annos theologiae professor, id praestitit relate ad epistolas apostolicas, quod Maldonatus relate ad Evangelia praestiterat; namque eius « in omnes S. Pauli et septem Catholicas Apostolorum epistolas commentarii » inter omnes, qui hucusque prodierunt, optimi censentur; idque iure merito. Alius enim non est interpres, qui in omnium epistolarum sensum literalem accuratius investigaverit, ad idearum nexum proximum diligentius attenderit, Patrum et antiquorum interpretum explicationes prudentius diiudicaverit. Neque tamen omnibus numeris perfectum est eius opus; nam Estius, utpote Baii discipulus, a magistri sui placitis sese omnino liberare non potuit; quare quibusdam in locis, in quibus de gratia et praedestinatione agit, caute est legendus. Morte abreptus commentarium non absolvit; explicationes ultimi capitis epistolae 1 Ioannis et duarum sequentium eiusdem Apostoli epistolarum adiecit *Barthol. Petri* (✝ 1630)[6]. Praeter hunc insignem commentarium Estius reliquit « adnotationes in praecipua difficiliora loca S. Scripturae », quae ipsae quoque utilissimae sunt[7].

Ludovicus de Alcasar (✝ 1613), S. I., Hieronymi Pradi discipulus, magnum in Apocalypsin commentarium edidit, cui tamquam appendicem subiecit explicationem earum V. T. partium, « quas respicit Apocalypsis », sc. *Iob* 38-40; *Ezech.* 1. 10. 38-40; *Dan.* 7-11; *Ioel* 3., *Hab.* 3., *Zach.* 1-7. Qui commentarius vel ideo speciali commemoratione est dignus, quia primus fuse demonstrare conatus est, quod Salmeron suspicatus erat et postea Bossuetius accuratius explanare studuit, S. Ioannem prima praecipue Ecclesiae saecula ac praesertim eius de synagoga et polytheismo triumphum prophetice descripsisse[8].

Franciscus Lucas Brugensis (✝ 1619), professor lovaniensis, suo tempore inter criticae sacrae cultores facile princeps, de Vulgatae

nostrae emendatione optime est meritus. Illam enim Vulgatae editionem curavit, quae sixtinae Vulgatae fundamentum fuit, atque post clementinam Vulgatam promulgatam « romanae correctionis in latinis Bibliis editionis Vulgatae iussu Sixti V. recognitis loca insigniora observata » edidit; quo opere id praecipue intendit, ut « indicata ea, quae reiecta est, lectione ita clare distingueret unam ab altera, ut deinceps nemo non clare intelligere posset, quae proba esset lectio, quae reproba, quae textu expulsa, quae in textum summi Pontificis auctoritate recepta ». Commentarium quoque in quatuor Evangelia edidit et commentariorum supplementum in S. Lucam et S. Ioannem[9].

1. *Ant. Agellii* Comment. in Psalmos Romae 1606; Coloniae 1607 etc.; in Threnos Romae 1589; in Proverbia Veronae 1649 (inter opera Aloysii Novarini); cfr *Hurter* Ed. 2. p. 201 sq. — A *Lelong* (l. c. p. 598) et *Hurter* (l. c.) etiam commemoratur Agellii commentarius in Proph. Habacuc. Antw. 1697, quem nusquam invenire potui.

2. *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 12 p. 423 et 13 p. 455.

3. *Nic. Serarii* Comment. in Iosue. Mogunt. 1609; in Iudic. et Ruth. Mogunt. 1609; in Reg. et Paralip. Mogunt. 1617; in Tobiam, Iudith, Esther, Machab. Mogunt. 1599.; in epist. Cath. Mogunt. 1612. — Alias editiones enumerant *Lelong* l. c. p. 960 et *de Backer* l. c. III. s. n.; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 196 sq.

4. *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 12 p. 423; *Hurter.* l. c. I. p. 330 sqq.

5. *Ben. Pererii* Comment. et disputat. in Genes. Romae 1589-1598; Coloniae 1601; Venetiis 1607 etc.; Comment. in Daniel. Romae 1587; Lugd. 1588. 1593 etc.; Disputationes in Exod. Ingolstad. 1601; in ep. ad Roman. Ingolstadii 1603, in Apoc. Lugd. 1606; in Evang. S. Ioan. Lugd. 1610. — Alias editiones recensent *Lelong* l. c. p. 898; *de Backer* l. c. II. s. n.; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 182 sq.

6. *G. Estii* Comment. in epist. S. Pauli. Duaci 1614 et saepissime; ultima editio optima Moguntiae 1858. De Estio interprete cfr *Rich. Simon* Commentat. du N. T. ch. 43 p. 640 sqq.; *Hurter* Ed. 2. p. 189 sqq. — *Barth. Petri* († 1630), professor duacenus, qui Estii commentarios in epist. Catholicas terminavit, bonum quoque commentarium edidit in Acta Apost. (Duaci 1622); cfr *Hurter* Ed. 2. p. 327.

7. *G. Estii* Annotationes etc. Antw. 1621; Coloniae 1622 etc.

8. *Lud. de Alcasar* Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi. Antw. 1614. Comment. in eas V. T. partes, quas respicit. Apocalypsis Lugd. 1632; cfr *de Backer* l. c. I. s. n. — De Alcazar interprete cfr *R. Simon* Des commentat. du N. T. ch. 42. p. 636; *Hurter* Ed. 2. p. 189.

9. *Lucae Brugensis* Romanae correctionis... loca insigniora. Antw. 1601; in quatuor Evang. commentarius. Antw. 1606; commentarii supplementum etc. Antw. 1612; cfr *Hurter* Ed. 2. I. p. 194 sq.

Praestantiores interpretes, qui ab a. 1621 usque ad a. 1640 ad vitam meliorem transierunt, omnes duobus exceptis ex Soc. Iesu fuerunt; ex eis primo ordini quinque ac similiter quinque secundo accensendos arbitramur. Priorum agmen ducit Card. ROBERTUS BELLARMINUS († 1621) S. I., qui aliis quidem theologicis operibus, atque potissimum celeberrimis suis controversiis de fide interpreti haudquaquam inutilibus,

summam sibi laudem gloriamque comparavit, sed inter eximios quoque interpretes meritissimo numeratur quum ob praeclaram, quam in clementina Vulgata praeparanda posuit, operam (cfr 179. 180), tum ob egregium suum in Psalmos commentarium. Quanti enim hic semper sit aestimatus, plus triginta eius editiones testantur inde ab a. 1611. in lucem datae, et quanti hodie quoque aestimetur, docent quinque editiones, quae nostro saeculo prodierunt; plerisque nimirum iunioribus commentariis in Psalmos eum praeferendum *Hefele* censet atque inter protestantes non desunt qui eum laudibus celebrent [10].

Benedictus Iustinianus († 1622) S. I., collegii germanici quondam convictor et in collegio romano per multos annos S. Scripturae lector, unus ex optimis est epistolarum commentatoribus. Vix alius est, qui tanta cum diligentia Patrum aliorumque antiquorum interpretum explicationes collegerit, digesserit, diiudicaverit; quare eius commentarii Patrum sententiis sunt refertae et quodam modo complementum constituunt commentariorum Estii; quin etiam iuxta *Hurter* Iustiniani explanationes, si cum Estii interpretatione coniunguntur, perfectum absolutumque epistolarum exhibent commentarium [11]. Ab initio textui sacro adiungit paraphrasin, quae a plerisque valde laudatur ac laude quoque digna est, quamvis non semper sit satis accurata; satis diffusam deinde addit singularum sententiarum explanationem ex Patrum operibus, inter quos Graecis haud raro SS. Augustinum et Thomam praefert.

Quibus duobus Italis duo accedunt Hispani, quorum prior Casp. Sanctius († 1628) S. I., ex Novo Test. solos Actus Apost., Veteris autem plerosque libros uberrimis commentariis illustravit. Mirum est, quanta cum sagacitate difficultates, quae a modernis criticis contra libros historicos moventur, quasi praeviderit et quanta cum eruditione plerasque iam solverit; quapropter a *P. de Hummelauer* « omnium facile princeps » vocatur eorum, qui illos libros interpretati sunt; a *Calmeto* quoque « eruditus, sapiens, solidus, literae inhaerens et omnium quos noverim interpretum praestantissimus » dicitur; in prophetis porro explicandis *Knabenbauer* eum « sensum literalem et historicum diligenter et saepe valde feliciter investigare, ubertim exponere, magna eruditione ex literis sacris scriptoribusque ecclesiasticis ac profanis declarare, aliorum interpretum sententias fideliter referre et subtili iudicio expendere atque demum ab allegoricis expositionibus sese abstinere » asserit, ita « ut nullo modo liceat interpreti eius volumina negligere » [12].

Alter est Ioannes de Pineda († 1637), magistro suo Prado celebrior, « patriae suae ac sodalitatis suae immortale decus et ornamentum »

ab editoribus biblioth. hisp. appellatus, a *Schultens*, viro protestantico, dictus « theologus et commentator eximius, magnus apud suos, apud nos (protestantes) quoque ». Libris sapientialibus Veteris Test. omnem suam diligentiam omneque suum studium impendit. Potissimum celebrantur eius « commentariorum in Iob libri tredecim », quod opus *Calmeto* « diffusissimum quidem, sed etiam probatissimum est, in quo nihil praetermittatur indiscussum », et recenti interpreti protestantico, *Fr. Delitzsch*, « vere magnificum est, quod etiam protestantes adhibuerint et admirati sint, quamvis magno cum zelo Vulgatam tueatur ». Ad Salomonis libros interpretandos viam sibi stravit edito « Salomone praevio i. e. de rebus Salomonis libris octo », ac deinde Ecclesiasten magno commentario illustrare aggressus est, postquam minorem « praelectionem in Canticum Cant. » in lucem emisit [13].

Quintus natione Belga, CORNELIUS A LAPIDE († 1637) S. I., integram Scripturam, Psalterio et l. Iob. exceptis, ita interpretatus est, ut alius non sit, qui verbi divini praedicatoribus magis probetur ac magis commendari mereatur. Quoniam enim plèrumque quadruplicem explicationem exhibet (in sensu literali exponendo utique interdum minus diligens) atque non minus erudite quam fuse tropologicas conclusiones allegoricasque accommodationes vestigiis Patrum inhaerens explanat, amplissimam eorum omnium copiam praebet, quae requiruntur, ut verbum divinum populo cum fructu explicetur. Quanti semper aestimati sint et hodie aestimentur eius commentarii, multae illae editiones demonstrant, quae magna operis mole non obstante in lucem sunt emissae. Fatendum tamen est, non omnes libros eadem cum diligentia esse tractatos commentariorumque singulorum valorem etiam ab auctoribus dependere, quos Cornelius in illis elaborandis praecipuos duces habuerit; Pentateuchi et Paulinarum epistolarum commentarii reliquis praestare iure dicuntur, quia in illis sensui literali diligentius inhaeret [14].

Inter eos, quos secundi ordinis esse diximus, tres primi sunt Hispani, quartus Gallus, quintus Belga. Iuxta temporis ordinem primus est *Ludovicas de Tena* († 1622), complutensi in academia theologiae professor. Erudita sed diffusissima « commentaria et disputationes in ep. ad Hebraeos » composuit, in quibus quam plurimas quaestiones ab apostolico textu alienas scholastico modo exagitat. Nimis quoque diffusa ac nimis scholatica est eius « Isagoge in totam Scripturam », at utilis semper ei erit, qui quaestionibus dogmaticis ad introductionem spectantibus accuratius studere voluerit [15].

Ioannes Mariana († 1624), S. I., « scholia in Vetus et Novum Testamentum » reliquit, quae ut protestantici critici verba usurpem, « exi-

gua quidem mole, sed usu non contemnenda et cum iudicio exarata sunt ». *Rich. Simon* quoque Marianam appellat « unum ex optimis et sapientissimis scholiastis, qui Scripturas illustrarunt » simileque iudicium ferunt alii viri eruditi. Item magno cum iudicio elaborata est eius dissertatio « pro Vulgata », in qua prudenter quidem sed energice exaggeratas illas de Vulgata opiniones, quae suo tempore inter theologos hispanos vigebant, impugnat atque genuinam et vere catholicam de eius auctoritate sententiam egregie stabilit [16].

Thomas Malvenda († 1628), O. Praed., ut Vulgatam nostram defenderet, novam ipse ex textu hebraico adornavit versionem additis scholiis, quibus varias, quas textus hebraicus admittere videtur, vel quae ab aliis excogitatae sunt, significationes recenset et plerumque diiudicat. Morte abreptus est, quum in Ezechiele vertendo esset occupatus; opus autem eius posthumum edidit *Thomas Turcus,* O. Praed., sub titulo : « Commentaria in S. Scripturam una cum nova de verbo ad verbum ex hebraeo translatione variisque lectionibus » [17].

Ioannes Lorinus († 1634), S. I., multos et prolixos commentarios edidit, inter quos eminet « commentarius in Actus Apostolorum », qui fere omnium, quotquot in hunc librum conscripti sunt, censetur optimus. Commentarius quoque in Psalmos, quamvis iusto sit prolixior, non est spernendus; multas enim et egregias in illo Patrum explicationes collectas habes, ut pro catena fere inservire possit. Ex Vetere Test. praeterea interpretatus est tres ultimos libros mosaicos, Ecclesiasten, Sapientiam, ex Novo epistolas Catholicas [18].

Iacobus Tirinus († 1636), S. I., magnis quidem interpretibus adnumerari nequit, sed eius commentarii vel potius scholia in omnes sacros libros et olim multum adhibebantur et hodie ab iis, qui accuratioribus studiis vacare non possunt, cum fructu adhibebuntur [19].

10. *Bellarmini* Explanatio in Psalmos. Romae 1611; Coloniae 1611. 1617, Lugd. 1612 etc.; Parisiis 1855; 1857; Lugduni 1863; Neapoli 1874; Parisiis 1882; cfr *de Backer Sommervogel* Bibl. de la C[ie] de Jésus. 1890. I. 1222 sqq. — Ex controversiis Bellarmini interpreti ad manus sint oportet libri de verbo Dei; utiles quoque sunt in textibus, qui ab antiquioribus protestantibus perverse explicantur. — De Bellarmino interprete cfr *R. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 12 p. 425; *Hefele* in Wetzer et Welte Kirchenlex. Ed. 2. II. 291; *Hurter* Ed. 2. p. 280; ex protestantibus cfr *Delitzsch* Bibl. Comment. über die Psalm. Ed. 3. Leipz. 1873 p. 45; *Diestel* Gesch. d. A. T. p. 441 etc.

11. *Ben. Iustiniani* in omnes B. Pauli Epistolas explanationes. Lugd. 1612; in omnes Cathol. epist. explanationes. Lugd. 1621. — De Iustiniano interprete cfr *Rich. Simon* Des commentat. du N. T. ch. 42 p. 633 sqq.; *Dupin* Biblioth. XVII. p. 132; *Hurter* Ed. 2. p. 320.

12. *C. Sanctii* Comment. et Paraphr. in libros Regum. Lugd. 1623; in ll. Reg. et Paralip. Antw. 1624, Lugd. 1625 (etiam in Migne Curs. compl.); in ll. Ruth, Esdrae, Nehemiae, Tob., Iudith, Esth., Machab. Lugd. 1628; in l. Iob. Lugd. 1625; in Cantic. et in Ps. 68. Lugd. 1616; in Isaiam. Lugd. 1615; in Ierem. Lugd. 1618; in Ezech. Lugd. 1619; in Dan. Lugd. 1619; in Proph. min. Lugd. 1621; in Actus

Apost. Lugd. 1616. — De aliis editionibus cfr *de Backer* l. c. III. s. n.; de Sanctio interprete cfr *de Hummelauer* Comment. in libr. Samuel 1886 p. 27; *Calmet*. Bibl. s. n.; *Knabenbauer* Comment. in Proph. min. I. 1886 p. 8; *Reinke* Die messian. Weissagungen. Giessen 1859 I. p. 30 etc.

13. *I. Pinedae* Comment. in l. Iob. Matriti 1595-1601 et saepius; Salomon praevius. Lugd. 1609 etc.; Comm. in Ecclesiasten. Hispali 1619; Praelectio in Cant. Hispali 1602. — De eius interpretandi ratione cfr ex protestanticis *Schultens* Liber Iob cum nova vers. et comm. perpetuo. Lugd. Batav. 1737 Praef.; *Delitzsch* Comm. über das Buch Iob. Ed. 2. Leipz. 1876 p. 32 etc.; ex catholicis *Calmet*. Bibliogr.; *Knabenbauer* Comm. in l. Iob. 1885 p. 12; *Gietmann* Comm. in Eccle. 1890 p. 53; alia testimonia plura exhibet *Hurter* Ed. 2. 316 sq.

14. *Cornelii a Lapide* Commentarii inde ab a. 1616 Antwerpiae typis descripti sunt; varias editiones enumerat *de Backer Sommervogel* IV (1893) 1511 sqq.; nostro saeculo prodierunt Lugduni 1840; Melitae 1843; Neapoli 1854; Parisiis 1855. 1857. 1861. 1868 etc. — De eius interpretatione cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. III. 12 p. 423 sq.; Hist. crit. des comment. du Nouv. Test. ch. 44. p. 655 sqq.; plura apud *Hurter* Ed. 2. p. 324 sqq.

15. *Lud. de Tena* Comm. in ep. ad Hebr. Toleti 1611; Isagoge. Barcinone 1620; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 319 sq.

16. *Ioan. Marianae* Scholia, Matriti 1619; Paris. 1620 etc. (cfr *de Backer*), etiam in Biblia magna et in veneta sunt recepta; Dissertatio pro Vulgata. Coloniae 1609 et saepius; de ea cfr *Rich. Simon* Hist. du Vieux Test. III. 18 p. 463 sq.; de eius scholiis cfr *M. Poli* Synops. critic. sacr. I. Praef.

17. *Thomae Malvendae* Comment. etc. Lugd. 1650; cfr *Quetif* et *Echard* Script. O. Praed. II. 454 sq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. II. 20. III. 12 p. 318 sq. 425 sq.; *Dupin* Biblioth. XVII p. 86 sq. Versio eius non immerito a plerisque ideo maxime vituperatur, quod ad vocabula hebraica accuratius exprimenda novas voces latinas easque quam maxime barbaras sine ulla necessitate finxerit et aliarum versionum, quas affert, auctores non indicaverit. « Magna sane industria, inquit *M. Polus* (Synops crit. sacr. I. Praef.), utinam et pari iudicio, varias difficilium imprimis locorum versiones et interpretationes ex diversis auctoribus, dissimulatis tamen plerumque eorum nominibus, contexuit. Suam etiam versionem addidit, literalem quidem sed verbis affectatis et absurdis ».

18. *Ioannis Lorini* Comment. in Psalmos. Lugd. 1612-1616, Coloniae 1619 etc.; in Levitic. Lugd. 1619, Duaci 1620 etc.; in l. Numer. Lugd. 1622, Colon. 1623; in Deut. Lugd. 1625-1629; in Eccle. et Sap. Lugd. 1619; Colon. 1624; in Act. Apost. Lugd. 1605. 1609. Colon. 1617; in epist. Cath. Lugd. 1619. Colon. 1621. Qui omnes commentarii undecim magnis voluminibus in fol. continentur; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 328 sq.

19. *Iac. Tirini* Comment. etc. Antwerp. 1632 et saepius; recentissima editio Taurini 1882-1884; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 324.

Ex interpretibus, qui intra a. 1641 et 1660 ex hac vita decesserunt, primo ordini tres, secundo sex iure attribuendi videntur. Etenim inter Veteris Test. commentatores Iacobus Bonfrerius († 1642), S. I., natione Belga, vix ulli secundus dicendus est, quin etiam a *Dupin* omnium interpretum, quos Societas Iesu produxit, optimus dicitur; ei autem duo Galli addantur oportet, Simon de Muis († 1644), in universitate pari-

siensi professor linguarum orientalium, et IOANNES MORINUS († 1659), quorum prior non minore cum eruditione textum massorethicum defendit, quam alter eundem impugnavit.

Bonfrerii « Pentateuchus Moysis commentario illustratus » velut una ex praestantissimis mosaicorum librorum explanationibus celebratur; eius « praeloquia in totam Scripturam », quae commentario suo praemisit, utilissima sunt atque egregie plerasque quaestiones introductorias tractant. Pentateuchum secuti sunt « Iosue, Iudices et Ruth commentario illustrati », quibus optimum Onomasticon ad loca geographica determinanda addidit. Eodem modo libros Regum et Paralipomenon commentario instruxerat, at integra editio typis iam impressa incendio absumta est; commentarios autem in reliquos Utriusque Testamenti libros historicos praelo non submisit[20].

Simonis de Muis egregius exstat « commentarius literalis et historicus in omnes Psalmos et selecta Veteris Test. cantica », in quo massorethicum textum accurate sequitur rabbinorumque explicationibus frequentissime utitur. « Hebraicae veritati » quippe addictissimus fuit eamque etiam « triplici assertione » contra Ioannem Morinum, qui alexandrinam versionem praetulit, acerrime defendit. Praeterea scripsit « Varia sacra in quaedam Pentateuchi et l. Iosue loca » ex rabbinicis scriptis excerpta[21]. Quamvis autem linguae hebraicae esset peritissimus, superatus tamen est a *Ioanne Morino,* Congr. Orat., quo inter catholicos nemo plus ad superstitiosam massorethici textus venerationem a novatoribus eorumque asseclis invectam destruendam evertendamque una cum Lud. Cappello (cfr *infra* 261) contulit. Ac profecto Morini « exercitationum biblicarum de hebraei graecique textus sinceritate libri duo » virum produnt in rabbinorum libris commentariisque non minus quam in christianorum interpretum operibus versatum, neque quemquam hodie inveniri arbitramur, qui cum eo hac in parte comparari mereatur, nedum eum adaequet. Unus quoque fuit ex praecipuis polyglottorum parisiensium editoribus; primus samaritanum Pentateuchum samaritanamque eius versionem publici iuris fecit suisque « exercitationibus ecclesiasticis in utrumque Samaritanorum Pentateuchum » contra massorethicam recensionem tuitus est; de versione alexandrina propaganda optime est meritus nova et egregia editione « Veteris Test. iuxta Septuaginta ex auctoritate Sixti V. editi », cui adiecit veterem latinam (italam) versionem a Flam. Nobilio ex Patrum operibus collectam una cum eiusdem adnotationibus et scholiis[22].

Iacobus Gordon († 1641) S. I., simili modo, quo Mariana et Tirinus, sed fusius aliquantulum et meo iudicio etiam accuratius universam Scriptu-

ram scholiis illustravit. Paucos esse commentarios, in quibus tot diversarum rerum compendium inveniatur *Rich. Simon* asserit; chronologum saltem non imperitum atque egregium theologum eum sese hoc in commentario ostendere certum est[23].

Michael Ghislerius († 1646), Cler. reg., Agellii discipulus, haud parvam sibi laudem comparavit commentariis suis in Canticum Cant. editis. Textu primigenio veteribusque translationibus usus sensum verborum accurate investigat ac singularum sententiarum triplicem explicationem tradit; integrum enim Canticum de Ecclesia, de anima sancta, de B. Virgine exponit explicationique suae patristicam addit. Priora quoque quindecim Ieremiae capita secundum triplicem sensum interpretatus est, cui commentario catenam Patrum graecorum in Ieremiam, Threnos, Baruch subiecit[24].

Ferdin. Quirin. de Salazar († 1646), S. I., Proverbia Salomonis ita interpretatus est, ut de eo haec iudicet Corn. a Lapide : « post omnes et prae omnibus fuse et erudite scripsit noster F. a Salazar commentarium, qui multam non solum sacram, sed et profanam eruditionem continet ac liberalius ad conceptus elegantes et morales etiam a gentibus petitos digreditur ». Satis bonum quoque in Ecclesiasten reliquit commentarium[25].

Balthasar Corderius († 1655), S. I., duplici ex titulo commemorationem hoc loco meretur; praeprimis enim nemo eo diligentior fuit in catenis graecis colligendis, latine vertendis et edendis (*supra* 243), in l. Iob autem commentarium edidit, qui optimis accensetur : « quidquid probatissimi antea commentatores in Iob elucubraverant, sedulo lustraverat Corderius, quidquid verae scientiae sanaeque critices in iis sparsum erat, peritus elicuit suumque fecit ». Quare commentarius hic, etsi illo, quem edidit Pineda, multo sit brevior, eo tamen inferior non est[26].

Stephanus Menochius († 1655), S. I., vestigia Emmanuelis Sa, Marianae. Tirini, Gordonis secutus « brevem explicationem sensus literalis S. Scripturae » edidit; quae scholia, aeque ac Gordonis, similibus praedecessorum eius operibus praeferenda duco, quum iis plerumque sint accuratiora. Optimam eorum editionem curavit *Ios. Ren. Tournemine* († 1739), S. I., multis et egregiis dissertationibus additis, quae quaestiones introductorias, historicas, archaeologicas elucidant[27].

Franciscus Quaresmius († 1660), O. Min., per multos annos in Palaestina versatus geographiae sacrae tempus studiumque suum dicavit. Eius « elucidatio terrae sanctae historica, theologica et moralis » adhuc utilis est, quare merito nova eius editio est adornata[28].

20. *I. Bonfrerii* Pentateuchus etc. Antw. 1625 etc.; Iosue, Iudices, Ruth etc. Paris. 1631 etc. — De Bonfrerio cfr *Dupin* Biblioth. XVII. p. 132; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 12. 17 p. 423. 455; *Hurter* Ed. 2 p. 429 sq.

21. *Sim. de Muis* Comment. in Psalmos. Paris 1630; Varia sacra etc. Paris. 1649. Opera completa, quibus accedit triplex veritatis hebraicae assertio. Paris.

1650. — De eo cfr **Rich. Simon** Hist. crit. du V. T. III. 18 p. 470 et **Dupin** Biblioth. XVII p. 250 sqq., qui satis fuse de controversia inter Morinum et de Muis agitata tractant.

22. *Ioan.* **Morini** Exercitationum biblicarum... libri duo. Parisiis 1660; Exercitationes ecclesiasticae in utrumque Samaritanorum Pentat. Parisiis 1631; Biblia septuaginta interpretum graeco-latina etc. Parisiis 1628; de aliis eius operibus archaeologicis etc. cfr *Hurter* Ed. 2 p. 480 sqq. — *Rich. Simon* (Hist. crit. du Vieux Test. III. 18 p. 464) : « il n'y a personne qui ait plus écrit sur la critique de la Bible et avec plus d'érudition, que le P. Morin »; **Wellhausen** (in Bleek Einl. in das A. T. Ed. 4. p. 624) : « L. Cappellus und Ioh. Morinus haben zuerst den Aberglauben gebrochen, dass der massorethische Text, weil er der recipierte und der einzig überlieferte ist, auch der einzig wahre sei » etc.

23. *Iac. Gordon* Comment. in universa Biblia. Parisiis 1632; cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. III. 12 p. 426; *Hurter* Ed. 2. p. 426.

24. *Mich. Ghislerii* Comment. in Cant. iuxta lectiones vulg., hebr. et graecas tum LXX tum aliorum veterum interpretum. Romae 1608. Venetiis 1613. Antwerpiae 1614 etc.; in Ieremiam proph. (1-15) comment. iuxta lectiones vulg., hebr., chald., graec. cum catena Patrum graece latine etc., item in Lamentat. Ieremiae et Baruch cum catenis. Lugduni 1623; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 445 sq.

25. *F. de Salazar* Expositio in Proverbia. Parisiis 1619. 1621; in Ecclesiasten. Parisiis 1652; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 441.

26. *B. Corderii* Iob illustratus. Antwerpiae 1646; de eo cfr *Migne* Curs. Script. S. XIII. 221; *Knabenbauer* Comm. in l. Iob. 1885 p. 24; *Hurter* Ed. 2. p. 433.

27. *Steph. Menochii* brevis explicatio sensus literalis S. Script. Colon. 1630 etc. Editio ceteris omnibus emendatior et auctior supplemento novorum prolegomenorum et animadversionum cura et studio Petri de Tournemine. Paris. 1719; cfr *Dupin* Biblioth. XVII. p. 130; *Rich. Simon* Commentat. du N. T. ch. 44 p. 552 : « C'est un des plus judicieux scholiastes que nous ayons tant sur le Vieux que sur le Nouveau Testament »; *Hurter* Ed. 2. p. 442.

28. *Fr. Quaresmii* Elucidatio terrae sanctae etc. Antw. 1639; Venetiis 1881; cfr *Hurter* Ed. 2. p. 444.

Ioannes de la Haye († 1661), O. Min., non tam novis commentariis elaboratis, quam veteribus collectis famam nomenque sibi acquisivit. Quemadmodum post auream Patrum aetatem iuniores interpretes in suas catenas et glossas explicationes Patrum varias collegerunt et coadunaverunt, ita P. de la Haye simile quid in minoribus alterius huius aurei saeculi interpretibus colligendis praestitit. In sua enim « *Biblia magna* commentariorum literalium » congregavit Ioan. Gagnaei, Guil. Estii, Emmanuelis Sa, Iac. Tirini, Steph. Menochii explicationes; quo opere non contentus *Biblia maxima* edidit, in quibus praeter commentarios nominatos et Lyrani Postillas innumeras fere versiones congessit, inter quas etiam antiquae, sed latine tantum redditae, inveniuntur, ita ut singuli versus vicies vel tricies sint repetiti[29]. Ob molem suam et indigestam versionum latinarum farraginem Biblia maxima magnis merito postponuntur, utrisque autem praeferuntur « *Biblia*

sacra cum selectis commentariis Gagnaei, Maldonati, Sa, Estii, Lanselli (S. I. † 1632), Malvendae, Tirini, Menochii, Gordonii, Bossuetii », quae octo et viginti voluminibus (in-4°) Venetiis a. 1745. prodierunt.

At si quis ex magnis huius aetatis commentariis bonam sibi scripturisticam bibliothecam componere velit, sumat Bonfrerium in Pentateuchum (Pererium in Genesin), Bonfrerium, Serarium, Sanctium in reliquos libros historicos V. T., Pinedam et Corderium in Iob, Agellium, Bellarminum, de Muis in Psalmos, Pinedae Salomonem praevium et in Ecclesiasten, Ghislerium in Canticum Cant., Salazar in Proverbia, Iansenium Gand. in Proverbia, Sapientiam, Ecclesiasticum, Forerium et Sanctium in Isaiam, Sanctium quoque in reliquos Prophetas una cum Prado in Ezechielem, Pererio in Danielem, Ribera in Prophetas minores; addat Maldonatum et Iansenium Gand. in Evangelia, Lorinum in Actus, Estium et Iustinianum in epistolas omnes, Alcazar in Apocalypsin, illisque adiungat Toletum in Lucam, Ioannem et ep. ad Romanos; concionatoribus autem praecipue Cornelium a Lap. commendamus.

29. *I. de la Haye* Biblia magna. Parisiis 1643. 5 voll. fol.; Biblia maxima. Parisiis 1660. 19 vol. fol.; cfr *Lelong-Masch.* l. c. II. 3. p. 296 sq.; *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 11. p. 416.; *Hurter* Ed. 2. p. 435 sq.; in concionatorum usum commentarios prolixos in Genesin (Lugduni 1638), Exodum (1648), Apocalypsin (1644) multis magnis voluminibus scripsit catenarum in modum.

§ 16. — *Studia scripturistica saec. 2. et 3. post finitum conc. tridentinum.*

255. — Mirum est, quantopere a medio saec. 17. studia scripturistica labi atque concidere coeperint; non tam numero quidem exercitus interpretum est diminutus, quam valore scientifico[1]. Admodum pauci enim viri prodierunt, qui magnis saeculi praecedentis interpretibus comparari possint, qui aequiparari possit, vix ullus. Saeculo enim, quod post conc. tridentinum effluxit, secundo meliora fere ingenia historicis studiis et patristicis operibus critice edendis tempus viresque suas impenderunt, atque una cum theologia scholastica etiam Scripturarum interpretatio languescebat. Quo factum est, ut praecipua opera, quae isto tempore (1663-1763) de Scripturis prodierunt, illas historico magis modo tractent et ad historicum fere genus pertineant, inter commentarios autem non nisi pauci inveniantur, qui speciali commemoratione sint digni. Ut ordini studeamus, primum illos viros recensebimus, qui interpretatione sua aut studiis criticis nomen sibi pararunt, secundo autem loco de illis agemus, qui historicis suis studiis sacras literas promoverunt.

1. *H. Hurter* in altera editione secundi voluminis Nomenclatoris sui (Theologiae catholicae saeculum 2. post celebratum conc. trident. ab a. 1664-1763. Ed. altera plurimum aucta et emendata. Oeniponte 1893. Tabulae annexae p. 1579-1707) recenset 321 interpretes, ex quibus 117 erant sacerdotes saeculares, 204 religiosi; inter religiosos 78 sunt ex *Soc. Iesu*, 27 ex tribus *ord. S. Franc.* (Conv., Observ., Cap.), 22 ex *ord. S. Ben.*, 16 ex *ord. Carm.*, 13 ex *ord. Praed.*, 12 ex *Cler. reg.* (Theat. Barn. Orat.), 11 ex *ord. S. Aug.* etc.

Inter priores quatuor eminent, quibus Gallia patria fuit.

IAC. BEN. BOSSUET (✝ 1704), episcopus meldensis, quamvis aliis operibus maiorem sibi famam acquisiverit, tamen ingenii sui praestantis vim paucis quoque, quae reliquit, operibus exegeticis demonstravit. Psalmos enim, cantica ecclesiastica, librosque omnes sapientiales brevibus, sed optimis scholiis illustravit; Psalmis autem suis addidit supplementum, quo aliquot vaticinia messiana fusius explicat, quodque optimis adnumerandum est, quae de Psalmis sunt conscripta. Magnam quoque celebritatem nacta est Apocalypseos explicatio, qua systema a Salmerone indicatum et ab Alcazar excultum accuratius explanans demonstrare conatur, S. Ioannis visiones ultra antiqui imperii romani destructionem se non extendisse[2].

De critica sacra duo viri eximii ex Benedictorum congregatione S. Mauri optime sunt meriti, BERNARDUS DE MONTFAUCON (✝ 1741) et PETRUS SABATIER (✝ 1742). Atque prior quidem diligenti viginti trium annorum labore ex manuscriptis codicibus et editis libris fragmenta hexaplorum Origenis collegit notisque illustravit; alter vero non minoris diligentiae et eruditionis monumentum reliquit perenne collectis et editis versionum latinarum antehieronymicarum fragmentis, quotquot in Patrum antiquorum operibus et in antiquis codicibus inveniuntur. Praeterea P. de Montfaucon egregia in dissertatione auctoritatem historicam libri Iudith adversus Lutherum, Grotium aliosque protestantes stabilivit[3].

AUGUSTINUS CALMET (✝ 1757), O. S. Ben., integrae istius aetatis optimus est interpres. Anno 1707 gallice edidit « La Sainte Bible en latin et en français avec commentaire littéral et critique »; quod opus latine redditum ab I. Dom. Mansi minus ob commentarium, qui tamen suo merito non caret, quam ob multas et egregias dissertationes adiectas hodie adhuc aestimatur. Res maioris momenti, quae in illis sunt dispersae, collectas et alphabetico ordine dispositas iterum edidit in suo Dictionario historico, chronologico, geographico, critico et literali S. Scripturae[4].

Ne in hanc epocham iniusti esse videamur, quatuor hisce paucos alios addimus, qui suo tempore fama aliqua potiti sunt et hodie quoque interdum

laudantur. *Franciscus Carrière* († 1663), O. Min., in suo « Commentario in universam Scripturam » sensum literalem per capita refert et praecipue apparentibus antilogiis enodandis operam impendit[5]; *Philippus Codurcus* († 1666) librum Iob iuxta solum literalem sensum explicat, eiusque commentarium protestantici critici sacri dignum habuerunt, quem in suam collectionem reciperent[6]; *Thomas Le Blanc* († 1669, S. I., reliquit « Analysin Psalmorum davidicorum cum amplissimo commentario », in quo Patrum aliorumque interpretum explicationes allegoricas, tropologicas, anagogicas fuse refert; analysis ipsa quidem aestimatur, at commentarius ita est diffusus, ut pauci eum legere velint[7]. *Bernardini a Piconio* († 1709), O. Cap., « triplex expositio epistolarum D. Pauli » hodie quoque omnibus illis arridebit, qui scripturistico studio multum tempus impendere nequeunt; singulis capitibus analysin praemittit, qua argumentum et contextum indicat, continua deinde paraphrasi textum illustrat, demum difficiliores locos notis suis fusius explicat[8]. Neque inutile opus circa idem tempus edidit *Mich. Mauduit* († 1709), analysin scilicet omnium Novi Testamenti librorum, cui dissertationes eruditas in textus difficiliores addidit[9]. Quibus celebrior est *Henricus Bukentop* († 1710), O. Min., qui in suo opere « Lux de luce » ambiguis locutionibus et variis lectionibus latinae versionis ex textibus hebraico et graeco explicatis et diiudicatis sixtinam et clementinam Vulgatae editiones conciliat[10]. *Ludovicus Carrières* († 1717), Congr. Orat., versioni Scripturarum gallicae Isaaci Le Maistre de Sacy aliquantulum mutatae suam paraphrasin inseruit, quam *H. L. de Vence* († 1749) et *Steph. Rondet* († 1785) dissertationibus auxerunt. *Thom. Aquinas Erhard* († 1743), O. S. Ben., « Isagogen et commentarium in universa Biblia Vulgata » edidit et germanicam Scripturarum versionem notis instruxit[11]. *Didacus Quadros* († 1746), S. I., composuit « Palaestram biblicam s. enchiridion neotericorum pro sacris codicibus rite tractandis et difficultatibus S. Scripturae scholastice discutiendis »[12]. *Franc. Xav. Widenhofer* († 1759), S. I., « apparentes antilogias explicat et praecipuos religionis orthodoxae articulos nova methodo ex incorrupto Dei verbo demonstrat » in suis « Scripturis S. dogmatice et polemice explicatis »[13]. Neque praetermittere licet *Iosephum Blanchinium* († 1764), Congr. Orat., Veronensem, qui Petrum Sabatier aemulatus est quum Evangeliario suo quadruplici, tum suis Vindiciis canonicarum Scripturarum, in quibus antiquae Italae monumenta collegit[14]. Integrum autem agmen claudat *I. I. Berruyer* († 1758), S. I., Harduini discipulus, cuius opus « Histoire du peuple de Dieu ou le texte sacré du V. et du N. T. réduit en un corps d'histoire » ingentem strepitum excitavit atque a Societatis superioribus et SS. Pontificibus proscriptum est, eo quod historiam sacram scriptionis genere parum digno narrasset, chronologiam secutus esset male securam, propositiones statuisset haeresi nestorianae faventes, paradoxas quasdam opiniones in medium attulisset[15]; quominus opus suum ipse retraheret, morte praematura impeditus est.

2. *I. B. Bossuet* Notae in Psalmos cum dissertatione in l. Psalmorum. Lugd. 1691;

Supplenda' in Psalmos. Paris. 1693; Notae in quinque libros sapientiales. Paris. 1693; l'Apocalyse avec une explication. Paris 1689; Explication de la prophétie d'Isaie sur l'enfantement de la S. Vierge et du Ps. 21. sur la passion et le délaissement de N. S. Paris 1704; editioni 5. sui Discours sur l'histoire universelle (Paris 1703) additamenta adiecit ad inspirationem Scripturarum contra incredulos tuendam. Cfr *Dupin* Biblioth. XVIII. p. 172 sq.; *Hurter* Ed. 2. II. 732. 740; de studio biblico Bossueti agit *De la Broise* Bossuet et la Bible. Paris 1891.

3. De Montfauconii Hexaplorum et de Sabaterii Italae editione diximus *supra* 131 et 138 pp. 362. 388. — *I. B. de Montfaucon* La vérité de l'histoire de Judith. Paris 1690; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 1382. 1343.

4. *Aug. Calmet* La Sainte Bible etc. Paris 1707; 1716 etc.; latine reddita ab I. D. Mansi. Venetiis 1754; Dictionnaire historique etc. Paris 1722; latine Venetiis 1766; Dissertations qui peuvent servir de Prolégomènes à l'Écriture. Paris 1720, et alio modo dispositae : Trésor d'antiquités sacrées et profanes. Amsterdam 1722. De Calmeto interprete iudicia dissentiunt; recte de eo iudicare videtur *Hurter* Ed. 2. II. 1353 sq. : « In commentario unice intentus est in eruendo sensu literali, brevitati studet atque ex aliis commentariis utiliora colligit, adeo ut huic compilationi non desit sua utilitas, quam etiam agnoscunt protestantes, quorum nonulli eo bene usi sunt, quin nominaverint : multum tamen distat a soliditate et eruditione commentariorum Toleti, Estii, Maldonati etc. et plures locos difficiliores nimis leviter expendit »; cfr etiam *Welte* in Wetzer et Welte Kirchenlex. Ed. 2. II. 1718 sq.

5. *Franc. Carrière* in universam Scripturam commentarius. Lugd. 1663; commentarium tamen eius ab erroribus non esse immunem, monet *Hurter* Ed. 2. II. 780 sqq.

6. *Phil. Codurci* Scholia s. adnotationes in Iob. Paris 1651. Alia opera enumerant *Lelong* l. c. p. 681, *Dupin* XVIII. 294, *Hurter* Ed. 2. II. 139.

7. *Thom. Le Blanc* Analysis etc. Lugd. 1665-1676. 6 voll. fol. Colon. 1680-1697 etc. Recentissima editio Neapoli 1856. Recte *Hurter* Ed. 2. II. 142 sq. : « Opus mole magnum atque omnimoda eruditione refertissimum, sed nimia prolixitate, qua lectorem obruit, minus plerumque acceptum ».

8. *Bern. a Piconio* (Picquigny) Triplex expositio etc. Paris 1703; gallice 1706 multas vidit editiones etiam nostro saeculo Paris 1823. Lugd. 1836 etc.; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 788 sq. — Recentissime prodiit *Piconii* triplex expositio epistolae ad Romanos... ad usum studiosorum s. theologiae et sacerdotum *emendata et aucta* per *P. Michaelem Hetzenauer* O. Cap. Oeniponte 1891; sed editor tot tantaque mutavit et addidit, ut editio eius ad genuinum Piconii opus cognoscendum non inserviat Piconiique nomen taceri potuerit.

9. *M. Mauduit* Analysis Evangelica Paris 1694; Analysis Actuum Apostolorum Paris 1697. Analysis Epistolarum S. Pauli Paris 1693. 1702; cfr *Feller* Dict. histor. IX. 32; *Hurter* Ed. 2. II. 789; ab iansenisticis opinionibus non plane abhorret.

10. *Bukentop* Lux de luce. Coloniae 1710; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 790 sq. et *supra* 180 *n*. 6 p. 500.

11. *Thom. Aq. Erhardi* Isagoge etc. Aug. Vindel. 1731; Die Bibel latein. und deutsch mit theolog. und chronolog. Anmerkungen Aug. Vindel. 1737 etc.; cfr *Lelong-Masch* l. c. II. 3. p. 298 sq.; *Germ. Cartier* Biblia Vulg. editionis una cum nova eaque excultiore vers. germ. etc. Constant. 1763 etc.; cfr *Lelong-Masch* l. c. II. 3. p. 299.

12. *Didaci Quadros* Palaestra biblica. Matriti 1723-1731; cfr *Hurter* E. 2. II. 1369.

13. *Fr. Xav. Widenhofer* S. Scripturae dogmatice explicatae. Wirceburgi 1749.

Ed. 2. 1755. Morte abreptus Vetus solum Testamentum absolvit. « Maximum Widenhoferi interpretis meritum in eo consistebat, ut semper ad textum originarium recurreret et heterodoxos, qui iam omnes in uno sacro codice ac praecipue in originario textu firmissimum sibi crederent perfugium... in ipso eorum invicto inaccessoque munimento aggrederetur »; ita *Ruland* Series ac vitae professorum theol. etc. apud *Hurter* Ed. 2. II. 1373 sq.

14. *Iosephi Blanchinii* Vindiciae canonic. Scriptur. vulg. edit. s. vetera bibliorum latin. fragmenta. Romae 1740; Evangeliarium quadruplex etc. Romae 1848. — Cfr *supra* 138 *n.* 9 p. 388; *Feller* Dict. histor. 5. Ed. Lyon 1821. II. 347; *Hurter* Nomenclator Ed. 1. III. p. 64 sqq.

15. *Berruyer* Hist. du peuple de Dieu. Paris 1728 etc. Cfr de eo *Feller* l. c. II. 309 sqq.; *Schloesser* in Wetzer et Welte Kirchenlex. Ed. 2. II. 464 sqq.; *Hurter* Ed. 2. II. 1350 sq.

256. — Commentatoribus enumeratis longe praeferendi sunt, quemadmodum diximus, viri illi eruditi, qui historico potius modo studia scripturistica tractaverunt. Inter quos eminet Richardus Simon († 1712), Congr. Orat., qui tamen, id quod in tanto viro maxime est dolendum, non satis cautus in novis statuendis opinionibus a veritatis tramite non semel aberravit. Iam in ipso primi sui operis, quod huc spectat, limine thesin stabilire conatus est certe erroneam, integri scilicet Pentateuchi non Moysen esse auctorem, sed eum leges tantum scripsisse, scribas autem publicos eius iussu historias literis consignasse; Vulgatae quoque nostrae interdum iniquum agit censorem nec semper aequus est in aliorum operibus diiudicandis. Ceterum eius Historia critica Veteris Testamenti introductio quaedam generalis fere completa est, quum in prima parte de textu hebraico agat, in altera de versionibus, in tertia de commentatoribus. Simili etiam modo historiam Novi Testamenti criticam tribus tomis absolvit, atque varia praeterea edidit scripta polemica, quibus opiniones suas sive contra catholicos sive contra protestanticos adversarios defenderet. Quae omnia collecta habes una cum praecedentibus in editione roterodamensi[1]. Eius opera, quamvis ob singulares, quas defendit, et interdum parum catholicas sententias non nisi caute nonnullis in locis sint legenda, immensam tamen auctoris eruditionem demonstrant eumque modernae introductionis historicae et criticae parentem et auctorem constituerunt. Multo maior fuit in aliis interpretibus diiudicandis quam in interpretando; gallica enim Novi Test. versio, quam ipse adornare conatus est, tantum abest, ut iustis aequisque iudicibus probetur, ut et a nonnullis episcopis Galliae et a congregatione indicis sit proscripta[2].

Bernardus Lamy († 1715), Congr. Orat., variis operibus studia scripturistica promovit. In suo « Apparatu biblico » non tantum Iudaeorum gentis, legum, rituum aliarumque rerum ad archaeologiam

sacram spectantium conspectum brevem exhibet, sed praecipuas quoque quaestiones introductorias tradit. In sua « Harmonia seu concordia quatuor Evangelistarum » singulares quidem aliquas opiniones proponit, sed multas quoque difficultates egregie explanat. Optime vero de archaeologia sacra meritus est opere suo posthumo « de tabernaculo foederis, de civitate Ierusalem et de templo » [3].

Cherubinus a S. Joseph († 1716), O. Carm., duo opera praestantia reliquit. In priore, quod « Summa criticae sacrae » inscriptum omnium theologorum usui magis est accommodatum, scholastica methodo de Scripturarum nominibus, necessitate, conservatione disserit praecipuasque difficultates Geneseos et Novi Testamenti discutit; alterum, cui titulus « Bibliotheca criticae sacrae », quodque ad finem non perduxit, fuse et erudite de antiquitatibus iudaicis, de Iudaeorum sectis et scholis, de Scripturarum versionibus et editionibus agit [4].

Circa idem tempus *Claudius Frassen* († 1711), O. Min., historicam introductionem scholastico magis modo tractavit. Eius enim « disquisitionum biblicarum « tomus prior praecipuas quaestiones de textuum primigeniorum versionumque auctoritate erudite quidem sed prolixius exagitat, alter vero in Pentateuchi difficultatibus enodandis fere integer versatur [5].

Daniel Huetius († 1721), episcopus abricensis, praeter alia opera dogmatica et polemica « Demonstrationem evangelicam » edidit, in cuius priore parte authentiam et veracitatem librorum U. T. vindicat, in altera autem vaticinia messianica exponit et U. T. parallelismum exhibet. Dissertationes quoque aliquas de rebus ad geographiam sacram spectantibus, de situ paradisi terrestris, de Salomonis navigationibus etc. conscripsit, quae illa aetate magno cum plausu ab omnibus sunt exceptae [6].

Natalis Alexander († 1722), O. Praed., integram fere historiam et archaeologiam sacram Utriusque Testamenti atque non paucas quoque quaestiones, quae ad introductionem generalem et specialem spectant, egregiis dissertationibus exagitavit. Sex priora Historiae ecclesiasticae volumina integra de Vetere Test. agunt, in sequentibus autem de libris Novi et de Scripturarum versionibus tractat [7].

Erasmus Froelich († 1758), S. I., magnum inter eruditos nomen sibi fecit operibus suis de re nummaria conscriptis; hoc autem loco nominandus est ob suos « Annales regum et rerum Syriae », quo in libro difficultates, quae contra historicam librorum Machab. auctoritatem moveri solent, discutit et solvit. Quam solutionem quum protestanticus scriptor E. F. Wernsdorff acriter impugnasset, magistri sui sententiam *Ios. Khell* († 1772), S. I., eruditissime et solidissime defendit [8].

1. *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Testament. Paris 1678; Hist. crit. du N. T. Paris 1689; Hist. crit. des versions du N. T. Paris 1690; Hist. crit. des commentateurs du N. T. Paris 1693. Quae omnia collecta una cum eorum defensione Roterdam 1685-1699. 5 voll. in-4°. Cfr de eo *Hurter* Ed. 2. II. 755-765, qui omnes, quas

sustinuit, controversias enarrat atque suum de eo iudicium his verbis comprehendit (l. c. 764) : « Ex his omnibus liquet fuisse Simonem eruditum, laboriosum, sagaci atque critico praeditum iudicio, unde et pater scientiae criticae, quatenus ea spectat sacras literas, audit, sed negari simul nequit, eum fuisse in suis opinionibus satis singularem nimiaque opinandi, iudicandi, carpendi libertate, immo licentia abreptum, unde non sine delectu et cautela legendus est ». Multo durius de eo alii iudicant, cfr *I. B. Gener* S. I. Theolog. dogmatico-schol. III. 360 annot. apud *Hurter* l. c. 765; ceterum Hist. crit. du V. T., Hist. crit. du N. T., Hist. crit. des versions du N. T., Opuscula critica adversus Isaac. Vossium, in indice notata sunt.

2. De hac versione cfr *Hurter* l. c. II. 763 sq. et 736.

3. *Bern. Lamy* Apparatus biblicus. Lugd. 1696 et saepius; Harmonia s. concordia Evangelist. Paris. 1689; Comment. in Harmon. Paris. 1699; Apparatus chronolog. ad comment. in Harm. Paris. 1699; De tabernaculo foederis etc. Paris. 1720; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 766 sqq.

4. *Cherubini a S. Ioseph* Summa criticae sacrae. Burdigalae 1709-1716; Bibliotheca criticae sacrae. Lovanii et Bruxell. 1704-1706; cfr *Lelong* l. c. p. 674; *Hurter* Ed. 2. II. 772 sq.

5. *Cl. Frassen* Disquisit. bibl. Parisiis 1682-1705; editio multo auctior Lucae 1724; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 129-631.

6. *Dan. Huetii* Demonstr. evangel. Paris. 1679 et saepius; etiam in *Migne* Cursu complet. S. Script.; Dissertatio « De la situation du Paradis terrestre » Paris. 1691, latine recepta est a critic. sacr., qui etiam receperunt « commentarium de navigationibus Salomonis » Ultraiecti 1698; de variis Scripturae editionibus et versionibus Paris. 1661. Cfr *Lelong* l. c. p. 784 sq., *Hurter* Ed. 2. II. 1051 sqq.

7. *Natalis Alexander* Historia V. T. ab orbe condito ad Christum natum et in loca quaedam insigniora dissertationes. Paris 1689. 6 voll. in-8°; Selecta historiae ecclesiasticae capita. I. II. IV. Paris 1676-1679. Priores editiones ultimi huius operis in indice notatae sunt; permittuntur autem iuxta editionem lucensem cum notis Const. Roncaglia; cfr *Quetif* et *Echard* Script. O. Praed. II. 810 sqq.; *Hurter* Ed. 2. II. 1136 sqq.; dissertationes, quae ad S. Scripturam spectant, enumerat *Lelong* l. c. 602 sq. — Commentarii eius in Evangelia et omnes epistolas Paulinas et Catholicas (Paris 1703. 1710 et saepius) minus aestimantur.

8. *Erasmi Froelich* Annales regum Syriae nummis veteribus illustrati. Viennae 1744; Eiusdem De fontibus historiae Syriae in libris Machab. Viennae 1746. — *I. Khell* Auctoritas utriusque l. Machab. canonico-historica. Viennae 1749. Praeterea hoc loco adiungamus *I. Khell* S. I. De epocha historiae Ruth. Viennae 1746; eiusdem Ecloga observationum in N. T. libros. Viennae 1756; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 1506 sqq.

Historia quoque literaria studiorum scripturisticorum hoc saeculo diligenter tractata est. Quo spectant *Iulius Bartolocci* († 1687) eiusque discipulus *C. I. Imbonatus* († 1694), uterque Ord. Cist. Priori debetur « bibliotheca magna rabbinica de scriptoribus et scriptis hebraicis », cui inseruit multas dissertationes historicas et archaeologicas, quae de sacris literis agunt. Operi magistri sui Imbonatus quartum volumen adiecit totumque opus absolvit addita « bibliotheca latino-hebraica sive de scriptoribus, qui ex diversis nationibus contra Iudaeos scripserunt ». Cui ultimo volumini amplissimam dissertationem de adventu Messiae inseruit, in qua vaticinia messiana testimoniis rabbinorum adhibitis evolvit[9].

Lud. Ellies Dupin († 1719), vir eruditus sed non immaculatae fidei, suae « bibliothecae auctorum ecclesiasticorum » praemisit dissertationem praeliminarem de Utriusque Test. scriptoribus, quae introductionem quandam completam constituit; reliqua autem volumina bibliothecae etiam de Scripturae interpretibus agunt, quos haud raro inique diiudicat. Dissertationes quoque historicas, chronologicas, geographicas et criticas in S. Scripturam inchoavit, sed unum solum volumen de Genesi in lucem emisit [10]. Bibliothecae Dupinii praestat simile opus, quod *Remig. Ceillier* († 1761), O. S. Ben., edidit, saltem quod patristicam partem attinet; at illud ultra S. Bernardi aetatem non produxit [11].

Iacobus Lelong († 1721), Congr. Orat., Sixtum Senensem imitatus bibliothecam sacram edidit, cuius pars prior S. Scripturarum editiones, quotquot inveniri potuerunt, enumerat versionumque brevem historiam editionibus praemittit; altera catalogum auctorum, qui de Scripturis quoquo modo egerunt, eorumque operum exhibet. Quam bibliothecam alter eiusdem congregationis sodalis, *Nicolaus Desmolets* († 1760), qui Bernardi Lamy biblicum apparatum haud parum auctum et emendatum iam ediderat, novis curis retractavit plurimumque quum ex schedis a praedecessore relictis tum ex notis proprio studio collectis ampliavit, ita ut novum quasi esset opus prioremque editionem plus quam duplo superaret. Priorem operis partem, quae de Scripturarum editionibus versionibusque agit, auctor protestanticus, *A. G. Masch*, tertio retractavit, supplevit melioremque in ordinem redegit [12].

9. *Iul. Bartoloccii* Bibbliotheca magna rabbin. Romae 1675-1683; vol. 4. edidit *Imbonatus* Romae 1693; *Imbonati* Biblioth. latino-hebraica. Romae 1694-1696. Non sufficienti quidem cum iudicio usus est Bartoloccius in rabbinis suis recensendis, quum illis Prophetas addat omnesque, qui quoquo modo de Iudaeis tractarunt, ita ut vel ipse Aristoteles et S. Thomas Aquin. in hac Bibliotheca inveniantur; at Bartoloccii operi innituntur *Wolfii* « Bibliotheca hebr. » et *I. B. de Rossi* « Dizionario degli autore ebrei »; cfr *Hurter* Ed. 2. II. 468 sqq.

10. *Dupin* Discours préliminaire sur l'Ancien et le Nouveau Testam. Paris 1684 (editiones auctae Paris 1701, Amsterd. 1703); Nouvelle Bibl. des auteurs ecclésiast. Paris et Amsterd. 1693-1715 (voll. 19). Quod opus ob varios errores in indicem relatum est. — Dissert. historiques, chronologiques etc. Paris 1712. Praeterea edidit « Librum Psalmorum cum notis » (ex commentario Sim. de Muis excerptis) Paris 1691; « Pentateuchum Moysis cum notis » Paris 1702; cfr *Lelong* l. c. 711; *Hurter* Ed. 2. II. 813 sqq. « Potiora, inquit *Hurter*, quae in eo censuram provocarunt, sunt 1. dubia mota circa libros canonicos, 2. spreta Patrum, Augustini praesertim et Hieronymi traditio, 3. contemtus conciliorum, 4. negatio primatus s. sedis.... 7. vilipensio SS. Patrum,... 10. dicta contra symbolum Apostolorum, 11. contemtus miraculorum et 12. adulteratus auctorum sensus ».

11. *Remi Ceillier* Hist. générale des auteurs sacrés et ecclésiast. Paris 1729-1763 (voll. 23); cfr *Hurter* Ed. 2. II. 1375 sqq.

12. *Lelong* Bibliotheca sacra Paris 1709. 2 voll. in-8; idem opus edidit *Nic. Desmolets* Paris 1723. 2 voll. fol; eiusdem operis prior pars sub titulo : Bibliotheca sacra post Iac. Lelong et C. F. Boerneri iteratas curas ordine disposita, emendata,

suppleta, continuata ab *Andr. G. Masch.* Halae 1778-1790 (Duae partes in 5 voll. in-4); cfr *Hurter* Ed. 2. II. 1073 sqq. 1341 *n.*

257. — Tertii saeculi, quod a tridentino conc. finito usque ad vaticanum effluxit, tres partes distinguamus oportet, quarum prima ultima saec. **18.** decennia complectens ac praecedentem periodum quasi continuans parum laeta est; altera, quae tria vel quatuor prima decennia saec. **19.** complectitur, multo est tristior ob insignem suam sterilitatem; tertia vero pro laetioris aetatis aurora merito habetur.

In prima igitur parte quasi reliquias habemus praecedentis periodi; atque primo quidem in loco virum celeberrimum nominemus oportet, cuius opera, etsi de studiis scripturisticis directe non agant, illa tamen haud parum promoverunt. *Ioseph Simon Assemani* († 1768), archiepiscopus tyrensis, postquam iussu Clementis XI. ingentem codicum syriacorum, arabicorum, aliorumque copiam in Aegypto et Syria collegit et in vaticanam bibliothecam intulit, multos ex illis descripsit in eruditissima « bibliotheca orientali », in qua exegeseos Syrorum non pauca documenta eo usque plane incognita refert. Ioseph Simoni autem eius nepotem *Steph. Evodium Assemanum* († 1782) adiungamus oportet, qui S. Ephraemi operum editione, cuius longe maiorem partem iam *Petrus Benedictus* († 1742), S. I., absolverat, felicem ad finem perducta novum interpretibus adiumentum idque utilissimum praebuit[2].

Neque parvas suppetias circa idem tempus studiis scripturisticis attulit *Blasius Ugolini* († 1769); qui maxima cum diligentia sed non eodem cum iudicio « thesaurum antiquitatum sacrarum » edidit, selectis et congestis multorum virorum eruditorum de hebraica archaeologia opusculis; non pauca vero inter illa reperiuntur, quae nova editione vix digna fuerunt, atque ipse quoque in dissertationibus suis nimiam interdum rabbinorum traditionibus tribuere videtur[3].

Tertio loco nominandus est *C. Fr. Houbigant* († 1784), Cong. Orat.; vir non minoris diligentiae quam ingenii et eruditionis plus viginti annos novae textus hebraici editioni curandae novaeque latinae versioni praeparandae tribuit; at quum eo tempore nondum variae codicum hebraicorum lectiones essent collectae, ingeniosis magis et non raro audacibus coniecturis textum massorethicum mutare, quam ex antiquis monumentis emendare conatus est[4]. Circa idem vero tempus, quo P. Houbigant opus suum edidit, Ioan. Bern. Rossi (n. 1742, † 1831), theologiae professor parmensis, aliam viam eamque meliorem ad textum massorethicum corrigendum iniit. Kennikottii enim vestigia secutus ex immensa codicum manuscriptorum et impressorum congerie et ex antiquis versionibus varias textus hebraici lectiones magna cum sollertia et cura congessit. Quantopere opus eius criticae sacrae inserviat,

alibi diximus (99.); hoc loco addendum est, illum etiam historiae exegeseos non parum profuisse variis suis operibus de commentatoribus et scriptoribus iudaicis, de librorum hebraicorum editionibus codicibusque hebraicis ad nostram usque aetatem conservatis, eundemque scholasticis quoque opusculis de hermeneutica sacra, introductione in libros sacros et variis libris sacris ex hebraico textu italice versis studia scripturistica promovisse [5].

Minoris auctoritatis sunt reliqui exeuntis saec. 18. et ineuntis saec. 19. interpretes. Non pauci eo tempore Scripturas in linguas vernaculas transtulerunt, quos supra (183 sqq.) iam nominavimus : in germanicam *Henr. Braun* († 1792) O. S. Ben., *Dom. de Brentano* († 1797), *Th. Ant. Dereser* († 1827), in hollandicam *Petrus Smets* († 1770) et *Petrus van Hove* († 1790), uterque O. S. Franc., in hispanicam *Ph. Scio* († 1798), in lusitanam *Ant. Pereira* de Figueiredo († 1797), Congr. Orat., in italicam *Ant. Martini* († 1802) archiepiscopus florentinus. « De divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum » docte et erudite disseruit *Ioan. Franc. Marchini* († 1774), theologiae professor taurinensis [6].

Ultimo loco Soc. Iesu tum suppressae sex sodales nominemus, qui, etsi nec eruditione nec gloria maiores suos aequent, inter suae tamen aetatis interpretes optimos referri merentur. *Henr. Kilber* (1783), unus ex praecipuis theologiae wirceburgensis auctoribus, omnium sacrorum librorum analysin reliquit, quae ob suam utilitatem hoc nostro tempore duas novas editiones vidit [7]; *Ignatius Weitenauer* († 1783) non tantum integram Scripturam germanice vertit et brevi commentario illustravit, sed variis etiam grammaticis et lexicis studium linguarum sacrarum promovit [8]; *Herm. Goldhagen* († 1794) in sua Introductione et in suis Vindiciis harmonico-criticis praesertim deistas impugnavit, at etiam bonam Novi Testamenti graeci editionem curavit [9]; *Laurentius Veith* († 1796) similem ac P. Goldhagen finem prosecutus ob opus suum, cui titulus « Scriptura sacra contra incredulos propugnata », a Pio VI. laudari meruit; operis autem utilitatem multae editiones demonstrant [10]. Quibus quatuor Germanis ex Gallis accedit *Petr. M. St. Guérin du Rocher* S. I. cum multis aliis 2. Sept. 1792 Parisiis trucidatus; hic enim, ut incredulorum obiectiones refutaret, magno et eruditissimo opere ostendere conatus est, totam antiquam historiam Aegyptiorum etc. non esse nisi fabulosam corruptionem historiae sacrae; quam thesin amicus eius *I. B. Bonnaud* S. I. eodem die trucidatus altero opusculo confirmare ac vindicare studuit [11].

1. *Ios. Sim. Assemani* Bibliotheca orientalis clementino-vaticana. Romae 1718-29. 4 voll.; cfr *Hurter* Nomenclator III. 184 sqq.

2. *S. P. N. Ephraem* Syri opera omnia, quae exstant graece, syriace, latine. Romae 1732-46. 6 voll. Tertium tomum syriacum post *P. Benedicti* mortem edidit *St. Ev. Assemani*; versionem nimis esse paraphrasticam supra iam monuimus.

3. *Bl. Ugolini* Thesaurus antiquitatum sacr. Venetiis 1744-69. 34 voll. (*supra* 216); cfr *Hurter* III. 72.

4. *C. F. Houbigant* Biblia hebr. cum notis criticis et versione latina ad notas criticas facta. Paris 1753 (4 voll.); cfr *Hurter* III. p. 328 sq.

5. *I. B. de Rossi* Variae lectiones etc. Parmae 1784-1801; eiusdem Della lingua propria di Cristo. Parma 1772; Della vana aspettazione degli Ebrei. Ibid. 1773; De hebr. typographiae origine. Ibid. 1779; Annales hebr. typogr. saec. 15. Ibid. 1795; Annales heb. typogr. a. 1501-1540. Ibid 1796; Bibliotheca iudaica antichristiana. Ibid. 1800; Dizionario storico degli autori ebrei. Ibid. 1802; Manuscripti codd. hebr. etc. Ibid. 1803-1804; Introduzione alla S. Scrittura. Ibid. 1817; Sinossi della ermeneutica sacra. Ibid. 1819. In fine huius opusculi omnes suos libros et libellos editor recenset triginta quatuor numero.

6. *I. Fr. Marchini* De divinit. et canonic. Bibl. Taurini 1777 (etiam in *Migne* Curs. compl. SS.). Praeterea edidit dissertationem de chronologia sacra. Taurini 1763 et alteram in loca difficiliora N. T. 1767; cfr *Hurter* III. 69.

7. *H. Kilber* S. I. Analysis biblica. Heidelbergae 1773-79; alteram editionem curavit *I. Tailhan* S. I. Paris 1856, additis multis notis, in quibus ad omnia fere vaticinia messianica locos, in quibus Patres illa explicant, fideliter et accurate indicat; tertiam editionem inchoavit *I. Klinkowstroem* S. I. Viennae 1869; cfr *Hurter* III. 260.

8. *Ign. Weitenauer* S. I. Biblia s. U. T. sensu literali per metaphrasin et commentarios dilucidata. Augustae Vind. 1773; Biblia s. oder die h. Schrift verdeutscht und mit Anm. versehen. Augsb. 1778; Lexicon biblicum in quo explicantur Vulgatae vocabula. August. 1758. 1780; Venetiis 1760; Aven. 1835; Neap. 1857; Paris 1857. 1863 etc.; Hierolexicon linguar. oriental. Aug. 1759 etc.; cfr *de Backer* Écriv. de la C. d. J. III. s. n.; *Hurter* III. 336 sq.

9. *H. Goldhagen* S. I. Introductio in S. S. U. T. Moguntiae 1765; Vindiciae harmonico-criticae et exegeticae in S. S. U. T. Mog. 1774-75; Meletema biblico-philologicum de religione Hebr. Mog. 1759; Novum Testam. graecum Mog. 1753. Leodii 1839 etc.; cfr *Hurter* III. 322.

10. *Laur. Veith* S. I. Scriptura contra incredulos propugnata. Aug. 1780-97. Mechliniae 1824; Taurini 1840 (etiam in *Migne* Curs. compl. S. S. IV.); cfr *Hurter* III. 333 sqq.

11. *P. M. St. Guérin du Rocher* Hist. véritable des temps fabuleux; ouvrage qui en dévoilant le vrai, que les histoires fabuleuses ont travesti ou altéré, sert... à venger l'histoire sainte. Paris 1777; Bisontione 1824; 1838; Paris 1834; Amiens 1841; *I. B. Bonnaud* S. I. Hérodote historien du peuple hébreu sans le savoir. Hagae 1785; Leodii 1790. Bisontione 1824; cfr *Hurter* III. 293 sq.

258. — Saeculi 19. initio, ad quod iam pervenimus, vix ulla invenitur aetas sterilior, quum omnibus in disciplinis theologicis tum maxime in studiis scripturisticis. Quod minime mirabitur, qui quot et quantis persecutionibus eo tempore in integro fere mundo Ecclesia fuerit subiecta, attente perpenderit; tritum enim adagium « inter arma silere Musas » etiam in ecclesiasticis scientiis, immo in iis quam maxime obtinet. Perturbationibus civilibus illo tempore ordines religiosi, qui ultimis saeculis multo maiorem interpretum numerum produxerant, in tota fere Europa ex suis sedibus erant expulsi, in exsilium acti, uti otio

ita etiam subsidiis literariis omnibus fere orbati; Societas Iesu, quae inde ab ortu suo sacris libris explicandis ac defendendis singularem semper diligentiam impenderat ac de studiis omnibus scripturisticis optime merita erat, machinationibus incredulorum magistratuum in toto orbe (sola Russia excepta) ab a. 1773 usque ad a. 1814 erat suppressa et velut deleta; multis in regnis catholicis et acatholicis magistratus civiles ius sibi arrogarunt regendorum studiorum ecclestiasticorum clericosque omni qua potuerunt ratione a purae doctrinae catholicae fontibus retinuerunt eosque coegerunt, ut ab hominibus, qui pseudophilosophicis atque etiam haereticis principiis erant imbuti, libros nostros sacros non tam explicari quam perverti ac ludibrio haberi audirent. Hinc facile intelligitur, quod eo tempore etiam inter catholicos non defuerint, qui in rationalismum magis minusve inclinarent et a veritatis tramite aberrarent. Ex quorum numero unum solum nominamus, quia eius opera, etsi iure merito in indice sint notata, etiam nunc utilia esse possunt, dummodo debita cum cautione ac prudentia adhibeantur. *Ioan. Iahn* († 1816), in univers. viennensi professor studii biblici, vir acuti quidem ingenii et non vulgaris eruditionis, sed in doctrina catholica minus versatus quam in linguis orientalibus, praeter multa opera, quae ad philologiam semiticam pertinent, introductionem in libros Veteris Test. et archaeologiam biblicam edidit, quae multis doctis egregiisque sententias nonnullas erroneas admixtas habent; erroribus sublatis ad meliorem formam aliqui eius libri revocati sunt ab eius in viennensi cathedra successore *Petr. For. Ackermann* († 1831), can. reg. later.[1].

Postquam autem Ecclesiae et mundo pax est reddita, paullatim una cum aliis disciplinis theologicis etiam exegesis catholica ad novam quasi vitam resuscitata est. Nescio quidem, an nostra aetas iam ullum protulerit exegeticum opus, quod aeque atque magnorum interpretum antiquorum commentarii posteris nostris admirationi simul et utilitati futurum sit; at non desunt germina, quae laetos scripturisticorum studiorum fructus promittunt. Omnibus enim in terris hodie non pauca videmus eaque eximia ingenia magno cum ardore omnibus illis disciplinis dedita, quae ad sacros libros melius intelligendos iuvare queunt. Verum est, aliquos ex modernis interpretibus acatholicorum vestigiis arcte inhaerere nec semper rectam securamque traditionis exegeticae viam tenere; at plerosque ab hac dependentia sese eximere et ad puriores antiquitatis catholicae fontes iam reverti videmus. Quare iure sperare licet fore, ut catholica exegesis cum philologicis studiis, quae a protestantibus non parum aucta et promota libenter fatemur, vera hermeneuticae catholicae principia coniungens

studiis scripturisticis nova in dies addat incrementa. Quin etiam illud addere possumus et debemus, aliquos modernos commentarios antiquis sub triplici respectu praestare. Ad illam enim viam, quam scholastici iam monstraverant sed eorum posteri reliquerant, moderni interpretes reversi accuratius in integri libri, quem exponere volunt, compositionem, dispositionem, scopum finemque inquirunt neque amplius cum proximis suis praedecessoribus singulas potius phrases solo fere contextu proximo attento exponunt. Accuratius deinde ad historicas rationes, quas scholastici plerumque neglexerunt, attendunt; sacrae demum philologiae studium, quod media aetate prorsus iacebat, inde autem a saec. 16. diligentius excoli est coeptum ac hodie quam maximos fecit progressus, non minore cum diligentia quam fructu in sacris libris interpretandis persequuntur.

1. Ex *Ioan. Iahn* operibus huc potissimum spectant Einleitung in die göttl. Schriften des Alten Bundes. Wien 1792. Ed. auctior. 1802. 1803; Biblische Archaeologie. 1797-1805; Introductio in V. T. in compendium redacta. 1804. Ed. 2. 1814; Archaeologia bibl. in comp. redacta. 1804; Enchiridion hermeneuticae generalis. 1812; Appendix hermeneut. seu exercitationes exegeticae. 1812-1815; quae omnia, excepta, ut videtur, germanica archaeologiae editione, in indice sunt notata. Bonam praeterea hebraici textus editionem in lucem emisit additis variis lectionibus (Viennae 1806), uti etiam grammaticas hebraicam (1792-1799), aramaicam (1793), arabicam (1796) etc.

P. For. Ackermann correctam Introductionis (Viennae 1825 etc.) et Archaeologiae (1827) editionem curavit; suo marte praeterea brevem quidem sed satis bonum commentarium in Prophetas minores composuit (Viennae 1830).

Completum eorum catalogum contexere, qui hac nostra aetate de sacra exegesi bene meruerunt, non minus longum quam difficile est; quare praecipuos tantum ex illis nominabimus, qui ad meliorem vitam iam transierunt; praemonemus autem facile fieri posse, ut dignioribus omissis unum alterumve minus dignum nominemus, quum non omnium opera tam accurate cognoscamus, ut certum de eis iudicium ferre possimus.

Ab Italis initium capientes primo loco Ioannem Bern. Rossi († 1831), qui quasi vinculum est inter primam et tertiam huius periodi partem, nominare deberemus, nisi eum iam *supra* (257) laudassemus. Simili modo duas illas epochas connectunt *Franc. Finetti* S. I. (n. 1762, † 1842), qui S. Scripturam concionibus egregie illustravit[2], et *Al. Ungarelli* († 1845), O. Barn., qui non tantum propter suam Historiam vulgatae versionis[3] sed etiam propter egregium, quem formavit, discipulum, Car. Vercellone († 1869), O. Barn., nominari meretur; inter catholicos enim, qui sacrae crisi operam suam hac nostra aetate impenderunt, Vercellone facile primum locum tenet quum magna sua Variarum lectionum Vulgatae collectione, quam morte praematura abreptus terminare non potuit, tum codicis vaticani (B) splendida editione multisque dissertationibus eruditissimis[4].

Editionem vaticani cod. multis annis iam praeparaverat *Card. Angelus Mai* († 1854), qui in hoc catalogo ideo quoque speciali memoria est dignus, quia multis, quae detexit et publici iuris fecit, Patrum operibus catenarumque fragmentis novas scripturistico studio suppetias subministravit [5]. Praeterea *I. B. Pianciani* († 1862) S. I. de hexaemero et diluvio egregie tractavit; *Al. Vincenzi* († 1880) deuterocanonicorum librorum auctoritatem docto opere vindicavit; FR. XAV. PATRIZI († 1881) S. I. hermeneuticam sacram et exegesin excoluit, potissimum autem historicis et chronologicis quaestionibus sagacitatem diligentiamque haud vulgarem impendit dissertationibusque harmoniae suae evangelicae additis magnam sibi paravit laudem; *Ubaldus Ubaldi* († 1884) praelectiones de introductione in S. S. edidit, quae merito suo non carent [6].

Ad GALLOS et BELGAS transeuntes tamquam vinculum primae et tertiae partis periodi nostrae nominamus *Fr. Ios. du Clot* (n. 1745, † 1821), qui simili modo, quo *L. Veith* S. I. (*supra* 257), incredulorum philosophorum saeculi praecedentis obiectiones contra sacros libros docto et erudito opere gallice conscripto, sed italice quoque ac hispanice translato defendit [7]. Nova versione gallica Scripturarum aliisque operibus scripturisticis famam sibi acquisivit *A. E. de Genoude* († 1849), gallicanis tamen principiis aliquantulum imbutus [8]. Hermeneuticam sacram vel potius introductionem in omnes libros sacros conscripsit *Herardus Ianssens* († 1853), quae non tantum in Belgio sed etiam in Gallia, Hispania, Italia multis editionibus erat propagata; melius tamen alter Belga, *I. B. Malou* († 1864), de nostra scientia meruit opere suo de lectione Scripturae in lingua vulgari, quum in eo historiam canonis ad libros deuterocanonicos defendendos accurate narret et quid protestanticae versiones valeant demonstret [9]. *P. L. Drach* († 1865), rabbinus ad fidem conversus, qui multis libris conscriptis Iudaeos ad fidem allicere conatus est, hoc loco praetermitti nequit et ob catholicam editionem lexici hebraici a Gesenio conscripti ac praesertim ob Hexaplorum fragmenta denuo edita [10]. *I. B. Glaire* († 1872) introductionem archaeologiamque tractavit et novam versionem Bibliorum gallicam adornavit scholiis instructam [11]. Optimi tamen ex Gallis Belgisque interpretes huius aetatis fuerunt A. M. LE HIR († 1868) et I. TH. BEELEN († 1884), quorum prior multis in egregiis dissertationibus gratuitas rationalistarum assertiones severae sed iustae crisi subiecit nonnullasque quaestiones criticas acute discussit ac praeterea egregiam versionem libri Iob optimis notis munitam reliquit; alter vero nonnullos Novi Test. libros bono commentario interpretatus est, grammaticam graecitatis Novi Test. composuit, flandricam versionem Novi Test. et Psalmorum adornavit, chrestomathiam rabbinico-chaldaicam edidit [12].

Ex tribus MAGNAE BRITANNIAE regnis tres viri insignes scripturisticis quoque studiis suis claruerunt; Card. NIC. WISEMAN († 1865), archiep. westmonaster., suis Horis syriacis sacram criticam non parum promovit, lectionibus suis de revelationis cum scientiis consensu multas difficultates a rationalistis contra s. libros motas refutavit, pulcherrimis dissertatio-

nibus parabolas evangelicas illustravit [13]; *Ios. Dixon* († 1866), archiepisc. armachanus, praeclaram composuit introductionem; *Guil. Smith* († 1886), archiepisc. edinburg., originis mosaicae Pentateuchi defendendae causa magnum suscepit opus, cuius tamen primum dumtaxat volumen terminavit [14].

2. *Fr. Finetti* Storia del Test. Ant. esposta in sacre lezioni. Roma 1839; Storia evangelica etc. 1837 ed. 2. Neapoli 1850; Atti degli apostoli 1842.

3. *A. Ungarelli* Praelectiones de historia vulgatae editionis Bibliorum a conc. trid. approbatae. Romae 1847.

4. *C. Vercellone* Variae lectiones Vulg. Romae 1860-64; Dissertazioni accadem. 1864; de editione codicis vatic. cfr *supra* 113 *n*. 6.

5. Ex *Card. Mai* operibus huc praesertim spectant eius Scriptorum veterum nova collectio. Romae 1830-38; Spicilegium romanum. 1839-44; Nova Patrum bibliotheca 1852-53.

6. *I. B. Pianciani* Cosmogonia naturale comparata col Genesi. Roma 1862 etc.; — *A. Vincenzi* Sessio quarta conc. trident. Romae 1842-44; — *Fr. Xav. Patrizi* De interpretatione Scripturae. Romae 1844. Ed. 3. 1876; De Evangeliis libri tres. Friburgi 1853 (2 voll. in-4); Consensus utriusque libri Machab. Romae 1846; commentarii in Ioan. 1857; in Marc. 1862; in Act. 1867; Cento Salmi 1875 et multa opuscula. — *U. Ubaldi* Introductio in S. Script. Romae 1877-81.

7. *Fr. Ios. du Clot* La Bible vengée des attaques de l'incrédulité. Lyon 1816; Ed. 3. 1855 (hispanice Matriti 1825; italice Brixiae 1822; Florentiae 1823).

8. *A. E. de Genoude* La Ste Bible traduite. Paris 1821-24 et saepius; La vie de Jésus-Christ et des apôtres 1837; Biographie cath. ou Hist. de l'Anc. et du Nouv. Test. 1839; La divinité de N. S. annoncée par les prophètes, démontrée par les évangelistes etc. 1842.

9. *I. H. Ianssens* Hermeneutica sacra. Leodii 1818-1823 et saepius; Parisiis 1853 etc.; Taurini 1852.1861 etc. — *I. B. Malou* La lecture de la Sainte Bible en langue vulgaire jugée d'après l'Écriture, la Tradition et la saine raison; ouvrage dirigé contre les principes des sociétés bibliques, comprenant une hist. crit. du canon etc. Louvain 1846 (opus hoc bis germanice est translatum Regensburg 1848, Schafhausen 1849).

10. *L. B. Drach* Catholicum lexicon hebraicum et chald. Parisiis (Migne) 1848; Origenis Hexaplorum quae supersunt a Bern. de Montfaucon collecta ad primitivum reduxit ordinem, innumeris expurgavit erroribus, notisque illustravit P. L. B. Drach. Parisiis (Migne) 1857-60.

10. *I. B. Glaire* Introduction à l'Écriture Sainte. Paris 1843; La Sainte Bible 1873.

12. *A. M. Le Hir* Études bibliques. Paris 1868 (2 voll.); Le livre de Job. 1873; Les Psaumes, Isaie. 1875-77; omnia haec post auctoris mortem edita sunt. — *I. Th. Beelen* Comment. in ep. ad Philipp. Lovanii 1852; in ep. ad Rom. 1854; in Act. Apost. Ed. 2. 1864; chrestomathia rabbinica et chald. 1843; Grammat. graecitatis Novi Test. 1857; Het Nieuwe Test. vertaald en in doorloopende aanteekeningen uitgelegt 1859 sqq.

13. *Nic. Wiseman* Horae syriacae. Romae 1828; Lectures on the connexion between science and revelation. London 1837 et saepius (in omnes fere linguas modernas translatae sunt); Essays on various subjects. 1854 (de 1 *Ioan*. 5, 7; de versionibus cath. S. Script.; de parabolis et miraculis Novi Test. etc.).

14. *I. Dixon* Introduction to the study of the S. Scriptures in a series of dissertations. Dublin 1852. — *W. Smith* The book of Moses or the Pentateuch in its authorship. London 1868.

Numero et eruditione interpretum GERMANIAM hac nostra aetate reliquas terras superasse omnes consentiunt. Ex eorum numero primo in loco duos nominamus, qui bonam praecedentis periodi traditionem exegeticam continuantes studia nostri temporis cum superiorum aetatum laboribus connectunt. *I. H. Kistemaker* (n. 1754, † 1834), professor monasteriensis, versione et explicatione germanica Novi Test., Cantico Cant. ex orientalium hierographia illustrato, dissertationibus haud paucis exegeticis famam sibi acquisivit[15]. Celebrior autem quum eruditione philologica et critica tum ingenii sagacitate est alter, I. LEON. HUG (n. 1765, † 1846) professor friburgensis ac strenuus rationalistarum, H. E. Paulusii et D. Fr. Straussii praesertim, adversarius. Praeter optimam introductionem in Novum Test., quam ipsi protestantes tanti fecerunt, ut eam in gallicam et in anglicam linguam transferrent, multa et egregia edidit opuscula polemica, quorum nonnulla hodie quoque interpreti haud parvae sunt utilitatis[16].

Ex reliquis hosce speciali memoria dignos esse censemus. *Henr. Klee* († 1840), in bonnensi et monacensi univ. professor, dogmaticis quidem suis operibus potissimum ad restaurandum verae theologiae studium in Germania multum contulit, sed etiam aliquos Novi Test. libros commentariis illustravit satis bonis, qui sine ullo dubio historico-criticis laboribus *Aloysii Gratz* († 1849), professoris tubingensis, longe praestant[17]. Eruditione excelluit *I. M. Aug. Scholz* († 1852), prof. bonn., sed in critica sua editione Novi Test. graeci codicibus byzantinis praelatis perversam iniit viam, et doctae Introductioni eius in Utriusque Test. libros claritas deest et unitas[18]. Ad practicum solum concionatorum catechetarumque usum attendit *Fr. Xav. Massl* († 1852), paroch. passov., in sua Novi Test. explicatione germanica[19]. *Chr. G. Wilke* († 1854), qui antea parochus lutheranus in operibus suis ad rationalismum inclinavit, ad Ecclesiam reversus hermeneutica et philologica sua opera retractavit[20]. Eruditione iterum eminet *C. Movers* († 1856), prof. wratislav., sed in nonnullis ad catholicam de inspiratione sententiam non satis attendit audaciusque de authentia quarundam partium Veteris Test. iudicat; praecipuo tamen suo opere de Phoenicum religione, historia, coloniis, navigationibus, quod nondum est superatum, studiis biblicis optimas attulit suppetias; quae autem de vaticinii isaiani contra Babyloniam authentia audacius asseruerat, ea opere aeque docto ac solido refutavit *Petr. Schleyer* († 1862), prof. friburg., qui etiam Novi Test. doctrinam de indissolubilitate matrimonii egregie vindicavit. Moversii discipulus fuit *I. A. Nickes* († 1866), O. S. Ben., qui de l. Iudith brevius sed diffusius de l. Esther disseruit[21]. *Aloysius Messmer* († 1857), in sem. brixin. prof., multis suis operibus, quae pleraque post eius mortem edita sunt, egregium sese prodidit interpretem, in quaestionibus introductoriis optime versatum[22]. Dolendum quam maxime est,

quod *Frid. Windischmann* († 1861), prof. monac., aliis suis muneribus impeditus fuerit, ne integrum se studiis biblicis daret; quantum enim in iis praestare potuisset, brevi suo sed vere eximio comment. in ep. ad Gal. suisque vindiciis petrinis luculenter demonstravit[23].

Fr. Xav. Reithmayr († 1872), ipse quoque prof. monac., optimis commentariis epp. ad Gal. et Rom. illustravit, bonam edidit introductionem in Nov. Test. a Valroger gallice translatam, brevemque reliquit hermeneuticam, quae post eius mortem in lucem prodiit[24]. *Fr. Iosepho Allioli* († 1873), canon. augsburg., praeter archaeologiam sacram illa germanica Scripturarum versio scholiis instructa debetur, quae multis editionibus per totum imperium inter catholicos est vulgatissima[25]. *M. Aberle* († 1876), prof. tubing., vir magnae eruditionis, subtilissime in Evangeliorum Actuumque finem scopumque inquirere solitus multis in dissertationibus et in sua Introductione (a Paulo Schanz edita) novas suas et ingeniosas acutasque, sed haud semper solidas opiniones propagare studuit[26]. Melius tamen de studiis scripturisticis meruerunt Dan. Bonif. Haneberg († 1876), O. S. Ben. et ep. spirensis, qui omnium optimus religiosas Iudaeorum antiquitates tractavit pulchramque revelationis biblicae historiam edidit[27], et Laur. Reinke († 1879), prof. monast. et meus quondam in literis sacris linguisque orient. magister, qui omnium modernorum interpretum fertilissimus multis voluminibus vaticinia messiana explicavit, difficultates criticas et exegeticas Veteris Test. enodavit, nonnullos Prophetas minores erudito commentario illustravit[28]. *A. Bisping* († 1884), etiam in acad. monast. prof., integrum Novum Test. commentatus est, sed a protestanticis praedecessoribus suis nimium dependet[29]. Ben. Welte († 1885), in tubing. univers. professor, introductionem in Vetus Test. a praedecessore suo *I. G. Herbst* († 1836) relictam complevit, Pentateuchi originem mosaicam vindicavit, libri Iob pulcherrimam versionem brevemque explicationem germanicam adornavit multisque quoque dissertationibus solidissimi et eruditissimi interpretis nomen sibi paravit[30]. Simili laude dignus est Petr. Schegg († 1885), in academ. wirceburg. et monac. prof., qui ex Vetere Test. Prophetas et Psalm., ex Novo Evangelia et ep. Iac. uberrime commentatus est optimamque moriens reliquit archaeologiam sacram[31]. *Maur. Wolter* († 1890) O. S. Ben., piam Psalterii explicationem composuit allegoricae interpretationis rationem ita secutus, ut literalem sensum non negligeret[32]; *Ferd. Himpel* († 1890), prof. tubing., multis dissertationibus de Veteris Test. difficultatibus exegeticam scientiam promovit; *I. Bade* († 1892), canon. paderborn, omnia vaticinia messiana interpretatus est[33].

15. *I. H. Kistemaker* Die h. Schriften des N. T. übersetzt und erklärt. Münster 1818-23 (Ed. 3. 1845); exeget. Abhandlung über Matth. 16, 18. 19 et 19, 3-12 (de primatu et de matrimonii indissolubilitate) 1806; exegesis critica in Ps. 67 et 109 et excursus in Dan. 3. de fornace ignis. 1809; Canticum Cant. illustratum ex hierographia orientalium. 1818; Weissagung vom Emmanuel (Is. 7-12) 1824 etc.

16. *I. L. Hug* Einl. in die Schriften des N. T. Freiburg 1808 (Ed. 4. 1857); de Pentateuchi vers. alexandrina. 1818; de coniugii christiani vinculo indissolubili

commentatio exeg. 1816; Gutachten über das Leben Iesu von Dr. Paulus. 1828-34 Gutachten über das leben Iesu von Dr. Strauss. 1841.1842 etc.

17. *Henr. Klee* Comm. über das Evang. nach Iohannes. Mainz 1829; Comm. über den Römerbrief. 1830; Comm. über den Hebräerbrief. 1833. — *P. A. Gratz* Histor. krit. Comment. über das Evang. des Matthaeus. Tübingen 1821-23; Neuer Versuch über die Entstehung der drei ersten Evang. 1812-1816; Krit. Untersuchung über Marcions Evangelium. 1816.

18. *I. M. A. Scholz* Novum Test. graece. Lipsiae 1830-36; Einl. in die Schriften des A. u. N. T. Köln 1845-48.; Handbuch der bibl. Archaeologie. Bonn 1834; commentatio de Golgothae et sepulcri D. N. I. Chr. situ. 1825; de Hierosolymae singularumque illius partium situ et ambitu. 1835 etc.

19. *Fr. X. Massl* Erklärung der hl. Schriften des N. T. nach den Vätern und den berühmtesten Auslegern für Prediger, Katecheten, Lehrer. Straubingen 1841-48 (13 voll.).

20. *Chr. G. Wilke* Bibl. Hermeneutik nach kath. Grundsätzen. Wurzburg 1853; Lexicon graeco-latinum in N. T. usibus scholarum et iuvenum s. theol. cath. studiosorum accommodatum; ed. perfecit V. Loch. Ratisbonae 1858.

21. *C. Movers* Krit. Untersuchungen über die bibl. Chronik. Hamburg 1837; loci quidam historiae canonis V. T. illustrati. Vratislaviae 1842; Die Phoenizier. Bonn 1841-56 (4 voll.); über die Weissagung gegen Tyrus (Is. 23. 24) 1835. — Contra hanc dissertationem scripsit *Petr. Schleyer* Würdigung der Einwürfe gegen die alttestament. Weissagungen an dem Orakel des Isaia über den Untergang Babels; zugleich ein Beitrag zur Gesch. der Chaldäer. Freiburg 1835; *eiusdem* exstat Die neutestamentl. Lehre von der Unauflösbarkeit der Ehe. Rottenburg 1844. — *I. A. Nickes* De libro Iudithae. Vratislaviae 1854; De Estherae libro et ad eum quae pertinent vaticiniis et Psalmis. Romae 1856-58 (3 voll.).

22. *Al. Messmer* Geschichte der Offenbarung. Freiburg 1857; Introd. in libros N. T. Oeniponte 1858; Erklärung des Ioannes-Evang. 1860; Erkl. des Galaterbriefes. Brixen 1862; des Colosserbr. 1863; des 1 Korintherbr. 1863.

23. *Fr. Windischmann* Vindiciae petrinae. Ratisbonae 1836; Erkl. des Br. an die Galater. Mainz 1843.

24. *Fr. Xav. Reithmayer* Comment. zum Br. an die Römer. Regensburg 1845; Comm. zum Galaterbrief. München 1865; Einleitung ins N. T. Regensburg 1852; Lehrbuch der Hermeneutik. Kempten 1874.

25. *Fr. Ios. Allioli* Die hl. Schriften des A. u. N. T. Aus der Vulg. übersetzt u. mit kurzen Anm. erläutert. Mit Approbation des h. apost. Stuhles. Landshut 1830 (et deinde saepissime München, Regensburg, Leipzig); Handbuch der bibl. Alterthumskunde. Landshut 1844 sqq.

26. *M. Aberle* Einl. ins N. T. Freiburg 1877; dissertationes multae in Tübinger Quartalschrift 1852-1875.

27. *D. B. Haneberg* Gesch. der Offenbarung. Regensburg 1852 (Ed. 4. 1876); Religiöse Alterthümer. München 1844 (Ed. 2. 1869); Comm. zum Evang. des h. Iohannes (ed. Schegg. München 1878).

28. *Laur. Reinke* Exeges. crit. in Is. 52. 53. (Monasterii 1836; Weissagung von der Jungfrau u. Emmanuel. 1848; Weissagung Iacobs. 1849; Messian. Weissagungen bei den grossen u. kleinen Propheten. Giessen 1859-62 (4 voll.); Messianische Psalmen. 1857-58 (3 voll.); Beiträge zur Erklärung des A. T. 1851-74 (9 voll.); Erkl. des Proph. Malachias 1856; Sophonias 1868; Aggaeus 1868; Zacharias 1869; Habacuc 1870.

29. *A. Bisping* Exeget. Handbuch zum N. T. Münster 1853 sqq. (Ed. 2. 1867 sqq.).

30. ***Ben. Welte*** Histor. Krit. Einl. in die hl. Schriften des A. T. von *I. G. Herbst* ergänzt von B. Welte. Freiburg 1840-44 (4 voll.); Das Buch Iob übersetzt u. erklärt 1849; Nachmosaisches im Pentateuch. 1841; multae dissertationes in Tübinger Quartalschrift 1837-57.

31. ***Petr. Schegg*** Die Psalmen übers. u. erkl. München 1845-47 (Ed. 2. 1857. 2 voll.); Der Prophet Isaias. 1850 (2 voll.); Die Geschichte der letzten Propheten. Regensburg 1853-54 (2 voll.); Die kleinen Propheten. München 1855 (2 voll.); Das Evang. des h. Matth. 1856-58 (3 voll.); Ev. des h. Lucas 1861-65 (3 voll.); Ev. des h. Marcus 1870 (2 voll.); Ev. des h. Iohannes 1878-80 (cfr *n.* 27); Iacobus der Bruder des Herrn u. sein Brief. 1883; Biblische Archaeologie. Freiburg 1887.

32. ***Maur. Wolter*** Psallite sapienter. Erklärung der Psalmen im Geiste des betrachtenden Gebetes u. der Liturgie. Freiburg 1871-90 (5 voll.).

33. ***I. Bade*** Christologie des A. Test. Münster 1851 (3 voll.).

CAPUT V.

DE INTERPRETATIONE PROTESTANTICA.

§ 17. — *Ab ortu protestantismi usque ad rationalismi origines.*

259. — Si protestanticis auctoribus, qui exegeseos historiam narraverunt, fidem caecam adhiberemus, ingentia esse pseudoreformatorum merita relate ad Scripturarum explicationem fateri cogeremur; illos enim vincula rupisse, quibus Ecclesia omnium Christianorum animos ligatos tenuit, Scripturas ipsas, quae per multa saecula neglectae et abiectae iacuerant, in lucem protraxisse, primos ad earum textus primigenios recurrisse, novas vias ad genuinum earum sensum investigandum monstrasse, iactare non cessant. Negare utique nec possumus nec volumus, novatores, uti de aliis multis rebus, ita de Scripturis quoque earumque interpretatione principia statuisse, quae eo usque prorsus incognita et inaudita erant. Ex solis enim sacris libris privato iudicio explicatis omnes fidei controversias esse dirimendas docuerunt, atque « sufficientia et perspicuitas » Scripturarum ex primis fuerunt et « fundamentalibus » novae haereseos doctrinis. Quid de illa « sufficientia » sentiendum sit, traditur in theologia dogmatica; ad « perspicuitatem » autem quod attinet et interpretandi licentiam, quam primo cuique concesserunt, ipsi novi huius dogmatis inventores illud iam limitare coacti sunt : suo enim ipsorum exemplo edocti fidei unitatem hac licentia destrui viderunt. Quare *Lutherus* praeter linguarum scientiam ad Scripturarum intelligentiam assistentiam Spiritus S. requirit, ad quam obtinendam timor Dei, humilitas, pietas necessariae sint; *Melanchthon* « consensum piorum postulat, qui pio studio quaerant veritatem et cum timore Dei secundum Scripturam pronuntient; hoc concilium audiatur » [1]; *Calvinus* demum ad evitandas de sensu Scripturae controversias censet « nullum esse nec melius nec certius remedium, quam si verorum episcoporum synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur », atque hanc synodum post dili-

gentem inquisitionem debere dare definitionem, « quae os obstruat cupidis et improbis hominibus, ne pergere amplius audeant »[2]. Recte igitur monet *Reuss,* ipse quoque protestans, a novatoribus « liberum examen », prout hodie a protestantibus intelligitur, nec theoretice nec practice esse stabilitum[3].

Novatorum calumniae, quod ante a. 1517. Scripturae in Ecclesia neglectae iacuerint ac primigenii earum textus prorsus fuerint ignoti, brevi nostro interpretationis catholicae conspectu historico satis superque sunt refutatae; restat ut de eorum principiis hermeneuticis pauca addamus. De sensibus s. librorum ita interdum loquuntur, ut solum literalem admittere videantur, vehementerque haud semel in allegoricas explicationes invehuntur. « Quidam inepte tradiderunt, inquit *Melanchthon,* quatuor esse Scripturae sensus, literalem, tropologicum, allegoricum, anagogicum, et sine discretione omnes versus totius Scripturae quadrifariam interpretati sunt. Id autem quam sit vitiosum, facile iudicari potest...; ceterum nos meminerimus, unam quandam ac certam et simplicem sententiam ubique quaerendam esse iuxta praecepta grammaticae, rhetoricae et dialecticae; nam oratio, quae non habet unam ac simplicem sententiam, nihil certi docet ». Attamen eodem in libro praeceptum suum arctioribus limitibus constringens « *plerumque* uno sensu grammatico contentos nos esse debere docet, ut in praeceptis et promissionibus Dei », « quaedam autem exstare facta in s. literis et ceremonias quasdam, quae ad id institutae fuerunt, ut aliud quiddam significarent. In his esse allegoriae locum...; allegoriam sequi literalem sententiam... semper eam fore inter locos praecipuos doctrinae christianae »[4]. Multo clarius loquitur *Flacius Illyricus,* qui praecipuum illius temporis opus hermeneuticum protestanticum edidit; disertis enim verbis allegorice explicandam esse Scripturam docet, « ubi necessitas cogat vel utilitas exigat », i. e. « ubi sensus grammaticus cum sana doctrina pugnet vel bonis moribus adversetur, aut ubi verba grammatice sumta nullam afferant utilem doctrinam vel institutionem, aut si aliquam afferant, longe tamen uberior proveniat, si interpretatio allegorica adiungatur »; « sub duro cortice enim latere suavem nucleum spiritus et non iniucunda mysteria »; quare etiam multis regulis explicandum censet, quomodo « hoc artificium » allegoricae interpretationis adhibendum sit[5]. Ipse quoque Calvinus, quamvis reliquis novatoribus magis ab allegoriis abhorreat, eas tamen non absolute reiicit, sed earum usum arctioribus limitibus restringens eas per se fundandis dogmatibus non sufficere docet[6], quod omnes uno ore iam docuerant scholastici antiquiores. Dubium non est, quin novatores eorumque asseclae moderni, si doctrinam hermeneuticam inde a Pa-

trum tempore in Ecclesia semper traditam, qua inter sensum literalem et typicum distinguitur et ab utroque tropologicae applicationes allegoricaeque accommodationes accurate ac diligenter secernuntur, melius clariusque cognovissent, nunquam tam confuse et tam stulte de catholicorum interpretandi ratione locuti essent aut loquerentur.

Porro pseudoreformatores ea, quae theoretice de multiplici sensu docuerunt, in suis commentariis practice quoque secuti sunt; *Lutherus* ex. gr. in Isaiae visione (*Is.* 6) Seraphim docet significare Apostolos et concionatores, eorum alas ministerium verbi, eorum volatum praedicationem Evangelii, eorum pedes coopertos humilitatem etc.[7]. *Karlstadius* in suo « de canonicis Scripturis » libello eas, quas S. Hieronymus allegoricas explicationes habet, sine ulla cautione (et auctore suo non citato) suas facit: « in Levitico singula sacrificia, immo singulae paene syllabae et vestes Aaron et totus ordo leviticus spirant coelestia sacramenta; in Numero totius arithmeticae et totius prophetiae Balaam habentur mysteria..; δευτερονόμιον sonat secundam aut posteriorem legem, siquidem est secunda lex et evangelicae legis praefiguratio...; in Iudicum libro quot sunt principes, tot figurae sunt; deinde Samuelis primus... Heli et Saulo mortuo veterem legem abolitam monstrat; postea Malachim... si historiam eorum respicis, verba simplicia sunt, si in literis sensum latentem inspexeris, Ecclesiae paucitas et haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur » etc.[8].

Ex quibus satis apparet, quo iure contendant protestantes, Lutherum eiusque aemulos, Zwinglium et Calvinum, interpretationi novam viam aperuisse; e contra certissimum est, illos omnes, etsi contra Ecclesiam nova sua principia de Scripturarum sufficientia et perspicuitate statuerent, in praxi viam tritam non reliquisse eorumque interpretationem in eo solo a tradita differre, quod *suas haereses* in Scripturis invenire vel potius in eas inferre studuerint. Atque in illo quoque consuetam viam reliquerunt, quod contra totius antiquitatis testimonia non solos deuterocanonicos libros, sed illos quoque protocanonicos, qui novis doctrinis nimis aperte contradixerunt, e canone expungere ausi sint, Patrumque explicationes, quippe quae etiam novis dogmatis non faverent, parvi penderint et reiecerint.

Nec Lutheri nec aliorum novatorum commentarios enumerabimus, quum non tantum interpreti catholico prorsus sint inutiles, sed ab ipsis quoque protestantibus plerisque, quamvis magnis laudibus eos extollere soleant, admodum raro consulantur aut adhibeantur. Illud unum addamus opportet, Calvini commentarios in Pentateuchum, Isaiam, Psalmos lutheranis zwinglianisque explicationibus longe praestare, quia accuratius ad sensum grammaticum attendere solet[9]; sed ob hanc

potissimum rationem lutheranis commentarii illi parum probabantur; Calvinum enim iudaizare, ad mentem Iudaeorum et socinianorum Scripturas exponere, a vera fide recedere aiebant[10]. Quia vero nec calvinianis nec lutheranis commentariis indigemus, operae pretium non est, ut quo iure haec asserantur inquiramus; mortuos sinamus sepelire mortuos suos.

1. Novatorum principia hermeneutica explanat *Diestel* Geschichte des A. T. p. 244 sqq., quo in opere praecipuos, quibus usi sumus, textus eorum citatos invenies.

2. *Calvini* Institut. christ. IV. 9. 13. Ed. Amstelod. 1667 p. 314.

3. *Reuss* Geschichte des N. T. 544. Ed. 5. II. p. 285.

4. *Melanchthon* De rhetor. I. et II; cfr *Diestel* l. c. p. 249 sq.

5. *Flacii Illyr.* Clavis Scripturae (Ed. 1. Basileae 1567) Basil. 1581. II. p. 38-49 « De multiplici s. literarum sensu »; cfr Praec. 5. de ratione legendi s. literas l. c. p. 415 : « Contentus sit lector, ut simplicem ac genuinum s. literarum sensum assequatur, nec quaerat aliquas umbras aut sectetur somnia allegoriarum aut anagogiarum, nisi manifesta sit allegoria et *literalis sensus sit alioquin inutilis aut absurdus* ». Haec profecto omnia, quae scholastici docuerunt, longe transgrediuntur et ad Origenis Philonisque placita proxime accedunt.

6. *Calvin.* Instit. christ. III. 4, 4. 5. cfr II. 5, 19. p. 162 sq. 83.

7. Cfr *Diestel* l. c. p. 249.

8. *Karlstadii* De canonicis scripturis § 99 sq. in *Credner* Zur Gesch. des Kanons p. 380; cfr *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53, 8 (M. 22, 545 sq.).

9. *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. III. 14 ita de novatorum commentariis iudicat : *Lutherus* : « comme il n'était pas tout à fait capable de faire des commentaires sur l'Écriture selon le sens littéral et grammatical, il s'est le plus souvent étendu sur des questions et des remarques inutiles... tout son commentaire sur les Psaumes est rempli d'allégories et de fausses maximes ». « *Calvin*, patriarche des Protestants de France, fait paraître plus d'esprit et plus de jugement dans ses commentaires sur l'Écriture, que Luther... On y trouve néanmoins presque les mêmes défauts que dans ceux de Luther, car il semble qu'il n'ait eu d'autre pensée que d'appuyer *ses* sentiments et de réfuter les sentiments opposés; de sorte qu'on ne s'instruit pas tant de la parole de Dieu dans ces sortes de livres, que des préjugés de ces interprètes ». *Zwinglius* : « bien qu'il soit plus modeste que les deux autres patriarches des Protestants, il ne laisse pas d'avoir les mêmes défauts qu'eux et de suivre ses préjugés » etc. — Opera eorum exegetica enumerata habet, qui ea cognoscere voluerit, apud *Diestel* l. c. p. 262 sqq.; *Zoeckler* Handb. der theol. Wissensch. I. p. 194 sq. 440 sqq.

10. *Aeg. Hunnii* Calvinus iudaizans. Wittenberg 1593. etc.

260. — Quemadmodum novatores ipsi, ne interpretes nimis evagarentur, limites quosdam statuerant, ita eorum sequaces, ut unitatem aliqualem conservarent, interpretandi licentiam refrenare conati sunt. Quod si Flacius Illyr. statuerat, « omnem intellectum ac expositionem Scripturae analogam fidei esse » debere[1], analogia haec fidei mox velut primum et ultimum hermeneuticum principium praedicari

coepta est. Quia vero Scripturam solum fontem solamque regulam fidei statuerant nec ullum authenticum magisterium agnoverunt, maximam experti sunt difficultatem, ut undenam analogia fidei derivanda esset definirent. *I. Gerhard* († 1637) igitur in suis Locis theologicis principium illud eo sensu intelligendum esse docet, ut explicatio consentire debeat « perpetuae sententiae, quae de unoquoque doctrinae capite in Scriptura proponitur »; *D. Hollaz* († 1713) autem explicationem fieri debere ait « secundum harmoniam dictorum biblicorum »[2]. Quae verba, si ullum sensum habent, nihil aliud dicunt, nisi interpreti esse cavendum, ne de eodem argumento oppositas vel diversas sententias ex Scripturis eruat; quare statim nova exoritur quaestio, quinam sint illi textus, ad quorum sensum reliqui sunt revocandi. Respondet *I. Gerhard,* « dogmata cuivis ad salutem necessaria verbis propriis et perspicuis et claris in Scripturis proponi; ex illis lucem sortiri reliqua; ex perspicuis enim colligi regulam fidei, ad quam reliquorum expositio conformanda sit »[3]. Quae regula, quum tota quanta subiectiva sit, ad unitatem servandam parum iuvat; quod enim Luthero perspicuum fuit, Calvino obscurum visum est; unde Gerhard ipse proponenda censuit multa « axiomata catechetica et elementaria, ut essent veluti cynosura et norma, ad quam reliquorum pertractatio esset exigenda »; axiomata autem haec erant omnia novae sectae dogmata, quae hac ratione prima principia, quae demonstratione non indigerent, proclamabantur; maiore igitur cum sinceritate Gerhardi discipulus, *S. Glassius* († 1656), fidei regulam dixit « systema articulorum scitu necessariorum »[4], scilicet qui in eorum libris symbolicis sunt recensiti. Omnis Scripturae explicatio, quae novis dogmatis non consentiebat, a limine reiiciebatur, et interpretatio integra a novis symbolis dependebat; Scriptura autem illis commentatoribus vix aliud erat, quam collectio locorum nova dogmata probantium[5].

Sensus Scripturae *Glassio* aliisque illius aetatis interpretibus duplex fuit, literalis et mysticus; mysticum definierunt « talem quorundam locorum sensum, qui non verbis proxime significatur, sed in ipsis rebus a Spiritu S. intenditur »; triplicem eius speciem distinxerunt, allegoricum, typicum, parabolicum. « Allegoricus est, quando historia Scripturae vere gesta ad mysterium quoddam sive spiritualem doctrinam ex intentione Spiritus S. refertur; typicus, quando sub externis factis seu propheticis visionibus res occultae sive praesentes sive futurae figurantur; parabolicus, quando res aliqua ut gesta narratur et ad aliud spirituale designandum refertur ». Sensum literalem docuerunt priorem esse natura et ordine, mysticum tamen praestare dignitate; neque vero haec valere nisi de mystico illo sensu, quem Scriptura

ipsa dilucide tamquam mysticum demonstrat; reliquas allegoricas, typicas, parabolicas interpretationes, quae ab interpretum arbitrio dependeant, pias quidem esse, sed non proficere ad dogmatum auctoritatem [6]. Quae doctrina, si a confusione sensus proprii, metaphorici, typici praescindimus, cum catholica fere consentit. Contra quam nonnulli quidem statuerunt, « unius sermonis unicum esse sensum »; attamen quum id, quod Glassius antiquam sententiam secutus mysticum sensum vocavit, vellent esse « accommodationem sensus literalis ad aliam rem spiritualem, quae accommodatio a Spiritu S. sit intenta », quumque socinianos arminianosque hanc Spiritus S. intentionem negantes vehementer impugnarent, verbis potius quam re ab antiqua sententia dissensisse dicendi sunt.

In praxi porro tantum abest, ut plerique illius aetatis interpretes protestantici typos et typicum sensum ad ea sola restrinxerint, quae disertis verbis in Scriptura typice explicantur, ut typicam et allegoricam interpretationem vix non latius extenderint, quam catholici istius temporis commentatores; immo in N. T. quoque non paucos typos invenerunt; morbi corporales a Christo D. sanati illis figurae erant peccatorum a Domino ablatorum, Petrus in mare immergens figura erat Petri Christum negantis etc.

1. *Flacii Illyr.* Clavis Script. Praec. 17. de ratione s. literas legendi. II. p. 7.
2. Cfr *Landerer* in Herzog P. R. E. Ed. 1. V. 738.
3. *I. Gerhard* Loci theolog. II. 13. 58.
4. *S. Glassii* Philologia sacra. Lips. 1705 p. 498.
5. *Landerer* l. c. 736; *Wold. Schmidt* in Herzog. P. R. E. Ed. 2. VI. 32 sq.
6. *Glassii* Philolog. sacr. p. 406 sqq.

261. — Huius quoque periodi interpretes lutheranos et zwinglianos, quum nullius prorsus sint utilitatis atque vix a modernis eorum sequacibus adhiberi soleant, enumerare supersedemus [1]. Maioris utilitatis sunt aliquorum calvinistarum et anglicanorum opera scripturistica, quatenus *philologicam* et *historicam* textuum sacrorum explicationem diligentius excoluerunt; quare nonnullos recensendos ducimus, qui interdum interpreti inservire possunt.

Ioannes Drusius († 1616), unus ex doctissimis suae aetatis philologis, ab Hollandiae Ordinibus protestanticis iussus scholia in V. T. difficiliores locos composuit; quia in illis antiquas versiones diligenter et accurate contulit, Patrum opera frequenter usurpavit, Lyrani Postillam non semel laudavit et nimis negligi conquestus est, libros quoque deuterocanonicos non absolute reiecit, in catholicismi suspicionem venit. Revera « ecclesiae catholicae iudicio » se omnia sua scripta subiicere aliquoties asserit; at ecclesia catholica illi collectio quaedam omnium sectarum christianarum fuisse videtur [2].

Ludovicus de Dieu († 1642), Lugduni Batav. theologiae professor, similem viam ingressus grammaticalem praesertim sensum investigat, doctrinas autem verbis illis, quae explicat, enuntiatas parum curat, nisi forte alicubi catholica dogmata impugnanda censeat. Quum in linguis orientalibus esset versatissimus, annotationes eius in Veteris Test. locos difficiliores praestant eius scholiis in Novi libros [3].

Hugo Grotius († 1645) quoque scholiis potius quam commentario continuo Veteris Test. libros omnes et aliquos Novi illustrare suscepit. Se « ex historiis externis (profanis) attulisse, quidquid ad sacrae historiae confirmationem aut explicationem pertineat », in praefatione asserit; attamen ita haec attulit, ut rationalismo praeludens Scripturarum auctoritatem labefactasse potius quam confirmasse videatur. Multa quoque vaticinia messianica historice de aliis personis aut eventibus explicat (in omnibus Isaiae vaticiniis ne unum quidem directe messianicum invenit); quod si vero illa typico sensu ad Christum transfert, consueto loquendi modo se tantum accommodare voluisse videtur; quare olim iam conquesti sunt multi, Grotium nusquam in V. T. Christum invenire. Ceterum deuterocanonicis libris eandem quam protocanonicis auctoritatem tribuisse dicendus est, quum eadem cum diligentia utrosque exposuerit [4].

Ludovicus Cappellus († 1658), Gallus, absolutam textus massorethicae integritatem, quam protestantes eousque, ut Vulgatae auctoritatem impugnarent, mordicus, quasi fidei dogma esset, defenderant, primus inter suos in dubium vocavit. Atque primum quidem sententiam illam, quae puncta vocalia ab antiquissimis temporibus exstitisse tenuit, aggressus validissimis argumentis illa a massorethis post Thalmudis terminationem apposita demonstravit. Operi huic, quod « Arcanum punctationis revelatum » inscribitur, nomen suum praefigere non est ausus; multo magis autem protestantes alterius operis, cui « Critica sacra » titulus est, editioni repugnarunt, quia persuasionem de consonantium quoque in textu massoretico accurata conservatione convellebat; quare Ludovici Cappelli filius Iacobus, qui ad catholicam religionem reversus Congregationi Oratorii Paris. nomen dederat, adiutus ab Ioan. Morino et Dion. Petavio patris librum imprimendum curavit. Tertio demum opere, cui titulus « Diatribe de veris et antiquis Hebraeorum literis », ipsam scripturam quadratam Iudaeorum iunioris esse originis ostendit. Magnam inter protestantes tempestatem excitaverunt opera illa, germanis et helvetis, inter quos praecipuus Ioan. Buxtorfius filius, vehementissime Cappellum impugnantibus; eoque progressi sunt helveti, ut eius sententias sollemni decreto damnarent. Hodie vero ab omnibus unanimi consensu recipiuntur, et Cappelli opera laudata, uti alia, in quibus priora defendit, in Veteris Test. critica magnae utilitatis et auctoritatis ab omnibus habentur [5].

Brianus Walton († 1658), Anglus, hoc loco omitti nequit, quia optimis, quae habemus, polyglottis editis magnum sibi de Scripturarum interpretatione meritum acquisivit. De polyglottis londinensibus supra (190) locuti sumus; addamus oportet, prolegomena, quae illis praemisit, si

pauca excipiuntur, magnam mereri laudem; nam vix ac ne vix quidem meliora eo tempore de antiquarum versionum origine, conservatione, auctoritate conscripta sunt; quare non sine ratione magna eorum pars in Migne Cursum completum Scripturae est recepta[6].

1. Eos enumerat *Diestel* Gesch. des A. T. p. 398 sqq.; cfr *Zoeckler* Handb. ll. cc.; *Keil* Einl. p. 662 sqq. — Sterilitatem istius aetatis ita explicare et excusare conatur *Wold. Schmidt* (Herzog P. R. E. Ed. 2. VI. p. 32) : « Wenn im Zeitalter der altkirchlichen Dogmatik die Schrifterklärung nicht prosperirte, so will dies nicht auf Mangel an sprachwissenschaftlichem Interesse, sondern auf das einseitig hervortretende Bestreben zurückgeführt sein, das Bibelstudium der Dogmatik und der Polemik dienstbar zu machen » (!)

2. *Ioan. Drusii* Adnotationes, quae inde ab anno 1586 in lucem prodierunt, habentur in Criticis sacris, inter quos eum primum locum tenere censet *Rich. Simon* (Hist. du V. T. III. 15. p. 443); integrum catalogum operum exegeticorum eius exhibet *Lelong* Biblioth. s. p. 705 sq.

3. *Ludovici de Dieu* scholia collecta habes in eius « Critica sacra seu animadversiones in loca quaedam difficiliora V. et N. T. » (Amstelod. 1693.); cfr *Rich. Simon* l. c. III. 14. p. 440.

4. *Hug. Grotii* opera omnia theolog. Basil. 1732. I. II.; primas editiones Adnotationum enumerat *Lelong* l. c. II. 755; exstant etiam in Crit. sacr. — Quomodo exemplis profanis « confirmet » sacram historiam, pauca exempla demonstrabunt : *Gen.* 2, 21 ad creationem Evae adnotat : « Aegyptii in somniis costas ad uxores referebant teste Achmete », ac si caute insinuare vellet, Moysen somnium quoddam vel mythum aegyptiacum referre; *Num.* 22, 28 (de asina Balaami loquente) : « similium portentorum non desunt historiae : asinus locutus Bacchoride in Aegypto regnante apud Euseb.; bos locutus apud Livium saepe; meminere et Plinius, Polybius, Plutarchus »; iterum insinuans miraculum a Moyse relatum eiusdem esse ordinis, cuius fabulae istae ethnicae; ad sermonem Domini montanum parallelos textus ex scriptoribus ethnicis ac profanis affert, ac si dicere vellet, Dominum novam doctrinam non attulisse; cfr *Rich. Simon* Hist. du V. T. III. 15 p. 443; *Vitringa* Comment. in Is. Praef. p. 12. etc.

5. Arcanum punctationis revelatum ed. Thom. Erpenius. Lugdun. Batav. 1624; *Ludovici Cappelli* Diatriba de veris et antiquis Hebr. literis. Amstelod. 1645; *eiusdem* Critica sacra. Paris 1650; *eiusdem* commentarii et criticae notae in V. T. Amstelod. 1689. — Contra Cappellum Helveti, duce Ioan. Buxtorfio, statuerunt primos articulos Consensus Helvet. a. 1675 (*Niemeyer* Collectio confess. Lips. 1840 p. 731), sc. textum modernum hebraicum « tum quoad consonantes tum quoad vocalia sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res tum quoad verba θεόπνευστον » esse, neque ulla ratione probari posse, « qui lectionem hebraicam ex Septuaginta seniorum aliorumque versionibus graecis, codice samaritano, Thargumim chaldaicis vel aliunde... emendare religioni neutiquam ducant, neque adeo aliam lectionem authenticam, quam quae ex collatis inter se editionibus ipsiusque etiam hebraici codicis erui possit... agnoscant. »

6. De *Waltonii* Prolegom. cfr Mémoires de Trévoux 1701. p. 174, qui illa Ioanni Pearsonio, Edmundo Castello aliisque doctis Anglis adscribenda censent. Saepius seorsim sunt edita (*Lelong* l. c. p. 1011 sq.); in Migne Curs. compl. I. omissa illa sunt, quae fidei catholicae sunt contraria.

Uti Hugo Grotius nusquam, ita *Ioannes Cocceius* († 1669), Lugduni Bat. professor linguae hebr., ubique Christum invenisse dicitur arbitraria quadam invecta typologia, qua minimas quasque res modernas a prophetis accurate praedictas vidit. « In exponendis Veteris Testamenti Prophetis, inquit eius discipulus *C. Vitringa*, ubique quaesivit occasionem disserendi de remotioribus orbis et ecclesiae fatis; et quum plurium prophetiarum inscriptiones, cuiusmodi sunt de Babylone, Moab, Aegypto, Idumaea, Tyro, huic eius instituto minus viderentur favere, iecit hypothesin, in plerisque huius generis vaticiniis nomina haec mystice accipienda esse et sub mysticis his nominibus praedici non allegorice sed historice et proprie fata vel Iudaeorum carnalium, qui repudiarant Messiam, vel Romae ac Romani imperii, sive pagani sive pontificii, perinde ac apud Oseam in variis sermonibus sub nominibus Iudae et Israelis sive Ephraimi describi putat eventa et attributa varia ecclesiae post Theodosii tempora in occidentalem et orientalem divisae »[7]. Unde satis intelligitur, quomodo summam Cocceii principium hermeneuticum (« id significant verba, quod *possunt* significare in integra oratione sic ut omnino inter se conveniant et appareat Deum sapienter et apte ad docendum esse locutum ») eo sensu ab eius adversariis sit explicatum, ac si dixisset, verba Scripturae significare omne, quod possunt, contextus et historiae ratione non habita. Multi ex eius discipulis eandem viam ingressi magistrum arbitrariis explicationibus superarunt[8].

Meliorem autem tenuit praecipuus ex eorum numero, Campegius Vitringa († 1722), cuius « commentarius in librum prophetiarum Isaiae » optimis huius libri explicationibus est adnumerandus, licet, ut per se patet, in multis caute sit legendus. In quo commentario etiam SS. Patrum, maxime SS. Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, opera frequenter adhibet, sensum literalem diligenter investigat, vaticiniorum impletionem ex historia demonstrat, magna cum sollertia vaticinia messianica explicat acriterque defendit. Pro certo tenet « plerarumque prophetiarum praeter sensum literalem, quem ratio primo loco contemplandum esse docet, dari quoque mysticum et allegoricum ex vero scopo et intentione Spiritus S., cuius tanta est sapientia, ut sub typis τὰ ἀντίτυπα et sub similibus τὰ ἀνάλογα sua complexus sit oratione »; atque addit : « docuit me experientia absque hac methodo interpretandi verbi prophetici, qua literalem et mysticum sensum in se comparamus et posteriorem ex priore illustratum damus, quando nimirum rerum argumentum et prophetiarum consensus ad id nos invitat, in plurimis locis nos esse haesuros, quod illis contingit, qui sapientiam Spiritus S. ex angustis sui ingenii limitibus aestimantes et de eius copia ex sua inopia iudicantes, mysticum verbi divini sensum supine repudiant »[9]. Commentario in Isaiam praemiserat « Observationum sacrarum libros sex », in quibus multos U. T. locos difficiliores et quaestiones archaeologicas dissertationibus longioribus explicat; non parvae quoque utilitatis sunt eius de synagoga libri tres, quamvis hi aeque ac reliqui ab invectivis in catholicam doctrinam minime sint immunes[10].

Ioannes Clericus († 1736), amstelodamensis professor theologiae armi-

nianae, unus est ex praecipuis rationalismi praecursoribus. In commentariis suis philologum magis quam exegetam agit; vaticinia messiana a coaevis suis omnibus agnita (*Gen.* 3, 15; 49, 10 etc.) non admittit, miracula multa (Sodomorum eversionem, solem Iosuae iussu stantem etc.) naturali modo explicare conatur, et quod gravius est, librorum sacrorum inspirationem non obscure impugnat [11].

Albertus Schultens († 1750) quoque philologiae magis, quam exegesi in suis operibus vacat. Linguarum semiticarum, praesertim arabicae, peritissimus significationes vocabulorum hebraicorum receptas novis etymologiis ex arabica lingua desumtis corrigere voluit, atque fateamur oportet, aliquas ex eius explicationibus magnam probabilitatem habere, novae autem suae methodo maiorem, quam par est, auctoritatem eum attribuisse [12].

Praecipuos commentarios protestanticos saec. 17. collegerunt theologi quidam Angliae, Ioannes et Richard Pearson, A. Scattergood et Fr. Gouldman, in magno opere, quod inscribitur « *Critici sacri,* » cui addiderunt interpretes aliquos catholicos, Isid. Clarium, Masium, Lucam Brug., Sim. de Muis etc. Ex quo opere multisque aliis commentariis *Matthaeus Polus* († 1679) excerpsit suam « *Synopsin criticorum* aliorumque Scripturae sacrae interpretum » ita tamen, ut auctorum non integras sententias, sed varias singulorum versuum explicationes daret auctorum nominibus in margine adnotatis [13].

7. *C. Vitringa* Comment. in Is. Praef. p. 10; iuxta hanc methodum Cocceius *Is.* 19. (Onus Aegypti) explicat de controversiis post mortem Constantini M. exortis, *Is.* 23. (Onus Tyri) de Carolo M., *Is.* 33, 7 de morte Gustavi Adolphi Suecorum regis etc.

8. *Cocceii* operum exegeticorum longam seriem enumerat *Lelong* l. c. 680; pleraque collecta habes in eius Oper. voll. 1-6. Amstelod. 1673.

9. *Camp. Vitringa* Comment. in Isaiam. Leovardiae 1714 p. 62.

10. *Camp. Vitringa* Observationes sacrae. Franckerae 1683-1712; de synagoga veteri. Leoward. 1696.

11. *Ioan. Clerici* Veteris Testamenti librorum translatio cum comment. Amstelod. 1735; cfr quae contra eius de inspiratione sententiam disputat *R. Simon.* Réponse aux sentiments de quelques théologiens de Hollande ch. 12. 13. Rotterdam 1685 p. 122 sqq.

12. *A. Schultens* Animadversiones philologicae et criticae ad varia loca V. T. Amstelod. 1709; Comment. in Iob. Lugd. 1737; in Proverbia. Lugd. 1748.

13. *Critici sacri* s. adnotata doctissimorum virorum in V. ac N. T. Londini 1660. 10. voll. fol.; repetita et aucta Francof. 1696; Amstelod. 1698. 9 voll. fol.; catalogum virorum, quorum scholia vel tractatus in hoc opere inveniuntur, exhibet *Lelong* l. c. p. 690. — *Matthaei Poli* Synopsis criticorum etc. Londini 1669 et saepius; optima editio, in quam etiam adnotationes ad libros deuterocanonicos receptae sunt, Francof. 1709. 6 voll. fol.

Maiorem utilitatem, quam commentarii protestantium, praebent eorum tractatus de antiquitatibus biblicis. Ad Novi Test. intelligentiam non parum conferunt ea, quae ex Thalmude rabbinicisque libris collegerunt *Ioannes*

Lightfoot († 1675) et *Christ. Schoetgenius* († 1751) in suis « Horis hebraicis et thalmudicis »[14]. Geographiam sacram egregie tractavit *A. Reland* († 1718), historiam naturalem *S. Bochart* († 1667), unus ex eruditissimis saec. 17. viris[15]. Civiles et religiosas Iudaeorum antiquitates excoluerunt *Ioannes Buxtorf* uterque, pater († 1629) et filius († 1664), qui etiam editis Bibliis rabbinicis, lexicis hebraicis, chaldaicis, thalmudicis, concordantiis hebr. studium textus hebraici multum promoverunt[16], *Thom. Goodwin* († 1665), cuius compendium etiam hodie aestimatur[17], *Ioan. Spencer* († 1695), qui Grotium imitatus et rationalismo praeludens multos Iudaeorum ritus ab ethnicis derivat[18], *I. G. Carpzovius* († 1767), qui vel eam solam ob causam nominari meretur, quod librorum sacrorum authentiam, integritatem, auctoritatem in sua Critica sacra aeque erudite ac fortiter defendat[19]. Quae ex antiquorum protestantium operibus archaeologicis interpreti inservire possunt, pleraque cum catholicis libris collecta habes in Bl. Ugolini Thesauro antiquitatum (216).

14. *I. Lighfoot* Horae hebr. et thalm. in Evang. anglice Londini 1644, latine Cantabrig. 1658 et saepius; Horae hebr. et thalm. in Acta angl. Londini 1645, latine Amstelod. 1679 et saepius. Multa alia praeterea, quae ad antiquitates spectant, collecta sunt in *Lightf.* Opera omnia. Ultraiecti. 1669. 3 voll. fol. — *Chr. Schoettgenii* Horae hebr. et thalm. in universum N. T. Dresdae 1733; Horae hebr. et thalm. in Iudaeorum theologiam de Messia. Dresdae 1742.

15. *Hadr. Relandi* Palaestina ex monumentis veteribus illustrata. Ultraiecti 1714 et saepius; *Sam. Bocharti* Geographia sacra s. Phaleg et Canaan. Cadomi 1646. Ed. 4. Lugduni Bat. 1707; *eiusdem* Hierozoicon s. historia animalium S. Scripturae. Londini 1663; editionem abbreviatam curavit Rosenmüller. Lips. 1793.

16. *Ioan. Buxtorfii sen.* Synagoga iudaica a Ioan. filio revisa. Basil. 1641; Tiberias s. commentarius massorethicus. Basil. 1620. Ed. auctior. 1665. — *Ioan. Buxtorfii iun.* Exercitationes ad historiam V. et N. T. Basil. 1654. (cfr *supra* 212. 229).

17. *Thom. Goodwin* Moyses et Aaron; anglice Londini 1625 et saepius; latine Amstelod. 1679 et saepius.

18. *Ioan. Spencer* De legibus Hebraeorum ritualibus earumque rationibus. Cantabrig. 1685.

19. *I. Gottl. Carpzovii* Apparatus historico-criticus antiquitatum V. T. Lips. 1748; Introd. ad libros canonicos V. T. Lips. 1721. Ed. 4. 1757; Critica sacra V. T. Lips. 1728. Ed. 2. 1748.

§ 18. — *Varia rationalismi biblici systemata.*

262. — Interpretes protestantici, quos hucusque recensuimus, divinum Scripturarum characterem theoretice et practice agnoverunt; etsi enim aliqui (Grotius, Clericus etc.) liberaliorem interpretandi methodum tenuerint, ipsam tamen inspirationem prorsus negare vel analogiam fidei ex praeceptis hermeneuticis omnino removere non sunt ausi. Principes enim rerumque publicarum magistratus, quibus

novatores summum in suis sectis episcopatum contulerant, sedulo invigilarunt, ne a suis theologis contra libros symbolicos Scripturae explicarentur. In deterius vero res sunt mutatae, quum medio fere saec. 18. deistarum anglicorum et pseudophilosophorum gallicorum opera ubique spargi propagarique coepta essent atque antiquae fidei reliquias, quas protestantes sibi conservarant, labefactarent. Namque crescente in dies impietate omnesque hominum status pervadente magistratus protestantici summepiscopatus sui obliti theologis suis frena laxarunt, theologi autem librorum suorum symbolicorum obliti licentiam, quam maiores eorum in Scripturis interpretandis contra Ecclesiae praecepta usurpaverant, sibi quoque vindicarunt. Nova igitur excogitata sunt systemata hermeneutica, quae quia omnem fidem supranaturalem respuunt atque solam rationem ducem agnoscere praetendunt, communi nomine *rationalismi biblici* designantur, secundum varias autem, quas ab auctoribus acceperunt, formas varia sortita sunt nomina[1].

Principia, quibus omnia systemata rationalistica innituntur, licet non omnes rationalistae aperte et ingenue illa agnoscere ac profiteri audeant, haec fere sunt. Deum in mundum sive materialem sive spiritualem ullo modo iam agere posse cum deistis negantes a limine omnem revelationem supranaturalem reiiciunt; nullam igitur admittunt inspirationem, nullam prophetiam, nullum miraculum. Scripturas divino suo charactere spoliatas eodem prorsus modo, quo libros quoscumque profanos, explicant et tractant; Veteris Test. enim libri eis non sunt nisi monumenta nationalia Iudaeorum seu reliquiae et fragmenta antiquarum literarum hebraicarum; Novum autem eis est collectio librorum de Christo tractantium; Christus porro eis non est Deus-homo, sed merus homo sapientia quidem et virtute praestans, sed errori obnoxius; quare religionem, quam fundavit, etsi multas bonas doctrinas et egregia praecepta moralia contineat, erroribus non carere, ideoque emendari, evolvi, perfici posse ac debere censent.

Ad quae dogmata stabilienda satis non fuit, ut libri sacri divino suo charactere privarentur; namque etiamsi velut mere humani considerentur, innumera tradunt, quae revelationem christianam confirmant eamque vere divinam esse adstruunt; quare humanam quoque eorum auctoritatem imminuere, subvertere, convellere rationalistae studuerunt. Quem in finem suam criticam sublimiorem suamque sublimiorem hermeneuticam excogitarunt[2], quarum prior docet, quomodo libri illi vel librorum partes, quae maiorem difficultatem creare videbantur, auctoritate sua priventur, altera vero, quomodo ea, quae relicta erant, supranaturalia facta aut dicta innocua reddantur.

Critica haec sublimior externa authentiae, integritatis, veracitatis librorum testimonia aut ignorat aut negligit, flocci facit, contemnit; ex internis solis criteriis de libri alicuius auctoritate statuit esse iudicandum atque a priore sibi aliquod systema historicum effingit, ad cuius trutinam omnia sunt revocanda. Quod si auctor aliquis eo stylo aut eo sermone, quem rationalistae alicui periodo pro suo arbitrio attribuunt, non est usus, liber, qui eius nomen prae se fert, etsi innumeris testimoniis historicis genuinus demonstretur, non potest esse authenticus. Quum vaticinia esse impossibilia rationalistis persuasum sit, librorum illorum, in quibus vaticinia occurrunt, authentia est neganda; miracula quoque, quum sint impossibilia, a testibus ocularibus describi non potuerunt; neganda ergo etiam authentia librorum illorum, in quibus narrantur.

Ubi sublimior critica difficultates nonnullas relinquit, in auxilium vocatur hermeneutica sublimior. Quae prophetias in librorum reliquiis contentas docet esse coniecturas quasdam probabiles vel pia desideria vel etiam facta praeterita poetico modo in forma visionis vel vaticinii proposita, miraculosa autem, quae narrantur, secundum leges naturae ordinarias accidisse novis et miris artificiis demonstrat, aut mythos ea esse interque fabulas mythologicas reiicienda docet, aut ad certum aliquem finem « a piis impostoribus » vel « a fanaticis falsariis » conficta ea esse impudentissime et impiissime asserit.

Principia deistarum, quum in philosophia christiana et in theologia fundamentali refutari soleant, hoc loco omittimus; illo autem fundamento sublato totius criticae et hermeneuticae sublimioris corruit aedificium : quapropter operae pretium non est, ut « sublimiora haec praecepta », quae a patronis suis singulari quidem cum audacia asseruntur, sed argumentis non probantur, examini subiiciamus; praecipuas potius formas, quibus velatus rationalismus versipellis ultimo hoc saeculo multos interpretes protestanticos ad absurdissimos errores perduxit, proponemus notis quibusdam adiunctis, quae illis illustrandis inserviunt.

1. Cfr *B. Welte* Rationalistische Exegese in Wetzer et Welte Kirchenlex. Ed. 1 III. p. 829 sqq.; *Thalhofer* in Reithmayr's Hermeneutik p. 242 sqq.; *Kohlgruber* Hermeneutica sacra p. 375 sqq. etc. Ex Protestantibus conferri possunt *Hengstenberg* Beiträge z. Einl. ins A. T. Berlin 1836. II. p. IV. sqq.; *Keil* Einleitung p. 669 sqq.; ex illis autem, qui rationalismo magis minusve favent, *Diestel* Gesch. des A. T. p. 555 sqq.; *R. Kübel* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XII. p. 507 sqq.; *W. Volck* in Zœckler Handb. der theol. Wissensch. p. 659 sqq. etc.

2. Nomina haec invenit *I. G. Eichhorn* (Einleitung Ed. 3. I. Vorr.; Allgem. Biblioth. IV. p. 337).

263. — Rationalismi biblici parens habetur *Ioan. Salom. Semler* († 1791), qui primus inter germanicos protestantes analogiam fidei ex hermeneuticis praeceptis expunxit atque libros quosdam protocanonicos e canone expulit [1]. Canonem enim olim catalogum fuisse librorum, qui in coetibus christianis praelecti quidem sed non maiore, qua profani, auctoritate potiti essent, ostendere conatus graviter conqueritur, quod omnes isti libri a Christianis nunc iam sacri et divini habeantur; mirum esse, quod Christiani Iudaeorum libros et verbum Dei quibusdam tantum in Scripturae locis contentum confundere potuerint, quum ne ipsi quidem Iudaei ea confuderint; pleraque facta in V. T. relata ad solos Iudaeos spectare, nobis autem prorsus esse inutilia; ipsa etiam vaticinia solam Iudaeorum rempublicam attingere etc. Quare multos ex illis libris sacros esse negavit; si enim Luthero eiusque coaevis aliquos libros contra historiae testimonium certissimum e canone expungere licuerit, sibi idem ius competere censet [2].

Qua ratione vix non integro Vetere Test. reiecto ad Novum interpretandum novum excogitavit systema, quod ipse quidem historicum appellavit, nos *accommodationis systema* rectius appellamus. In apostolicis enim libris multa inveniri ratus, quae rectae rationi adversentur, nec tamen Dominum aut Apostolos erroris aperte accusare ausus, mediam viam inire conatus est. Dominum igitur eiusque discipulos immediatos nulli unquam falso dogmati addictos esse concessit, sed eos falsis Iudaeorum opinionibus interdum sese accommodasse contendit, i. e. multa docuisse, quae cum falsis Iudaeorum dogmatis consentiant, quamvis ea falsa esse scirent; qua agendi ratione eos noluisse Iudaeos in errorem inducere aut in errore confirmare, sed prudenti consilio, ne illos offenderent, praecavisse et verae doctrinae viam praeparare voluisse [3]. Dominum N. ipsum hanc docendi methodum tenuisse, quum nullo exemplo demonstrare posset, ad S. Pauli rationem agendi confugit, in qua invenisse se putavit, quibus systema suum stabiliret [4]. Ut demum vera Christi doctrina a falsis Iudaeorum opinionibus discerneretur, recurrendum esse statuit ad Iudaeorum illius aetatis scripta, ad libros apocryphos, ad Philonis, Iosephi, rabbinorum opera : omnia enim, quae in illis continentur, iudaicas esse opiniones ac proin ex christiana doctrina eliminanda. Criterium vero adhibitu multo facilius statuit *I. G. Eichhorn*, omnia illa pro iudaicis commentis esse habenda, quae in Evangelio cum recta (i. e. cum deistica vel rationalistica) ratione non consentiant.

Quam absurdum impiumque novum hoc sublimioris criticae et hermeneuticae systema sit, ita manifestum est, ut non intelligatur, quomodo Semler asseclas sequacesque invenire potuerit.

Atque 1°) quidem novae suae distinctionis inter libros sacros ipsos et inter verbum Dei in eis contentum aliam non affert rationem nisi suam ipsius experientiam; diversos enim ait se esse expertum animi motus in libris historicis V. T. legendis, quum aliqui textus pios animi motus excitassent, plerique animum frigidum languidumque reliquissent. Quod ridiculum argumentum refutatione nec dignum est nec indiget.

2°) Accommodationis autem systema impium et blasphemum est. Etenim

accommodationis, quae in genere definiri potest illa agendi loquendique ratio, qua quis alteri se conformat, variae quidem sunt species licitae, eam autem, quam Semler Domino N. Apostolisque affingere non erubuit, legibus ethicis repugnare est evidens. S. Paulus utique inter Iudaeos versatus legem ritualem Iudaeorum observavit, Timotheum circumcidit, in templo votum solvit (*Act.* 16,3; 21,20 sqq.); si quis autem, ne alteri sit scandalo, actionem per se indifferentem ponit aut omittit, non solum non male sed bene agit (1 *Cor.* 8,4 sqq.). Uti accommodatio haec moralis, ita paedagogica quoque licita est, qua nimirum magister doctrinam suam discipulis ita adaptat, ut a debilioribus quoque intelligi possit, illis omissis, quae ferre aut intelligere nondum valent[5]; neque vituperium incurrit magister, qui falsas discipulorum opiniones aliquando non statim directe refutat, sed prudens silentio ad tempus premit vel indirecte tantum reiicit[6]. A quibus omnibus accommodationis speciebus prorsus differt illa, qua quis aliorum errores externe et positive approbat, quamvis interne dissentiat; atque hanc ipsam Domino Apostolisque attribuere Semlerum non puduit. Nec ipse nec sequaces eius[7] viderunt, eam fini et agendi modo Domini repugnare, qui in mundum venit, ut testimonium perhiberet veritati, aperte pharisaeorum errores impugnavit, a discipulis suis relinqui quam eorum errori assentire maluit[8]; at quid de hisce loquamur, quum accommodatio haec tam aperte infinitae Domini sanctitati adversetur? Quis unquam christianus ferre potuit, Dominum, qui plenus fuit gratiae et veritatis, in cuius ore non est inventus dolus, qui fatentibus suis inimicis verax fuit et in veritate viam Dei docuit[9], aperti mendacii incusari!

1. *Semleri* libri, qui huc spectant, sunt : Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon. Halle 1771-75; Apparatus ad liberalem U. T. interpretationem. Halae 1773; App. ad lib. N. T. interpret. 1767; Freimüthige Briefe zur Erleichterung der Privatreligion der Christen. 1784.

2. Cfr *Semler* Abhandlung etc. I. 7 sqq. 48. 84 etc. II. Vorr. et passim.

3. Quare iuxta Semleri opinionem Dominus N., quia eius tempore Iudaei multa de adventu Messiae cuiusdam somniabantur, has ideas, quamquam eas veras non habuit, adoptavit sibique vaticinia messianica applicavit, quae vera non esse vaticinia scivit. Item doctrinis, quas eo tempore Iudaei de angelis et daemonibus, de iudicio ac resurrectione etc. tenuerunt, Christus ita se accommodavit, ac si eas ratas haberet approbaretque.

4. 1 *Cor.* 9, 20-22; *Act.* 16, 3; 21, 20 sqq.

5. Cfr ex. gr. *Ioan.* 16, 12; *Matth.* 13, 10; 1 *Cor.* 3, 1; 9, 20; *Hebr.* 5, 11 sqq.

6. *Ioan.* 2, 19 sqq.; 6, 14 sq. etc.

7. *Behn* Von der Lehrweise Iesu u. der Apostel. 1791; *Teller* Religion der Vollkommenen. 1792; *Senf* aliique.

8. *Ioan.* 18, 27; *Matth.* 5, 20; 7, 29 etc.; *Ioan.* 6. 61 sqq. etc.

9. *Ioan.* 1, 14; 1 *Petr.* 2, 22; *Marc.* 12, 4; 1 *Ioan.* 2, 27 etc.

264. — *Immanuel Kant* († 1804), philosophus regiomontanus, etiam unus est ex rationalismi parentibus novumque systema hermeneuticum invenit, quod ipse quidem *authenticae interpretationis* titulo insignivit, quod

vero tantum abest, ut hoc nomen mereatur, ut vix alia methodus minus authentica excogitari possit. Primum principium kantianum est, sola praecepta moralia constituere essentiam religionis, dogmata vero eatenus tantum esse admittenda, quatenus virtutis exercitium promoveant. Solam deinde religionem naturalem veram esse statuit, eas vero, quae sese revelatas dicant, mera esse figmenta, quibus homines religioni naturali auctoritatem conciliare conati sint; eas bonas censendas esse, si cum naturali consentiant aut saltem principium quoddam contineant, cuius ope hic consensus efficiatur. Iam novo suo authenticae interpretationis systemate religioni christianae illud principium suppeditare voluit; docet igitur, libros sacros ita esse explicandos, ut sola praecepta religionis naturalis in ea inveniantur; si qui textus his praeceptis contradicant, a contorta explicatione non esse abstinendum contextusque rationem non esse habendam; neque enim quaeri, quid auctor dixerit, sed quid dicere eum oportuerit; illa, quae ab auctore ad rem suam probandam afferantur, vaticinia, miracula, res gestas etc., esse negligenda [1].

Nostri muneris non est, integrum hoc systema refutare; religionem non solis praeceptis moralibus constare, nec revelationem, utpote factum historicum, rationibus a priore demonstrari posse, proin religionis vere revelatae, quamvis praeceptis ethicis naturali rationis lumine cognitis contradicere nunquam possit, demonstrationem solam aut praecipuam non in hoc cum religione naturali consensu haberi etc., ostendunt philosophi et apologetae [2]. Systema autem hermeneuticum a Kant propositum non minus absurdum, quam impium est; absurdum illud vocamus, quia non docet, quomodo auctoris sensus cognoscatur, sed quomodo verbis auctoris interpretis sensus substituatur [3], quia historiam negat etc.; impium est, quia quomodo sacris literis abutendum sit docet, ut eorum velamine kantiana religio propagetur, adeoque simulationem fovet ipsamque virtutem funditus evertit.

1. *Kant* Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. Königsb. 1793; Sämmtliche Werke herausgeg. von Rosenkranz. X. p. 130 sqq.

2. Cfr ex. gr. *C. Mazzella* De religione et ecclesia Ed. 2. Rom. 1880 p. 3 sqq.; 166 sqq.

3. *Reuss* Gesch. d. N. T. 577. Ed. 5. II. p. 320 : « Ob Kant mit seiner moralischen Auslegung eine erneuerte allegorische zu Ehren bringen wollte, oder Schrifterklärung und Anwendung verwechselt habe, ist verschieden beurtheilt worden. Gewiss ist dass die vorgeschlagene Regel selbst bei den Rationalisten kein Glück machte ».

265. — *H. E. G. Paulus* († 1851), professor heidelbergensis, etsi cum Kantio praeceptis moralibus illisque doctrinis, quae ad bonos mores promovendos directe iuvant, religionem potissimum constare censeret, a magistro suo tamen discedens non integram historiam sacram pro inutili et superflua habebat; sed praecipuum eius studium erat, ut ex historia omnia miracula removeret et omnes doctrinas in Scriptura traditas sua supranaturalitate spoliaret. Quem in finem novam excogitavit interpretandi rationem,

quam *notiologico-philologicam* vel etiam *psychologicam* vocavit; absurditate priores quas vidimus methodos rationalisticas vix non superat et hodie omnium risum provocat, quamvis suo tempore (mirum dictu) aliquibus (pseudo) catholicis interpretibus arrisisse videatur. Totum artificium, quo professor heidelbergensis omnia miracula removet, in nova quadam distinctione inter factum et inter iudicium de hoc facto consistit; priore nomine designat rem, quam spectatores accidisse testantur, altero opinionem, quam spectatores sibi ipsi de huius rei causis efformarunt. In narrationibus autem utrumque, factum sc. et iudicium, ita copulari censet et misceri, ut vix ab invicem secerni et separari queant, ac demum omnino confundantur; hanc confusionem etiam in libris sacris inveniri, et quum antiquitus omnia ea, quorum causae naturales ad primum obtutum non innotuerunt, causis supranaturalibus adscribi solerent, factum esse, ut in libris sacris multa velut miracula sint narrata, quae nequaquam miracula sint. Interpretis igitur munus est, ut in evangelicis narrationibus factum purum a spectatorum et scriptorum iudiciis secernat; quare attendat accurate ad omnes rei narratae circumstantias, ad tempus, locum, personas; deinde inquirat, quaenam circumstantiae forte a scriptore, quia rem non satis clare cognovit, sint omissae, quaenam ob erroneum iudicium additae, atque hac ratione, si priores suppleverit, alteras removerit, facile deteget, rem iuxta ordinarias naturae leges contigisse [1]. Exempla hanc methodum illustrabunt : Evangelistae narrant Dominum N. quinque panibus quinque millia hominum satiasse; id fieri non potuisse heidelbergensi professori constat; quid ergo? supplet circumstantiam, quam omnes Evangelistae tacuerunt; Christus ipse et Apostoli quidem non dederunt nisi quinque panes hordeaceos, quos solos secum habuerunt, at magnanima sua liberalitate alios, qui adfuerunt, permoverunt, ut ipsi quoque panes cibosque, quos secum attulerant, inter illos distribuerent, qui nihil secum habebant. En totum miraculum disparet [2]. Zacharias in templo angelum non vidit, sed se eum videre putavit, nec ab angelo ob suam incredulitatem vocis usu privatus est, sed ipse sibi usum vocis interdixit [3]. Si Petrus narratur tributum solvisse statere in ore piscis miraculose invento, id sane, quum pisces aurum argentumque in ore secum gerere non soleant, fieri nequaquam potuit; sed si rem notiologico-philologice consideramus, inveniemus Petrum piscem captum vendidisse atque pretio obtento tributum solvisse [4].

Accurate igitur inquire, quomodo res naturali modo explicari possit; adde circumstantias hunc in finem necessarias, reiice alias, quae huic fini obstant, infer vim vocibus, finge novas vocabulorum significationes, et si omnia haec non sufficiunt, dic textum esse interpolatum — en totum interpretationis notiologico-phiologicae vel psychologicae mysterium! Si de libris profanis ageretur, res esset ridicula; at qui libros sacros hac methodo tractare audet, impiissimum et blasphemum se exhibet.

1. *H. E. G. Paulus* Exeget. Handbuch über die drei ersten Evangelien. Heidelberg 1830-33. 3 voll.; cfr I. p. 4 sqq.

2. ***Paulus*** Exeget. Handb. II. p. 205 sqq. : « Sobald Iesus selbst seinen kleinen Vorrath herum bieten lässt, so war das Beispiel für jeden, der noch etwas mitgebracht hatte, gegeben » p. 214.

3. ***Paulus*** l. c. I. p. 75 sqq.

4. ***Paulus*** l. c. II. p. 498 sqq. Quo cum iure philologica vocetur haec explicandi ratio, exemplum hoc clarissime demonstrat : ***Matth.*** 17, 27 καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ εὑρήσεις στατῆρα redditur : « und wenn du dann nur den Mund aufthust (= nur zum Verkauf das Geangelte anbietest), so wirst du *eben dort* leicht einen Stater bekommen » (si aperis dumtaxat os [tuum, sc. ad piscem captum vendendum], facile *ibi* invenies staterem p. 502 n).

266. — Systemata rationalistica, quae enumeravimus, quamquam ob novitatem suam ab initio aliquos fautores invenerunt, tam absurda sunt, ut hominibus sana mente praeditis diu sufficere non potuerint. Nova igitur via quaerenda erat rationalistis, ut supranaturalem revelationem destruerent : Semler enim, Kant, Paulus etc. textum librorum sacrorum pro libitu quidem mutilaverant, truncaverant, amplificaverant, nec tamen ad praestitutum finem pervenerant : at eodem fere tempore, quo illi systemata sua invenerunt, aliud paullatim excoli coeptum est, quod ab arbitrariis mutationibus abstinens melius et facilius librorum argumentum destruxit. Systema hoc, quod *mythicismus biblicus* vocatur, libros sacros eodem loco habet, quo Homeri et Hesiodi carmina aliaque id generis opera ethnica, atque quidquid vires naturae ordinarias superat portentosis illis aequiparat narrationibus, quibus ethnicorum mythologiae constant.

A mythis omnem priscorum hominum quum philosophiam tum historiam procedere philologus quidam asseruerat; idem etiam in historia sacra valere contenderunt rationalistae, atque magna illa, quae inter historiae iudaicae primordia interque historiae aliarum gentium initia intercedit, differentia neglecta librorumque sacrorum auctoritate historica, quam eo usque omnes admiserant, prorsus reiecta mythicismum biblicum invexerunt. *S. Semler* primus fuisse videtur, qui aliquas V. T. historias (de Samsone, Esthere etc.) mythis adnumeravit; quod exemplum secutus *I. G. Eichhorn* († 1827) primis Geneseos capitibus creationem hominis eiusque lapsum mythice narrari censuit [1]; ulterius tamen progredi non est ausus, quum Pentateuchum Moysi auctori attribueret ideoque miracula ibi enarrata aliis systematis rationalisticis removere mallet. Mox vero *I. Sev. Vater* († 1826) mosaica Pentateuchi origine negata systema mythicum ad omnes Legis libros extendit [2], et *L. de Wette* († 1849) etiam in reliquis libris historicis V. T. mythos invenit [3]. Sed ut novas suas sententias defenderent, non solum authentiam librorum sacrorum impugnarunt eosque dudum post illam aetatem, cui a communi Iudaeorum et Christianorum traditione origo eorum attribuitur, conscriptos esse contenderunt, sed varias quoque mythorum species distinguere coeperunt : philosophicos, qui sub miraculosae narrationis involucro sententias mere philosophicas tradant, historicos, qui rem vere gestam miraculis fictis exornent, poeticos, in quibus idea philosophica vel factum historicum additamentis miraculosis fere omnino tegatur [4].

Audacia et impietate praedecessores suos longe superans *David Fr. Strauss* († 1875) primus novum systema Evangeliis applicavit; in sua enim Vita Iesu [5] vehementer quidem psychologicam interpretationem impugnavit egregieque refutavit, at eum solum in finem, ut ipse integram evangelicam historiam in mythos converteret. Si ei fides esset adhibenda, nihil aliud omnia Evangelia nos docerent, nisi certum aliquem Iudaeum, Iesum Nazarethanum, a Ioanne quodam baptizatum Palaestinam cum discipulis quibusdam peragrasse, ut ad regnum messianicum populum invitaret; at quum pharisaeorum doctrinas impugnasset, illorum odio et invidiae eum succubuisse et in crucem actum esse. Reliqua omnia esse conficta ostendere conatur asserens, primos Christianos omnia, quae in V. T. de Messia iudaico praedicta putabant, suo magistro temere applicasse atque phantasiae suae figmenta pro veris historiis tradidisse in Evangeliis, quae solo saec. 2. exorta sint. Quod systema ingentem quidem tempestatem provocavit, fautores autem et asseclas apertos paucos invenit, usque dum fere triginta annis post ab *Ern. Renan* modo magis poetico propositum atque aliquantulum mitigatum in vulgus spargi coeptum est [6].

Praeter quos mythicismi biblici auctores, qui inter se minime consentiunt, plerique theologi protestantici moderni magis minusve illi favent; etsi enim historiam iudaicam et evangelicam in genere admittant, mythicas tamen narrationes in libris sacris inveniri concedunt [7]. At omnes systematis modificationes persequi operae pretium non est; sufficit, ut principia illa, quibus innititur, totidem esse errores paucis verbis indicemus.

1. *I. G. Eichhorn* Urgeschichte. Repertorium für Bibl. u. Morgenl. Literatur Leipzig 1779. IV. p. 129-257; anonymam hanc dissertationem sub auctoris nomine iterum edidit notisque instruxit I. Ph. Gabler. Altdorf 1790-93; cfr *Eichhorn* Allgem. Biblioth. der bibl. Literatur Leipzig 1787. I. 389; *Eiusdem* Einl. in d. A. T. Ed. 4. Leipz. 1823. III. 82 etc.

2. *I. Sev. Vater* Commentar über den Pentateuch. Halle 1805. III. 670 sqq.

3. *M. L. de Wette* Beiträge z. Einl. in d. A. T. Halle 1807. II. Kritik der Mos. Geschicte. Vorr. p. IV. 61 sq. 98 sqq. et passim; cfr *eiusdem* Einl. ins A. T. Ed. 8. p. 261 sqq.; 327; 335 etc.

4. De mythorum distinctione cfr *Gabler* in Eichhorn's Urgeschichte p. 481 sqq. etc.

5. *I. D. Strauss* Leben Iesu. Tubingen 1836. Ed. 4. 1840; *eiusdem* Leben Iesu f. das deutsche Volk 1863.

6. *E. Renan* Origines du Christianisme. I. Vie de Jésus. Paris 1863.

7. Cfr *Pelt* in Herzog P. R. E. Ed. I. X. p. 174.

Palmare quum totius rationalismi tum mythicismi principium est, vaticinia et miracula esse impossibilia; vaticinia igitur omnia aut post eventum esse conficta aut brevi ante illum composita, quando naturali coniectura iam cum maiore minoreve probabilitate cognosci potuit; miracula autem pro poeticis et fabulosis mythis esse habenda [8]. Quod principium falsum esse genuinamque Dei, rerum universarum Creatoris ac Domini supremi, ideam plane convellere ac destruere, philosophi et apologetae tam claris argumentis demonstrant, ut non intelligatur, quomodo ab homine

sana ratione praedito repeti possit. Nihilominus ab illo principio vel potius insano praeiudicio omnes rationalistae inquisitionem suam exordiuntur; illud cunctis suis assertionibus velut fundamentum subiiciunt; ex illo tamquam summo criterio omnes relationes historicas diiudicant, ac si historia ex praeiudicatis opinionibus, veris fontibus historicis neglectis, esset diiudicanda.

Ne vero germanos historiae fontes negligere viderentur, secundo in loco rationalistae auctoritatem librorum sacrorum, authentia eorum negata, destruere conati sunt; ingenue quippe et aperte iam fassus est *Strauss*, totum suum systema corruere ac destrui, quamprimum historiam evangelicam a testibus oculatis, qui ipsi res narratas oculis suis viderunt, aut a scriptoribus coaevis scriptam esse constet[9]; atque idem de historia mosaicae aetatis (plagis aeyptiacis, transitu per mare rubrum, legislatione in monte Sinai) aliisque narrationibus biblicis valere manifestum est. Quare mirum non est, quod inde ab exeunte saeculo 18. tantam diligentiam rationalistae adhibuerint et hodie adhibeant, ut omnes libros sacros, praesertim vero Pentateuchum et Evangelia, quae antiqui et novi foederis historica sunt fundamenta, iuniore tempore conscripta demonstrent. Varia ad hunc finem assequendum excogitarunt systemata, quae omnia recensere et diiudicare non est huius loci; in Introductione speciali omnium ac singulorum librorum authentiam demonstrabimus, praecipuis adversariorum obiectionibus examinatis ac refutatis. Interim Iudaeorum et Christianorum constans et unanimis traditio de librorum nostrorum authentia et integritate nobis sufficere eo magis potest, quia novis suis, quae quotidie excogitant, systematibus rationalistae satis superque ostendunt, quam parum priora ad eam convellendam suffecerint.

Tertio in loco afferunt rationalistae analogiam sacrae historiae cum profana, ut mythos in Bibliis adesse ostendant[10]. Etsi vero hanc analogiam concederemus adesse, nihil aliud sequeretur, nisi mythos in libris nostris sacris adesse *posse,* ac proin semper deberet demonstrari eas revera adesse. At analogiam hanc adesse pernegamus. Namque ad christianae religionis origines quod attinet, non satis attendunt rationalistae, illas nequaquam in fabulosis illis temporibus esse quaerendas, quibus ethnici populi originem suam adscribunt. Tempore, quo Christus natus est, Iudaea iam diu suos habuerat scriptores; quis vero, cuius mens praeiudiciis non est occupata, Romanis quidem et Graecis de rebus suae aetatis scribentibus fidem adhibebit, Iudaeis autem de rebus coaevis scribentibus fidem negabit? At christianae religionis initia non a coaevis esse narrata, sed Evangelia non nisi medio saeculo 2. esse composita demus (minime vero concedamus) adversariis nostris; quid inde? num mythos in iis narrari sequitur? Minime gentium; ipsi Strauss et Renan concedunt, Christum discipulos elegisse, qui ea quae viderant et audierant ecclesiis a se fundatis tradiderunt; iam quis sibi persuadebit, omnes illas ecclesias vix quinquaginta annis post ultimi Apostoli mortem ita rerum a Christo gestarum esse oblitas, ut sua ipsorum figmenta pro vera historia admitterent eaque ab Apostolis sibi tradita cre-

derent, quae illi non tradiderant? Immo quis sibi persuaserit, illos primos Christianos figmenta haec a se conficta tam firmiter credidisse, ut mortem crudelissimam pro eorum veritate asserenda subirent multi? Haud dubie mythi et fabulae de Christi vita primis illis temporibus narrabantur; id enim probant evangelia apocrypha : ecclesiae autem veras inter et falsas narrationes optime distinxerunt; id enim demonstrat apocryphorum reprobatio. Ne unum quidem apocryphum evangelium unquam admissum est ab Ecclesia, ne unum quidem genuinum unquam reprobatum.

Veteris Test. quoque narrationes quam plurimum differunt a mythis gentilium, sive auctores, sive forma, sive argumentum spectantur. Etenim Graeci, quibuscum conferre Iudaeos amant rationalistae, mythica sua tempora habuerunt, quia multo tardius, quam Iudaei, suam historiam scribere coeperunt; primus graecus scriptor fuit poeta, qui traditiones ore propagatas carminibus suis celebravit, quare eius narrationes a suae ipsius gentis scriptoribus iunioribus fabulae dicuntur; non admittuntur autem mythi illis in rerum gestarum narrationibus, quae statim literis sunt consignatae; quis in Thucydidis historia mythos quaesivit? Nulla ergo inter sacram Iudaeorum historiam interque antiquam Graecorum historiam analogia; Moyses enim non poeta fuit, sed historiographus; in quatuor ultimis libris res narrat, quas ipse gessit, vel quibus testis interfuit; in primo autem libro fuse historiam trium gentis suae patriarcharum prosequitur, quorum memoria satis recens fuit. Merito igitur Iudaei, dum Graeci fabulas Homeri riserunt, Moysis libris semper fidem adhibuerunt. Unica difficultas de prioribus Geneseos capitibus moveri potest; quamvis autem istius quoque narrationis forma et argumentum a mythis gentilium longissime distent, libentissime concedimus, eius absolutam veritatem demonstrari non posse nisi Moysis inspiratione demonstrata; at haec exceptio non impedit, quominus ex reliquis operis partibus legitima argumenta deducamus. Ceterum illud quoque notandum est, omnia illa studia, quibus multi viri eruditi nostro tempore antiquas Aegyptiorum, Assyriorum, Babyloniorum etc. monumenta perlustrarunt, ad confirmandam narrationum V. T. auctoritatem historicam inservisse. At de his alibi recurret occasio disserendi [11].

Quum analogia illa cum historia profana, praesertim si de Novo Test. sermo est, non nisi absurde asseratur, ad aliam hypothesin confugerunt rationalistae; etenim asseruerunt Christianos ideam messianam ex Vetere Test. assumsisse omnesque illos characteres, quos Iudaei illo tempore suo Messiae attribuerunt, Iesu Nazareno affinxisse atque hac ratione mythos efformasse [12]. At haec quoque hypothesis apertissime historiae repugnat; Iudaeos enim docet Messiae ideam sibi efformasse prorsus diversam ab ea, quam exhibent Evangelia, immo Evangelia fatentur ipsos Apostolos usque ad Domini mortem et resurrectionem hac in re cum aliis Iudaeis errasse; ergo neque ex Iudaeorum opinionibus neque ex V. T., prout eo tempore a Iudaeis plerisque intelligebatur, Evangelistae vel primi Christiani illam Messiae ideam, quam in Novo Testamento invenimus, haurire potuerunt.

8. *Eichhorn* Einleitung I. p. 44 sqq. etc.; III. p. 2 sqq.; *de Wette* Einleitung ins A. T. Ed. 8. p. 257 sqq.; *Strauss* Leben Iesu Ed. 4. I. p. 100 : « Wo uns ein Bericht eine Erscheinung oder Begebenheit meldet, mit der ausdrücklichen oder zu verstehen gegebenen Behauptung, dass sie unmittelbar durch Gott selbst (Theophanien, Himmelstimmen u. s. w) oder durch menschliche Individuen in Folge übernatürlicher Ausrüstung durch ihn (Wunder, Weissagungen) herbeigeführt worden seien, da haben wir insoweit keine historische Relation anzuerkennen »; *Renan*, Vie de Jésus, Introduction p. LV : « Nous maintiendrons ce principe de critique historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture ». Eodem modo omnes loquuntur rationalistae, alii tamen aliis clarius et audacius.

9. *Strauss* Leben Iesu I. p. 62 : « Für die Glaubwürdigkeit der bibl. Geschichte würde es von *entscheidendem* Gewicht sein, wenn es bewiesen wäre, dass sie von Augenzeugen oder doch nahen Zeitgenossen der Begebenheiten beschrieben wäre »; cfr *Renan*, Vie de Jésus, Introd. p. XVI sqq.

10. *De Wette* Einl. p. 258 sqq.; *Strauss* Leben Iesu I. p. 74 sqq.

11. *Introd. spec.* in Vet. Test. I. p. 154 sqq.; cfr etiam *F. Vigouroux* La bible et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie. Ed. 5. Paris 1889; *Fr. Kaulen* Assyrien u. Babylonien. Ed. 4. Freiburg 1891; *G. Ebers* Aegypten und die Bücher Moses. Leipzig 1870; *E. Schrader* Die Keilinschriften u. das A. T. Ed. 2. Leipz. 1883.

12. *Strauss* Leben Iesu I. p. 92 sqq.; *Renan* Vie de Jésus Introd. p. XLVI : « Tantôt l'on raisonna ainsi : Le Messie doit faire telle chose; or Jésus est le Messie; donc Jésus a fait telle chose. Tantôt l'on raisonna à l'inverse : Telle chose est arrivée à Jésus : or Jésus est le Messie; donc telle chose devait arriver au Messie ». In Introductione spec. et in Evangeliorum interpretatione haec quaestio accuratius erit pertractanda; rationalisticam obiectionem collectis antiquorum rabbinorum de Messia sententiis egregie refutavit anglicanus scriptor *Alfred Edersheim* The life and times of Jesus the Messiah. Ed. 2. London 1884.

267. — Omnes V. T. libros, solis fere exceptis moralibus, rationalistae iam « innocuos » reddiderant, Evangelia quoque inter fabulas reiecerant; at ut integra religio christiana destrueretur, requirebatur, ut Actus Apostolorum quoque et Apostolorum epistolae, in quibus facta evangelica supponuntur quaeque sine illis intelligi nequeunt, auctoritate sua spoliarentur. Quae exsequi conatus Straussii magister, *Ferd. Christ. Baur* († 1860), professor tubingensis, novam scholam rationalisticam fundavit, quae *neotubingensis* vocatur, ut ab antiquiore, quae saec. 18. revelationem contra deistas defenderat, distinguatur. Eodem anno, quo Strauss suam Vitam Iesu edidit, eius magister Baur epistolas, quae vulgo pastorales appellantur, impugnavit easque, quia systemata gnostica, praesertim Marcionis, in eis respici putavit, exeunti saec. 2. adscribere non dubitavit; in eadem deinde via ulterius progressus quatuor tantum epistolas Paulinas (ad Gal., 1, 2 Cor., Rom.) genuinas esse docuit et Actuum quoque authentiam negavit; duobus annis post etiam Evangelia repudiavit [1]. Ad reiiciendos omnes hos libros nova sua doctrina de ecclesiae catholicae origine adductus est. Primi Iesu discipuli (haec est fere summa novae doctrinae) a synagoga sese se-

parare noluerunt eoque solo a reliquis Iudaeis se distinxerunt, quod Messiam iam advenisse crediderunt; christianismus igitur secta quaedam iudaica fuit, quare primi quoque Apostoli eum inter ethnicos non propagaverunt; vera autem Iesu doctrina, quae toti generi humano destinata erat, neglecta iacebat, donec Paulus eam denuo detegeret et propagare coepisset. Unde magna in ecclesia primitiva exorta est lis, atque duae partes sunt formatae, quarum altera cum primis Apostolis iudaizavit, altera cum Paulo religionem christianam ab omni fermento iudaico purgandam docuit. Cui liti libri nostri originem suam debent, atque Apocalypsis quidem est genuinus iudaizantis partis foetus; Paulo autem attribuendae sunt quatuor illae epistolae, in quibus iudaizantes impugnat; utraque pars suum quoque habuit Evangelium, at nullum ex illis, quae hodie supersunt; ex iudaizantium vel, uti vulgo nominantur, Petrinorum evangelio postea exortum est nostrum primum, ex Paulinorum autem evangelio nostrum tertium. Post mortem enim Apostolorum duae illae partes unionem inire studuerunt, utque illam praepararent oppositionemque, quae inter Petrinorum Paulinorumque doctrinas adfuerunt, quoad eius fieri potuit, tegerent delerentque, conscripta sunt circa medium saec. 2. secundum et quartum Evangelium, Actus et reliquae Epistolae. Ut novam hanc doctrinam stabiliret, Baur quoque novo systemate hermeneutico indiguit; uti Strauss in Evangeliis ubique mythos invenit, ita ipse in omnibus N. T. libris ubique oppositionem Petrinorum et Paulinorum invenit, atque omnia ex fine, quem singulis libris quasi a priore praefixit, explicare studuit.

Sequaces, qui integrum suum systema reciperent, Baur vix invenit; ipsi enim eius discipuli praecipui, *A. Schwegler* († 1857), *Ed. Zeller,* nunc phil. prof. berolin., *Alb. Ritschl* († 1889), *Ad. Hilgenfeld,* prof. jenens., atque *E. Renan* († 1892) quoque, qui principia neotubingensia in Galliam invexit[2], in multis iam ab eo discesserunt, ita ut schola neotubingensis cum suo fundatore mortua esse recte dicatur. Verumtamen effrenata illa licentia, qua libros sacros pro libitu tractavit et in varia fragmenta dilaceravit, eorumque originem iuxta praeiudicatas suas opiniones explicavit, tantum abest, ut cum eo sit mortua, ut in protestantium scientia scripturistica hodie primum locum occupet ac vix unus ex protestanticis interpretibus inveniatur, qui ea non magis minusve sit infectus; neotubingensium tamen nomine repudiato sese *scholae criticae* asseclas appellant. Verum nomine mutato res ipsa non est mutata, siquidem eodem modo, quo mythicistae et neotubingiani, novi quoque « critici » in librorum origine diiudicanda, historicis testimoniis neglectis aut spretis, solas internas, quas vocant, rationes considerant atque iuxta librorum finem scopumque, quem sibi quisque fingit, eos in minuta fragmenta aut varias partes discerpunt, quae variis deinde temporibus, auctoribus etc. adscribuntur. Praedecessoribus suis audaciores nullum omnino librum sacrum intactum reliquerunt; ipsae quatuor illae Pauli epistolae maiores, quas neotubingiani pro authenticis habuerunt, hodie iam a nonnullis spuriae et confictae declarantur[3]; Veteris Test. autem libri pauci illi, in quorum authentia admittenda ra-

tionalistae nullam difficultatem invenerant, hodie ab uno alteroque iam impugnantur; immo non desunt, qui cunctos Veteris Test. libros tribus quatuorve saeculis, quae Christi nativitatem praecesserunt, a scribis iudaicis ex integro confictos dicant [4].

Integri systematis novorum « criticorum » refutatio ad Introductionem specialem pertinet; hoc in loco adnotasse sufficit, quod saepius iam monuimus, de origine alicuius libri, quum sit factum historicum, praeprimis audienda esse et examinanda testimonia historica neque unquam licere illa ob putatas rationes internas reiicere; deinde in libri cuiuscumque explicatione multum quidem nos iuvari fine auctoris cognito, at finem hunc non esse ex arbitrio et quasi a priore iuxta systema quoddam praeiudicatum confingendum, sed ex libro ipso aut ex certa traditione desumendum. De quibus omnibus in singulorum librorum authentia vindicanda accuratius disseremus.

1. *F. Chr. Baur* Die sogen. Pastoralbriefe des Apostels Paulus auf's Neue kritisch untersucht, Stuttg. 1835; *eiusdem* Paulus der Apostel Iesu Christi, sein Leben u. Wirken, seine Briefe u. seine Lehre. Stuttg. 1845. Ed. 2. ed. *Zeller* Leipz. 1866; *eiusdem* Kritische Untersuchungen über die kanon. Evangel. Tübingen 1847. Huc etiam spectat *eiusdem* Das Christenthum u. die Kirche der drei ersten Iahrh. Tüb. 1853.

2. *A. Schwegler* Das nachapostolische Zeitalter in den Hanptmomenten seiner Entwicklung. Tüb. 1846; *Ed. Zeller* Die Apostelgesch. nach ihrem Inhalt und Ursprung. Stuttg. 1854; *A. Ritschl* Die Entstehung der altkath. Kirche. Bonn 1850. *A. Hilgenfeld* Einl. i. d. N. T. Leipzig 1875; *E. Renan* Les Apôtres Paris 1866; S. Paul. Paris 1869 etc.

3. *Allard Pierson* De bergrede en andere synoptische fragmenten. Amsterdam 1878; *Pierson et Naber* Verisimilia. Amsterdam 1886; *Loman* Quaestiones paulinae Theol. Tijdschr. Leyden 1882 sqq.); *Rud. Steck* Der Galaterbrief nach seiner Echtheit untersucht. Berlin 1888; *Dan. Voelter* Die Composition der vier paulin. Hauptbriefe. Tübingen 1890 etc.

4. Huc maxime spectat *Maur. Vernes* (Précis d'histoire juive. Paris 1889; Les résultats de l'exégèse biblique. 1890; Essais bibliques. 1891), qui aliorum « criticorum » placita iisdem, quibus illi, principiis nixus impugnat, ut nova sua placita statuat. Quamvis aliis « criticis » quam maxime sit incommodus, hucusque nondum invenerunt, quomodo illum refutarent; ac revera systema eius, licet absurdum sit, impugnari nequit, quamdiu principia, quibus innititur, admittuntur.

§ 19. — *Studia scripturistica modernorum protestantium.*

268. — Postquam principia et systemata rationalistarum praecipua exposuimus, quibus a medio saec. 18. longe plerique interpretes protestantici infecti sunt, restat ut de eorum operibus dicamus et quid de illis sentiendum sit indicemus. Quia vero ultimis his temporibus omnia fere studia theologica protestantium sola exegesi comprehenduntur, tantus est eorum, qui disciplinas scripturisticas excoluerunt, numerus, ut ne nudum quidem nominum et operum catalogum, nisi

longissimi esse velimus, dare possimus; quare paucos tantum ex celebrioribus enumerare consultius ducimus, eosque ita dispertiemur, ut priore in loco de iis dicamus, qui philologiam et historiam sacram tractaverunt, in altero autem eos recenseamus, quorum opera ad criticam sacram et interpretationem librorum sacrorum pertinent.

Protestantes studiis suis philologicis et historicis catholicos interpretes ultimo hoc saeculo superasse negari non potest; namque lingua, quae studio sacrorum librorum inservit, nulla est, quam maxima cum diligentia non excoluerint, res historica nulla, in quam non sollertissime et sagacissime investigarint. Cum nostro dedecore fateamur oportet, res hodie eo pervenisse, ut si libris sacris nostris accuratius studium impendere velimus, philologicis historicisque eorum operibus carere nequeamus.

Iam saeculo praeterlapso hebraicae linguae scientiam *Io. Simonis* († 1768) et *I. D. Michaelis* († 1791) non parum promoverant, at multo magis hoc nostro saeculo promota est grammaticis et lexicographicis laboribus *G. Gesenii* († 1842), *Henrici Ewald* († 1875), *Iul. Fürst, Iusti Olshausen* († 1882) aliorumque, qui ad formas significationesque vocabulorum hebraicorum non minus quam ad ipsas phrasium constructiones investigandas felicissimo cum successu reliquas semiticas dialectos compararunt[1]. Quae comparatio ut accuratior fieret, alii eodem tempore operam suam dialectis illis impenderunt; inter quos samaritanam excoluerunt *F. Uhlemann, E. Petermann, A. Brüll,* syriacam *I. D. Michaelis, A. G. Hoffmann, G. H. Bernstein. Th. Nöldeke, E. Nestle, A. Socin* etc., chaldaicam *G. B. Winer, I. Fürst, A. Kautzsch,* arabicam *H. Ewald, G. W. Freitag* aliique multi, aethiopicam *H. Hupfeld, Aug. Dillmann*[2]. Dialectum graecam alexandrinae versionis et Novi Testamenti grammaticis suis et lexicis illustrarunt *I. F. Schleussner* († 1831), *G. Bretschneider* († 1848), *C. A. Wahl* († 1855), *G. B. Winer* († 1858), *W. Grimm, H. Cremer* aliique[3].

Non minorem diligentiam historicis quoque disciplinis impenderunt, at non pauca ex eorum operibus rationalistico sensu composita sunt; historiam iudaicam rationalistice tractarunt *Lorenz Bauer* († 1812), *Heinrich Leo* († 1867), *A. P. Stanley* († 1875), atque praeprimis *H. Ewald* et *I. Wellhausen;* simili modo historia aetatis Christi erudito opere tractatur ab *Em. Schürer;* ex iis vero, qui historiam iudaicam tamquam sacram tractarunt, vix alii nominari possunt praeter *H. Kurtz* et *A. Koehler*[4]. Etiam archaeologia iudaica a rationalistis magis quam ab eorum adversariis exculta est; etenim *C. Baehr* et *C. F. Keil* quidem in suis libris supranaturalem revelationem agnoscunt, at eam iam negligunt *I. C. Michaelis* et *I. L. Saalschütz,* et eam aperte impugnant *L. Bauer, M. L. de Wette, H. Ewald,* etc[5]. Geographiam Palaestinae optime tractatam habes a *C. Ritter, A. P. Stanley* et breviore compendio a *C. v. Raumer*[6]. Non immerito huc etiam trahi possunt ea, quae de finitimorum populorum historia et antiquitatibus edita sunt; de Aegyptologia (cuius tamen fundamenta iecerunt catholici quidam,

Champollion, de Rougé, Chabas) optime *R. Lepsius*, *S. Birch*, *H. Brugsch*, *A. Ermann*, *A. Wiedemann* etc., de Assyriologia *G. Smith*, *A. Rawlinson*, *E. Schrader*, *A. Haupt*, *Fried. Delitzsch* multique alii meriti sunt; at aptius de his quoque alio in loco disseremus.

1. *I. Simonis* Introd. grammat. crit. in ling. hebr. Halae 1753; *I. D. Michaelis* Supplementa ad lexica hebr. Gotting. 1785-92; *G. Gesenius* Hebr. Grammatik Halae 1813 — operis huius ed. 10 (1840) usque ad 21. (1874) ab *Em. Roediger*, ed. 22 (1879) usque ad 25 (1889) ab *Em. Kautzsch* curatae et partim retractatae sunt; — *Gesenius* Ausführl. gramm. krit. Lehrgebäude der hebr. Sprache. Leipz. 1817; *H. Ewald* Ausführl. Lehrb. der hebr. Sprache. Leipz. 1828 (ed. 8. 1870) profundiori linguae studio inservit; ex primitivis formis semiticis, quas in vetere lingua arabica conservatas censuit, formas hebraicas in V. T. usurpatas explicare studuit *Iustus Olshausen* Lehrbuch der hebr. Sprache. Braunschweig 1861; similem viam inierunt *Aug. Müller* Hebr. Schulgramm. 1878 et *Bernh. Stade* Lehrb. der hebr. Gramm. I. Leipz. 1879; antiquorum iudaicorum grammaticorum studia iterum adhibenda duxit *E. König* Hist. krit. Lehrgeb. mit steter Beziehung auf Qimchi u. die andern Auctoritäten. Leipz. 1881-87; syntacticas quaestiones tractat *S. R. Driver* Treatise on the use of tenses in Hebrew etc. Ed. 3. London 1892; practico scholarum usui praeter Gesenii gramm. potissimum inserviunt *Nägelsbach* Hebr. Gramm. Ed. 5. 1880; *H. Strack* Hebr. Gramm. mit Uebungsstücken Ed. 4. 1892 etc. — Lexica hebr. *supra* (212 *n.* 7) iam nominavimus.

2. Eorum operum, quippe quae ad philologiam magis spectant, titulos adscribere supersedemus; cfr *H. Kihn* Encyclopädie u. Methodologie der Theologie. Freiburg 1892 p. 110 sq., qui catholica opera simul nominat, et *Zoeckler* Handbuch der theol. Wissensch. I. p. 190 sqq.

3. *I. F. Schleussneri*, *G. Bretschneiderii*, *C. A. Wahlii*, *Grimm* etc. lexica supra nominavimus (212. *n.* 7.); *G. B. Winer* Grammatick des neutestam. Sprachidioms Leipz. 1822. Ed. 7. cur. Lünemann 1867; *A. Buttmann* Gramm. des neutest. Sprachgebr. Berlin 1859. Alia opera indicant *Kihn* p. 115 sqq. et *Zoeckler* p. 439.

4. *L. Bauer* Handb. der Gesch. der hebr. Nation. Nürnberg 1800-1804; *H. Leo* Vorlesungen über die Gesch. des jüd. Staates. Berlin 1828 (in Historia sua universali tamen rationalisticam tractandi methodum prorsus reiecit); *H. Ewald* Gesch. des jüd. Volkes bis auf Christus. 1843. Ed. 3. 1863-1868. 7 voll.; *I. Wellhausen* Gesch. Israels. Kiel 1878; *A. P. Stanley* Lectures on the history of the Jewish church. London 1867 etc. Rationalisticas apostolici temporis historias in praecedente paragrapho indicavimus; illis tamen addatur oportet *E. Schürer* Gesch. des jüd. Volkes zur Zeit Christi. Ed. 2. Leipzig 1890 sqq. — *H. Kurtz* Gesch. des A. B. Dorpat 1848. Ed. 3. 1864; *A. Koehler* Lehrbuch der bibl. Gesch. d. a. B. Erlangen 1875-92.

5. *C. Baehr* Symbolik des mosaischen Cultus. Heidelberg 1837-39; *C. F. Keil* Handb. der Archaeologie. Frankf. 1858. Ed. 2. 1875. — *I. D. Michaelis* Das Mosaische Recht. Halle 1770-75; *I. L. Saalschütz* Das mosaische Recht nebst den thalm. Bestimmungen. Berlin 1846. Ed. 2. 1859; *L. Bauer* Hebraeische Mythologie (!!) des A. u. N. B. Altdorf 1806; *de Wette* Lehrb. der Archaeologie. Berlin 1814. Ed. 4. cur. Raebiger 1864; *H. Ewald* Alterthümer des Volkes Israel. Gœtting. 1848. Ed. 3. 1866; *Ad. Kinzler* Die bibl. Alterthümer. Calw 1871; ed. 6. 1884. Praeter haec opera generalia adsunt quam plurima, quae aut solas religiosas vel domesticas etc. antiquitates tractant aut de una alterave re particulari agunt; multa (catholicis intermixtis)

enumerat *Kihn* l. c. p. 253 sqq.; ibid. p. 256 sqq. etiam aegyptiologica et assyriologica quaedam enumerantur.

6. *C. Ritter* Erdkunde. Bd. 14-16. Berlin 1848 sqq.; *A. P. Stanley* Sinai and Palestine in connexion with their history. Ed. 5. London 1850; *C. v. Raumer* Palaestina. Erlangen 1835. Ed. 4. 1860. Ex modernorum itinerum descriptionibus quidquid ad illustrandum textum sacrum inservire potest, collegit *E. F. K. Rosenmüller* Das alte und neue Morgenland. Leipz. 1828-30. 6 voll. Alia multa opera de geographia, historia natur. etc. indicant *Kihn* p. 242-48 et *Zoeckler* p. 214 sqq.

269. — Quidnam in textu librorum sacrorum genuino restituendo protestantes praestiterint quum in parte praecedente satis fuse sit expositum, opus non est ut hic repetamus; fateamur autem iterum oportet nos in textus quoque sacri critica, sola Vulgata nostra excepta, fere omnino ab eorum laboribus dependere. Sed quod ad eorum commentarios attinet, admodum paucos invenies, qui rationalistico veneno non sint infecti. Etsi enim semper aliqui fuerint, qui contra rationalistas supranaturalem librorum sacrorum characterem defenderent, eorum tamen opera cum rationalisticis, si auctorum eruditionem et sagacitatem spectas, comparari non possunt; quare pleraque mox oblivioni sunt data. Non nisi quarto nostri saeculi decennio nova exorta est schola interpretum, qui validius rationalistica principia impugnare conati sunt; at scholae huius fundatoribus mortuis ipsa quoque fere evanuit, et vix non omnes illi, qui hodie adhuc « orthodoxis » interpretibus adnumerari solent, in multis adversariorum suorum principia sequuntur. Quocirca trifariam hodie quasi dividitur exegesis protestantica; alii enim interpretes aperte supranaturali revelatione negata libros Utriusque Test. eodem modo, quo libros quoscumque antiquitatis profanae, tractant; alii librorum sacrorum inspirationem aperte affirmant et in eo solo a catholicis interpretibus dissentiunt, quod, quum sua dogmata in Scripturis invenire velint, traditionalem interpretationem fere negligant aut etiam contemnant; alii demum, etsi inspirationem non negent, tamen quantum eius fieri potest, miracula et vaticinia removere student, et quamvis rationalistica principia non aperte profiteantur, tamen rationalistico fere modo libros explicant.

Novae scholae « orthodoxae » fundator merito habetur *E. W. Hengstenberg* († 1869), qui Veteri praesertim Testamento studium suum impendit et omnium validissimus et eruditissimus rationalismum impugnavit, ita ut aliqua ex eius operibus sub hoc respectu utilissima sint dicenda [1]. Eadem fere cum fortitudine et eruditione vestigia magistri sui secuti sunt *H. A. Haevernick* († 1845) et *C. F. Keil* († 1889), qui scholae huius fertilissimus est interpres; una enim cum *Fr. Delitzsch* († 1890), qui inter hodiernos exegetas protestanticos primum locum tenuit quum ob egregiam linguae hebraicae scientiam tum ob ingeniosum subtilemque interpretandi modum, omnes protocanonicos Veteris Testamenti et aliquos libros Novi commentariis illustravit [2]. Novo Testamento ex « orthodoxis » operam suam etiam impenderunt *Herm. Olshausen* († 1839), *C. F. Luthard, I. H. Ebrard* [3].

Eidem scholae adnumerandi etiam sunt auctores commentariorum germanicorum, quos *I. P. Lange* edidit [4], et anglicorum, qui sub nomine *The Speakers Commentary* cogniti sunt [5].

Mediam quasi « orthodoxos » inter et rationalistas viam tenere conati sunt *I. G. Rosenmüller* († 1815) eiusque filius *F. K. Rosenmüller* († 1835) in suis scholiis, quibus U. T. instruxerunt [6]; huc etiam trahendi sunt *Fr. W. Umbreit* († 1860), *A. Tholuck* († 1875), *I. Chr. Hofmann* aliique, qui mysticismum quendam haud raro prae se ferunt [7], atque non pauci, qui theologica explicatione fere omissa, grammaticis quaestionibus delectantur, inter quos praecipui sunt, qui una cum *H. A. W. Meyer* († 1873) satis copiosum et, si solam philologiam spectas, bonum commentarium in Novum Testamentum ediderunt [8]. Huc quoque potius, quam ad primam classem, referendi sunt auctores brevis illius commentarii, quem *H. Strack* et *O. Zoeckler* edere coeperunt [9].

Primipilos rationalistarum supra iam nominavimus; totum eorum agmen recensere nec vacat nec iuvat; ex celebrioribus eorum commentatoribus praecipui sunt *L. Bertholdt* († 1822), *G. Gesenius* († 1842), *C. A. Credner* († 1857), *Fr. Bleek* († 1859), *Ios. Bunsen* († 1860), *H. Hupfeld* († 1866), *H. Ewald* († 1875) et editores « Brevis commentarii in V. T. », uti editores « commentarii manualis in N. T. » [10].

1. ***E. W. Hengstenberg*** Christologie des A. T. Berlin 1829-35. Ed. 2. 1854-57 (egregia vaticiniorum explicatio, at in editione 2. longius, quam in priore, a traditionali exegesi recedit); Commentar über die Psalmen. Berlin 1842-47. Ed. 2. 1849-52; Das Hohe Lied. 1853; Prediger Salomo's. 1859; Weissagungen des Proph. Ezechiel. 1867-68. Opus posthumum : Das B. Hiob. 1870-75. Nonnullos quoque N. T. libros explicavit : Offenbarung des h. Ioannes. 1849-51. Ed. 2. 1861-62; Evang. des h. Ioannes. 1861-63. — Praeprimis rationalismum impugnavit in suis « Beiträge zur Einl. ins A. T. » 1831-39, in quorum primo volumine authentiam Danielis, in duobus reliquis mosaicam Pentateuchi originem vindicat.

2. ***H. A. Haevernick*** Comment. über das Buch Daniel. Berlin 1832; Ezechiel 1843; contra rationalistas librorum V. T. authentiam defendit in suo Handbuch der hist. krit. Einl. in d. A. T. 1837-49, et in opere posthumo Vorlesungen über die Theol. des A. T. 1863. — ***C. F. Keil*** Apologet. Versuch über die Chronik. Berlin 1833; die Bücher der Könige. Moskau 1846; Buch Iosua. Erlangen 1847; Lehrb. der Einl. Ed. 2. Frankf. 1859; Archaeologie 1858. Porro in Commentario, quem cum Fr. Delitzsch edidit (Leipzig 1860 sqq. 17 voll.), ipse libros historicos et propheticos (excepto Isaia) explicavit, Delitzsch Isaiam et poeticos omnes. Ex N. T. libris interpretatus est Evangelia (Leipzig 1877-81. 3 voll.) et epistolas Petri et Iudae (Leipz. 1883). Inter hodiernos protestantes reliquis minus rationalistica principia adoptavit. — ***F. Delitzsch*** praeter commentarios in Isaiam (Ed. 3. 1879) et in libros poeticos (Psalter Ed. 4. 1883; Iob Ed. 2. 1876; Spruchbuch 1873, Hohes Lied 1875) edidit : Commentar über die Genesis. Ed. 4. Leipzig. 1872 (in quo tamen Geneseos unitatem negat), Comment. zum Briefe an die Hebr. 1857 etc.; haud pauca Delitzschii opera quatuor vel pluribus editionibus propagata sunt.

3. ***H. Olshausen*** Bibl. Comment. über sämmtl. Schr. des N. T. Hamburg 1840-62. 7 voll.; — ***Chr. E. Luthardt*** (lutherani) Das Iohanneische Evangel. Leipzig 1852 (Ed.

2. 1875); Offenbarung 1861; — *I. H. Ebrard* Wissensch. Kritik der Evang. Erlangen 1842; Hebräerbrief 1850; Offenbarung 1858 etc.

4. *I. P. Lange* Theologisch homilet. Bibelwerk. Bielefeld 1864-1878 (Altes Test. 20 voll., Neues Test. 16 voll.). Celebriores horum commentariorum auctores praeter I. P. Lange sunt *O. Zoeckler, Ed. Naegelsbach, C. A. Auberlen* († 1864), *G. V. Lechler, J. J. van Oosterzee* etc.

5. The Holy Bible with an explanatory and critical commentary ed. by *F. C. Cook*. London 1871-1888. V. T. 7 voll., N. T. 4 voll., Apocrypha (i. e. deuterocanonica) 2 voll.

6. *I. G. Rosenmüller* Scholia in N. T. Nürnb. 1777 sqq. Ed. 6. 1831. 5 voll. *E. F. C. Rosenmüller* Scholia in V. T. Lips. 1788 sqq. Ed. 3. 1823 sqq. 23 voll. Alterum hoc opus praesertim ob multa, quae ex aliis collegit, utilitate non caret.

7. *F. W. C. Umbreit* Prakt. Commentar über die Propheten. 1842-46; Brief an die Römer 1856; — *A. Tholuck* Evangel. Ioannis. Ed. 7. Gotha 1857; Römerbrief Ed. 5. 1855; Hebraerbrief Ed. 3. 1850 etc.; — *I. Chr. Hofmann* Weissagung u. Erfüllung Erlangen 1849; Die h. Schrift N. T. im Zusammenhang erklärt. 1864 sqq. 9 voll. etc.

8. *H. A. W. Meyer* Krit. exeget. Commentar zum N. T. Göttingen 1832 sqq. 16 voll.; aliqua volumina 7. vel 8. editione repetita sunt. Praecipui collaboratores fuerunt *I. E. Huther, G. Lünemann, F. Düsterdieck*; inter novos editores nonnulli ad rationalismum magis inclinant, uti *B. Weiss, W. Beyschlag, G. Heinrici* etc.; qui pleraque volumina ita retractarunt, ut primitivi operis vix vestigium remanserit atque ipsa quoque interpretandi methodus sit mutata.

9. *Strack* et *Zoeckler* Kurzgefasster Comm. zu den hl. Schriften des A. u. N. T. sowie zu den Apocryphen. Nördlingen 1887-93; praecipui Veteris T. interpretes sunt *Strack, A. Klostermann, C. v. Orelli* etc., Novi autem *C. F. Noesgen, O. Zoeckler, G. Schnedermann* etc.

10. *L. de Wette* Psalmen Ed. 5. 1856; Kurzgefasstes exeget. Handb. des N. T. post auctoris mortem retractatum a *F. Overbeck, H. Messner* aliisque 1863 sqq.; — *Gesenius* Prophet Isaias. Ed. 2. Leipz. 1829; — *Fr. Bleek* Hebraerbrief 1828-40; opera posthuma : Einl. ins A. T. Berlin 1860; Einl. ins N. T. 1861; Synopt. Evangelien 1862; — *G. A. Credner* Einl. ins N. T. 1836; Beiträge zur Einl. ins N. T; 1832-38; Das N. T. nach Zweck u. Ursprung 1841; Zur Gesch. des Kanon 1847; opus posthumum : Gesch. des N. T. Kanon 1860; — *Ios. Bunsen* Vollständiges Bibelwerk für die Gemeinde. Leipz. 1858 sqq. 9 voll. (cooperantibus *A. Kamphausen* et *H. Holtzmann*); — *Herm. Hupfeld* Die Psalmen. Ed. 2. Gotha 1867-71; Quellen der Genesis. Berlin 1853 etc.; — *H. Ewald* Dichter des A. B. Ed. 2. Leipz. 1866 sq.; Propheten des A. B. Ed. 2. 1868; Iohanneische Schriften. 1861 sq.; Sendschreiben d. Apostels Paulus. 1857 etc. — *Kurzgef. exeget. Handb.* zum A. T. voll. 17. Leipz. 1856 sqq.; praecipui auctores sunt *A. Knobel, E. Bertheau, O. Thenius, Iust. Olshausen, F. Hitzig*; novas editiones retractarunt *A. Dillmann, L. Diestel* etc. — *Handcommentar* zum Neuen Test. bearbeitet von *H. I. Holtzmann, R. A. Lipsius, P. W. Schmiedel, H. v. Soden*. Freiburg 1889-92. 4 voll.

270. — Quamvis satis longus iam sit interpretum protestanticorum catalogus, tamen minimam eorum, qui hodie celebrantur, partem attulimus; quod si autem tot nomina recensuimus, per se patet nos eorum opera catholicis lectoribus promiscue commendare noluisse. Etenim etsi inter eos non pauci magna eruditione philologica et historica non minus quam ingenio acri et sagaci insignes sint, atque unus saltem alterve ex illis maxima

cum sollertia revelationem supranaturalem defenderint et vindicarint, nullum tamen, opinor, invenies, quin partium haereticarum studio addictus, data vel etiam quaesita occasione, dogmata praecepta instituta catholica impugnaverit textusque etiam clarissimos artificiose et argute ad suos sensus contorserit. Tanto autem longius absumus ab operibus istis commendandis, quanto clarius ex historiae exegeseos conspectu nostro elucet, nobis minime deesse opera catholica, quae difficillimos quosque Scripturarum textus optime et dilucide exponunt. Quin etiam si quis accuratius studium modernis protestantium operibus exegeticis impenderit, haud difficili negotio deprehendet bonas explicationes, quas tradunt, multas iam diu antea a catholicis esse traditas; neque immerito suspicantur aliqui, nonnullos interpretes protestanticos satis multa ex catholicis suis praedecessoribus hausisse eosque nominibus eorum silentio pressis expilasse. Nisi Lyranus lyrasset, Lutherum non saltasse, olim iam plerique non immerito asseruere; Grotium ex Maldonato, Rosenmullerum ex Sanctio non parum profecisse, certum aliquibus videtur esse; num reliqui multa illa, quae consona in antiquis commentariis leguntur, ipsi invenerint, an ex illis descripserint, aliis relinquimus investigandum.

Nihilominus iniusti essemus, si protestanticos interpretes studia scripturistica promovisse negaremus. Etenim non semel indicavimus, quanta cum industria quaestiones criticas, philologicas, historicas tractaverint, quantaque laus criticis eorum editionibus, grammaticis et lexicis ab eis elaboratis, historicis eorum inquisitionibus debeatur. Quid quod ipsum rationalismum ad exegeseos profectum contulisse fatendum sit. Ea enim est Dei sapientia et providentia, ut si malum aliquod permittat, id simul in Ecclesiae suae utilitatem cedere velit; omnes persecutiones, quotquot per undeviginti saecula portae inferi excitaverunt, Ecclesiae confirmandae purificandae propagandae inservierunt; omnes haereses, quae innumerae inde ab Apostolorum aetate exortae sunt, ad veram genuinamque Christi doctrinam accuratius cognoscendam, clarius definiendam, firmius demonstrandam contulerunt. Eadem quoque ratione tantum abest, ut rationalismus libros nostros sacros divino eorum charactere privaverit supranaturalemque eorum revelationem destruxerit, ut ad eorum authentiam stabiliendam et ad eorum sensum melius cognoscendum iuverit quam plurimum. Quaecumque enim de eorum origine et auctoritate antiqui tradiderunt, nunquam maiore cum sedulitate et sagacitate, quam nostris temporibus, sive ab ipsis rationalistis sive ab eorum adversariis conquisita sunt : nullum est antiquioris Patris vel scriptoris opus, quod non diligentissime sit pervolutatum, ut quosnam ex nostris libris cognoverit acutissime definiatur; nullum antiquum testimonium, quod non subtilissime sit discussum, ut quis eius sit sensus et valor accurate determinetur; atque ipsa Aegyptiorum, Assyriorum, Babyloniorum aliarumque gentium omnium antiquissima monumenta studiosissime sunt pervestigata, ut eorum auctoritas libris nostris opponi possit. Quid vero? Quicumque praeiudiciis occupatum non habet animum, fateri hodie cogitur, omnibus istis investigationibus,

etsi divinam librorum nostrorum originem uti per se patet directe demonstrare non potuerint, id saltem effectum esse, ut clariore nunc luce splendeat eorum authentia facilioreque negotio rationalisticae obiectiones demonstrentur inanes. Nihil quoque hoc nostro tempore intentatum est relictum a rationalistis, ut internis, quas vocant, rationibus libros nostros fidem non mereri demonstrarent; undecumque varias lectiones conquisiverunt, vocum omnium significationes phrasiumque constructiones rigidissimo examini subiecerunt, res omnes doctrinasque, quae aut explicite referuntur aut obscure innuuntur, collegerunt, excusserunt, inter se compararunt — eum solum in finem, ut sacros libros nostros sibi contradicere ostenderent eosque in minutissimas partes discerptos destruerent. At hic quoque indefessus eorum labor, si eorum finem spectas, vanus et irritus prorsus fuit, Ecclesiae autem utilissimus. Novam enim provocavit interpretandi methodum, qua librorum integrorum dispositione et nexu diligentius attentis, rationibus eorum historicis accuratius perpensis, fine scopoque scriptorum sacrorum subtilius investigato, omnia nova adiumenta a rationalistis conquisita adhibemus, ut traditum Scripturarum sensum penitius cognoscamus, pressius definiamus et explanemus, validius defendamus.

O. A. M. D. G.

APPENDICES.

TABULA I.

1. Origo literarum semit. ex hierogl.

SCRIPTURA AEGYPTIORUM		PRIMITIVAE formae SEMITARUM
HIEROGLYPHICA	HIERATICA	

2. Origo literarum graec. ex semit.

ANTIQUA scriptura SEMITICA	PRIMITIVA scriptura GRAECA	IUNIORES FORMAE

TABULA II.

Literarum semitic. primitivarum mutationes.

Codices samaritani.	Nummi Hebraeorum ante et post Chr. aetatem.	Nummi et inscriptiones Phoeniciae.	Inscriptio Mesae saec. 9 a. Chr.	Papyri et inscript. aramaic. et aegypt. a saec. 8. — 1. ante Chr.	Inscript. palmyrenae immediate ante et post Christi aetatem.	Inscript. hebraic. tempore Christi.	Literae quadratae.
							א
							ב
							ג
							ד
							ה
							ו
							ז
							ח
							ט
							י
							כ ך
							ל
							מ ם
							נ ן
							ס
							ע
							פ ף
							צ ץ
							ק
							ר
							שׁ שׂ
							ת

TABULA III.

Specimen codicis babyl. Prophetarum.

את יהוה והמלך מה
יעשה לנו דברו דברים
אלות שוא כרת ברית
ופרח כראש משפט על
תלמי שדי לעגלות בית
און יגורו שכן שמרון כי
אבל עליו עמו וכמריו
עליו יגילו על כבודו כי
גלה ממנו גם אותו לאשור
יובל מנחה למלך ירב
בשנה אפרים יקח ויבוש
ישראל מעצתו נדמה

TABULA IV.

Specimen codicis vaticani (B).

+ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ +

\+ + + 1349



ΕΝΑΡΧΗΗΝΟΛΟΓΟϹΚΑΙ
ΟΛΟΓΟϹΗΝΠΡΟϹΤΟΝΘΝ
ΚΑΙΘϹΗΝΟΛΟΓΟϹ ΟΥΤΟϹ
ΗΝΕΝΑΡΧΗΠΡΟϹΤΟΝΘΝ
ΠΑΝΤΑΔΙΑΥΤΟΥΕΓΕΝΕ
ΤΟΚΑΙΧΩΡΙϹΑΥΤΟΥΕΓΕ
ΝΕΤΟΟΥΔΕΕΝΟΓΕΓΟΝΕ
ΕΝΑΥΤΩΖΩΗΗΝΚΑΙΗ
ΖΩΗΗΝΤΟΦΩϹΚΑΙΤΟ τῶν ἀνθρώπων
ΦΩϹΕΝΤΗϹΚΟΤΙΑΦΑΙ
ΝΕΙΚΑΙΗϹΚΟΤΙΑΑΥΤΟ
8 ΟΥΚΑΤΕΛΑΒΕΝΕΓΕΝΕ
ΤΟΑΝΘΡΩΠΟϹΑΠΕϹΤΑΛ
ΜΕΝΟϹΠΑΡΑΘΥΟΝΟΜΑ
ΑΥΤΩΙΩΑΝΗϹΟΥΤΟϹ
ΗΛΘΕΝΕΙϹΜΑΡΤΥΡΙΑΝ
ΙΝΑΜΑΡΤΥΡΗϹΗΠΕΡΙΤΟΥ
ΦΩΤΟϹΙΝΑΠΑΝΤΕϹΠΙ
ϹΤΕΥϹΩϹΙΝΔΙΑΥΤΟΥ
ΟΥΚΗΝΕΚΕΙΝΟϹΤΟΦΩϹ
ΑΛΛΙΝΑΜΑΡΤΥΡΗϹΗΠΕ
ΡΙΤΟΥΦΩΤΟϹ ΗΝΤΟΦΩϹ
ΤΟΑΛΗΘΙΝΟΝΟΦΩΤΙ
ΖΕΙΠΑΝΤΑΑΝΘΡΩΠΟΝ
ΕΡΧΟΜΕΝΟΝΕΙϹΤΟΝΚΟ
ϹΜΟΝ ΕΝΤΩΚΟϹΜΩΗΝ
ΚΑΙΟΚΟϹΜΟϹΔΙΑΥΤΟΥ
ΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΟΚΟϹΜΟϹ
ΑΥΤΟΝΟΥΚΕΓΝΩΕΙϹ
ΤΑΙΔΙΑΗΛΘΕΝΚΑΙΟΙΙΔΙ
ΟΙΑΥΤΟΝΟΥΠΑΡΕΛΑΒΟΝ
ΟϹΟΙΔΕΕΛΑΒΑΝΑΥΤΟΝ
ΕΔΩΚΕΝΑΥΤΟΙϹΕΞΟΥ
ϹΙΑΝΤΕΚΝΑΘΥΓΕΝΕϹΘΑΙ
ΤΟΙϹΠΙϹΤΕΥΟΥϹΙΝΕΙϹ
ΤΟΟΝΟΜΑΑΥΤΟΥΟΙΟΥ
ΚΕΞΑΙΜΑΤΩΝΟΥΔΕΕΚ
ΘΕΛΗΜΑΤΟϹϹΑΡΚΟϹ

TABULA V.

1. Specimina codd. sinaitici et frid. august. (א).

ϹΕΑΥΤΟΝ ΚΑΘΩϹΑΡ
ΧΗϹΚΑΙΑΦΗΜΕΡΩ̄
ΩΝΕΤΑΞΑΚΡΙΤΑϹ
ΕΠΙΤΟΝΛΑΟΝΜΟΥ
ΙϹΛ ΚΑΙΕΤΑΠΙΝΩ
ϹΑΑΠΑΝΤΑϹΤΟΥϹ
ΕΧΘΡΟΥϹϹΟΥΚΑΙ
ΑΥΞΗϹΩϹΕΚΑΙΟΙ

ΤΗΩΡΑΥΠΕϹΤΡΕ
ΨΑΝΕΙϹΙΕΡΟΥϹΑ
ΛΗΜΚΑΙΕΥΡΟΝΗ
ΘΡΟΙϹΜΕΝΟΥϹΤΟΥ
ΕΝΔΕΚΑΚΑΙΤΟΥϹ
ϹΥΝΑΥΤΟΙϹΛΕΓΟ̄

2. Specimen codicis alexandrini (A).

ΕΝΑΡΧΗΗΝΟΛΟΓΟϹΚΑΙΟΛΟΓΟϹΗ
ΠΡΟϹΤΟΝΘ̄Ν ΚΑΙΘ̄ϹΗΝΟΛΟΓΟϹ
ΟΥΤΟϹΗΝΕΝΑΡΧΗΠΡΟϹΤΟΝΘ̄Ν
ΠΑΝΤΑΔΙΑΥΤΟΥΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΧΩ
ΡΙϹΑΥΤΟΥΕΓΕΝΕΤΟΟΥΔΕΕΝ
ΟΓΕΓΟΝΕΝΕΝΑΥΤΩΖΩΗΗΝ
ΚΑΙΗΖΩΗΗΝΤΟΦΩϹΤΩΝᾹΝ̄Ω̄Ν̄
ΚΑΙΤΟΦΩϹΕΝΤΗϹΚΟΤΙΑΦΑΙ
ΝΕΙΚΑΙΗϹΚΟΤΙΑΑΥΤΟΟΥΚΑΤΕ
ΛΑΒΕΝ·

TABULA VI.

Specimen codicis fuldensis.

ADDISPERSOS

ETFLOSEIUSDECIDITETDE
CORUULTUSEIUSDEPERIIT
ITAETDIUESININITINERIBUS
SUISMARCESCIT
II· BEATUSUIRQUISUFFERT
TEMPTATIONEM· QUO
NIAMCUMPROBATUSFUE
RITACCIPIETCORONAM
UITAE· QUAMREPROM
MISITDSDILIGENTIBUSSE
NEMOCUMTEMPTATURDI
CATQUIAADOTEMPTATUR
DSENIMINTEMPTATOR
MALORUMESTIPSEAUTE
NEMINEMTEMPTAT·
UNUSQUISQ·UEROTEMPTA
TURACONCUPISCENTIA
SUAABSTRACTUSETINLEC
TUS· DEINCONCUPIS
CENTIACUMCONCEPERIT
PARITPECCATUM· PEC
CATUMUEROCUMCONSUM
MATUMFUERITGENERAT
MORTEM·
III. NOLITEITAQ·ERRAREFF
MEIDILECTISSIMI· OM
NEDATUMOPTIMUMETOM
NEDONUMPERFECTUMDE
SURSUMEST·

Specimen codicis amiatini.

ETAITDNSDS ADSERPENTEM
QUIAFECISTIHOC MALEDICTUS ES INTER
OMNIA ANIMANTIA ETBESTIASTERRAE
SUPER PECTUSTUUM GRADIERIS
ET TERRAM COMEDES CUNCTIS
DIEBUS UITAE TUAE
INIMICITIAS PONAM INTERTE
ETMULIEREM
ETSEMENTUUM ETSEMEN ILLIUS
IPSA CONTERET CAPUTTUUM
ETTUINSIDIABERIS CALCANEO EIUS
MULIERI QUOQUE DIXIT

EMISITEUM DNSDS DEPARADISO
UOLUPTATIS
UTOPERARETUR TERRAMDEQUA
SUMPTUS EST . EIECITQUE ADAM
ETCOLLOCAUIT ANTE PARADISUM
UOLUPTATIS
CHERUBIN ETFLAMMEUM GLADIUM
ATQUE UERSATILEM
ADCUSTODIENDAM UIAM.
LIGNI UITAE
IIII. ADAM UERO COGNOUIT HAEUAM
UXOREM SUAM

Fragmenti muratoriani specimen.

II

descepline sc̄i ficate sunt pertiretiam ad
Laudecenses alia ad alexandrinos pauli no
mine fincte ad hesem marcionis et alia plu
raquae in catholicam eclesiam recepi non
potest fel enim cum melle misceri non con
cruit epistola sane iude et superscrictio
iohannis duas in catholica habentur et sapi
entia ab amicis salomonis in honore ipsius
scripta apocalapse etiam iohanis et pe
tri tantum recipimus quam quidam ex nos
tris legi in eclesia nolunt pastorem uero
nuperrim et temporibus nostris in urbe
roma herma conscripsit sedente cathe
tra urbis romae aeclesiae pio ep̄s frater
eius et ideo legi eum quidē oportet se pu
plicare uero in eclesia populo neque inter
profetas conpletum numero neque inter
apostolos in finē temporum potest.
Arsinoi autem seu ualentini. uel mitiadē
nihil in totum recipemus. qui etiam nouū
psalmorum librum marcioni conscripse
runt una cum basilide assianum catafry
cum constitutorem

Abraham numerauit seruolus suos uer
naculus et cum trecentis decē et octo
uiris adeptus uictoriam liuerauit nepotē
pro uaturdiuisionis adfectus quandu sic
amabat nepotem ut pro eo necuelli decli
narē periculum quid est numerauit. hoc
est elegit unde et illud non solū ad scien
tiam dei refertur sed etiā ad crama iustorum

INDEX

25